CHRONICA SACRI, ET MILITARIS ORDINIS B. MARIAE DE MERCEDE REDEMPTIONIS...

Bernardo : de sec. 17 Vargas

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 P
M 11

CHRONICA
SACRI, ET MILITARIS
ORDINIS
B. MARIAE DE MERCEDE
REDEMPTIONIS CAPTIVORVM

EX QVA NON SOLVM HISTORIOGRAPHI, ET ALIORVM Ordinum Scriptores, sed etiam verbi diuini Acclamatores multa pro concionibus suis colligere, & excerpere passim poterunt.

AVCTORE
FRATRE BERNARDO DE VARGAS
SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO,
Ispalensi, eiusdem Ordinis alumno.

Cum copiosissimo Capitum, rerum, ac materiarum Indice.

S,

Aduani.

PANORMI,
Apud Ioannem Baptistam Maringum Impressorem Cameralem. M. DC. XIX.

SVPERIORVM PERMISSV.



RELIGIOSISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PATRI FRATRI STEPHANO

DE MVNIERA IN SACRA
Theologia Magistro,

ORDINIS S. MARIAE DE MERCEDE

REDEMPTIONIS CAPTIVORVM
Generali dignissimo.

FR. BERNARDVS DE VARGAS D.D.D.

IBI verò (Pater Religiosissime,) opus hoc qualecunque consecraui, & res loquebatur, & merita in me tua. Totius enim familiæ nostræ sacra monumenta, cui iustius debebantur, quàm ipsius Ordinis Principi amplissimo, & moderatori prudentissimo? Eoquè libenter, in tuum sinum recipi, sese ambit volumen istud, quod tuis auspicijs institutum, te etiam aspirante, progressum est, & quod (tuo afflante numine) metam attinget: haud equidem par esse videbatur, vt alieno nomine insignitum, lucis huius vsura frueretur. Huc ornamenta illa, animi tui singularia accedebant, & incendebant, ne alium mihi deligerem Patronum, præter eum à quo sunt; si quæ in me sunt; omnia profecta. Vtinam in Ocæanum istud refundatur aliquando riuulus hic meus; vt qui exiguus, ex sese, ac tenuis, familiæ nostræ vberrimos hortos, ac vineas, toto orbe diffusas, attingere vix potest; deducat saltem palmites suos ad istud mare, quod, fœcunda diluuie super omnem terram exundat. Nouimus id omnes, quotquot ex suggestu declamantem te audiuimus, quanto plausu, ac frequentissimo auditorum conuentu exciperetur vox ista tua. Nouimus, quæ sapientiæ imbres; quæ doctrinæ flumina; quæ omnis artis, omnisque eloquentiæ, pretiosa tempestas, ex isto pectore erumpant. Nouimus quanta in sententijs grauitas inesset; quanta in moribus circumspectio; (vt in meliorem frugem se omnes reciperent,) & tantùm disciplina tua, figura, & Magistra probitatis extiterit. Nouit id etiam Romana Respub. cum procuratoriam in ea Vrbe curam, totius Ordinis, tibi vni, demandatam exercens, quæ dedisti prudentiæ, quæ iudicij integerrima argumenta. Hinc Generalis Magistri vicem subiens, auxisti tuo splendore dignitatem illam, quæ cum sit, in nostro ordine sublimior, tuis tamen meritis, se imparem esse, planè professa est. Ambiebant enim illius inclitæ Vrbis Senatores, ac Principes, (dum in ea adhuc versareris,) te sibi in rebus arduis moderatorem, & qui vniuerso terrarum orbi, cum imperio præesse me-

meritò poterant, te consulere cupiebant. Prospiciebant nimirum, integritatem animi tui, sanctissimosque mores, ac per omne virtutum genus exactam vitam, vt quilibet sibi bona omnia polliceretur, si à tanto viro animi sui negotia tractarentur; inter quos Illustrissimus, Excellentissimusq; Siciliæ Prorex Dominus D. Franciscus de Castro, fœlicem se hoc vno nomine prædicabat, quod tredecim continenter annos, te à confessionibus nactus fuerit. Quæ tua tunc extiterunt in illum Principem pietatis officia? quæ contrà eius in te grati animi obseruantia? cum totius salutis suæ summam, penes te constituerit. Ecquid vnquam effecit; quid dixit; quid molitus est, cuius te non haberet authorem? inter quæ omnia, eximium illud fuit, ac pene diuinum opus, nec vlla vnquam ætate abolenda beneficij memoria, cum pauperum Domum Panormi erexit, (adnitente te,) quo vno facto, ciuiũ animi ad miseros subleuandos erecti, paupertati consultum, & Christiana pietas amplificata. Sed aduenit tandem aliquando tempus, multò ante à nobis omnibus præuisum, atq; exoptatum, cum totius Ordinis nostri, Generalem Prouinciam, Paulus V. P. M. motu proprio, tibi demandauerit. Tunc Ordo noster parentem, leges custodem, pietas vindicem, vniuersaq; Religio nostra reparatorem obtinuit. Quo gubernante, quid quisquam sibi naufragij pertimescet? Omnino experti sumus, omnes quotquot sumus, quã ambitiosè, humeris tuis imponi gauderent dignitatis insignia. Valeant nunc humani fauoris, & gratiæ venatores. Futilis honoris auras captantes dignitates requirant. Sed qualem præter te, seculi honores viriliter spernentem, inuenire poterunt sceptra? neminem fortè. Non inclytos sceptra viros, vt ornent illos, sed potius ornentur ab illis, meritò affectant. Tu vero, Pater Religiosissime, ex isto tuo, iam pridem tuis virtutibus debito, dignitatis fastigio, hoc qualecunque meæ voluntatis officium, dexter aspicias, exiguum illud quidem, quòd tanto viro donetur, sed ex magna tui voluntate obseruandi profectum, fuit in hoc, quod meum erga te animum testaretur, erit, in quo, tua in me beneuolentia commendetur, quod vnum tibi maxime debemus omnes, tanquam summum tuorum erga nos argumentum meritorum. Vale.

ILL.^{MO} ET EXC.^{MO} DOMINO

DON FRANCISCO

DE CASTRO COMITI CASTRI

SICILIAE PROREGI, ETC.

FR. BERNARDVS DE VARGAS D. D. D.

NTIQVA inualuit consuetudo in tragœdijs receptissima, vt chorus ex quindecim, viginti, vel paulò pluribus, paucioribusq; hominibus constaret, cęterum vnius duntaxat Personæ locum obtineret, vnusq; ferè semper pro omnibus interloqueretur: ne (vt censeo,) si vnus tantummodo in scęnam prodijsset, nullius auctoritatis ad tantum munus obeundum videretur: vel si plures turmatim omnes verba facerent, confusionem pareret multitudo. Hoc mihi prorsus more agendum sentio, P. Excellentisme. Dum enim sępius tacita mecum cogitatione perpendo, ac in mentem euoluo innumera tua in nostrum ordinem, ingentiaq; beneficia, quæ ita omnibus clarè patent, vt & illis, & nobis eorum manifesta contrectatio pro magistra quotidie sit; dum, inquam, hæc euoluo, penitùs me ignorasse fateor, qua nam ratione potissimum grati in te nostrum omnium animi signum exprimere possem; præcipue quod, cum beneficiorum in nostrum ordinem à te apud me attentior extiterit consideratio, dum ipsa aucta est, auctum & accensum magis magisq; desiderium est. Perlegebam enim in tertia nostræ Chronicæ parte priuilegia, gratias, immunitates, & exemptiones, quibus (te auspice) noster Ordo gaudet, & quantum dignitas tua apud Pontifices Romanos, (dum pro Hispania in Romana Curia Orator extiteris) vtilitatis, honoris, & commodi nobis attulerit; non ego, non noster Ordo, sed res ipsa de se loquatur. Quæ omnia satis conspicua manent; notissimo hoc tui erga Magistrum Generalem nostrum, & tibi a confessionibus, præcipui amoris signo: assumi enim ad nostræ Religionis fastigium, amor tuus erga illum, nostriq; ordinis

profectum, hoc proculdubio flagitabat: sed reluctantem dictis, factisq; hunc eundem amorem conspeximus: nescio vter horum maior: sed cessit amor amori: & tandem a te accepimus (fatemur equidem) Caput, Patrem, & Pastorem. Ex his ergo magnum ad tua pristina erga nostrum ordinem studia, cumulum accessisse, nemo est, qui in ancipite esse possit. Quibus ego (licet omnium minimus) maximè deuinctus, moræ impatiens longioris, vt Chori Ducem tragici imitarer: (si enim soli mihi tantam Prouinciam imposuissem, verebar, ne succumbens oneri, nihil agerem, immò temeritatis, & audaciæ notam iure incurrerem: si vero plures ex nostris alios ad gratias tibi agendas excitassem, timebam meritò, ne turbam faceret multitudo, & pro suaui concentu ingratam benignis auribus dissonantiam exhiberem:) media via incedere statui; id equidem hac ipsa præstiti Chronica, quam tuo præclarissimo nomini dicatam volui. In ea, re uera, vnus ego interloquor, ita tamen, vt omnes quicumq; inter nos literarum præstantia, virtutibus, ceterisq; bonis artibus fuere illustres viri, eos in vnum quasi chorum colligam eo volumine. Qua quidem re spero fore, vt facili tu negotio animum in te agnoscas nostrum: & à maioribus etiam meis non mediocrem ineam gratiam: quippe qui non solum eos de obliuionis, & silentij tenebris ad lucem reuocauerim, sed effecerim planè, vt non ij modo, qui nunc in nostra viuunt religione, sed ipsi quoq; iam diu vita functi, tuo possint tutissimo patrocinio gloriari, in ea nimirum consignati chronica, quam Excellentiæ tuæ dicatam, ac perpetuo consecratam volo. Vale.

AD LECTOREM.

SEMPER animus nobis fuit, (vt in præfatione huius operis dicebamus) iuxta triplicem nostri ordinis statum, totidem excudere libros: sed quia (iam secundo vltima imposita manu,) aliqua non parui momenti, quæ nos ab hoc proposito retardarunt, hisce diebus emerserunt, inter quæ præcipua fuit Reuerendissimi Patris nostri in Hispaniam profectio, cuius fulcimento hoc opus inceptum, & prosequutum, ad debitum perduci debebat effectum, necessarium iudicaui, aliò tendere. Sicq; hoc opus in vnum antea congestum, in duos diuidi Tomos fuit necesse. Primus, qui sub tanto patrocinio pro rostris prodit, duosque libros continet, omnia in præfatione promissa, exactè persoluit: Alter vero Tomus iam Typis propediem mandandus Magistros Generales ad sexennium creatos, & alia plura, vtilia, & scitu digna, nostra hac tempestate gesta amplectitur. Interim tamen studiosum Lectorem pro duobus, tribusue, vel pluribus emergentibus, & sibi inter legendum oblatis dubijs ad indicem remittimus; si vero aliquos circa ortographiam, clausularum interpunctiones, seu quoslibet alios maiores defectus offenderit, non incuriæ me arguat, qui grauibus negotijs præpeditus operis correctioni, semper adesse non valui, sed attendat non Antuerpiæ, Lugduni, aut Salmanticæ, sed Panormi fuisse hoc excusum opus.

INDEX AVCTORVM,

QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

Hie-

INDEX CAPITVLORVM PRIMI LIBRI.

SECVNDVS LIBER

(IN QVO AGITVR DE MAGISTRIS Generalibus Clericis perpetuis) xxxx. continet Capita.

INDEX COPIOSISSIMVS

RERVM, AC MATERIARVM, INTELLECTV facilis, & valde, accommodus, vt quis facilimo negotio inueniat, quod desiderat. Nam numerus logistices (quem Itali vulgariter Abacum appellant) paginam indicat; literæ vero quinque A. B. C. D. E. collocatæ immediatè post logisticem, seu Abacum, demonstrant illam partem paginæ, vbi continetur, quod quæritur.

cha-

Con-

D

Fran-

Ha- Gre-

H

M.

Mon-

INDEX.

O

Pacien-

Petrus

S

San-

V

Viduæ

FINIS.

PRAEFATIO.

OSTRORVM antiquorum Patrum, qui charitatis, & alijs pijs operibus intenti simplicitati studuerunt; in describendis nostri Sanctissimi Ordinis laudibus, & historijs, in nostræ Religionis Sanctorum Martirum, Confessorum, atq; Virginum, & aliorum illustrium Virorum ecclesiastico honore decoratorum narratione nimiam attendens incuriam; & similiter grauissimos nostri Ordinis Patres huius tempestatis, qui suis permagnis voluminibus, & scriptis in lucem editis totum repleuerunt, illustrarunt, & docuerunt orbem; in nostræ tamen Religionis præconijs parum temporis insumpsiße & paululum fuisse demoratos tacita mecum cogitatione perpendens; licet omnium minimus, & vltimus meritò appellari debeam, hoc opus aggredi non erubui. Moram enim Romæ per plures annos trahendo, & oblata occasione ex Apostolico Thesauro, plurimas Bullas, Breuia, & Decreta, non modicum ad nostri Ordinis fauorem, & decorem conducentia, cum non sine magno labore, atq; expensis extraxissem, & plurimos Auctores euoluissem, zelo meæ Religionis ductus, Chronicam nostri Ordinis ad instar Annalium, copiosius quàm hucusq;, firmo animo in lucem edere decreui. In qua quantum ingenij vires perexiguæ permittunt, a fundatione Ordinis nostri, vsque in hunc diem quemadmodum profecerit, quosve vberrimos in vinea Domini produxerit fructus, verius (ni fallor) quam antea mundo ostendam. In cuius laboris, qualiscunq; sit, editione, nolo (vt alij solent in suis perlongis Præfationibus) aliquas excusationes afferendo, me excusare; necq; tempus, quod numquam reuertitur, in hoc inutiliter conterere; cum ipsum opus, quod ad multorum deueniet manus, testimonium de se perhibebit.

Hoc igitur opus, iuxta triplicem, quem noster Ordo habuit statum, in tres diuiditur partes, seu libros; & vnus quisq; liber quadraginta continet Capita. In primo libro ago de omnibus Redemptoribus, & Viris, qui redemptionis opus ante Christi aduentum exercuerunt: de his similiter, qui post Domini nostri in carne natiuitatem, nostro diuino Redemptionis operi operam dederunt; vbi adduco, & probo, eundem Christum, eius purissimam matrem, Angelos, Apostolos, Innocentes, Martires, Doctores, Pontifices, Confessores, Abbates, Virgines, Imperatores, Reges, & alios plurimos Viros, fuisse Redemptores, eosdem sanctos Redemptores plurimis laudibus commendando. Probo etiam sacramenta ecclesiæ, elemosynas, &

lacrymas esse suo quodammodo redemptrices, & hoc non gratis, sed ex sacris scripturis, & Patrum sententijs, ex quo Concionatores plura pulcra nimis, pro concionibus suis colligere poterunt. Ago similiter de diuina, & admiranda nostri Ordinis fundatione, confirmatione, & de septem Generalibus Magistris Laicis, incipiendo ab anno 1218. vsq; ad annum 1317. quo tempore fratres equites laici Magistratum amiserunt, & hic fuit primus nostri ordinis status.

In secundo libro ago de Magistris Generalibus sacerdotibus perpetuis, incipiendo a venerabili, & sancto Ordinis Magistro Fr. Raymundo Alberto, vsq; ad venerabilem Magistrum Fratrem Mathiam Papiol, qui fuit vltimus Generalis perpetuus, & hic fuit secundus nostri ordinis status.

In tertio, & vltimo libro ago de Magistris Generalibus ad sexennium creatis, & hic fuit vltimus Ordinis status. Adduco etiã, & in hoc opere colloco omnes sanctos ex Ordine nostro, qui pro confessione veræ fidei, & fratribus suis Captiuis sanguinem suum fuderunt, & animas posuerunt. Sanctos etiam Confessores, & Virgines, Viros virtutibus, & scientia præstantes, qui Religionem nostram decorarunt, & dignitates ecclesiasticas obtinuerunt, omnes Redemptiones factas, & Captiuorum Redemptorum numerum, omnia Apostolica, & Regia priuilegia ad fauorem nostri Ordinis concessa, cuius occasione, & pro maiori rei veritate, Summorum Pontificum creationes, & Regum Hispaniæ assumptiones, & eorum obitus passim, & summatim narro. Quod cedat ad laudem dei, eiusq; gloriosissimæ Matris, Dominæ ac Patronæ nostræ, neq; non Diui Bernardi mihi cum ipso nutricis lacte Patroni. Quæ omnia, & me ipsum humiliter, & verè correctioni sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ (cuius sum inutile membrum) libenter subijcio.

INCIPIT LIBER PRIMVS,

QVADRAGINTA CONTINENS CAPITA,

in Quo agitur de admirando nostri Ordinis instituto, & de viris, & fœminis, qui in eo insudarunt, de diuina eiusdem Ordinis fundatione, & Apostolica confirmatione, ac de septem primis Generalibus Magistris equitibus Laicis, incipiendo ab anno 1218. vsque ad annum 1317. Quo tempore obijt vltimus Magister Laicus.

Caput Primum, de Redemptoribus, Qui praecesserunt Domini Nostri Redemptoris, Iesu Christi Aduentum.

CVM noster Sacer ordo fuerit diuinitus, pro redimendis Captiuis institutus; ideo antequam admirandam eius fundationem enarrem; de excellentissimo, & pientissimo Redemptionis opere, & de Redemptoribus, Qui illud exercuerunt, plurima adducere statui.

Post illum primũ, & infelicem Parentũ nostrorũ lapsum, Quo ipsi statim se, & vniuersum genus, in miserã deduxerunt mortẽ; plurima mala sunt secuta. Nam Patres nostri, per Superbiæ, inobediẽtiæ, & gulę crimina, facti Dei inimici; de gratia ad culpã, de luce ad tenebras, de amore ad odium, de risu ad luctum, de pace ad dissidium, de domo ad deuium, de in colatu ad

 exi-

exilium,& denique de iucundo dominio, & super omnia animantia potestate, in miseram seruitutem ceciderunt. Iustum igitur, & consonum erat, hominem tumidum, elatum,& superbum, appetentem esse sicut Deum; fieri vilem, & abiectum seruum, & seruum peccati. A
Et creaturam inobedientem, & tot ac tantis bonis, sine proprijs meritis sibi collatis, & suo Creatori ingratam; de sede deponi, propria domo priuari, & in exilium mitti, & quæ vetita degustauerat, fame,& siti affligeretur,& in sudore vultus sui pane suo vesceretur. Misera ergo captiuitas, abiectaq; seruitus, qua exules filij Euę, in hac lacrymarum valle, acceruis pęnis, & grauissimis tormentis excruciati, & diuexati sunt, a Prothoplastorum culpa demanarunt; ob quam transgressionem, etiam si Creator ipse Deus posset merito eos in æternũ perdere, & creaturam humanam a facie terræ penitus delere: nihilominus tamen, condolẽs interitu, & infelici casu, ne perirent quos condiderat, & ad similitudinem suã fecerat, Reis dedit salutare remedium. Decreuerat enim hominem propria culpa lapsum, ab ea captiuitate prætiosissimo sanguinis filij sui pretio, fore (cum temporis plenitudo veniret) redimẽdum. Et cum duplex sit captiuitatis genus, primum magis horrendum, & fugiendum, B
quo anima misera, peccati catena, & culparum laqueis astricta, & irretita, & in Demonis potestate miserabiliter detenta, & mancipata, a sua cęlesti patria exul est; alterum vero quo terreni homines, siue boni, siue mali, siue iusti, siue iniusti, in manus suorum incidunt inimicorum, ibique libertate carentes, crudeliter, & inhumaniter a Tirannis (vt in plurimu) tractari solent; & Pater cœlestis, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, cui omnis tirannica actio, dira crudelitas, & inhumana vexatio displicent, vtrumque hominem decreuerit, pro sua immensa benignitate, non ex operibus, quæ fecimus nos, misericorditer redimere; principalius tamen hominem interiorem, hoc est animam in maiori periculo cõ-

S. August. stitutam, quæ nobilior,& prætiosior est. nam vt ait diuus Augustinus super psal. anima etiã
S. Ambros. pessima, melior est optimo corpore. Et S. Ambrosius officior. 1. Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem, quamquam morituram, quanti est meriti, a morte animam liberare, C
in cælesti patria sine fine victuram? Ex dictis colligitur, quam magna sit erga nos Captiuos, & a Patria nostra exules, domini Dei nostri eximia charitas; qui proprio filio, & vnico æternitatis hæredi, non pepercit, sed pro nobis tradidit, & donauit illum, vt medicum ad ægrotos, vitam ad mortuos, viam ad errantes, & Redemptorem ad venditos, & captiuos, vt mellifluus Bernardus admi. Templ. Sed ante filij Dei in plenitudine temporis aduentum, & ante quam nostram indueret mortalitatem; Pater æternus, pro sua benignitate,

S. Bernard.

Psalm.68. Pauperes exaudiuit,& vinctos suos nõ despexit. Pro quorum liberatione suos peculiares misit in mundum, elegit, nominauit, & deputauit nationum aliquarum Redemptores. Filij
Exod. 1. enim Israel in AEgypto, sub misera Pharaonis hominis ingrati tantorum beneficiorum a Sancto Patriarcha Ioseph collatorum immemoris potestate, & captiuitate detenti, plurimos labores substinuerunt, eosque dirus, & inhumanus Tirannus, grauibus Angarijs, & D
oppressionibus affligi,& opprimi præcipiebat. Et inter alia (vt multa omittamus) in illo infelici captiuitatis statu, ad tantas angustias deuenerunt, vt lutum platearum, & sordes viarum, ac si essent vilia mancipia, in cophinis asportabant; vt de eis Dauid, manus eius, idest
Psalm.80. Populi Israel, in cophino seruierunt. Quo AEgyptij non contenti captiuos Israelitas compellebant, vt totam diem in faciendis lateribus consummerent; noctem vero quando corporibus defatigatis, requiem aliquam dare, esset necesse; in paleis colligendis insomnem ducebant. Et præter hæc ad maiorem miserorum Captiuorum dedecus, contumeliam, miseriam, & opprobrium, eos iniurijs onerabant, & eis illudebant. In qua afflictione, clamores
S. August. quotidie de terra audiebantur, cęlos penetrabant, qui, vt ait S. Augustinus, vacui non redibant. nam Pater misericordiarum, & summæ clementiæ Deus, aures pietatis, pręcibus
Moyses Redempt. eorum accommodans, misit pro eorum liberatione Moysem Redemptorem speciali quadam E
Dei prouidentia, ab obstreticantium manibus seruatum, mirabiliter educatum, & non sine euidentissimis signis, & miraculis decoratum; qui hos Captiuos exire fecit de AEgypto per Desertum, iuxta mare rubrum. Ipsi vero leuantes oculos suos, & prospicientes a tergo Pharaonem, & exercitum eius, in immenso numero fortiter armatos, eos insequentes, timuerunt valde; quia erant inermes, & pauci, & sic cum eis pugnare, aut vitam fuga saluare non valebant. In qua angustia, & euidenti mortis, aut captiuitatis discrimine, Redemptor eorum Moyses (domino præcipiente) extendit manum suam super mare, & diuisit illud in duodecim diuisiones, per quas singulę Tribus secundum ordinem natiuitatis, Duces suos sequerentur, quod fecerunt; mare intrauerunt, & sicco pede profectæ sunt. Quod AEgyptij videntes, eos insequi, & persequi non erubuerunt; & mare ingressi sunt. At Moyses eadem

cæ-

cælesti virtute, qua prius mare diuiserat, manum suam super illud extendendo, ad priorem
locum, aquas reuerti iussit; quæ famulo Dei obedientes, Pharaonem, Ægyptios, equos,
ascensores, & currus eorum sumerserunt; nec vnus quidem superfuit ex eis. Tunc Moy- *Exod. 14.*
ses, & filij Israel, pro Redemptionis, & liberationis beneficio, gratias Deo agentes, car-
A men Deo nostro cecinerunt. Exod. 15. Cantemus domino, gloriose enim magnificatus *Exod. 15.*
est; equum & ascensorem deiecit in mare. Dux fuisti in misericordia tua Populo, quem
redemisti. Et quia, vt ait S. Gregorius in hom. probatio dilectionis, & animi grati, exhi- *S. Gregor.*
bitio est operis, vbi enim opus non est, amor non est; filij Israel sui Redemptoris sequen-
tes vestigia, factique ipsi Redemptores, vt etiam tantæ Redemptionis, & liberationis
memores se exhiberent, & grati animi non solum cantando, sed operando, signa osten-
derent; iuxta illud dominicum præceptum; Exod. 23. Sicut præcepi tibi, tempore men- *Exod. 23.*
sis nouorum, quando egressus est de Ægypto, non apparebis in conspectu meo vacuus;
decreuerunt per singulos annos tempore Paschali aliquos liberare captiuos. Multas de-
inde de inimicis suis Populus Israel reportauit victorias, Domino semper opitulante, qui
erat cum eis, licet contra Creatorem, Dominum, & benefactorem suum sæpe murmuraret,
B & ad iracundiam eum prouocaret. Sed tempore Iosuę, Ducis fortissimi, & sanctissimi, *Iosue c.*
Israelitę domino seruierunt. Post cuius mortem dimiserunt dominum Patrum suorum, qui
eduxit eos de terra Ægypti, & seruierunt Boalim, & Astaroth, Dijs, quos ignorabant.
Ideo Deus iratus tradidit eos in manus Chusam Rasathaim, Regis Mesopotaniæ. In cu-
ius potestate, filij Israel captiui, octo annos consumpserunt. Et in tribulationibus suis
clamauerunt ad dominum; Qui pauperes exaudiuit, & vinctos suos non despexit. Et sic
in eorum salutem, & liberationem, dominus misit in Redemptorem, filium Cenez, no-
mine Othonielem, diuino Spiritu præditum, qui opprimens Regem Chusam, redemit *Othoniel Redemptor.*
filios Israel. Cumque post mortem Othonielis, in grauissima relaberentur crimina, & sub
potestate Eglon, Moabitarum Rege annos 18. detenti, & captiui manerent; & de nouo
in tribulationibus suis ad dominum clamarent, ipse dominus exaudiuit eos, & vinctos suos
C non despexit, mittens in eorum Redemptorem filium Gera, nomine Aod, virum strenuis- *Aod Redemptor.*
simum, & fortissimum, qui sua dexteritate, & solertia, Rege Eglon perempto, inimicis-
que superatis, Israelitas captiuos redemit. Iudicum c. 3. Mortuo Aod Redemptore, fi- *Iudic. c. 3.*
lij Israel addiderunt malum in conspectu domini. Ideo in miseram deuenerunt captiuita-
tem, sub potestate Iabim Cananeorum Rege, qui per annos viginti, eos vehementer op-
pressit. Sed per filium Abinoem, nomine Barac, fuerunt redempti. Iudic. c. 4. Alios etiam *Barac Redemptor.*
inuenimus in lege veteri famosissimos Redemptores, ad redimendos captiuos, a do- *Iudic. c. 4.*
mino missos, inter quos floruit ille famosissimus bellator Gedeon, Sancto spiritu indu- *Gedeon Redemptor.*
tus, qui Israelitas captiuos, e potestate Madian, & Amalec, Cæterarumque Orientalium
Nationum, vbi per annos septem, detenti manserant, diuinitus redemit. Gedeoni fuit *Iepte Redemptor.*
in fortitudine valde similis Iepte Galladites, qui quamuis esset filius cuiusdam meretricis,
D strenuissimus euasit miles, & vigilantissimus extitit Redemptor; super quem descen-
dit Spiritus domini, cuius virtute redemit filios Israel a captiuitate filiorum Amon. *Iudic. c. 11.*
Indic. c. 11.

Quid vero dicam de fortissimo viro Sansone, filio Manuæ probi viri, & sterilis *Sansone Redemptor.*
matris, mirabiliter nato, & per Angelum Dei nunciato, a domino benedicto, & Spiri-
tus sancti gratia repleto, ad Redimendos captiuos electo? cuius fortitudinem mundus
miratur. Fuit enim tanta munitus, & roboratus, vt sæuos, ac rugientes leones dilacera-
ret suis manibus, & quasi hædum in frustra discerperet. Hic igitur admirabilis Redem-
ptor filios Israel in potestate Philistinorum quadraginta annos detentos, & grauissime
oppressos, mirabiliter liberauit, ac redemit. Iudic. c. 13. & denique in liberatione, & re- *Iudic. c. 13.*
demptione captiuorum Israelitarum, sub misera captiuitate Babilonica detentorum, mul-
E tum insudauit Zorobabel Redemptor, & Esdras Sacerdos, & Propheta, ac Nehemias, *Zorobabel Redemptor.*
& multi alij viri Dei, quos esset longum recensere; qui omnes ante Christi Redempto- *Esdras Redemptor.*
ris nostri aduentum in fide mediatoris futuri, credentes in eum, suas expleuerunt re-
demptiones. Vicerunt regna, operati suut iustitiam, adepti sunt repromissiones, vt *Nehemias Redemptor.*
Moyses famosissimus Imperator, qui regna vicit, vt iudex verus adeo deputatus, opera-
tus est iustitiam, & ob fidei meritum videre meruit, licet non ingredi terram promissionis,
suos liberando captiuos. Othoniel, Aod, Barac, & Gedeon suos liberando conterraneos,
Castra verterunt exterorum, Mesopothamiæ, Moabitarum, Cananeorum, & Madia-
nitarum; & vt fortissimus Sanson obturauit ora leonum. Sed consonum est, vt ad ve-

A 2 rum

rum omniumque Redemptorem Iesum Christum dominum nostrum, mea conuertatur oratio, de quo in sequuti capite.

Caput II. De Christo Redemptore Nostro, & Apostolis Redemptoribus. A

ad Galat. 4. *S. Leo Papa.*

T vbi venit plenitudo temporis, ad Galatas 4. & Sanctus Papa Leo in sermone 2. de natiuitate Domini; misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Filij enim Dei, in misera demonis seruitute detenti, clamantes ad Deum, Patrem misericordiarum, exaudiri, & adiuuari pro sua immensa bonitate, & inextimabili charitate, obtinuerunt. per longissima enim temporum spatia, & per tot ætates, genus humanum, sub diuina indignatione permansit, & in luctu, ac tenebris habitauit, vsque quo apparuit sol iustitiæ, Christus Deus noster. Iam possumus cum Isaia c. 12. clamare ad Patrem dicentes; conuersus est furor tuus, & consolatus es nos, quando pro nobis filium tradidisti. Quod admirans S. Gregor. reclamando Patrem æternum sic alloquabatur: o inextimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti; vt seruos, & filios non bonos, sed inobedientes, & Euæ filios saluares, filio bono, & vero non pepercisti. Facit ad rem, quod in historia Ecclesiastica legitur; Salomonem scilicet, virum super omnes Orientales sapientem, tenuisse quandam Auiculam, seu struthionem cum pullo suo. Et vt Patris erga filium, amorem solicitudinem, & curam experiretur, ab inuicem, & filiũ a Patre diuisit; iussitq; in quodam subterraneo antro, aut vitrea cauea, pullum includi, vt de foris a Patre suo spectari, non tamen tangi, nutriri, aut capi posset. At Pater videns pullum filium suum, in captiuitate positum, valde mæstus, & anxius caueam circumibat, & per circuitum ambiebat, & de filio clamante, libertatem suam quærente, maxime dolebat. Et in hac angustia collocatus, abijt in desertum, vbi inuenit quemdam vermem, cuius præclaram virtutem, ipse instinctu naturæ agnoscebat, eum secum asportauit, & pro filij sui liberatione, & redemptione occidit; cuius sanguine, caueam liniendo fregit, pullumq; magna cum lętitia inde deduxit, ac redemit. Sic Lucifer ille superbus, creatori, & benefactori suo ingratus, a quo tot dona, naturalia, & gratuita acceperat, terga vertendo, & verum cultum negando, factus idolatra, licet sua magna, & irreparabili culpa dona gratuita amiserit, non tamen naturalia, quia post lapsum (vt docent Theologi) super humanam creaturam sapiens, & doctus remansit. Attendens humanam creaturam, suæ Angelicæ naturæ valde inferiorem, & Adæ filios, quos pater æternus diligendo, ad gloriam Paradisi, a quo ipse Lucifer sua propria malitia fuerat exclusus, ordinauerat; esse sublimandos, & honorandos, & cogitans nulla alia efficatiori via posse filios Euæ a Patre suo cœlesti separari, quàm si in cauea, & peccati fouea includerentur, & carcerarentur; inuidia lui dus, vt super naturalis finis, quem ipse perdiderat, consecutionem impediret; homini misero, insidias tetendit, & laqueum parauit illi, caueamque fabricauit. Et sic miser homo incaute ambulando, incidit in foueam quam demon fecit. Quod insinuare videtur Ecclesia, c. 11. Multæ (inquit) sunt insidiæ dolosi, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, sic & cor superborum. O infelix & afflicta perdix, miser homo, insidijs dolosi demonis in caueat peccati incluse, & inducte? in magno te periculo constitutũ video; o filia Sion magna est afflictio tua, quia dum a Patre cœlesti diuisa, & separata ex istis, non poterit diuinum nutrimentum, & cœleste alimentum, quo animæ impinguari solent degustare. Quid modo sine Duce, sine ductore, & sine Patre, facere valebis? Sed lætare in domino, & exulta satis, bonum enim nuncium tibi afferro.

Isai. c. 12. *S. Gregor.* *Historia Ecclesiastica.* *Ecclesi. c. 11.* — B C D

Pater tuus, non recordatus iniquitatum tuarum, quas, suggerente inimico, & aduersario, commisisti, tuo amore languet, tuo interitu condolet, prope est, en ipse stat de tua redemptione solicitus. Abijt speciali quodammodo, & virtute, in desertam terram vteri sacratissimæ Mariæ semper Virginis, vt Angelus ad Virginem; Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Terram inquam desertam, quam nullus homo agnouit, neque aliquid in ea vnquam est operatus. Et ex hac traxit quendam vermem Christum Iesum, mundi Redemptorem, cuius virtutem ipse solus agnouit. De quo Vates psal. 41. ego sum vermis, & non homo. Vermis quidem quoniam deorsum non nisi ex terra, de super vero virtute diuini solis productus; (instar vermis) in terra tantum matrem, sed in cęlo tantum Patrem habens. (non homo autem) non quia veritatem humanæ naturæ a se ipso negaret, sed vt hanc deitati, in sui Persona vnitam ostenderet, & vtriusque naturæ veri-

S. Lucas. *Psalm. 41.* — E

veritas diuinæ scilicet, & humanæ in ipso agnosceretur. Sanguine vermis huius, Deus
misericordiarum Pater, portas inferni tamquam vas figuli contriuit, vectes ferreos con-
fregit, captiuorum vincula disrupit, eosque redemit. Et Esaias, c. 45. eo spiritu repletus *Psalm. 45.*
A quo Prophetarum mentes ad summa capescenda eleuantur, mundi totius Saluatorem, ma-
ximopere optabat, cuius productio eam, quæ est vermis imitaretur: virtute scilicet diui-
na desuper, deorsum vero ex terra, nullius hominis interueniente industria, & operatio-
ne. Vnde Vates, rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germi-
net Saluatorem.

Benedicta sit Virgo Maria, quæ non ex commistione maris concepit, & peperit, sed si-
cut terra, radio superni solis, dedit nobis fructum suum, germinauit Saluatorem, & Redem-
ptorem, qui vt alter Moyses, fecit mirabilia in vita sua, ascendit in montem Tabor, & re-
splenduit facies eius sicut Sol; dedit nobis legem gratiæ, dextera sua potenti diuisit mare
rubrum huius mundi in duodecim diuisiones, ad quas duodecim Duces, & Apostolos
suos, singulos ad singula Regna destinauit; constituens eos principes super omnem terram,
B belli Triumphales Duces, cælestis aulæ milites, & vera mundi lumina. Petrus Apostolo-
rum Princeps, Galatiam, Cappadotiam, Antiochiam, & Romam, partes sibi commissas
rexit, ac miraculis, doctrina, & sanguine suo purpurauit. Andræas fuit Princeps, & Dux
populi Achaiensis in Græcia. Hispaniarum Iacobus Maior fuit patronus. Thomas In-
diarum populum ad fidem conuertit. Iacobus Minor Hierosolymitarum Populum, & Ec-
clesiam gubernauit. Syriam Philippus. Armeniam Bartholomæus. Æthiopiam Mat-
thæus. Simon Mesopotamiam. Ægyptum illustrauit Thadæus. Iudæa commissa fuit Mat-
thiæ, & Asia Euangelistæ Ioanni. Qui omnes, vt peculiares Redemptores a generali om-
nium Redemptore, & magistro, ad diuersas infidelium partes destinati, famosissimas re-
demptiones fecerunt, & ingentem captiuorum numerum a misera demonis seruitute libe-
rarunt. Et quia Apostolos domini, Redemptores appellamus, & nostrum de Redimen-
C dis captiuis diuinum institutum, exercuisse dicimus, aliquas eorum laudes, atributa, & no-
mina, ex scripturæ locis, breuiter adducere oportet. Hi sunt duodecim Sanctæ, & Ca-
tholicæ Ecclesiæ fundamenta. Ioan. in Apoc. c. 21. Duodecim filij Iacob Christi Domi- *Ioa. in Apoc.*
ni nostri, qui misit eos in Ægyptum huius mundi, & transiturus ad patrem suum, bene-
dixit eis. Genes. 35. Duodecim fontes aquarum, sitienti Populo Christiano, aquam gra- *Genes. 35.*
tiæ dantes. Exod. 15. Duodecim Principes Christiani Populi. Numer. c. 1. Duodecim *Exod. 15.* *Numer. c. 1.*
Vituli, qui totum orbem prædicationis suæ mugitibus impleuerunt, vt glosa interlinearis
super c. 24. Exod. Apostoli sunt Tabulæ Tabernaculi, per quorum sermonem Ecclesia *Exod. 24.*
Dei dilatata est. vt Beda super c. 26. Exod. Sunt Apostoli Pastores ecclesiæ militantis. *Beda.*
prim. Petri. Fratres Christi. Ioannis vigesimo. Oues in medio luporum. Matthæi *Petri. 1. c. 4.*
Euangelistæ, c. 10. Discipuli domini nostri. Matthæi, c. 16. Sol terræ, & lux mundi, *Ioan. 20.*
D Matthæi, c. 16. Vnguentarij vnguenta componentes, quibus dedicatur Ecclesia, glos. interl. *Matth. c. 10.* *Matth. c. 16.*
Exod. c. 30. Columnæ ecclesiæ, prius in passione Domini nutantes, & vacillantes, sed a Spiri- *Exod. 30.*
tu sancto consolidatæ, & confirmatæ. ego confirmaui columnas eius, psal. 74. Columnæ *Psalm. 74.*
immobiles rectæ fidei. vt Sanctus Chrysostomus. Viri bellatores. Ex glosa ordinaria, 1. *S. Chrysosto.*
Paralip. c. 12. Riui totam terram spiritualem irrigantes, psal. 64. Pedes Domini Euan- *1. Paral. c. 10.*
geliz. glosa ordinar. super c. 33. Deuter. Flumina eleuantes voces suas. Augustinus super *Psalm. 64.*
psal. 92. Domestici Dei, vt S. Paulus ad Ephes. 2. Radij solis iustitiæ, ex Chrysost super *Deuter. c. 33.*
Matth. Hi denique sunt, vere Amici Dei, Redemptores soliciti, atque feruentes, qui *S. Augustin.*
pro fratribus suis, & vt ingentem captiuorum numerum, de potestate demonis redimerent, *S. Paulus ad Ephe.*
non ferreas catenas, non tenebrosos carceres, non inhumana flagella, non iniusta exilia, *S. Chrysost.*
non intolerabiles famis, sitis, nuditatis, & paupertatis miserias, non ignitas, & voraces
E flammas, non crudelissimos ferarum, & leonum laniatus, non plumbeum liquefactum
non ceræ, adipis feruentis picis, oleique plenas sartagines, non deniq; accerrissima, &
exquisitissima suppliciorum genera, quæ posset Tirannorum crudelitas excogitare, nec
ignominiosam Crucis mortem timentes, animas suas pro fratribus suis redimendis, ponere
erubuerunt. Memores verbi domini eis dicentis Lucæ, c. 6. estote misericordes, sicut *Luca c. 6.*
& pater vester misericors est. Ac si diceret, ego Pater vester sum adeò misericors, vt animã
meam pono pro vobis; Sic & vos estote misericordes, & animas vestras ponite pro fratibus *Ioan. c. 13.*
vestris. Et in alio loco, Ioan. c. 13. Quemadmodum ego feci, sic & vos faciatis. Hoc etiam
alij duo Euangelistæ Matth. 20. & Marcus 10. de Christo Redemptore nostro fatentur per *Matth. 20.*
hæc verba; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suã, *Marcus 10.*

Re-

redemptionem pro multis, sic &c. Vnde si filius hominis non venit in mundum, vt ministraretur ei, sed ministrare, & animam suam dare pro multis in Redemptionem, cum ipse sit dominus noster; Quid quæso, nos serui eius, sanguine suo redempti, facere tenemur? A nihil aliud quam eius tenere, & sequi vestigia. Pro quo inæstimabili redemptionis beneficio, Sancti Dei, tàm ante mortem, quam post Redemptoris nostri mortem, gratias egerunt Deo Patri Omnipotenti; vt Zacharias Propheta, Pater præcursoris domini, Sancto spiritu plenus, intonuit dicens; Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit,

S. Luca 1. redemptionem plebis suæ. Lucæ 1. & S. Paulus scribens ad Colossenses 1. Gratias agimus

S. Paulus. Deo, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filij dilectionis suę, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius; per sanguinem inquam eius, idest non ad instar piaculorum, quæ in lege veteri fieri solebant, per hircorum, aut vitulorum sanguinem, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione

S. Paulus. inuenta ad Hebr. 9.

S. Leo Magn. Hic aduertere oportet cum Leone Papa Magno, qui loquendo de isto ineffabili, & di- B uino sanguinis Thesauro, in ara Crucis fusi, affirmat, quod fuit ita potens ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum Tirannica vincula retinerent captiuum. Non tamen fuit efficax pro illis, qui posuerunt, & ponunt obicem gratiæ Dei, quam nobis meruit sanguis Christi. Ita quod si consideremus Christi sanguinem, respectu diuinæ personæ Redemptoris infiniti, & respectu magnitudinis, & potentiæ valoris, & pretij ipsius Thesauri, & sanguinis profusi, similiter infiniti, & denique quo ad causam, qua sparsus est; firmiter & toto animi affectu, & puro corde fateri tenemur; illum sanguinem fuisse absolute nostram, & totius orbis Redemptionem superabundantem, licet multi increduli, & redimi nolentes, sua propria culpa damnentur. de hac vniuersali, & absoluta redemptione, per Christum operata, locuti sunt

S. Bernard. Sancti, S. Bernardus super Cant. serm. 22. Christus factus est nobis sapientia in prædica- C tione, iustitia in absolutione, sanctificatio in conuersatione, & redemptio nostra in passio-

S. Hierony. ne, & S. Hieronymus ad Paul. Christus redemptio est idest Redemptor, & pretium.

Et vt caput istud secundum de Christo Redemptore concludamus, (licet de Christo etiam in sequenti agemus) & magis, ac magis populo Christiano innotescat, amor & charitas infinita Dei nostri erga nos oues Pascuæ suæ; consonum iudicaui, annectere, & applicare, quæ de Redemptoribus veteris testamenti diximus, ad Christum Redempto-

S. Paulus. rem nouæ legis, & gratiæ; nam, vt ait Paulus ad Corinth. c. 10 præallegat. quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et illa quæ in figura contingebant Patribus nostris, scripta sunt ad correctionem nostram. Habuit igitur Christus, verus Redemptor, vt Othoniel, spiritum domini, & fuit populi Dei Saluator. Iudic. 3. Clamauerunt inquit, ad dominum, qui suscitauit eis Saluatorem. Christum scilicet, qui liberauit populum suū, D

Iudic. 3. a peccatis eorum. Hic est robustus Aod. Iudic. 3. Qui de Moabitarum, Demonum po-

Iudic. 3. testate nos redemit. Hic est verus Barac, qui vt legitur. 4 Regum, antequam in arenam

Regum. 4. cum inimicis descenderet, ascendit iussu Domini in montem Tabor, & descendens de monte ad conspectum suum, (quia Barac fulgur interpretatur) perterriti sunt inimici, & de eis reportauit victoriam, ac populum Dei redemit. Sic Redemptor noster splendor patris, & fulgur ardens charitatis, pugnaturus cum inimicis suis, ante quam ad belli conflictum perueniret, ascendit in montem Tabor; vbi facies eius resplenduit sicut sol, & descendēs de monte, & veniens ad Torrentem Cedron ad vocem, & conspectum eius, inimici sui, qui

Ioan. c. 18. eum quærebant ad mortem, & persequebantur, perterriti ceciderunt in terram. Ioan. c. 18. Et de inimicis suis nos liberando triumphauit. Hic est Gedeon, conterens interpretatus, qui destruxit aram idoli Baal, & ædificauit altare domino Deo suo, & afflictos captiuos E

Iudic. 6. & 7. de potestate Madianitarum redemit. Iudicum 6. & 7. Sic Redemptor noster vere conterens, qui contriuit, & fregit inferni, & mortis portas, destruxit idola Gentilitatis, & ibi ædificauit altare, & Ecclesiam suam, & populum Christianum redemit de potestate Ma-

glosa ordin. dianitarum, qui sunt demones. Vt glosa ordinaria super psal. 82. Hic est Iepte, Dux gloriosus, qui interpretatur aperiens, spiritu diuino adiutus, redimens populum Dei, de pote-

Iudic. 11. state Ammonitarum, qui prohibebantur ab ingressu templi Iudicum 11. Sic Christus quem glosa ordinaria Iepte appellat; aperuit discipulis suis genuinum, proprium, & verum. Scripturarum sensum; & superatis demonibus, & a templo, & gloria Dei exclusis, nos liberauit. Hic est fortissimus Sanson, sol eius interpretatus, qui rugientibus leonibus peremptis, & Philisteis oppressis victoriam reportauit. Sic Christus Dominus noster oppressis Phili-

steis,

fteis, & leonibus, qui demones dicuntur vt glosa ordinaria super 2. Regum c. 23. & glosa interl. super psalm. 7. nos moriendo redemit. Hic est Esdras legis gratiæ dator, Nehemias consolatio nostra. Zorobabel a Babylonica confusione alienus, qui captiuos afflictos consolatus, a misera captiuitate, & Babylonica confusione redemit. Pro quo magno beneficio,
A & generali redemptione, omnes nos captiui iam redempti, immortales gratias Deo semper agere debemus cum Rege Dauid; qui ante annos mille præuidens Spiritu prophetico totius orbis redemptionem, ad gratias Deo agendas nos inuitat, psalm. 106. Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici. Quem psalm. doctissimus Burgensis sequendo Augustinum, literaliter exponit de Redemptore Christo, dicitq; esse gratiarum actionem pro beneficio redemptionis vniuersalis. *Psalm. 106.* *Paul. Burgés.*

Caput Tertium, in quo prosequitur materia de Christo Redemptore, & agitur de Indulgentijs, Ecclesiæ Sacramentis, lacrimis, bonis operibus, & ieiunio, animas nostras redimentibus.

B

NARRATVR in scriptura Sacra, Numer. 20. Quod populo filiorum Israel, in deserto siti fortiter laborante, aquaq; in ea regione ad sitim extinguendam deficiente, ad supplices, & deuotas, Patriarchæ Moysis, eorum Ducis preces, fontem aquæ petentis, inclinatus Dominus, dixit ei; loquere ad petram, & illa dabit aquas. Cumq; eleuasset Moyses, manum, percutiens Virga silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ. Silex vt ad oculum videmus, est petra dura, ex qua non pro sua vtilitate, sed pro commodo nostro, cū suo detrimento, ignis excuti solet; vnde nomen accipit, silex, quia ex eo ignis saliat, vel quia silentem intra se ignem habeat. In hoc igitur c. 20. glosa interlinearis silicem appellat Christum. Quod clarius affirmat Paulus, 1 ad Corint. c. 10.
C Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Petra inquam dura, & ad patiendos labores, quos non pro sua vtilitate, sed pro nostra necessitate, & commodo sustinuit. Valida, & firma, ex qua petra, & silice exiuit ignis viuus, qui nos in tenebris, & in vmbra mortis sedētes, illuminauit, non tamen absque sui corporis detrimento. nam silex iste diuinus, & petra viua, ad Iudæorum excussionem, & percussionem, attenuata est, & exinanita. Et quia hęc petra non est communis, sicut cæterę petræ, sed vnica, & excellens, immo viua, (eo quod ad eam tamquam aures habentem ad audiendum, & voluntatem habentem ad obediendum præcepit dominus Moysi dicens, loquere ad petram, & illa dabit aquas) duos admirabiles producit effectus; ignem scilicet, & aquam. Percussa enim a populo Hebręo alapa, flagel-
D lis, opprobrijs, & iniurijs, non reddidit malum pro malo; non enim misit ignem vrentem furoris, sed bonum pro malo, ignem scilicet charitatis, & amoris. *Num. 20.* *Ambr. Calep Silex Christus.* *ad Corin. c. 10*

Quo illuminauit cæcos, tepidos, & frigidos calefecit, & ignorantiæ tenebras, atq; obscuritatem a cordibus expulsit. Ex eadem etiam petra, lancea, quæ fuit virga Moysis in monte Caluario percussa, egressæ sunt aquæ largissimæ; aquæ inquam, prius pro se amaræ, asperæ, & insipidæ, quæ dum intrauerunt vsq; ad animam eius, exierunt pro nobis dulces super mel, & fauum. Quod Ezechiel Spiritu prophetico se vidisse fatetur. Cumq; (inquit) me vertissem, ecce in ripa Torrentis ligna multa nimis, ex vtraq; parte. Et ait ad me; aquæ istæ, quæ egrediuntur, ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet; & erunt pisces multi, post quam venerint illuc aquæ istæ; &
E sanabuntur, & viuent omnia ad quæ venerit Torrens. Et stabunt super illas Piscatores. & in eodem capitulo ait Ezechias; quod super Torrentem orietur ex vtraq; parte omne lignum pomiferum, & non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius; quia aquæ de sanctuario egrediuntur. Ante nostri Redemptoris mortem in Ciuitate Hierusalem operatam, aquæ multæ intrauerunt vsque ad animam eius, sed non potuerunt extinguere charitatem illius. Et aquæ illæ erant amaræ, sed inde exierunt dulces, & sanatæ, ab effectu, & sanitate, quam in anima fideli causant; nam omnis anima viuet, ad quam venerit Torrens, qui Christus est, hac de causa Esaias c. 66. nos ad lætitiam inuitat, lætamini, inquit, cum Hierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio magno, quia iam *Ezech. c. 47.* *Esaias c. 6*

Do-

Dominus declinauit super eam quasi torrentem inundantem spiritualem terram. Hinc geniti sunt pisces multi satis, qui iuxta euangelicam Parabolam homines intelliguntur. Multi inquam satis, quia post Christi mortem, magis, ac magis augebatur credentium in A
Actorum 5. Domino multitudo. Actorum 5. Et causa huius erat, quia aquæ egressæ de sanctuario, hoc est de latere Christi, intrauerunt amaræ, sed exierunt medicinales. Hæ sunt Indulgentiæ, & Ecclesiæ sacramenta, causantia sanitatem in anima, quæ veluti arborē emortuam, & lignum siccum, ob deficientiam spiritualis irrigui viuificant. Ob id ex eo non defluet folium, & fructus non deficiet. O diuinæ aquæ, & aquæ viuæ spiritualem animarum nostrarum terram, vt bonum fructum afferant, irrigantes, culparum nostrarum maculas, & sordes tollentes, conscientiasque nostras a sorditate purgantes. Vos estis instrumenta propter pactum, & ordinationem diuinam (vt Theologico modo loquar) gratiam ex opere operato conferentia, & vitia auferentia. Baptismus enim fidei gratiam, & virtutes inducit, & maculam peccati originalis ab anima aufert. Confirmatio spem præbet, & impotentiam reijcit. Eucharistia charitatem causat, & malitiam expellit ab anima. Pœnitentia iustitiam ponit, & actuale peccatum tollit. Ordo prudentiam gerit, & ignorantiam refellit. Matrimonium temperantiam asportat, & concupiscentiam elongat. Et denique extrema vnctio fortitudinem includit, & peccata venialia excludit. Sicq; iure optimo affirmare poterimus (ne aliquis credat hac perlonga digressione a proposito nos deuiasse) nō solum Dominum nostrum Iesum Christum fuisse Redemptorem, sed hæc diuina instrumenta, hasq; cęlestes aquas, suo etiam modo, vere esse miserorum captiuorum redemptrices. Habent enim valorem, gratiam, & cęlestem Thesaurum animas in potestate demonis detentas redimendi, & liberandi: quia emanarunt, & exierunt ab illo diuino Torrente, & a latere Christi. Cuius etiam virtute, aquæ, quæ exeunt ab oculis nostris, erunt suo etiam modo, redemptrices. Sunt enim instrumenta, aut media, quibus homines animas suas a peccatis redimant. Et ne sine auctore loqui videar; audi S. Ambrosium Ecclesiæ doctorem in oratione funebri Satiri sic orantem; fleuerunt (inquit) & pauperes, & quod multo prætiosius est, multoq; vberius lacrymis suis, eius delicta lauarunt. Illæ sunt lacrymæ C
S. Ambros. redemptrices. hucusq; S. Ambrosius. Sanè lacrymæ illorum pauperum appellatæ sunt redemptrices, quia Satirum a catenis pœnarum, & delictorum liberarunt: similiter opera nostra bona, & Eleemosinæ si nitantur aquis diuinis a latere Christi fluentibus, erunt etiam
Innocentius Papa. Daniel c. 4. eodem modo redemptrices. Innocentius Papa in tractatu de eleemosina, eam redemptricē appellat, ex Daniele c. 4. qui loquens cum Nabuchodonosor Babilonis Rege dixit ei; consilium meum placeat tibi, peccata tua Eleemosinis redime de ieiunijs, & bonis operibus; au-
Leo Magnus. di Leonem Magnum in serm. 4. Quadragesimæ. Magna (inquit) diuinæ institutionis salubritate prouisum est; vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mereretur; in quibus aliorum temporum culpas pia opera redimerent. Itaq; diuina sacramenta, indulgentiæ, lacrymæ, ieiunia, & cætera opera bona aīas nostras, & fratrū D nostrorum a catenis culparum, & demonis laqueis liberant, & redimunt, si in charitate fiāt, & nitantur aquis, quæ a latere Christi fluxerunt. Et ne aliquid intactum, & sine applicatione relinquamus, oportet reuerti ad Ezechielis visionē asserentis; quod super illas aquas stabunt Piscatores. Piscatores sunt Ecclesiæ Prælati, & ministri, quos Dominus constituit, & fecit hominum Piscatores, seu Redemptores. Faciam vos fieri Piscatores hominum
Marci 1. Marci 1. hi stant super aquas Ecclesiæ, quia Thesauri cęlestis, Sacramentorum, & gratiæ Dei sunt dispensatores. 1. Petri c. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum il-
1. Petri c. 4. lam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Peccatores captiui sunt ære alieno abstricti, & peccatorum suorum nexibus ligati; Sed in Ecclesia Catholica, bonorum Christi hærede, sunt Thesauri, & opes quibus redimi possunt. Hæc sunt Christi merita, & aquæ, quæ fluxerunt a latere Christi; a quibus pendent E virginis Mariæ, & Sanctorum merita, quibus Ecclesia maxime locupletatur. Ratio huius est, quia Christus Dominus noster, pater familias, quicquid egit, aut passus est, voluit cunctis filijs suis prodesse, non pro se, qui nullo indigebat, sed pro filijs suis, vt eos redimeret, & ditaret. Ad cuius imitationem Sancti omnes ad inuicem fratres, & Christi filij eandem incolentes domum, & Ecclesiam Romanam, quicquid acquisiuerunt laborando, ieiunādo, abstrahendo de cibo, & peregrinando; hoc voluerunt fratribus suis prodesse. Quæ omnia Ecclesia Sancta Mater, & Christi hæres, in communem Thesaurum confert pro nostris necessitatibus, pro emendis, & redimendis captiuis; cuius distributio ad Ecclesiæ Prælatos, & dispensatores (vt dictum est) pertinet.

Sed

Sed iam ex postulat ratio, vt harum moralitatum, & spiritualium Redemptionum, & spiritualis piscandi muneris non omnino obliuiosi effecti, ad eas redemptiones transeamus, in
A quibus anima, & corpus, & totus homo solet (vt in plurimum) a misera seruitute nostrorum Inimicorũ, & Tirannorum liberari. In quo tam salubri, ac pio charitatis officio, gloriosissima Virgo, Angelici spiritus, Sancti Innocentes, Martyres, Doctores, Confessores & alij plurimi Ecclesiastica, Imperiali, Regali, & alijs dignitatibus condecorati Viri se exercuerunt. Quos omnes ordinate disponemus.

Caput IIII. De Angelorum Regina Redemptrice, & de Sanctis Angelis, & Innocentibus Redemptoribus.

CVM Sancta Dei Genitrix, sit sanctorum omnium Regina, postquam in capitulis superioribus, de Christo Redemptore egimus; ratio expostulat, vt de Matre
B eius purissima, omnes creaturas cęlestes, & terrestres excellente, sit nobis sermo. De qua vtpote nostri ordinis vera fundatrice, plurima quando aduenerit tempus, (Deo dante) me dicturum promitto. Pro nunc vero quantum ad materiam de Sanctis Redemptoribus, quam præmanibus habemus, vno vel altero Patrum testimonio, & experientia ipsa, eam fuisse Redemptricem breuiter attingemus. In primis testimonio S. Irenei, lib. 3. aduersus hæreses sic asserentis; Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit Virgo Eua, hoc Virgo Maria soluit per fidem. Et S. Bernardus, hæc est illa B. Maria, quæ totius Orbis reparationem, & liberationem obtinuit. Et sermone 96. Maria copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi; Captiuus Redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, filij
C persona carnis humanæ substantiam; vt non sit, qui se abscondat a calore eius. Itaq; quos inobedientia Euæ Captiuos, & ligatos tenebat, Maria Redemptrix sua obedientia soluit, & redemit. Quæ non solum totius orbis reparationem spiritualem, & redemptionem animæ obtinuit, sed plures Captiuos in infidelium potestate detentos, suam liberationem, & redemptionem implorantes exaudiuit, & redemit. Quos in medium adducere esset nimis difficile, & in infinitum esset procedere. Inuisite quæso deuota, per vniuersum orbem diffusa, Dominæ nostræ dicata sacella, & sub inuocatione virginis Mariæ fundata, & frequẽtia templa (Quibus non paucis nostra abundat Religio.) Leuate capita vestra, & respicite in eis, publicas parietibus hinc inde tabellas affixas, nihil aliud quam admirandas per Dominæ nostræ merita, liberationes, & redemptiones, referentes, & narrantes. Attendite ferreos compedes, ac catenas muro pendentes, tamquam trophæa, & monumenta in signum
D victoriæ erecta, quam felices Captiui, Duce, & Redemptrice Virgine Maria, de infidelibus Inimicis reportarunt. Quæ nihil aliud significant, & ostendunt, quam Virginem Mariam esse veram Redemptricem. Legite quæso plurima Reginæ Angelorum edita miracula, in quibus fideli testium assertione, constare videbitis, hanc gloriosissimam Dominam, innumerorum fuisse, (admirando modo) Captiuorum Redemptricem.

S. Irenaus.

S. Bernard.

Virgo Maria Redemptrix.

Post Dominam nostram, Angelorũ Reginam, de ipsis Angelis, ante alias humanas creaturas, erit nobis sermo. Qui similiter sunt Redemptores, & ad nostram custodiam, liberationem, & redemptionem deputati, valdeq; propensi, vt plura eorum attributa, & nomina, indicare videntur.

Angeli sunt Redemptores.

Dicuntur Angeli, spiritus alati, & cum alis pinguntur; quia in altioribus commorantes, & super pennas ventorum ambulantes, suo velocissimo motu, de locis supremis ad homi-
E nes Captiuos iuuandos, & liberandos subito veniunt, vt S. Hieronym. c. 6. Isaiæ, S. Chrisost. homil. 6. de in comprehensibili Dei natura. Glicas parte 1. annal.

S. Hieronym.
S. Chrisost.
Glicas.

Dicuntur Angeli Actores, Adiutores, & Tutores nostri, a Patre cęlesti deputati, & nobis Præpositi, nam dum degimus in hoc seculo, vt paruuli sub Tutoribus, & Actoribus sumus, & in opportunitatibus, in tribulationibus, in angustijs, carceribus, & in captiuitate Angelos Adiutores nostros, qui nec dormiunt, nec dormitant, vt S. Bernardus in sermone de Angelis, inuocare debemus. Qui licet sint in cęlo, & Deo semper assistant, & in circuitu eius sint, suo tamen velocissimo motu, ad nos vocati venire non tardant, faciem Patris, qui in cœlis est, semper videntes.

S. Paulus.

S. Bernard.
Psal. 67.

Dicitur Angelus virtus Dei, vt ad literam super illa verba Psal. 67. Manda Deus virtuti tuæ

Psalm. 67.

tuæ, idest potestati Angelicę, quæ tua mandata exequatur, vt nos protegat, & defendat, ac de captiuitate redimat. A

S. August. Tuba Dei, quæ gaudium admirabile, & ineffabile iubilum, de nostra redemptione, & liberatione manifestat, vt S. August. super psal. 46.

Psal. 19. Potentatus, vt sensus literalis super illa verba psal. 19. in potentatibus salus dexteræ eius. Dominus enim exaudiuit Captiuum, in die suæ captiuitatis, & tribulationis; exaudiuit illũ de cęlo sancto suo, & misit Angelos, qui sunt potẽtatus, in quibus est redemptio eius, & salus.

Psal. 23. Angeli sunt Principes ad nostram custodiam deputati. vt ad literam super psal. 23. attolite portas Principes vestras. Et sic de nostra liberatione, & redemptione, si ea caremus, sunt maxime solliciti.

Psal. 89. Montes sunt Angeli, vt S. Augustinus, & glosa ordinaria, super illa verba psal. 89 Priusquam montes fierent, aut formaretur terra. B

Psal. 67. Currus Dei, vt sensus literalis psal. 67. Quia in eis sedet dominus. Iuxta illud psal. 79. Qui sedes super Cherubim.

Iob 3. Reges terræ, & Consules, vt glosa ordinaria super Iob 3. cum Regibus, & Consulibus terræ: eo quod Angeli super nos regnant, & nobis voluntatem Dei nunciando consulunt.

Num. c. 24. Iob c. 28. Iudic. 5. psal. 88. 96. Daniel. 2. 4. Regum c. 2. Iosue c. 2. Cædri prope aquas, vt interlinearis C. 24. Num. Angeli enim sunt iuxta diuinam sapiẽtiam. Aurum obrizum, glos. ord. super Iob c. 28. Astra matutina, vt ad literam Iob c. 38. Nuncij, Iudicum 5. Assistentes Deo, quia sunt in circuitu Dei. literaliter Psal. 88. Dij dicuntur, idest participatiue, vt super Psal 96. & Daniel 2. Equi ignei obsequium præstantes, vt Nicolaus de Lyra, lib. 4. Regum c. 2. Exploratores, glos. ordi. Iosuę c. 2. Filij Dei, literal. Psal 88. & Diuus Pater Augustinus super Psal. 49. Messores, & Executores diuini iudicij, & psal. 103. Præpositos cęlorum appellat eos. C

Deutero. c. 4. Cœlum vocantur Angeli, vt glosa interlinearis. Deuteron. c. 4. Testes inuoco hodie, Cœlum, & terram; idest Cœlum Angelos, terram homines.

Exod. 25. Vasa sunt Angeli, in cultum sanctuarij. interl. Exod. c. 25.

Genesis 1. Lux sunt Angeli; idest cęlestis substantia, Genes. 1. fiat lux.

Custos ligni vitæ, dicitur Angelus. Genesis 3.

Genesis 32. Iob c. 25. Vocantur Angeli militia cœli, & castra Dei, Genesis 32. de quibus etiam cantat Ecclesia, collaudamus venerantes, omnes cœli milites. Et ad literam Iob c. 25 nunquid est numerus militum eius. Et optimo iure, quia decertant ad nutum Dei, in auxilium nostrum contra aereas Potestates, & Inimicos nostros.

Vocantur Thuriferarij, habentes Turibula aurea in manibus suis, cum ignitis virtutum, & diuini amoris carbonibus, incenso orationum plena. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. In tuo inquam conspectu, quia hæc Angelorum Thurificatio, fit primo, & principaliter ad reuerentiam, & honorem Dei, & etiam ad vtilitatem nostram, vt mali odoris fęditas Thure incenso depellatur, & Deus, & Angeli eius in cœlo suauibus nostrarum cogitationum, & operum odoribus, & pęnitentiæ fragrantia gaudio magno lætentur. D

Lucæ 10. Lucæ c. 10. & Dominus noster hoc bono odoramento, suæ diuinæ maiestati per Angelos oblato, & præsentato, sit nobis propitius. Vnde videmus Demones hoc diuino odore, & sancto fumo vinci, & expelli, & afflictos, & oppressos a sua potestate liberari, & redimi, quia quod Dominum delectat, Inimicis eius displicet. Hoc scientes Exorcistæ ad liberandos vexatos, & expellendos Demones, his salutaribus vtuntur remedijs. Offerunt Deo orantes, ieiunant, & vexatos ieiunare faciũt, his enim armis fugantur Demones, Marci 9 Vtuntur etiam suffumigationibus, & incensi benedicti fumo; quia sicut dirigitur, & ascendit in Cęlum fumus incensi, sic oratio si a corde puro emanet, & exeat. Thobiæ 6. Præcepit Raphael Angelus Thobiæ piscem immanem, quem ex Tigris fluuio extraxerat, exenterare, & cor piscis pro remedio efficaci, contra Demones reponere. Cordis (inquit) particulas, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus demoniorum. Carnes piscis Thobias assauit, cætera salierunt, quæ sufficerent eis. Omnes nos (vt supra diximus) sumus pisces, fluctuantes in mari huius mundi, tunc vtiles, & fructuosi erimus, ac Angelorum cibus, quando carnes nostræ tormentis, & doloribus assabuntur, & punctionibus, ac ieiunijs saliuntur. Cor vero quod est sedes animæ, ex quo exeunt cogitationes Matthæi 15. debet custodiri, & reponi, & particulæ eius, quæ sunt cogitationes si ponantur super carbones, & ignẽ charitatis diuinæ, ascendunt in cęlũ ab Angelis pręsentatæ, quo suauissimo odore lætatur cęlum, lætatur ipse Deus, & diem festum agit. Reliquiæ cogitationis, diem festũ agent tibi psal. 75. Demones vero hac fragrantia, & fracti cordis particulis igne charitatis accensis,

Marci 9. Thobiæ 9. E Matth. 15. Psal. 75.

sis, & excitatis fugantur, & expelluntur, & miseri captiui a sua potestate redimuntur.

A Sed vt ad rem deueniamus sunt deniq; Angeli veri, & boni Redemptores charitate feruidi, & licet pro nobis non possint animas ponere, neq; mori, quia vt ait S. Isidorus. de sũmo bono. facti sunt Angeli contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, & beatitudine perpetui; nihilominus de nostra miseria, & captiuitate maxime dolent, imò flent (si sic fari liceat) Isaiæ c. 33. Ecce videntes clamabunt foris Angeli pacis amare flebunt. Non quod lacrymas fundant, qui oculis carent; sed cum essent Nuntij, & Oratores Ezechiæ, amarè fleuerunt, propter peccatum, & blasphemiam Rabsacis. Sic literaliter posse intelligi exponit Doctor Angelicus ad nostrum loquendi modum. *S. Isidorus.* *Isaiæ c. 33.* *S. Thom.*

Ex his possumus agnoscere Angelorum erga hominum liberationem charitatis vim, quæ ipsos propter scelera nostra, & peccati Captiuitatem, ad amarè flendum compellat; & quãta debeat esse nostra erga eos obligatio; Qui totis suis viribus nos de captiuitate huius seculi liberare, & redimere conantur, & ad patriam nostram cęlestem lætos, & iucundos deducere curant.
B Fuerunt (vt huic materiæ finem imponamus) fortes in bello, & infestissimos Inimicos, tirannos, & hostes debellando captiuum populum liberarunt; vt videre est in sacris veteris noui; testamenti historijs. Et in lege gratiæ Seducæi, qui inter Iudæos Viri religiosi habebantur, videntes quod concurrebat multitudo vicinarum Ciuitatum ad Apostolos, & augebatur credentium in Domino multitudo; Zelo suæ sectæ repleti, & inuidia liuidi Apostolos captiuarunt, & carceri manciparunt; Angelus tamen Domini solicitus, & fortis Redemptor, clausas carceris ianuas aperiens, eduxit, & liberauit Apostolos. Actorum 5. *Actorum 5.*

Post Angelicos spiritus Redemptores, ratio exposceret, vt de Patriarchis, & Prophetis ageremus, quos inter alios laudat S. Antoninus in sua Summa 3. p. Tit. 31. c. 7. & etiam Apostolos in eodem loco. consid. 19. eorq; S. Augustinus cum glos. ord. Psalm. 28. Arietes
C appellat, qui cornibus, idest vtriusq; testamenti auctoritatibus valuerunt contra idola: glos. interl. 2. Paral. c. 4. duodecim boues, qui mare, hoc est iniunctum prædicationis officium prompta deuotione portant, & perficiunt: Ciues Sanctorum, & Domesticos Dei, S. Paulus ad Ephes. 2. Colles suscipientes iustitiam, literal. Psal 71. Cedros Dei, interlinearis Psal. 79. Dentes eos, qui sua correctione carnales mordent, & obstinatorum duritiam frangunt, glos. interlinearis & ordinaria super Iob c. 19 appellant Nubes pluentes verbis, & corruscantes miraculis, glos. ord. c. 33. Deuter. Portas quibus intratur ad Ecclesiam, interl. Psal. 9. Seniores tollentes carnem Christi de armento Patriarcharum, quæ non traxit iugũ peccati interl. Deuter. c. 21. & Psalm 49 literal Patriarchas Patres, & Apostolos filios appellat. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, & deniq; Cassi. Psal 8. eos Infantes, & Lactentes nominat; sed nos, qui in c. 2. oblata occasione iam de Apostolis egimus, omittamus eos, vt ad alios Infan-
D tes, & Lactentes, videlicet ad eos Sanctos Innocentes Redemptores nobilissimos transeamus. Hi fuerunt viri manibus, & corde mundi, qui non acceperunt in vanum animas suas, qui non iurauerunt in dolo proximo suo, qui cum mulieribus no sunt coinquinati. Hi sunt prima, & tenera Christi victima. Martyrum odoriferi flores. Primæ Christianę Ecclesię gemmę. Agni immolati, & immaculati. Nouella plantatio. Martyrum primitię. Sine conflictu fortes. Sine pugna victores. Sine tentatione gloriosi. Sine certamine Coronati. Sine Palestra prẹmio cęlesti affecti. Sine molesto cursu glorię brauio condecorati. Prius triumphantes, quam viuentes. Prius cęli possessores, quam terrę habitatores. Vix in hãc lacrymarum vallem ingressi, & iam translati ad sempiternam requiem. Nescientes loqui, & facti Cantici noui Cantores. Vix in aurora vitæ constituti, & iam in occasu mortis colloca-
E ti. Vix immaturi ad mortem, & iam super induti glorię dotibus. Qui relinquentes angustas, & arctas cunas, acceperunt spatiosas Cęli mansiones. Hos merito Origenes cum glosa ordin. super c. 18. Num. Primogenitos appellat. Hos ego Redemptores appello. *S. Innocentes Redemptores.* *Origenes.*

Pro quo est aduertendũ, quod sicut Ioan. Baptista, dũ adhuc esset in tenebroso Elisabet matris suę vtero aspexit, & agnouit generis humani Saluatorẽ, in ventre Matris inclusum, seculi Redemptorem, & prę nimia lętitia infans inclusus exultauit, & saltauit; quam notitiam, & rationis vsum non viribus naturę, sed speciali gratię dono habere potuit; sic pię credendum est, hos Innocentes, & Infantes, non a natura, sed admirando, & singulari Dei beneficio ante tempus obtinuisse acceleratum Rationis vsum, & agnouisse Christum Saluatorem natum, & voluisse pro liberatione sui Saluatoris, & totius Orbis Reparatoris, animas suas

ponere, & Martyrium sumère. Qui vere fuerunt Martyres, & pro eis Ecclesia Catholica recitat officium martyribus debitum. Hi igitur infantes, vt Dominum suum liberarent a potestate Herodis iniqui Regis, animas suas ponere voluntarie non dubitarunt. Vnde S. Augustinus in sermone huius festiuitatis dicebat. Quantis modis mater infantem volebat abscondere, & ipse se infantulus publicabat, & mortem pro Domino suo petebat. Facit ad rem quod narrat Cassanæus in Chatalog. gloriæ mundi 3.p. consid. 44. Videlicet Vrbinum in agro Reatino delitescentem, cum milites ad mortem inquirerent, seruus eius, Domini ornamentis indutus, in eiusdem cubili se reclinauit, vt irruentes hostes Vrbinum esse suspicantes, primo impetu iugularent; quod hostes fecerunt. In cuius rei memoriam Vrbinus mortuo Seruo erexit statuam cum titulo, & inscriptione, quæ tam memorabilem testaretur amorem, & fidelitatem. Sic SS. Innocentes serui fideles cum intelligerent Herodem totis suis viribus Dominum suum, mundi Saluatorem ad mortem inquirere volentes illum liberare, ornamentis Domini sui, humanitatis, & pueritiæ induti, in cunabulis se reclinarunt, vt irruentes hostes ab Herode missi Christum esse suspicantes, primo impetu iugularent, sicut fecerunt. In cuius rei memoriam Ecclesia recta a Spiritu sancto erexit festiuitatem Innocentium, Seruorum fidelium cum octaua, quæ tam memorabilem testaretur amorem, & fidelitatem seruorum erga dominum suum, imò verius amicorum, iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos Ioa. c. 15. quia vobis reuelaui meum aduentum in mundum ad saluandum genus humanum. Et sic fecit eos sibi amicos, non solum propter virginitatem, puritatem, & innocentiam, in his Pueris resplédentes; sed etiam ob alias amoris causas, quibus ad inuicem cum Christo maximis erãt amicitiæ vinculis coniuncti. Hi enim pueri erant Christi Conciues, & Conterranei, vtpote Betlehemitæ eiusdem patriæ, nationis, & linguæ; & inter Conciues solet esse maximus amor, & summa familiaritas, & alter alteri opem in tribulationibus ferre, & in necessitatibus, angustijs, & mortis periculo se adiuuare videmus: similiter omnes erant eiusdem fere ætatis: & prouerbio fertur; Quod similis similem quærit, & paruulus, vt ait Diuus Paulus, sapit vt paruulus, & cum paruulis facilime congregatur. Ex his pullulabat inter eos mutua pietas, & ardens amor. Vnde pueri isti habentes notiam Herodem tirannum Regem esse solicitum, & anxium, de Christi nati morte, suosq; misisse satellites, qui eum occiderent; voluerunt omnes pueri simul, & semel pro amico, & conterraneo suo, contra matrum suarum vlulantium voluntatem animas ponere, & sic maiorem charitatem habuerunt isti pueri in Ciuitate Bethlem, quam Apostolorum aliqui in Hierusalem; nã ex Apostolis, Iudax Christum tradidit, & Reliqui eo relicto, abierunt, & fugerunt. Isti vero Pueri omnes nemine dempto, pro saluando suo Domino, Conciue, & Amico, & de furore Herodis liberando animas suas, vt boni Redemptores, posuerunt. Et sic eos inter Redemptores deputamus.

A B C D

S. August. S. Cassan. Ioan. c. 15. S. Paulus.

Caput V. De Summis Pontificibus, de Sanctis Martyribus, de Pontificibus, & Confessoribus, qui redemptionis munus exercuerunt, adiuuarunt, aut commendarunt.



CVM Summus Pontifex inter omnes homines, sit primus, & maximus; in tota Catholica Ecclesia vniuersalem super fideles habens Prælationem, & Superioritatem, vt S. Thomas in tractatu quem fecit contra Græcorum errores c. 66. & 67. sitq; pater vniuersalis omnium fidelium, cui pascendi oues Christi vbicumq; sint, cura est demandata, habeatq; ligandi, atq; soluendi summam potestatem: ab ipso incipere, & in medium adducere decreui omnes Summos Pontifices, quos huic sanctissimo operi, opem tulisse, me legisse memini. In quibus collocandis antiquitatem creationum ipsorum seruabo. E

S. Thom.

Primus sit S. Papa Leo eius nominis primus creatus ann, Domini 437. Qui sermone de ieiuno nostrum de Redimendis Captiuis munus, maximis laudibus commendat, & præmium beatitudinis illud exercentibus dari affirmat. Ex vita, & gestis eius, ac ex scriptis.

S. Leo Papa Redemptor laudat.

S. Symachus Papa, natione Sardus, creatus ann. Domini 499. Solebat omni anno per Africam, & Sardiniam Episcopis 220. in exilium Trusis, & Captiuis, & a Transmundo Rege, Secta Ariano detentis, pecunias, & vestes ministrare. De quorum Captiuitate maxime dolebat. Quod significare videntur Epistolæ Consolatoriæ, quos ad eos scribebat, & multas Captiuos sua pecunia redemit, vt Anastasius Bibliothecarius refert.

S. Symachus Papa Redemptor. Anastasius Bibliothecarius.

S. Gre-

A S. Gregorius Papa primus cognomento Magnus, patria Romanus, creatus Ann. Domini 590. fuit famosus Redemptor, qui cum audisset plures Anglos in Gallijs teneri Captiuos, exponiq; venales Candido Presbytero, Solerti viro præcepit, vt eos emeret, & redimeret, ac vestimentis indueret. Ex Baronio in Annalibus ad Annum 596. Idem Pontifex Gregorius Fortunato Episcopo Fanensi dedit facultatem Sacra Vasa ad redimẽdos Captiuos distrahendi ex lib. 5. Epist. 13. ad eundem Fortunatum directa; & similiter ex altera epistola ad Anthemium Subdiaconum constat, Pontificem Gregorium ad redimendos Captiuos, pecunias misisse, & deniq; ex epistolis missis ad Ioannem Syracusanum Episcopum, ad Theotistum, & Andream Patritios Constantinopolitanos, in quibus refert, quod cum opprimeretur a Longobardis; multi Viri opulenti, & pij, miseratione commoti, volentes, vt membra capiti, vt serui Domino, & vt filij Patri suo afflicto adiumentum afferre, plures pecu-
B nias suppeditarunt; quarum mediam partem Captiuis ex Crotonensi Ciuitate redimendis ipse Pontifex impendit; aliam mediam subleuandis monialium necessitatibus, quas tria millia in Vrbe esse testatur, tanta vitæ austeritate, quæ si (vt inquit humilis, & Sanctus Pontifex) nõ essent, nullus Nostrum iam per tot annos, in loco hoc subsistere, inter Longobardorũ gladios potuisset, & lib. 6. epist. 21. statuit Captiuos Christianos non solum a Longobardis detentos, sed a Iudæis emptos, fore redimendos.

S. Greg. Papa Redemptor.
Baronius Cardinalis.

Ioannes Papa IV. creatus Ann. Domini 640. imposuit Sanctissimo Martino Abbati, vt miseros Captiuos, quos Sclauorum inhumanitas captiuauerat, de seruitute redimeret. Ex Baronio in vita huius Pontif.

Ioan. Papa 4. Redemptor.

Ioannes Papa VI. creatus Ann. Domini 701. misit Sacerdotes cum Apostolicis donarijs, vt Captiuos redimerent, quos Gisulfus Beneuentanus Dux, Romanam ditionem præda-
C bundus captiuauerat. Ex Baronio ad Annum 702.

Ioan. Papa 6 Redemptor.

Stephanus Papa IV. creatus Ann. Domini 768. dedit operam, vt Romani Captiui, in potestate Ludouici Francorum Regis detenti, liberarentur. Ex vita, & gestis eius Pontificis ab Alphonso Chacon scriptis.

Stephanus Papa 4. Redẽpt.
Alphõsus Chacon.

Paschalis Papa I. Monachus, & Abbas Benedictinus, creatus Ann. Domini 816. fuit in miseros Captiuos valde misericors, nam quos Captiuos inuenire potuit, persoluto Creditoribus prætio, ex vinculis liberauit. Ex vita, & gestis eius ab eodem Chacon scriptis.

Paschalis Papa 1. Redẽpt.

Eugenius Papa II. creatus Ann. Domini 824. sua opera, & præcibus, Captiui ex Gallia ad Vrbem redierunt; quos bonis paternis, & fortunis omnibus spoliatos videns, suis Pontifex facultatibus sustentauit. Ex vita, & gestis eius.

Eugenius Papa 2. Redẽpt.

Innocentius Papa III. creatus Ann. Domini 1198. Captiuorum maximam curam habuit, multas in eorum liberatione fecit impensas, ac eos per suas Apostolicas literas Præla-
D tis, ac Principibus commendauit. Ex gestis, & vita eius. Sunt & alij plurimi Romani Põtifices, qui huic nostro instituto opem tulerunt, illudq; adiuuarunt, quos breuitatis causa omissos facimus, vt ad Sanctos Martyres transeamus.

Innocentius Papa 3. Redemptor.

Hi sunt vituli super altare Ecclesiæ positi, qui se offerunt in sacrificium, glos. ordi. super psal. 50. & ibi Cassi. Brachia Domini psal 17. ad bellum edocti. Radices in Ecclesia plantatæ, Psal. 79. gloriosos enim Martyres imam, & abiectam Plantæ partem Tyranni iudicantes, & conculcantes; Quanto in visceribus terræ ignominijs, & opprobrijs occultare conabantur; eo magis virtus eorum mirabiliter defixa, & in fide solidata crescebat, quæ nulla tirannica vi labefactari valuit. Et super psal. 21. Semen Christi pingue in sicca terra satum, sed cęlesti pluuia irrigatum multum fructum afferens in pacientia. Sagittæ Dei acutæ, psal. 44. quæ ceciderunt in corda Inimicorum Regis Christi, & ita ipsorum corda penetrarunt, vt de Inimicis eos Amicos fecerunt, & ad fidem plures conuerterunt. Pauperes appellantur
E Martyres, vt ad literam super illa verba psal. 9. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem Pauperum. De manu enim Tyrannorum, requirẽs sanguinem Martyrum de terra clamantem quotidie, clamores eorum exaudiuit Dominus, & iniurias vindicauit; nam Ægeus Proconsul in persecutione Andreæ, a Demone suffocatus interijt. Sunt deniq; Martyres oues escarum. psal. 43. vt glos. ordi. & ibi Cassi persistentes (inquit) in fide diuersi Martyres, idest diuersa martyrij genera, alij esca feris: alij traditi Gentibus in seruitutem, & in captiuitatẽ voluntarie se mancipantes, animas suas pro fratribus suis posuerunt, vt ex sequentibus patebit.

Psal. 50.
Cass. in.
Psal. 17.
Psal. 79.
Psal. 21.
Psal. 44.
Psal. 9.
Psal. 43.
Cassian.

Et in primis Sanctus Plato Martyr, quamplurima miracula in vita, & post mortem in Captiuorum redemptione edidit, quæ acta secundæ Sinodi Nicænæ testantur. Eius festiuitas celebratur 11. Kal. Augusti.

S. Plato martyr, & Redẽptor.
Sinodus Nicæna.

S. Panthaleo Redēpt.

S. Panthaleo Martyr, cuius festiuitas celebratur die 27. Iulij. plures redemit Captiuos, vt refert Methaphrastes. A

S. Theodardus martyr, et Redemptor.

S. Theodardus, Episcopus, & Martyr, cuius festiuitas celebratur 4. idus Septembris, fuit famosus Redemptor, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Ex Martyrologio.

S. Cyprianus martyr, & Redemptor.

S. Cyprianus Magnus, & illustris Vir, Episcopus Carthaginensis, & Christi Martyr, cuius festiuitas celebratur die 14. Septembris. magnam adhibuit curam erga miseros Captiuos, quos ad perseuerantiam, & tolerantiam hortabatur. Ex epistola 60. & suo exemplo ad redemptionis opus excitauit, & mouit; nam sibi nunciata fidelium Captiuitate a Barbaris, per Numidas Episcopos collectam pecuniam, ad tria millia numorum aureorum, misit ad eorum Redemptionem. Ex eadem epistola 60.

S. Eustachius martyr Redēptor.

S. Eustachius Martyr, cuius natalis dies die 20. Septembris agitur, cuncta sua Pauperibus elargitus est, & plures Captiuos redemit. Ex Methaphraste.

S. Emmeramus martyr Redemptor.

S. Emmeramus, Episcopus, & Martyr, cuius festiuitas celebratur 22. Septembris, vt alios liberaret, mortem sæuissimam patienter substinuit. Ex Martirologio. B

S. Thraso martyr Redempt.

S. Thraso Martyr, cum miseros Captiuos Christianos in Thermis laborantes videret, eosq; de suis facultatibus aleret, iussu Maximini tentus, martyrio Romæ coronatus est die 3. idus Decembris. Ex Martirologio.

S. Themistocles martyr Redemptor.

S. Themistocles Martyr pro liberādo S. Dioscoro, se Decio Imperatori obtulit, cuius præcepto eculeo tortus, raptatus, & fustibus cęsus, Martyrij coronam adeptus est, 12. Kal. Ianuarij. Ex Martyrologio

Nehem. 3. c. — Iob c. 28. — 3. Regum c. 16 — Tobiæ c. 6. & 11. — Iudic. c. 2. — 3. Regum c. 6. — 4. Regū c. 12. — Prouerb. c. 1. — 3. Regum c. 7. — Iob c. 28. — 3. Regum c. 7.

Post Sanctissimos Martyres opus redemptionis exercentes, sequuntur Pontifices, Ecclesię Doctores, Confessores, & Prædicatores, quos glosa ordin. Nehem. 3. Buccinatores appellat. Bases Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pondus spiritualis Templi, fixa morum suorum grauitate sustentantes. Interlinearis super Iob c. 28. Canes vigiles, & solicitos atq; fideles, Ouilia sancta custodientes. Infideles persequentes, & suis sententijs lupos famelicos fugantes, glos. ordin. super 3. Regum c. 16. & Interl. super Tobiam c. 6 & 11. Castella in eminenti loco collocata; sunt enim contra nostros Inimicos, & Aduersarios firmum refugium, & præsidium, quò nos vt tuti esse possimus refugere oportet. Nicolaus de Lyra super Iudic. c. 2. Fenestras Ecclesiæ Sanctæ; quia quæ in occulto vident, publice pandunt, quasi suscepto solis lumine cuncta Templi petralia replent, glos. ordin. 3. Regum c. 6. Fuscinulas, quia eorum officium, & munus est, corpus, & sanguinem Domini Credentibus distribuere, & Infidelibus abnegare, glo. ord. 4. Regum c. 12. Fores Ecclesiæ, quia ad eam introitum præbent, gl. ord. & Interl. Prouerbiorum 1. Panes Propositionis. Beda super 3. Regum c. 7. Ostia Ecclesiæ Sanctæ Dei, Veritati resistentibus omnino clausa, & eam sequentibus ingenue aperta; gl. ord. super Iob c. 38. Hydrias vitalibus aquis plenas, & charitate, ac misericordia erga miseros Captiuos affluentes, & redundantes, interl. 3: Regum c. 7. C

Tit. 1.

Hi deniq; non superbi, non iracundi, non vinolenti, non percussores, non turpis lucri cupidi, sed charitate feruidi, hospitales, sobrij, & sancti, conuersi ad Christum, verū Episcopum, & Pastorem, animarum suarum eius tenent, & sequuntur vestigia. Et in Redemptionis opere mirifice se exercent, & inter eos celeberrimos inuenimus Redemptores, quos secundum eorum dignitates collocamus. Inter quos primum occupat locum Sanctus Ioannes Alexandrinus Patriarcha, cognomento Eleemosynarius, qui fuit vnica consolatio miseris Captiuis, postquam Costhoas Persarum Rex Ciuitatem Hierosolymorum cæperat; nam ibi vili pretio Christiani Iudæis vendebantur. Hic vero Sanctissimus Redemptorijs, qui ex captiuitate remanserant, larga manu alimenta, & vestes suppeditauit, & Eleemosynas misit, vt Captiui redimerentur. Ex Leontio in eius vita. Eius festiuitas celebratu 23. Ianuarij. D

S. Ioa. Alexādrinus Patriarcha Redēpt. — Leontius.

S. Ambrosius Doctor Ecclesiæ Redempt.

S. Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis, Ecclesiæ Doctor, excitat, & mouet ad Redemptionis opus, 2. de officijs c. 28. & arguit eos, qui ipsum increpauerant, eo quod Sacra vasa pro redimendis Captiuis conflauerat. Eius festiuitas 4. Aprilis celebratur. E

S. Augustinus Ecclesiæ Doctor Redempt. — Possidonius.

S. Augustinus Episcopus, & Ecclesiæ Doctor, suas oues ad Redemptionem excitat, & exemplo mouet, vendendo Calices, vasa, & prætiosas Christi gemmas pro hoc sanctissimo opere, vt ex Possidonio in eius vita, eius festiuitas celebratur die 28. Augusti.

S. Gregorius Episcopus Nazianz. Redēp.

S. Gregorius Episcopus Nazianzenus, ob singularem diuinarum rerum doctrinam, cognomento Theologus, oratione 16. de paupertate fouenda, reprehendit Sacerdotes, qui redimendi muneris obliuiscuntur. Quos arguere non auderet, si ipse exemplo prius, ad tam pium opus non exhortaretur, eius festiuitas celebratur 9. die Maij.

Petrus Archiepiscopus Tarantasij Redemptor.

Petrus Archiepiscopus Tarantasij decessit sanctitatis odore de se relicto, Ann. Domini 1171.

A ni 1171. fuit in vita erga afflictos Captiuos valde benignus, quod etiam post mortẽ miraculo comprobauit; nam a tribus Captiuis, qui in vinculis tenebantur inuocatus; mirabiliter eis fuit præsto, & quamuis adessent Custodes, compedes ferreos fregit, vincula comminuit, portas aperuit, eosque diuinitus redemit, & liberauit, vt Gaufridus Altæ tubæ Abbas in vita huius boni Archiepiscopi. *Gaufridus.*

S. Auitus Aruernorum Episcopus, doctrina pariter, & pietate insignis, qui floruit sub Childerico Francorum Rege, fuit in Pauperes, & Captiuos valde misericors etiam post mortem, nam Anno vndecimo postquam ad Cęlos euolauerat, plures Longobardi in Ciuitate Aruernorum Captiui, & in vinculis detenti, intercessione huius sancti, disruptis catenis ferreis, Ecclesiam suam ingressi, liberati fuerunt, vt refert S. Gregorius in historia Francorum lib. 10. c. 6. Ex Baronio ad Ann. 591. festiuitas S. Auiti celebratur 5. Februarij. *S. Auitus Aruernorũ Episcopus Redẽp.*

Acacius Episcopus Amidæ pro Redimendis captiuis etiam Ecclesiæ vasa conflauit, ac B vendidit. Ex Socrate lib. 7. c. 21. & pro liberandis Captiuis, supellectilem distraxit, quod Regi Persarum fuit magnæ admirationi. Ex Baronio, festiuitas Sancti Acacij celebratur 9. Aprilis. *Acacius Episcopus Amidæ Redempt. Socrates.*

S. Prosper Episcopus Aquitanus apud Regium, Vir doctissimus, aduersus Pelagianos strenuissime decertauit, & Captiuos redemit. Ex Ioanne Antonio Flor. Eius festiuitas celebratur die 25. Iunij. migrauit ad dominum Ann. Christi 466. *S. Prosper Episcopus Redẽp. Ioannes Antonius Flam.*

S. Paulinus Nolanus Episcopus, cuius festiuitas celebratur 22. Iunij, seipsum pro redimẽdo Viduæ filio, in Africa detento, in seruitutem dedit. Ex S. Greg. & alijs. *S. Paulinus Nolanus Episcopus Redẽp.*

S. Germanus Antisiodorensis Episcopus, qui migrauit ad Dominum die 31. Iulij 435. afflictis Captiuis suum auxilium implorantibus præsto adfuit. Et inter alia vitæ suæ miracula, vnum celeberrimum, quod ad fauorem Captiuorum, in Ciuitate Rauennæ fecit, refert Acesar Cardinalis Baronius in suis Annalibus ad Annum Domini 435. *S. Germanus Episcopus Redemptor.*

C Nouiomi in Belgia S. Eligius Episcopus, obijt die 1. Decembris 665. qui quam plures pecunias, in redimendis Captiuis consumpsit, quos domum suam ducebat, alebat, & tamquã proprios filios habebat, vt refert Audoenus Episcopus Rothomagensis. *S. Eligius Episcopus Redẽp. Audoenus Episcopus.*

Igmarus ait, quod apud Rhemensem Ecclesiam, sua ætate ad Captiuorum Redemptionem Calices erogabantur, vt refert Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ, lib. 1. c. 7. *Rhemẽsis Basilica Redẽpt. Igmarus. Stephanus durantus.*

Post Sanctos Pontifices collocamus Sanctos non Pontifices, & in primo loco, Sanctum Ioannem Damascenum 6 Maij, qui, vt scribit Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, in redimendis Captiuis se exercuit. *Ioannes Damascenus Redemptor.*

S. Ludouicus 25. Augusti, Christi dignissimus Confessor, Francorum Rex, miraculorũ gloria illustris; qui expertus Captiuitatis miserias, se & plures Concaptiuos redemit. Ex gestis, & vita eius. *S. Ludouicus Redemptor.*

D Lemouicis in Aquitania 6. Nouembris S. Leonardus Confessor, discipulus Sancti Remigij Episcopi, nobili genere ortus, qui solitariam vitam deligens, sanctitate, & miraculis claruit. Sed præcipue eius virtus in liberandis Captiuis enituit. Ex Martirologio Romano. *Leonardus Redemptor.*

Non reperio, quod Sanctulus Presbyter fuerit in Sanctorum Cathalogo scriptus; bene tamen quod plurimorum sit gloria miraculorum illustrissimus, & in Redemptionis opere feruentissimus. De quo S. Gregorius, lib. 3. Dialog. c. 37 narrat, quod die quadam cum quidam Christianus Diaconus in potestate Longobardorum Captiuus detineretur, vellentq; Inimici tradere eum morti, Sanctulus misericordia motus, accedens petijt ab eis, vt Captiuũ custodiendum sibi traderent, quod ipsi fecerunt, ea apposita conditione, vt si Captiuus aufugeret, pęnam mortis ipse Sanctulus incurreret, quam pęnam libenter admisit. Nocte igitur aduentante Sanctulus Custos Captiuo Diacono dixit, abi frater mi, quò dominus tuos direxerit gressus. Diaconus respondit; absit a me tale cogitare; nam si ego abiero, mor- *Sanctulus Redemptor.*
E tem crudelem pro me sine dubio patieris. Non moriar (subiunxit Sanctulus) sed viuam, & narrabo opera Domini. Abijt Diaconus, & Longobardi, cognita Captiui fuga, aduocatũ Sanctulum fortissimo militi tradiderunt, vt eius caput abscinderet. Genuflexus igitur Sanctulus, petijt ab eis, vt per breue tempus sibi in oratione immorari liceret. Sed cum hoc nimis molestum militi insolenti videretur, impositumq; sibi mandatum explere optaret, sancti Viri caput aptari, & inclinari fecit. Et cum dexterum brachium, ad percutiendum eleuasset, (ò, res mirabilis) mansit immobile. Quo miraculo astantes nimis stupefacti, Sanctulum ligatum soluerunt, & libere abire iubentes, rogauerunt eum, vt pro Militis brachio sanando, præces ad Dominum funderet, conuersus Sanctulus ad Militem, dixit ei. Vis sanus fieri, promitte prius, nunquam te deinceps, dum vita tibi fuerit comes, mortem Chri-
stiano

stiano daturum. Quod cum iuraret, sanitati pristinæ restitutus est. Quo magis, ac magis admirati omnes, dabant ei plurima munera, quæ Sanctulus, vt stercus respuit, & admittere noluit, Sed petijt ab eis Captiuos Christianos, quos in sua potestate habebant; quod sine mora obtinuit, eisque sicut antea Diacono libertatem donauit. A

Caput VI. De Abbatibus Redemptoribus, & de magno fructu ab aliquibus Captiuis in captiuitate degentibus operato.

S. Benedictus Abbas Redēp.

INCIPIAMVS a Sancto Benedicto Abbate, in occidenti Monachorum Patre; cuius festiuitas celebratur die 21. Martij. De quo S. Gregorius in Dialogis c. 31. narrat sic. Galla, vnus ex Totilæ Ducibus, Arianus immanissimus, cum quadam die Rusticum torqueret, vt bona sua proderet, & manifestaret, & ille præ timore, & dolore respondisset, se & bona sua Benedicto Dei famulo commendasse; Rusticum Captiuum, vinculis constrictum, ad S. Benedictum duci imperauit. Quem ante ingressum Cællæ solum legentem, & sedentem reperit. Ad quem Galla barbarus, surge surge (inquit & clamat,) & bona istius Rustici redde, quæ accepisti. Ad cuius vocem Vir Dei oculos protinus leuauit à lectione, eumq; intuitus, mox etiam Rusticum, qui ligatus tenebatur, ad cuius brachia cum Vir Sanctus oculos deflexisset, miro modo, tanta celeritate cęperunt illigata brachijs loca deuoluere, vt dissolui tam concite nulla hominum festinatione potuissent. Cumq; is, qui Captiuus, & ligatus venerat, cępisset subito astare solutus ad tātæ potestatis vim; tremefactus Galla ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Itaq; S. Benedictus Rusticum Captiuum, non pecuniæ Thesauro, non loquendo, non tangēdo, sed solū respiciendo, de Potestate, & Tirannide Gallæ liberauit, & redemit, ac superbum, & Tirannum Gallam humilem reddidit, & a Demonis vinculis absoluit. B C

S. Ioannicius Abbas Redēp. Sub Eugenio Papa II. & Michaele Balbo Imperatore floruit Sanctissimus Abbas Ioannicius, cuius festiuitas celebratur 4. Nouembris, hic Sanctus Abbas, & Anachorita, cum audisset multos Romanorum, in expeditione Bulgarorum ante quatuordecim Annos facta, in durissima teneri captiuitate, & seruitute, vt feruidus Redemptor, & diuino instinctu illuc profectus, neq; ab vllo visus, per signum Crucis, disfractis særis, & repagulis, omnes Captiuos eduxit, ac liberauit, & per totam noctem in luce ad Romanorum fines Redemptor ipse, & Dux effectus traduxit, eosque admonuit, vt memores, & diuinorum beneficiorum grati essent. Quibus feliciter gestis, se ad montem, & solitariam vitam recepit. Quē Orientales Imperatores sicut Herodes Ioannem, & Pharao Moysem timebant, & venerabantur, vt Theodus Studita in suis scriptis refert. D

Theodus Studita. *S. Eparchius Abbas Redēp.* *Gregorius Turonensis.* Engalismæ 1. Iulij, S. Eparchius Abbas, in oratione assiduus, in redimendis Captiuis summè liberalis ex hac vita migrauit Ann. Domini 583. vt Gregorius Turonensis de Gestis Francorum, lib. 6. c. 9.

Leo Abbas Redemptor. *Pratū spirituale.* Leo Abbas, qui floruit circa Annos Domini 586. fuit famosissimus, & propijssimus Redēptor. De quo dicitur in Prato spirituali C. 112. quod barbaris irruentibus in Oacim; plures Monachos, & plurimos Captiuos duxerunt; inter quos tres præclaros Abbates infirmo corpore captiuarunt. Quorum vnus permissus est Ciuitatem ingredi, prętium redemptionis eorum allaturus. Qui cum non inueniret nisi octo numismata, & Barbari vellent 24. Redēptio transigi non potuit. Ob id Abbas Leo, qui in illa Ciuitate periculum euaserat, processit cum illis octo numismatibus ad barboros, orans, vt se sanum, & valentem acciperent cum octo numismatibus, & tres illos Patres infirmos, & debiles, liberos dimitterent. Quod & obtinuit, abijt ergo vsque ad quemdam locum, & cum præ debilitate pergere vltra non posset; Barbari eum decollauerunt. Impleuit Abbas scripturam dicentem; vt ponat animam suam quis pro Amicis suis. Hucusq; Pratum spirituale loco citato. E

Alphonsus Villegas. In eodem Prato spirituali, vt refert Alphonsus Villegas in libro, cui Titulus est fructus Sanctorum, narratur; quod tempore Mauritij Imperatoris, Nahamanes exercitus Sarra Cenorum Dux, plurima damna in Christianorum ditionem inferebat, & eorum Ciuitates subuertebat, plures Christianos Captiuitati mancipando. Inter quos Tyrius quidam iuuenis, Annorum viginti, a tribus Barbaris Captiuus, & ligatus ducebatur; quibus sanctissimus Abbas Nicolaus nomine obuius factus, vt optimus Redemptor, volens animam suam pro *Nicolaus Abbas Redempt.*

Capti-

A Captiuo ponere; dixit eis hunc miserum iuuenem liberum facite, & me ligate; aut si venalem exponitis, quod iustum fuerit, & quod petieritis pro eo dabo vobis. Ipsi vero neutrum velle, aut posse admittere, responderunt; eo quod Sacerdoti idolorum promiserant primũ Adolescentem, formosum, & venustum, in bello captum, se vt Idolis sacrificaretur, oblaturos. Quod audiens Abbas, se affligtare, & dolore graui angi cæpit; & de redemptione Iuuenis in euidentissimo propriæ vitæ discrimine constituti, valde solicitus; in oratione positus, deuotus Dominum pro eius liberatione orabat. Et ante quam ab oratione surgeret, Saraceni a Demonibus oppressi, se peremerunt. Et Adolescens liber remanens religionem ingressus est, in eaq; per annos septem sanctissime vixit, & cum sanctitatis odore obijt.

Tempore quo Longobardi suis incursionibus, & oppressionibus Italiam diuexabant, Sanctus Abbas Soranus, totis suis viribus, Captiuorum redemptioni intentus incessanter insudabat, eosq; & Pauperes Milites ex bello remanẽtes indigentes, & egrotos, eleemosynis *Soranus Abbas Redemp.*
B suis, ac donis recreabat. Quod cum ad latronum notitiã deuenisset credentes Sanctum Abbatem plures Captiuos redimentem, & largas Eleemosynas per singulos dies Pauperibus elargientem, ingentibus abundare diuitijs, in templum Thesauros quærentes introierunt, & nihil inuenientes Sorano Sanctissimo Abbati mortem dederunt. Cuius causa, terra tremere, & tremore concuti visa est. Ex Sancto Gregorio in Dialogis, lib 4 c. 22.

Sed antequam huic capiti 6. finem imponamus, fructus vberrimos per Christianos Captiuos, tempore Captiuitatis suæ productos in medium adducere decreuimus. Et in primis narrabimus quemdam excellentissimum, & nouum redimendi modum a Serapione Abbate adinuentum. Hic enim sanctissimus Serapio Abbas vendidit se, & se Infidelium in Ciuitate constituit seruum, & in domo Domini sui, cum domesticis versando, breui temporis spatio, eos a Captiuitate Demonis, & peccati tenebris liberauit, & ad lucem veritatis conuertit. *Serapio Abbas Redempt.*
Quo feliciter ad laudem Dei operato, restituendo Domino suo infideli pecunias, se redem it.
C Et liber factus, iterum se vendidit in alia domo, in qua similiter eosdem vberrimos fructus fecit. Vnde hoc modo magnam eius Ciuitatis partem ad fidem conuertit, & plures animas a peccati Captiuitate, & Demonis seruitute mirabiliter redemit. Ex Palladio in sua Lusiaca. *Palladius.*

S. Columbanus Abbas Plurimorum Cęnobiorum fundator, cuius festiuitas celebratur die 21. Nouembris, fuit Præcursoris Domini mirificus imitator. Vnde sicut Ioannes Herodem, sic Theodoricum Burgundiorum Regem Columbanus arguebat de Concubinarum commertio, & ad legitimi coniugij Thalamum, vt Regia proles prodiret, grauibus verbis hortabatur. Quibus Rex incitatus, per Vesontium Procerem in exilium perduxit Captiuũ, quò virtus diuina Columbanum secuta est. Siquidem ibi Captiuis, & detentis prædicans, vinculis dissolutis omnes Captiuos liberauit; Quos cum Præfectus carceris insequeretur, *S. Columbanus Redempt.*
D portæ Ecclesiæ (Columbano orante) patuerunt ad liberatorum ingressum, & statim obseratæ sunt ad excludendos insequentes. Quibus mirabilibus visis eos liberos abire permittunt. Et S. Columbanus eorum, & sui ipsius Redemptor, nullo remorante cum suis Monachis per mediam Vrbem ad Monasterium reuertitur. Ex Baronio in Annalibus ad Annum 612.

Rufinus lib 1. c. 9. refert, quod apud Indos, vir bonus, & sanctus, cui nomen erat Frumentius, a Barbaris captus, & ibi Captiuus, suæ miseriæ, & Captiuitatis immemor, totum se illarum gentium conuersioni mancipauit. Vnde mirifice in illis partibus fidem Catholicam propagauit. Deinde a Captiuitate liberatus, & redux factus ad Episcopatus dignitatem assumptus illuc remissus est. *Rufinus.*

Sozomenus in historia Tripartita, lib. 2. c. 21. sic ait. interea cum multitudo nimia gentium Migadorum ex Tracia transisset in Asiam, & alij aliunde barbari hoc egissent contra *Sozomenus in histor. Tripartita.*
E Romanos; multi Sacerdotum Christi Captiuati cum eis erant. Cumq; languentes curarent, & Demones effugarent; Christum solummodo nominantes, & filium inuocantes Dei, insuper, & conuersationem Philosophantes inculpabilem, & omnem maculam virtutibus eminentes admirati barbari Virorum vitam, & opera simul eggregia bene se sapere crediderunt, & Deum habere propitium, si meliores imitarentur homines, & sicut ipsi placerent Deum. Et constituentes sibimet, ex eis bene agendi Præceptores edocebantur, & baptizabantur, & consequenter in Ecclesias occurrebant. Hucusque Sozomenus.

Non est abs re, quod narrat præfatus Ruffinus, lib. 1. c. 10. sub Siluestro Papa I. de quadam fęmina Captiua, quæ cum suis orationibus, & sanctis operibus fidem Catholicam inter iberos inferiores iuxta Caucasum incolentes, ad mare Caspium vergentes propagasset, & *Rufinus.*
iuuar-

infirmum Regis filium suis similiter orationibus sanitati pristinæ diuinitus restituisset, Rex cum gente ad Christi fidem est adductus. A

Caput VII. De Imperatoribus, & Regibus Redemptoribus, & alijs Personis, ac Fœminis Redemptricibus.

Constantinus Imperator Redemptor.

IMPERATORES similiter hoc nostrum Sanctissimum Redemptionis munus magnifecerunt, defenderunt, & commendarunt. Inter quos Constantinus Sanctæ Elenæ filius, cognomento meritò magnus, ad Imperij culmen assumptus Ann. Domini 306. de Religione Christiana benemeritus, primo loco a nobis collocatur. Qui de vexationibus, & crudelitatibus in Christianos illatis, maxime dolens Captiuos Christianos, & ad metalla damnatos publico edicto redimi, & reuocari iussit; necnon gradibus priuatos, & de dignitate deiectos restitui, ac ipsorum bona ab alijs, etiam a Fisco possessa, ipsis Christianis veris Dominis reddi debere mandauit. B Ex Eusebio lib. 2. Vitæ Constantini a Cap. 25. vsque ad Cap 41.

Eusebius.

Valentinus, Valens, & Gratianus Imperatores Redemptores.

Valentinus Imperator cognomento Senior, creatus Ann. Domini 364. solebat tempore Paschali, in honorem tanti festi, Captiuos dissoluere, & libertati donare; quod similiter (vt breuitati studeamus) Valens, & Gratianus Imperatores fecerunt, sub datum 9. Maij, Ann. Domini 367.

Valentinianus Redemptor.

Valentinianus Imperator cognomento Iunior, Valentiniani Senioris filius, & frater Gratiani etiam Imperatoris, a Diuo Ambrosio valde dilectus, & oratione Panegyrica in eius funere publice commendatus, & laudatus, fuit in Captiuos valde misericors, & clemens. Vnde de relaxandis Captiuis tempore Paschali ad imitationem suorum Prædecessorum Generale edictum proposuit, lege 8. de Indulgentijs. Vt Baronius, & alij.

Honorius Imperator fauet Captiuis.

Honorius Imperator creatus Ann. Domini 395. maxime pium pro Captiuis, & carcere detentis promulgauit edictum. Videlicet de Captiuis Dominicis diebus e carcere educendis, & ad Balneum prædictis diebus Religionis contemplatione ducendis. Sub datum Rauennæ 8. Kal. Februarij Ann. Domini 409. & sui Imperij 15. C

Theodosius Imperator Iunior in Captiuos Pius.

Theodosius Imperator creatus Ann. Domini 408. fuit Religiosissimus, & in Captiuos pientissimus. Cum enim Asper Patrem Ardaburium Rauennæ Captiuum, & a Tiranno nimis oppressum agnosceret, de Patris Captiuitate Mæstus valde, ad Imperatoris pietatem confugit, qui Asperi imposuit, vt cum Imperiali exercitu, illico Rauennam, in Domino confidens Patrem liberaturus proficisceretur: quod cum executioni demandaret, Angelus Domini in habitu, & forma Pastoris Ducem itineris Asperi se præbuit. Et per Stagnum Rauennæ adiacens copias eius deduxit, qua via nemo vnquam iter fecisse memoratur. Et Stagni aquæ diuina ope penitus exaustæ sunt. Portas Rauennæ quas apertas ostendit ingressus, Patrem suum a Captiuitate liberauit. Quæ redemptio, ac liberatio, & de Tiranno victoria, vt ait Socrates in Historia Tripartita lib. 11. c. 18. non Asperi, qui vna cum Patre Arianus erat, sed Imperatoris pietati attribui, & ascribi debet. Vnde Imperator Nuncio de victoria accepto, ad Ecclesiam cum vniuerso Populo, (ita vt tota Ciuitas vna videretur Ecclesia) gloriosus, & hilaris perrexit, quod accidit Anno huius Imper. 18. & Calixti Papæ I. Anno 2. Sic Baronius in suis Annalibus. D

Socrates.

Iustinianus Imperator Captiuũ Redẽptioni fauet.

Iustinianus Imperator eius nominis Primus creatus An. Domini 527. Qui mirabilia magna in vita sua fecit, dixit, & decreuit. Inter alia a se lege condita decreuit, licitum esse templi vasa vendere pro redimendis Captiuis, quia, vt ipse ait, absurdum non est, animas hominum, quibuscumq; vasis, vel vestimentis præferri. Ex gestis huius Imperatoris, quod Sacri Canones, & leges Ciuiles, vt S. Gregorius refert lib 6. Epist. 35 ordinant, & permittunt, sacra scilicet vasa pro Redimendis Captiuis vendi. E

Sisebutus Rex Redemptor.

Post Imperatores, collocamus Reges, & alios Inferiores, & in primo loco, Sisebutum Hispaniæ Regem; qui floruit tempore S. Isidori Hispaniarum Doctoris celeberrimi Hispalensis, quem Sisebutum omnes Antiqui, & Moderni, & non solum Hispani, sed & Auctores externi, nemine discrepante, valde commendant. Fuit post Gundemarum ad Regale Hispaniæ Regnum, & fastigium merito assumptus, Anno Domini 612. Qui in miseros Captiuos fuit clementissimus, & valde fauorabilis, vnde sub perpetua maledictionis censura, statuit, & successoribus præcepit, ne Captiuum Christianum Iudeo seruire, vel famulari permitterent. De hoc Religiosissimo Rege Archiepiscopus Toletanus scribit, & hac ver-

Rodericus Archiepiscopus Toletanus.

A verborum expressione eum commendat. Fuit Sisebutus Vir sapiens, & nimium litteraturæ deditus, in iudicijs strenuus, in victorijs semper clarus, & fuit tantæ clementiæ erga victos, vt quos hostilis Potentia mancipauerat seruituti, dato pretio restitueret libertati. eiusq. Thesaurus Redemptio extitit Captiuorum. hucusq; Archiepiscopus Toletanus.

Alphonsus X. Hispaniæ Rex fuit in Captiuos excelsi magniq; animi. Vnde Imperatorem Constantinopolitanum in Captiuitate positum, & sub misera Sultani Seruitute iacentē, ingēti ęre collato redemit. Vt idē Archiepiscopus in vita huius Alphosi cognomēto sapiētis. *Alphonsus X. Redemptor.*

Theodolinda Longobardorū Regina, fęmina prudentissima remanēs Vidua, à quā plurimis Principibus, in vxorē petebatur, & nō pauci Potentissimi Principes eius nuptias ambire cęperunt. Quibus oībus spretis, cognitaq; Agidulphi Tauritani Ducis pietate, strenuitate, religionis zelo, & liberalitate illum ascitum in suum Virum delegit. Qui Longobardorū B Rex acclamatus continuo cępit erga Pauperes, & Captiuos suam pietatem, & clementiam ostendere, nam Agnellum dignissimū Epum Tridentinū in Gallias destinauit, qui miseros Captiuos, a Francis captos redimeret. Vt Paulus Diaconus, lib. 4. c. 2. Floruit hic Rex sub Gregorio Papa I. & Mauritio Imperatore. *Agilulphus Rex Longobardorū Redēpt. Agnellus Redemptor. Paulus Diaconus.*

Et nō solū inter Imperatores, & Reges Christianos, sed etiam inter Gentes, quæ mundi Redēptorē non nouerunt, resplenduit nostrū Redēptionis munus. Pompeius Magnus post quā de bello Mitridatico triūphauerat, voluit oēs Captiuos gratis libertati donari, & sumptibus Romanæ Reipublicæ ad proprias Patrias reuerti. Vt refert Alpianus celebris Auctor, qui magna facinora, & ęgregia Pompei Magni descripsit opera. *Pōpeius Magnus Redēpt. Alpianus.*

Quintus Fabius similiter Gētilis cū ad Redimēdos Captiuos ī Anibalis Carthaginēsis potestate detētos, suę pecunię nō sufficerēt, Romanū exorauit Senatū, vt ꝑ eorū Redētione sub C sidiū & pretiū trāsmitteret; qđ cū obtinere nō posset, & de fratrū suorū Captiuitate anxius valde esset, ꝓpriū filiū suū destinauit dās ei ī mādatis, vt prędiū vnū, qđ de facultatib⁹ suis remāserat vēderet cū effectu; qđ & fecit, & suos Cōciues redemit. Ex Valerio lib. 4. de liberalitate. *Quintus Fabius Redēpt. Valer. Max.*

Sed nō est cur ab hoc septimo Capite fęminarū cętū excludamus, nā iure optimo ipsę de nobis cōqueri possent, si de ipsis nullā prorsus mētionē faciamus, cū in charitatis, & pietatis operibus, qualis est Captiuorū redēptio, eas primū occupare locū videamus. Erga Infirmos sunt proculdubio Viris solicitiores, & charitate pstāt; Sacra Scriptura teste, Eccles. 36. Vbi nō est mulier ingemiscit æger. In amādo sūt fortiores. Nō solū .n. amāt in vita, & in morte, sed post mortē, qñ defunctorū nulla solet esse memoria. Psal. 30. Obliuioni datus sum tamq̃ mortuus a corde. Ipsæ vero in amādo psistunt, & ab Euangelistis Ecclesięq; Doctoribus fęminæ illæ, q̃ recedētibus discipulis nō recesserūt cōmendatę sunt; imo amore diuino deuinctæ, & ardē D tes desiderio, neminē formidātes ad sepulchrū (mortuo iā Xpo) venerūt. Ob id Ecclesia Sācta in orone ad Deiparē Mariā eas deuotas appellat, intercede ꝓ deuoto Fęmineo sexu. Et licet veteri prouerbio, & cōi adagio ferāt; quid leuius flāma? flamē. Quid flamine? fama. Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil. In quam plurimis tamen hoc adagium fallit, quarum aliquas ab Historijs sacris, & profanis laudatas, vt Redemptrices collocamus. *Ecclesiast. 36. Psal. 30.*

Iahel vxor Haber, fęmina famosa, & fortissima, q̃ Sisarę Ducis Populi Dei Inimici, caput clauo supra tempus posito, malleo vsq; ad terrā magno animi robore defigere ausa est; hoc ęgregio facinore exponēs se suę proprię vitę discrimini, populu Dei de dura huius Tiranni potestate redemit. Iudic. 3. *Iahel Redēptrix. Iudic. 3.*

Non minori mortis periculo se euidēter exposuit Iudith famosissima, & celeberrima Redemptrix; quę pro redemptione Populi Dei animam suam ponere non erubescebat. Quæ pugione non suo, sed Inimici Caput Holofernis Assiriorum militiæ Principis abscindere suis manibus Viriliter ausa est. Iudith. c. 13. *Iudith Redemptor. Iudith c. 13.*

E Et in historijs profanis legimus in Titoliuio Auctore famoso, & Veridico Paulam Busam nobilissimam Fęminā ex regione Apulię, (Romanorum ciuium fere decē millibus ex pręlio Cannēsi elapsis, Captiuis, miseris, & afflictis) alimēta, Vestes, & Viaticū largissime prębuisse. *Titusliuius. Paula Redēptrix.*

Claudia similiter itala patria Romana, licet impudica Fęmina, (vt refert Valerius Maximus) misit magnā pecuniarum copiam, pro redimēdis Captiuis Romanis Capuę detentis. *Claudia Redemptrix. Valerius Maximus.*

Hoc eximiū, & sūmę charitatis, ac misericordię opus, qđ humani generis Redēptor, Mater eius Purissima, Angelici Spiritus, Patriarchę, Apostoli, Sūmi Pontifices, Sacti Innocētes, Martyres Dñi, Ecclesię Doctores, Confessores, Abbates, Imperatores, Reges, & alij pręstātes Viri, ac famosissimę Fęminę exercuerūt, adiuuarūt, & cōmendarunt; nostra Sacra Religio, speciali, & quarto essentiali voto profitetur. In quo laudabiliter, & fructuose (vt ex sequentibus patebit) vsq; in hanc diem incessanter insudauit.

C Sed

Sed iam consonũ erit, vt ad diuinã, & admirandã nostri Ordinis fundationẽ pedetẽtim accedamus. Circa quã nõnulla quæsita collocabimus; videlicet, qñ. vbi, quis, quomodo, & cur. Quando est circunstantia tẽporis, id est quo die Mense, & anno Religio nostra fuit fundata. Vbi, idest in quo mundi loco. Quis, quærit de Persona instituente. Quomodo, qua via, Cur, quo fine. Quibus omnibus in sequentibus capitibus satisfaciemus. A

Caput VIII. Quo tempore noster Ordo institutus est. Et de Auctoribus, qui de nostro Ordine tractant, ac de loco, ex quo Religio nostra suam traxit originem.

VARIÆ, & diuersæ circa nostri Ordinis Institutionis tempus, sunt multorum Scriptorum sententiæ, quibus breuitatis causa (quia ad rem nõ faciant) omissis firmiter tenendum est nostrum Ordinem suam Institutionem sumpsisse sub
1218. Honorio Papa III. Anno Domini 1218. Quam sententiam sequuntur grauissimi Viri videlicet. B

Hieronymus Zurita. Hieronymus Zurita Scriptor celebris, & veridicus in suis Annalibus ad Annum 1218.

Hieronymus Gratianus. Hieronymus Gratianus Carmelitanus Vir valde doctus & satis cognitus in tractatu de Redemptione Captiuorum Summo Pontifici Clementi Papæ VIII. directo.

Emanuel Rodriquez. Emanuel Rodriquez Franciscanus in quæst. regul. ar. 13.

Alphonsus Chacon. Alphonsus Chacon Dominicanus in vita Gregorij Papæ IX. circa finem.

Frãc. Zumel. Fr. Franciscus Zumel Vir doctissimus nostri Ordinis Magister de vitis Generalium, in corpore nostrarum Constitutionum.

Franciscus de Vera Epus. Fr. Franciscus de Vera, qui fuit nostri Ordinis in partibus Indiarum Vicarius Generalis, deinde Episcopus Elnensis & Perpinionen in tractatu de fundatione nostri Ordinis.

Iacob. Teza. Magister Fr. Iacobus Teza in Tractatu, & Compendio gratiarum nostri Ordinis. C

Gaspar de Torres Epus. Magister Gaspar de Torrez Vir grauissimus, & doctissimus, Episcopus Medaurensis in Constitutionibus Ordinis nostri.

Alphõsus Zurita. Magister Fr. Alphonsus Zurita Prouincialis Castellæ, de fundatione nostri Ordinis.

Natalis Gauer. Magister Fr. Natalis Gauer, Vir doctissimus, & nostri Ordinis Magister, in Historia nostri Ordinis, quam expleuit ad Annum 1445.

Ioan. Pineda. Ioannes Pineda Franciscanus, in Monarchia Ecclesiastica, 3. p. lib. 22. c. 23. § 4.

Io. Mariana. Ioan. Mariana Historiographus veridicus Hispanus, professione Iesuita, de rebus Hispaniæ, lib. 11. c. 8.

Philippus de Guimeran Episcopus. Fr. Philippus de Guimeran nostri Ordinis magister, modo Episcopus de Xacca in Regno Aragoniæ, in Historia nostri Ordinis.

Siluester Marulus. Dominus Siluester Marulus Abbas S. Marię de Rocca Mador Siculus, in sua Historia nuper in lucẽ edita, cui Titulus est Mare, Oceanũ oium Religionũ, lib. 5. de Ordine S. Mariæ de Mercede. Hi sunt Auctores, & alij, qui dñt nostrũ Ordinẽ suã Institutionẽ sumpsisse de D
1218. anno præfato 1218. plurimi vero Auctores q nihil curãtes, aut mẽtionẽ nõ faciẽtes de anno fundationis, aut a veritate deuiãtes, sunt i magno numero, quos me adducere oportet, vt Religiosus Lector nři Ordinis agnoscat quos, & quãtos scriptores, anteq̃ hãc nostrã Chronicã in lucẽ ederemus, legimus, & euoluimus, q de nostro Ordine scripserũt. Et sũt. q sequuntur.

Bartholomęus Cassaneus: Bartholomeus Cassanęus in Cathalogo Glorię Mundi, p. 9. Consid. 9. agit de nostro Ordine: aliquos Viros, qui in eo Sanctitate floruerunt exprimendo.

Hieronymus Nolanus. Hieroymus Nolanus Augustinianus in Compendio Priuilegiorum, & gratiarum sui Ordinis, vbi agit de Religionibus militantibus sub regula S. Augustini.

Virgilius Vrbinas. Virgilius Vrbinas de Inuentoribus rerũ, Auctor grauis, sed vbi agit de Ordine nostro parum accuratus. E

Raphael Bolaterranus. Raphael Bolaterranus in suis Commmentarijs Vrbanis de Ordinibus militãtibus, lib. 21.

Carolus Tapia Carolus Tapia Iureconsultus de Religiosis rebus, c. 37

Genebrardus. Genebrardus in sua Chonographia, lib. 4. in vita Innocentij Papæ IV.

Franc. Penia. Franciscus Penia Rotæ Auditor, & Decanus in vita S. Raymundi, c. 37.

Nicolaus Aymerich. Nicolaus Aymerich Dominicanus Hispanus Hęreticæ prauitatis Inquisitor; in vita eiusdem S. Raymundi.

Michael Llot. Magister Fr. Michael Llot in vita Sancti Raymundi.

Sebastianus Castelletti. Fr. Sebastianus Castelletti Dominicanus in vita S. Raymundi.

Paulus Morigius. Paulus Morigius Ordinis Iesuatorum in suo Summario Chronologico, lib. 6.

Fr.

A Fr. Hieronymus a Sorbo Ordinis Capucinorum in Compendio Priuilegiorum circa initium; vbi ait de Ordinibus, & Religionibus priuilegia mendicantium participantibus. 1218. *Hieronymus a Sorbo.*

Lelius Zecchius in Republica Ecclesiastica, c. 2. de Religionum distinctione. *Lelius Zecchius.*

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, p. 2. Tit. 15. c. 23. §. qui breuissimam de Ordine nostro mentionem facit. Quod singulari fauori ascribendum est; eo quod in prææallegatis, lib. & capitulo, Paragrapho 1. & 2. grauibus verbis, & elegantissimo stilo plures Religiones, quæ à suo primæuo deuiauerant instituto acriter reprehendit, in Paragrapho vero tertio vbi de nostro Ordine mentionem facit, videtur non fuisse ausus sicut alios Ordines, nostrum Ordinem ab Angelorum Regina interuentu Sancti Raymūdi sui Ordinis Religiosi fundatum in minimo reprehendere, sed ibi solum commemorat, & refert nostram Religionem ad Redimendos ab Infidelibus Captiuos fuisse institutam. *S. Antoninus.*

Ant. Beauter diligentissimus Historiographus Hispanus, in Chron. generali Hispaniç c. 16. *Antonius Beauter.*

B Fr. Ferdinandus del Castillo Dominicanus in Chronica sui Ordinis. *Ferdinandus del Castillo.*

Hieronymus Blancha Cęsaraugustanus in suis Commentarijs de Regibus Aragoniç in vita Iacobi Primi breuem mentionem de fundatione nostri Ordinis facit. *Hieronymus Blancha.*

Gundisaluus de Illescas de Vitis Pontificum Tom. 1. *Gundisaluus Illescas.*

Petrus Ricordati in Historia monastica Dialogo primo, seu prima Giornata. *Petrus Ricordati.*

Dominus Arnoldus Vuion in tractatu cui Titulus est, lignū vitę. Hi duo auctores erant Monachi Benedictini, & suum Ordinem condecorare, & magnificare volentes; in grauissimum inciderunt errorem asserentes nostrum Ordinem sub regula S. Benedicti militare. *Arnoldus Vuion.*

Hieronym. Roman lib. 6 de Republica Christiana C. 22. Hispanus Auctor, & Augustian. *Hieronymus Roman.*

Ioan. Boterus lib. 3. de Relationibus vniuersalibus circa finē, in tractatu de Redēptione. *Ioan. Boterus*

Petrus Michael Carbonellus in Chronicis Hispaniæ in vita Iacobi eius nominis Primi. *Petr. Michael Carbonellus.*

C Thomas Bozius Eugubinus de signis Ecclesiæ Sanctæ Dei, Tomo primo, lib. 9. lit. B. *Tho. Bozius.*

Iacobus Castellanus in Compendio Constitutionum summorum Pontificum. *Iacobus Castellanus.*

Paleonidorus Bactauus Carmelitanus de antiquitate sui Ordinis, lib. 3. c. 13. *Paleonidorus Bactauus.*

Alphonsus Villegas in Flore Sanctorum de institutione nostri Ordinis. *Alphonsus Villegas.*

Franciscus Tarapha Canonicus Barcinonensis de Origine, & rebus gestis Regū Hispaniç, in vita Henrici I. vbi loquitur de Iacobo I. Aragonum Rege. *Franciscus Tarapha.*

Bernardinus Gomez Miedes Canonicus Valentinus in Historia Domini Iacobi Aragonū Regis, lib. 2. c. 9. valde difuse. *Bernardinus Gomez.*

Thomas Garzoni in libro cui Titulus est Piazza Vniuersale, disc. 3. verbo Religiosi. *Thomas Garzoni.*

Agunt etiam de nostro Ordine plurimi Summi Pontifices in suis Bullis, & Literis Apostolicis, ac Decretis ad fauorem Ordinis nostri expeditis; nec non quam plures Reges, & D Seculares Principes in priuilegijs, quibus Religionem nostram condecorare, & augere voluerunt, qui specialem de nostro Ordine, de eius instituto, de eximio Redemptionis opere mentionem faciunt, illumque commendant, vt infra plurimis in locis ordine temporum seruato dicemus. Sed vehemēter sum admiratus, quod aliqui Historiographi famosi in suis Historijs Vniuersalibus nullam de nostro Ordine in Ecclesia Dei valde extenso, & propagato vberrimoq; fructus faciente mentionē fecerint, vt Iacobus Philippus Bergomensis Augustinianus in suo Supplemento Historiarum, & Vuernerus Vuestfalus Cartusianus in suo Fasciculo temporum, & alij. *Iacobus Philippus Bergomensis.* *Vuernerus Vuestfalus.*

Confirmatur hęc nostra sñia, quod videlicet fuerit noster Ordo institutus An. Dñi 1218. auctoritate Sūmorū Pontificū, & in primis Clemētis Papę VII. hāc veritatē expressa verborū forma affirmātis per hęc verba: Dudū siquidē postq̄ Ordo B. Virginis Mariæ, Redēptionis E Captiuorū ex ipsius Beatissimę Virginis reuelatione, in Ciuitate Barcinonēsi, & festo S. Laurentij Martyris An. Domini 1218 a claræ memorię Iacobo Aragonię Rege. Sub datum Romę die 21. Octobris 1503. *Clemens Papa VII.* 1218.

Et Papa Paulus V. in priuilegiorum nostri Ordinis confirmatione idem fatetur. Sub datū Romæ 10. Kal. Septembris 1606. *Paulus Papa V.*

Deniq; in quadā antiquissima, & vetustissima Tabula mormorea in Capella S. Michaelis Ecclesię Episcopalis Barcinonēsis apposita, quā Berēgarius de Palatiolo Epus Barcinonēsis extruxit inter alia ęgregia facinora, & gesta eiusdē Epi annotat fundatio nostri Ordinis p̄fato die, & An. 1218. facta, vt a multis Patribus Gotholanis audiui, & cōiter in nr̄o Ordine fert.

Confirmatur hęc sententia, seu veritas auctoritateq; & communi consensu omnium nostri Ordinis Scriptorum (nemine discrepante) hoc idem in suis Historijs asserentium tam antiquorum quam modernorum, quibus Historijs in materia antiqua fides adhibe-

C 2

1218. hiberi debet, vt Reuerendissimi Domini, & Prælati, Sacro Rotæ Auditorio Præpositi suis decisionibus passim affirmant, l. 1. ff. de offi. quęst. c. inter dilectos, vbi Felinus nu. 12. Et fuit non semel dictum in causa Valentin. Præheminentiarum coram Reuerendissimo Domino Pamphilio Rotæ Auditore ad Cardinalitiam dignitatem deinde assumpto. Et hæc adducere sufficiant circa Fundationis nostri Ordinis annum, vt ad circunstantiam loci, in quo institutus est transeamus. A

Pamphilius Cardinalis.

Strabo.

Nostra felix Hispania vna ex nobilissimis Europæ partibus, quæ iuxta Strabonis sententiam lib. 3. bouis corio in terra extenso assimilatur, vndiq; Pelago, & Maris vndis cincta est, præter illam partem, qua Pyrænei Montis obiectu a Gallijs diuiditur. Hanc nostram Hispaniam Pomponius Mela famosissimus scriptor Hispanus in tres Principales diuidit partes, in Bæticam scilicet, Lusitaniam, & Tarraconensem, licet in plures ab alijs Auctoribus secetur partes. In Tarraconensi sita est in maris Mediterranei littore illa pulcherrima, & nunquam satis laudata Ciuitas Barcinonę, de cuius fundatione, & Fundatore variæ, ac diuersæ sunt Scriptorum, & Historiographorum opiniones, sed alijs omissis, quæ ad rem nō faciunt, verior videtur illa, quam sequitur, & tenet excellens, & diligens Historiographus Antonius Beuter Hispanus Patria Valentinus a me citatus, qui in sua generali Historia C. 14. & 15. vbi multis laudibus, & præconijs eam commendat, ab Hamilcare Barcino fortissimo, & strenuissimo Imperatore Carthaginensi fuisse fundatam affirmat. In ea igitur fuit diuinitus, & admirando modo Religio Nostra fundata, vt omnes Scriptores (nemine dempto) constanter affirmant. Huic igitur Ciuitati a Carthaginensibus Ducibus fundatæ, & possessæ, tres deinde potentissimæ, & externæ Nationes pluribus dominatæ sunt annis. B

Pomponius Mela.

Antonius Beuter.

Romani primi, Gothi secundi, & crudelissimi Mauri vltimi, qui breui tempore eam, & totam fere Hispaniam suo subiugarunt Imperio, Ecclesias sanctas diruerunt, suis Sacrilegis manibus sanctuaria destruxerunt, laudes diuinas, & Religionem Christianam in illis partibus retardarunt, Sacerdotum, & Ministrorum sacrosancta Sacrificia, & Sacramentorum frequentiam impedierunt, vasa Sancta contaminarunt, Ciuitates pulchritudine sua, ac diuitijs expoliarunt, moniales, & virgines Deo dicatas militari licentia, aut insolentia deflorarunt, Venerandos Patres Religiosos, ac senes consumpserunt, pupillos oppresserunt, Milites Hispanos Fortes in bello a facie gladij, & suis venenatis sagittis, ac telis (Deo ob scelera nostra sic permittente) peremerunt, in miseros Christianos fidem Catholicam retinere volentes, varia, ac diuersa tormentorum genera exercuerunt, & deniq; Hispanos, quibus gladius pepercerat a natura liberos, & Dominos crudelissimæ, & inhumanæ seruituti, & Captiuitati manciparunt. In qua Captiuitate omni humana pristinæ libertatis recuperandæ spe carentes, diuinum, & cęleste implorabant auxilium, & suas orationes, suspiria, & clamores in altum tendentes, per intercessionem, & merita Beatissimæ Virginis Mariæ specialis Hispanorum Aduocatæ, & Sancti Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni absolui a vinculis, & de Tirannide redimi humiliter supplicabant. Quibus Pater misericordiarum, & Deus totius Consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra aures suæ benignitatis inclinans; exaudiuit eos clamantes ad se, & per merita, & præces Angelorum Reginæ, & Hispaniarum Patroni, Redemptionem misit Populo suo, nostrum scilicet Ordinem Militarem, & Regium, cui Captiuos, specialiter Hispanos redimendi munus incumberet. Qui Ordo in cœlis Angelorum Reginam, in terris vero Iacobum strenuissimum Regem Aragonię semper, & vbiq; miraculo interueniente Fundatores, & Patronos agnosceret, vt in sequentibus Capitulis clarius, & diffusius ostendemus. C D

Caput IX. De Angelorum Regina nostri sacri Ordinis fundatrice, & Patrona.

SVNT in hac Militanti Ecclesia nonnullæ fundatæ Religiones, & Congregationes, quæ Beatissimæ Virginis Mariæ titulo, & nomine condecoratæ, & honestatæ existunt, eam ex diuersis occasionibus, & causis in Patronam, & Titularem eligentes, inter quas sit prima Carmelitana Religio, quæ ab Helia in monte Carmelo suam trahens originem, vt plurimis auctoritatibus, & argumentis in nostra generali Historia ostendimus, & probauimus, speciali Sedis Apostolicæ dono, & gratia; Beatæ Mariæ de monte Carmelo Titulo, & nomine honestari obtinuit, vt clarissime ejus Religionis priuilegia Apostolica ostendunt. Ordo Militaris Theutonicus, E

qui

A qui in Germania modo viget, a quodam Pio Viro natione Germano pro recipiendis Gentis suæ Peregrinis in Ciuitate Sancta fuit fundatus, & deinde a Sede Apostolica confirmatus, cuius Religionis, seu Militiæ Fratres, qui atram Crucem in pallio albo gestant, voluit præfatus Fundator Fratres Sanctæ Mariæ Theutonum appellari, vnde a multis Ordo Marianus vulgariter dici solet. Ex. 1. 8.

Seruorum Ordo, cui initium dederunt septem boni Viri, natione Itali, Patria Florentini, & arte Mercatores, Virginem Mariam hac occasione in Patronam elegit. Quadam enim die hi boni, ac Sancti Viri, qui eius Religionis fundamenta (Pauperibus bona sua iuxta Euāgelicam Paupertatem distribuendo) iecerant, per Florentiæ Vrbem dum hostiatim Eleemosynas a Christi fidelibus petunt, cęperunt ex tempore simplices, & innocentes Pueri, eos seruos Beatæ Virginis appellare, & ex illa hora vsque in præsentem diem, eius Ordinis B Fratres, Serui Beatæ Virginis Vociferantur. Vestes omnino nigras gestant, & sunt Mendicantes.

Sunt & aliæ Congregationes, quæ a loco Virgini Mariæ dicato, in quo fundatæ, & institutæ sunt, eiusdem Virginis Mariæ Titulo, & nomine insigniri voluerunt. Vt Ordo Monachorum Gulielmitarum a Sancto Gulielmo fundatus communiter Ordo, seu Congregatio Montis Virginis appellatur, eo quod prima eius Ordinis Ecclesia, vbi fuit fundatus in Regno Neapolis, in honorem Beatæ Virginis Mariæ Ann. Domini 1126. ab Episcopo Ouellienfi fuit consecrata.

Est etiam in Gallijs quædam reformatissima Cisterciensis Ordinis Congregatio cæpta, quæ communiter Fulienfis appellatur, & Sanctæ Mariæ Fulienfis Titulo a loco, in quo suā primæuam habuit Originem decoratur.

C Congregatio similiter Eremitarum in Mantuæ nobilis Ciuitatis territorio sub Innocentio Papa VIII. erecta, communiter nostræ Dominæ de Gonzaga a prima domo vocatur.

Alia est etiam moderna Clericorum Regularium Congregatio in Ciuitate Lucæ, quæ est in Italia a Ioanne Leonardo doctissimo, & honesto Viro nostris temporibus cæpta; cuius nouellæ Congregationis Religiosi, Patres Congregationis Sanctæ Mariæ Curtis Orlandinorum, in qua suam Originem traxit, appellantur.

Et vt nihil intactum in hac materia relinquamus, quidam est (vt audio) Bononiæ Militum Ordo a Sede Apostolica approbatus, qui sub obedientia sui Maioris viuentes in proprijs domibus cum vxoribus, & filijs suis, milites Sanctæ Mariæ nominantur.

Hi omnes Ordines, & Congregationes, & si aliæ forsan sunt, quæ ad meam notitiam non deuenerunt, Virginem Mariam in Patronam suam sibi eligere voluerunt, ad instar Religiosorum S. Hieronymi in Hispania, & plurimarum Congregationum in Italia sub eius-D dem Sancti Titulo Religiosam vitam degentium, quæ Congregationes appellantur S. Hieronymi, non quod Doctor ægregius eas in Hispania, & Italia fundauerit, & immediate instituerit, qui per plures Annos has congregationes pręcesserat, sed eo quia hæ Congregationes ob singularem ad hunc Sāctum deuotionem, eius religiosissimam, & sanctissimam vitam, magnam pœnitentiam, & laudabiles mores imitari volentes, eundem Sanctum in Patronum eligere volentes, sibi de benignitate, & speciali Sedis Apostolicæ gratia dari obtinuerunt. Non sic Ordines Sancti Dominici, Sancti Francisci, & alij huiusmodi, qui habent suos immediatos Primæuos Institutores, & Fundatores, ac Patres veros quos agnoscūt, & venerantur tamquam veros, & immediatos Fundatores, ac Genitores, quorum sunt veri, & legitimi filij, & non adoptiui. Ad eundem modum Angelorum Regina, (vt inferius magis, ac magis innotescet,) non fuit ad nutum, & ad libitum nostrum, in specialem, & particularem Patronam a nobis electa, sed ipsa ab initio, & a nostri Ordinis fundatione statim nos E in Filios suos elegit, vt meritò ipsa dicere nobis possit Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ac si diceret tanto vos filios meos amore prosequor, vt non expectato vestræ electionis tempore, quod me eligere voluissetis; ego prius elegi vos, & posui vos, vt eatis non ad delitias, & seculi vanitates, & voluptatum loca, sed ad Saracenorum, & Infidelium terras. Et ad imitationem prætiosissimi mei filij fructum afferatis Captiuos miseros redimendo; & vestris prædicationibus, & exemplari vita, ac proprij sanguinis effusione (si necesse fuerit) Infideles conuertatis, & fructus vester maneat in æternum, quia labor susceptus pręmio ęterno remunerari mæretur. Itaque noster Sacer Ordo non ex ore Infantium, & lactentium, non a loco, in quo institutus est, non ad libitum nostrum, & ad electionem nostram agnoscit gloriosissimam Angelorum Reginam, vt Fundatricem, Patronam, & Matrem, sed ipsa nostrum Ordinem fundando, Ioan. 15.

1218. dando, se peculiarem, & immediatam constituit Fundatricem, vt inferius ex diuina visio A
ne tribus fide dignis comprobata testibus, manifeste patebit. De cuius diuinæ apparitionis, & visionis causa, tempore, modo, & fine in sequentibus capitibus agemus.

Caput X. Christiani Captiui Redemptionem poscunt, & Regina Angelorum nostri Ordinis fundatrix plurimis encomijs laudatur.

N capitulo præterito probauimus Angelorum Reginam esse nostri Ordinis Fundatricem, sed quia hæc Domina, & Fundatrix, diuina visione, filij vnigeniti, imò totius Sanctissimæ Trinitatis, & suam voluntatem in ea demonstrauit, ipsius admirandæ visionis, & apparitionis causam, & tempus, aliasq; circunstantias in præsenti, & sequentibus capitibus explanabimus, & hac occasione ad instar aliorum B scriptorum Religiosorum, qui in Chronicis, & Historijs suis solent Institutores, & Religionum suarum Fundatores plurimis præconijs cõmendare, Reginam Angelorum Ordinis nostri veram Institutricem pro virium mearum fragilitate commẽdabo, sed cum Diuo Hieronymo in sermone ad Paulam, & Eustochium timeo satis, & valde pertimesco, ne dum eam laudare cupio, sicut improbus, ita indignus laudator inueniar, profecto cum nec sanctitas, nec facundia suppectant, vt Beatam, & Gloriosam Virginem digne laudare: quoniam, vt verum fatear, quicquid humanis dici potest verbis, minus est a laude eius, quia diuinis, & Angelicis est prædicata, & laudata præconijs, & in sermone assumptionis, quod nos (inquit idem Hieronymus) tantilli, quod actione pupilli, quod in eis laudibus referamus, cum etiã si omnium nostrum membra verterentur in linguas; eam laudare sufficeret nullus. Altior enim cœlo est, de qua loqui nitimur; abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Si C cœlum, inquit, te vocem, altior es si matrem gentium præcedis; Si formam Dei te appellem digna existis; si Dominam Angelorum; prima esse probaris. Quid ergo de te digne dicam? Si S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ timet satis, & valde pertimescit Mariam laudare, cur non ego Vir ignarus, labijs pollutus, loqui nesciens ab incepto desistam? Sed scio quid faciam, ne in errorem incidam, nihil de meo accipiam. Sed scripturas sacras euoluam, Sanctorum, & Ecclesiæ Doctorum scripta, & volumina legam, & perlegam, & nonnulla præconia, & laudes colligam, & decerpam, easq; cum afflictis Captiuis suam redemptionem a Beata Virgine poscentibus, vna concinam. Cum magna igitur Hispaniæ pars, vt superius diximus, a Barbaris, & Mauris, & Crucis Sanctę Inimicis infelicissime possederetur, & Captiua teneretur ingensq; Christianorum numerus in eorundem Barbarorum potestate detineretur, & crudeliter affligeretur, humano destitutus auxilio, clamabat ad Dominum D dicens Psal. 87. Domine Deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te. Intret in cõspectu tuo oratio mea. Inclina aurem tuam ad præcem meam. Quia cum immundo Sarraceno conuersando, & Barbaro moribus deprauato vitam degendo, omni immunditia, & malis repleta est anima mea. & vita mea in euidenti periculo cõstituta, in Inferno appropinquauit, æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non est memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me iniqui Sarraceni in lacu inferiori, in tenebrosis, & vmbra mortis. Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longe fecisti notos, & Parentes meos a me, qui me adiuuare poterant. Ideo Sarraceni posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te tota die. Expandi ad te manus meas. Sed scelera, & delicta mea me gratiæ tuæ, & liberationis meę reddiderunt indignum. Nunquid E iniquitate, & peccati culpa irretitis, & mortuis facies mirabilia? aut Medici, quorum est limitata potestas, suscitabunt, & confitebuntur tibi? nunquid narrabit aliquis in culpæ Sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? nunquid cognoscentur in tenebris inter blasphemias, & abominationes, & immunda crimina, quæ Sarraceni quotidie committunt mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis? & ego ad te Domine clamaui, & clamabo semper, & oratio mea præueniet te, vt quid Domine repellis orationem meã? Auertis faciem tuam a me? Pauper sum ego, & in laboribus a iuuentute mea exaltatus autẽ aliquando spe libertatis meæ, subito humiliatus sum, & conturbatus, in me transierunt irę tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me sicut aqua tota die circundederunt me simul, sed tu Domine elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria,

S. Hieronym.

Psalm. 87.

A seria, vt ad te solum confugiam, & in te, & non in alio meam reponam spem, & non confundar in æternum. In iustitia tua libera me, inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me, & liberes me ab hac misera Captiuitate. Esto mihi in Deum Protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum est tu, & propter nomen tuum deduces me de hac miseria, & gratia tua enutries me. Educes me de laqueo hoc intolerabili quem absconderunt mihi. Quoniam tu es Protector meus, In manus tuas cõmendo spiritum meum, & libertatem meam, & sicut Redemisti me Domine in sanguine tuo a potestate Demonis, sic libera me, & redime me de potestate Inimicorũ meorum Saracenorum, qui volunt nos fideles tuos perdere, & ad nihilum redigere, & vineam Ecclesię tuę quam plantauit dextera tua delere. Ascendat sicut tuba clamor meus in trono tuo, respice me creaturam tuam non a Dijs alienis creatam, sed a te solo Deo viuo, & vero, quia non est alius Deus præter te, amaritudine, & doloribus oppressam, contemptam, & afflictam. Pa-
B teant aures misericordię tuę præcibus meis, quia clamantes ad te exaudire soles, & in perditione nostra non delectaris, sed post tempestatem tranquilum facis, & post lacrymas, & fletum exultationem, & lætitiam infundis. Et tu Regina Angelorum omnibus virtutibus, & gratia plena, cui non de fuit Adeæ cognitio, innocentia Abel, deuota inuocatio Enos, diuina, & frequens cum Deo amicitia Enoch, Iustititia Noæ, obedientia Abrahæ, meditatio Isaac, solicitudo Iacob, continentia Ioseph, mansuetudo Moyses, Zelus Phines, fortitudo Sansonis, humilitas Dauid, sapientia Salomonis, Religio Iosaphat, Penitentia Manasses, obseruantia diuinorum mandatorum Iosiæ, feruor Heliæ, contemptus mundi Helisei, Prophetia Isaiæ, compassio Hieremiæ, eleuatio mentis Ezechielis, abstinentia Danielis, pacientia Iob, misericordia Tobiæ, clementia Oniæ, instructio Esdræ, defensio legis Iudeæ Machabei, fides Patriarcharum, Zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas Coniugatorum, & Angelorum pu-
C ritas, tu o spes nostra, & mediatrix Dei, & hominum intercede pro nobis ad Dominum, quem sine macula genuisti, & Virgo peperisti, & post partum iutacta permansisti.

1218.

Psal. 8.

ANCILLA Domini, auctrix meriti, aula regia, amica pulchra Dei, altare animatum, armarium Spiritus sancti, arbor vitæ, aurora consurgens, acies ordinata, aquæ ductus, altare Dei, Arca testamenti, archa fęderis, atrium Dei, arcus cęlestis, armarium diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, arcus sempiterni fęderis, altare Thymiamatis, amicta sole, auxilium Christianorum, tuum auxilium nobis aduocata, & auxiliatrix impende, & quæ est virtutum Auriga ad libertatem optatam rege, & defer nos.

Ex diuina Scriptura. Ex Sactis, & ecclesia.

D BENEDICTA a tota sanctissima Trinitate, Benedicta inter mulieres nos benedicendo a Captiuitate libera.

Ex Doctoribus Sanctis Ex Scriptura Sacra.

CAMERA Spiritus sancti, conscia secretorum Dei, creata ante secula, columba Dei, clypeus in te sperantibus, Ciuitas Dei, fortissimum Castellum, Ciuitas refugij, Castellum Iesu Christi, cęlum sydereum stellis Virtutum ornatum, comprehensio omnia continentis, circunscriptio incircunscripti, consolatrix afflictorum nos afflictos Captiuos consolare.

Ex Sacra Scriptura Ex Sanctis Doctoribus Ex Ecclesia.

DOMVS Domini, disciplina omnium, Domina Vniuersi, domus sapientiæ ne permittas nos Captiuitate teneri.

Ex Sacra Scriptura Ex Sanctis Doctoribus.

E EXEMPLVM honestatis, erarium diuinorum Charismatum, exaltata super choros Angelorum, nostri miserere in Captiuitate iacentium.

Ex ecclesia, et Sacris Doctoribus.

FECVNDA in virginitate, flos campi, fons aquarum viuentium, fauus destillans, filia Sion, fons gratiarum, fructus honoris, fenestra cęli, filia Summi Regis, firmamentum solidum aquas Angelicas, & humanas in se continens, Angelorum scilicet puritatem, & hominum naturam, fas fidelium in tenebrositate huius horrendi carceris, nos illumina, vt quò tendere optamus, attingere possimus.

Ex Sacra Scriptura Ex Sacris Doctoribus.

GENITRIX Dei, gloria Israel, Genitrix vitæ, vitam in Captiuitate degentibus, & libertatem petentibus miserata succurre, gloria Hierusalem ad Patrias nostras liberos venire concede.

Ex Sanctis. & Scriptura.

HO-

1218. *Ex Sanctis.* HONORATIOR Cherubim, & Seraphim, hortus conclusus, honorata adeo, sicut Mater tenetur, & debet honorari a filio, habitaculum Spiritus sancti, habitantes in Captiuitatis tenebris dirige in viam pacis. A

Ex Sanctis. INDIVIDVVM singulare excellentius, & Prælatum omnibus speciebus Angelicis, inuentrix gratiæ, gratiam nobis largiri non dedigneris.

Ex Sacra Scriptura. Ex Sanctis Patribus. LVX explendidissima ex qua ortus est Sol Iustitię Christus Deus noster, Luna plena, lapis pretiosus, lāpas accensa, lampas inextinguibilis, liliū inter spinas, luna lætissima in tenebris, & noctis caligine, que solum a sole Iustitiæ lumen recipis, gratia tua nos illumina, & educ de hoc obscurissimo carcere.

Ex Sacra Scriptura. Ex ecclesia, et Sāctis Patrib. MATER Dei sola in terris, filij enim Euæ non ab vno, sed a duobus parentibus nascuntur, magnificata adeo, Mater pulchritudinis timoris & Sanctæ Spei, Mater immaculata, Mater salutis, Mater Creatoris, magnificentia Dei super Cœlos eleuata, Mirrha ex aromatibus, Mater viuentium, Mulier sole amicta, Margarita prætiosa debiles confortans, medica singularis nobis afflictis nostrisq; medere langoribus, mediatrix Dei, & hominum intercede pro nobis. B

Ex S. Methodio Martyre, & S. Hieron. NAVIS institoris, nutrix omnia nutrientis, vt S. Methodius Martyr, nubes, vt S. Hieronymus deduxit eos in nube diei Psal. Maria est nubes, quæ in hac vita nos deducit, quæ numquam fuit in tenebris, sed in luce, educ nos de Captiuitatis ergastulo.

Ex S. Proclo, & ex aliis. atque ex Ecclesia Sancta. OFFICINA naturarum inter se vnitarum, vt S. Proclus Ciricus, oliua speciosa, oliua pullulans, obsequium deuotionis tuam obsecramus clementiam. C

Ex Sacra Scriptura. Ex Ecclesia, & Sanctis. PRIMAS orbis, Pratum Spiritus sancti, Pariens sine dolore, Porta Paradisi, Porta sanctuarii semper clausa, Porta cœli, Panegyris reconciliationis salutaris, Plenitudo omnium gratiarum, Puteus aquarum viuentiū, Palma exaltata, Patrona generis humani, Pons per quem ad hominem pertransit Deus, Fac vt a nobis hæc transeat Captiuitas.

Ex Sacra Scriptura. Ex Ecclesia Sancta. Ex Sanctis Patribus. REGINA Cœli, vt S. Ildefonsus serm. 7. de assumpt. S. Mariæ. Repleta Spiritū sancto, Regula morum, Reparatio deperditi orbis; Radix speciosissimi floris, Rubus incombustus, quam diuini partus ignis non consumpsit, Redemptrix fidelium solue vincla Reis, & nos redime.

Ex Fulgētio, & Ephrem Sanctis. Ex Sacra Scriptura. Ex Ecclesia Sancta. SCALA Cęlestis, vt fulgentius sermone de laudibus Mariæ, spes Patrum, vt S. Ephrem Syrus in Mesopotamia Doctor grauissimus. Sanctuarium semper sanctum, Sancta prius quam nota, Solium Dei, Sol Oriens, Sponsa Patris æterni, quia fuisti Mater sui filij, Scala Iacob, Sedes Dei, vt S. Methodius Martyr Episcopus Tyri, speculum sine macula, sanctuarium Dei, signum magum, stella maris duc nos ad desideratum libertatis portum. D

Ex S. Germano Constantinopolitano in Thracia. Ex Sacra Scriptura Ecclesia & Sanctis. THALAMVS in quo Verbum carnem humanam sibi desponsauit, vt Snctus Proclus, terror impiorum, tota pulchra, Templum cęleste, Tabernaculum ab altissimo sanctificatum, Tabernaculum gloriæ, terra a maledictione libera, Tronus Salomonis, Templum Dei animatum, vt Sanctus Germanus, Templum Spiritus sancti, Thus redolens, Thesaurus Dei, vt Methodius Martyr, Turris fortitudinis defende nos ne pereamus in hac misera Captiuitate.

Ex Sacra Scriptura. Ex Ecclesia Sancta, & ex Doctoribus Sanctis. VELLVS mundissimū cœlesti pluuia madens, ex qua Pastor ouē induit, vt S. Proclus, Vas nouū ab omni vetustate culpę alienū, Vrna aurea mannæ cælestis, Vas Dei, Vrbs fortitudinis, Vasculū dignissimū a primo Artifice fabricatū, Virga recta sine curuatione, Virgula fumi, Via Oriētalis per quā ingrediebatur gloria Dei Israel, Virga Aaron florida, Virga Iesse, Vas profundum humilitate, quæ ancillam te fecisti, Verecunda sermone, Vexillum fidei, Vena vitæ, Vas solidum, quæ tot tormentorum ictibus frangi non potuisti, Via salutis salua, & libera nos, & deduc nos in Patriam, & viam saluationis. E

S. Ambrosius. O Domina nostra si a te, (vt ait Ambrosius super Lucam) Iesus Christus filius tuus mun

A mundum redempturus operationem suam cępit, vt per te omnibus salus pararetur; ex ora eumdem filium tuum Redemptorem nostrũ, vt redemptionẽ mittat Populo suo, in afflictione clamanti, quẽ ipse redemit. Tu quæ vt ait Hieronymus in sermone tuę sanctissimę Assumptionis reddidisti cęlis gloriam, terris Deum, fidẽ gentibus, vitijs finẽ, vitæ Ordinẽ, & moribus disciplinã, nobis ẽt libertatẽ dona. Si cęlũ (vt ait filius tuus Bernardus serm. 98. imples, infernum euacuas, ruinas cęlestis Hierusalem instauras, miseris expectãtibus perditã vitam das. & qui te rogitat, nõ errat, qui te cogitat non desperat, qui te sequit non deuiat, quẽ tenes non corruit quẽ protegis non metuit, quem ducis non fatigat protege supplices tuos, & desideratam diu libertatem cõcedere non dedigneris. Virga vigilans Hieremiæ 1. vigila super deuotos tuos, & ad nostros clamores aures tuę pietatis accõmoda. Virga aurea Hester. 5. Qua extensa applacatur Rex Assuerus, extẽde manũ tuã, & applaca filiũ tuum, & ora eum, vt liberet nos ab hoc fętidissimo ergastulo, vt vinculis absoluti, te laudemus in ęternum. Per hæc Sanctissima nomina, & per multa alia, quæ de te Regina dicuntur, quæ propter eorum multitudinem enumerari non possunt, cęli enim stellas, & maris arenas lõge excedunt, te exoramus. vt miseris succurras, iuues Pusillanimes, refoueas flebiles, & pro nobis interuenias. Cuius Hispani Populi afflicti, & captiui suspirijs, singultibus, & clamoribus Pater misericordiarum, & Deus totius Consolationis, qui Consolatur nos in omni tribulatione nostra ad deuotas præces, & intercessionem Reginæ Angelorum Matris suæ aures suæ misericordiæ, & benignitatis inclinans, Redemptionem misit Populo suo, Ordinẽ nostrum, cuius Religionis Fratribus Christianos Captiuos redimẽdi onus incũberet. Ad quod admirandum, & excellens opus missa est Maria a Deo in Ciuitatem Cathaloniæ, cui nomen erat Barcinona ad Regem Iacobum, ad Petrum Nolascum, & ad S. Raymundum, de quibus diffuse Deo dante in sequentibus Capitulis agemus.

1218. S. Hieronym. S. Bernardus. Hieremiæ 1. Hester. 5.

Caput XI. De admiranda natiuitate Regis nostri Iacobi.

C INTER præcipuos memoria æterna dignos, & strenuos Aragonum Reges nõ infimum locum tenet Petrus eius nominis secundus, sed primus, qui Catholicus ob deuotionem, obedientiam, & reuerentiam ad Romanam Sedẽ, & ad Sũmum Pontificem, cui regnum suum censuale, & tributariũ constituit, cognominari meruit. Qui volens diademate regio & militari cingulo de Romani Pontificis manu insigni; ex Prouincia Prouinciæ. quæ est in Gallia discedens cũ quinq; triremibus, & copiosa Nauiũ multitudine, sui regni Prælatis, & Proceribus comitatus apud insulã inter portũ, & ostiam, quã vocãt Tiberinã mense Nouẽbr. An. Domini 1204. applicuit. De cuius felici aduentu Sũmus Pontifex Innocentius hujus nominis III. certior factus, nõnullos Cardinales, vrbis Senatorem, & multos alios nobiles, & magnates, vt Regi obuiã irent destinauit. Quem apud S. Petrũ honorifice fecit hospitari. Post tres vero dies Sũmus Pontifex In-D nocentius cum suis Fratribus Cardinalibus, & alijs Pręlatis, ac immensa Procerũ, & populi multitudine, ad Ecclesiam S. Pancratij Profectus est; ibiq; (Summo Pontifice præsente) Petrus Gallocia Patria Romanus, Episcopus Portuensis Regem inunxit.

Deinde Rex ipse obedientiã, & fidelitatẽ Sũmo Pontifici, & successoribus suis præstans, ab eodem Summo Pontifice magnis, & deuotis ceremonijs, & regalibus insignibus, videlicet manto, colobio, sceptro, pomo, & mitra, magno oĩum astãtiũ applausu coronari meruit. Post hęc reuersis cunctis ad Ecclesiã S. Petri, de manu Sũmi Põtificis militarẽ ensem Rex suscepit, & suscepta larga de manu Põtificis benedictione, post paucos dies ad ꝓpria Rex Petrus reuerti meruit. Hic est ille Rex fortissimus a Roderico Archiepiscopo Toletano valde in sua Historia cõmendatus, q Alphõso Castellę Regi, eius nominis VIII. in admirãdo bello, & diuina victoria, quã vulgariter de las nauas de Tholosa appellãt cũ strenuissimis sui re-E gni Proceribus magnũ attulit adiumentũ. Fuit de Religione Christiana benemeritus, & pluribus virtutibus exornatus, quas fędare solebat luxuriose nimis (vt Rex Iuuenis) cũ Concubinis viuẽdo. Duxit in vxorẽ Dominã Mariã de Mompeller, seu Mõte Pessulano Sãctissimã, & Religiosissimã fęminã, q̃ propter cõcubinas oĩno Rex contẽpsit, & attingere noluit. Quo Gubernatores, & Montis Pessulani Cõsules, ac totus Reginæ Principatus dolore afficiebantur magno; & continuas in Ecclesijs eius dominij fiebant orationes, & Processiones; quibus Rex aliquando interesse solebat, & interrogans Ecclesiæ Prælatos quare huiusmodi Processiones, ita frequentes in terris suis fierent, respondebant liberẽ ei, vt

1218. Dominus noster Iesus Christus mittat in cor Regis nostri, quod Reginam Dominam A
nostram diligat, & nos fidelissimi subditi hæredem ex ea videre mereamur. Qui-
bus dicebat. Bene facitis, sed fiet quod Deus volet. Rex in Principatu Cathaloniæ,
& Aragoniæ Regno moram cum sua regali Curia trahendo, inhonestam vitam cum
impudicis fœminis ducebat, & interdum Montem Pessulanum, non vt Reginam inuise-
ret, sed vt Principatum suæ curæ demandatum visitaret, proficisci solebat. Sed accidit
quod quadam die, per Ciuitatem deambulans oculos suos incaute in quandam Puellam,
pulchram nimis inijceret, cuius aspectu cępit Rex ex tempore amore ardere vehementi,
& modis omnibus eam ad suam trahere voluntatem intentauit. Ipsa vero quæ honestissi-
ma erat, ob suam seruandam pudicitiam Regem terræ, & plurima dona sibi oblata, & pro-
missa viriliter contempsit. Rex vero ob repulsam, minime animo consternatus spem
ea fruendi numquam amittebat, & vt ad minus posset venusto eius potiri aspectu, sæpius
quam antea Montem Pessulanum vestibus prætiosis expolitus, & ornatus frequentabat; B
quod licet Rex, vt subditorum euitaret scandalum occultare, & dissimulare niteretur;
non potuit non ad subditorum deuenire notitiam. Vnde Consules, & nobiles Ciuita-
tis magnam in indagando quis esset, cui Rex in venereis rebus fideret adhibuerunt curam.
Tandem fuit eis nunciatum, quendam nobilem, & fidelem Virum, gratia apud Regem
plurimum valentem esse Regis in libidinis negotijs Nuntium, & Secretarium, & Aduo-
cato dixerunt ei. In manu tua est nostra, & totius Regni salus. Vnde si quod Secretò tibi
imponere volumus, opere compleueris non solum gratum Deo, & vniuerso Regno ne-
cessarium perficies opus, verum etiam te felicem, & vnum ex principalioribus plurimo-
rum bonorum possessorem constituere pollicemur. Quibus respondit; quodcumq; facinus
etiam difficile, cum euidenti propriæ vitæ discrimine propter honorem Dei, & Reipubli- C
cæ vtilitatem aggrediar; dummodo fidem Domino meo Regi a multo tempore datam, &
numquam fractam non fallam. Qui subiunxerunt ei, non contra Regis honorem, de-
cus, & fidem, nos qui etiam veri, & fideles subditi eius sumus, opus a te (Deo adiuuan-
te) perficiendum committimus; Absit a nobis talia cogitare; sed tam Domino nostro
Regi, quam Regno valde necessarium esse affirmamus. Quibus dictis, partibus de celan-
do hoc negotio iuramento abstrictis senior, & antiquior ex Consulibus sic ad eum locutus
est. Notum est tibi Reginam nostram esse vnam ex sanctioribus, & honestioribus, ac me-
lioribus fœminis totius orbis, cuius virtutum rumor longinquas etiam Regiones pene-
trat, & replet; quas nos prope contemplantes colimus, & admiramur. Solus Dominus
Rex illicitis amoribus mancipatus, eam iniuste contemnit, & cum ea maritalem vitam D
ducere recusat. Quod licet Reginæ propter suam honestatem minimum curæ sit; hoc
tamen in totius regni, & dominij damnum cędit; nam si Regina extremum sine hærede
clauderet diem, plurima sequerentur bella, essetq; nostra Pernicies. Ad nostram igi-
tur deuenit notitiam te plurimum apud Regem valere, qui hisce diebus, vt ex euiden-
tibus signis colligere potuimus amore cuiusdam fęminæ ciuis nostræ vehementer ar-
det; dic ergo Regi quod eam allocutus, tua industria, & pollicitationibus obtinuisti,
quod Regis voluntati consentiret; hac apposita conditione quod a nemine hoc sciatur,
neq; lux in regio cubiculo reperiatur, quod Regi gratum proculdubio erit. Et quando
Rex iaceat in suo lecto, & omnes Cubicularij, familiares, & famuli ad sua se referant cubi-
cula, venies ad nos, qui in hac consilij, & Ciuitatis domo simul congregati te expectabi-
mus; videlicet duodecim Consules, duodecim Magnates ex nobilioribus eius Principa-
tus, Vicarius Generalis Episcopi cū duobus Canonicis ex dignioribus maioris Ecclesię, qua- E
tuor Religiosi Sāctimonia, exēplari vita, & fama cōdecorati, Regina nostra cū duodecim ho
nestis, & nobilibus virginibus, & demū duo publici Notarij meliores, q reperiant̄ i Ciuitate;
& tā Viri, q̄ fęminę Cęreos in manibus suis deferēt, in Regis cubiculo, suo tpe accendēdos,
& te ductore, pedetentim, & passim domū Regiā intrabimus oēs, & in occultū locū nos re-
cipiemus. Sola vero Regina ad Regem suam esse dilectam extimantem a te introducetur,
deinde claudes ostiū, & tūc oēs nos Cæreos accēdemus, & orōni vacātes totā noctē, q̄ modo
tpe æstiuo breuis est consumemus. Prima tñ diei aduenięte luce ostiū aperies, & nos oēs Cę-
reis accensis ad Regē simul intrabimus; & Deus iustus, & misericors auxiliū suū præstabit
nobis, & Regina nos defendet. Quo sermone attēte audito cū Regius Cubicularius aīaduer-
teret omnia hæc esse ad Dei honorem, & Regni vtilitatē directa; voluit libēter suis humeris
hāc Prouinciā imponere. Et sic Cōsulū, & Gubernatorū iussa se adimpleturū respōdit, &
promisit, quæ stabilita fuerunt quadā die Sabati mēsis Maij 1202. die sequenti Dominica
omnes

A omnes Præfati Domini, in eadem Ciuitatis domo congregati, attendentes orationem, vt ait Sanctus Augustinus Deo esse sacrificium, & orantibus auxilium, & similiter illud diuinissimum Missæ sacrificium, per sacerdotes quotidie oblatum, non solumesse laudis, & gratiarum actionis pro sacrificio in ara Crucis per Christum peracto; sed etiam esse (vt fides docet,) propitiatorium & illis prodesse pro quibus offertur, & pro necessitatibus quotidie emergentibus, & denique attendentes Angelorum Reginam esse eiusdem Ciuitatis specialem aduocatam, cuius nomen fuerat Reginæ cum ipso nutricis lacte impositum; decreuerunt omnes quod incipiendo a die sequenti lunæ vsque ad Dominicam in omnibus Ciuitatis tàm secularium, quàm Regularium, & monialium Ecclesijs, & in alijs Reginæ dominij oppidis, q̃bus notũ fieri posset, oratio continua indiceretur, & per eos septem dies ad laudem septem gaudiorum eiusdem Virginis Mariç in singulis Ecclesijs, singulæ cantarentur Missç. In Ecclesijs vero Dominæ nostræ de Valuerde, & Dominæ nostræ de las Tablas quas Populus ob deuotionem ad Virginem, magno concursu frequentare solet; plurimæ pro hac re grauissima cantarentur Missæ; (omnibus Deum per intercessionem suæ purissimæ Matris suppliciter pro huius rei felici, & prospero euentu, & pro Reginç, & totius Regni hærede incessanter orantibus.) Et similiter fuit ab Episcopo impositũ omnibus, & singulis non infirmis, aut impeditis in pane, & aqua ieiunium, & quod die Dominica oẽs nobiles, & ignobiles Diuites, & Pauperes ad Ecclesias plurimis luminibus illustratas oraturi se conferrent. Ijs sic prudenter, Sancte, & recte ordinatis, & dispositis ad Reginam Consules accesserunt, eamq; de omnibus his, quæ in generali conuentu in ædibus Ciuitatis habito, statuta fuerant certiorem fecerunt, humiliter ei supplicantes, vt pro totius Regni, & Principatus bono, & suorum subditorum tranquillitate, ea omnia rata haberet, suumq; consensum præberet. Quæ respondit eis; non me latet vos omnes esse meos fidelissimos subditos, & consilia vestra, matura deliberatione habita fore mihi, & vobis valde vtilia, sed quomodo fiet istud, quomodo quęso inter tot Personas poterunt hęc omnia secreto agi? dubito ne ad Domini mei Regis notitiam deueniant, & indignatus vos castigari iubeat. Tunc Responderunt ei; ea quæ ad Dei honorem, & ad omnium nostrum, & totius dominij vtilitatem ordinantur, etiã si inter plures tractentur, cum de vniuscuiusq; re agatur, secretò proculdubio fieri possunt. Ne igitur dubites Domina nostra, sed tuum lętanter consensum præbere non dedigneris, a quo cuncta nostra salus dependet. His dictis Regina respondit; fiat mihi secundum Verbum vestrum. Quo responso, gaudio incredibili repleti omnes discesserunt. Die statuta Dominica circa tertiam noctis horam venit ad ædes Ciuitatis præfatus cubicularius, & Regius familiaris, & inuenit omnes prædictas Personas ordinate dispositas suum iucundum aduentum expectantes; qui dixit eis; Rex noster bonus in cubili suo omnibus extinctis luminibus suam dilectã maximo desiderio expectat, meq; vt cito, secretò, & sine rumore eam ad eum introducam festinanter destinauit. Non D est igitur amplius hic immorandum, quia Regalis Curia, & omnes a maximo vsq; ad minimum, cubitum abierunt. Tunc Vicarius Episcopi dixit; In viã pacis dirigat nos Dominus, & suis Angelis nos Comitantibus gradus iungamus. Et intrantes domum Regiam, neminem inuenerunt, & sic potuerunt omnes non longe a Regis cubili se abscondere. Cubicularius introduxit Reginam in Regis cubile dicens; ecce Domine mi Rex impletum est desiderium tuum, affero tibi hanc puellam pluribus virtutibus exornatam, ob quas pro comperto scio meritam esse, vt eius sis semper memor, & vt a te cohonestetur dignissima, nam regio sanguine nata a die qua te prospexit, tuo amore languet, quem intimum animi sui affectum sua verecundia, & magna modestia occultare, & dissimulare semper appetijt. Modo vero obsecrãta huc ad te læta venit, non propter libidinem, aut regias diuitias a Concubinis, & impudicis fęminis auide expetitas, quas vt stercus contemnit; sed sola hac expe- E ctatione alata (vt colligere potui) quod si in hac nocte ex hac coniunctione grauida remanserit, & deinde filium pepererit, se iactare, & gloriari possit, filium ex suis visceribus, & ventre natum, esse filium Regis Aragonum. Hoc est eius desiderium, da igitur operam, vt adimpleas voluntatem eius quod Reginæ nostræ, quæ hucusque filium haud genuit, proculdubio non displicebit. His dictis clausit ostium, & reuersus ad Consules, & reliquos consolatus est eos. Et accensis Cereis orare cæperunt, quod similiter in tota Ciuitate fiebat, imò ea nocte fores omnium Ecclesiarum Ciuitatis, & oppidorum vniuersi Principatus apertæ erant, & in eis oratio continua, sine intermissione fiebat. Adueniente Aurora, & aperto Regis cubiculo ingredientes omnes Cereos accensos in manibus gestantes Regem in lecto, & Rginam in latere eius inuenerunt.

1218. *S. Augustin.*

1218. Quo Rex stupefactus, & attonitus prosiliuit a lecto, & iam timore abiecto, & furore plenus, qui erat magnanimus, & Dux strenuus, accepto ense vociferando dicebat proiectus sum in fraudem, o magna, & in audita subditorum meorum proditio, me Proditores inhonorare, in verecundiam incidere, & Cereis accensis cum meo magno dedecore adulterium meum quod celare vt boni, & fideles subditi tenebamini, notum facere non erubuistis. Væ illi per quem hoc scandalum venit, quem fauoribus sum prosecutus, & ex puluere ad meam gratiā erexi. Tunc oēs, vt Regis iracundi, & furore pleni indignationem, & mortem fugerent (erant enim inermes) genua sua misericordiam, & gratiam petentes flexerunt. Et nobilior ex eis Regem sic allocutus est; quod nos serui tui, & fideles famuli hisce diebus fecimus in gloriam Dei, in tuæ magestatis famulatum, & decorem, & totius Regni vtilitatem absq; dubio cedet. Et vt hoc certe scias, & ne Proditores esse cogites, aperi oculos tuos, & respice tuam veram dilectam, cū qua hac nocte dormisti. Tunc Regina erexit caput suū, & Rex suam coniungem esse agnoscens opus laudauit. & Consulum, & magnatum fidelitatem, & zelum commendauit, & gratias egit Deo. Tunc Consules, Iurati, & Consiliarij imposuerunt Tabellionibus, vt omnium quæ gesta erant plura in forma authentica conficerent instrumenta, quod scribæ statim, diem, & horam, mensem, & annum exprimentes opere compleuerunt. Duodecim illis virginibus, vt per nouem mentium spatium, nunquam a latere Reginæ discederent, sed ei semper præsentes assisterent iniunxerunt. Sed placuit Altissimo a quo omne datum optimum, & cuncta bona procedunt; quod nouem decursis mensibus circa dimidiam noctis horam, prima Februarij die, vigilia Purificationis gloriosissimæ Virginis Mariæ; Regina Maria suum pareret Primogenitum pulcherrimum filium, Ann. Domini 1203 vt Constitutiones, & Breuiarium antiquum nostri Ordinis, & nostri Auctores constanter affirmant (licet alij externi, & Hispani Ann. Domini 1207. eum fuisse natum dicant.) Plurimi grauissimi Auctores agunt de Natiuitate, vita, & gestis Serenissimi Regis nostri Iacobi Religionis nostræ Institutoris præsertim Dominus Raymundus Muntaner Auctor antiquissimus, qui seruiuit eidem Regi, & eius filijs, & sic omnium in sua Chronica contentorum idomate vetusto Gotholano scripta, fuit Veridicus Scriptor, & testis oculatus, a quo Auctore plurima in hoc vndecimo Capite contenta deprompsimus.

Raymundus Muntaner.

Cap. XII. Qualiter Regina Maria puerum suum præsentauit in Templo, de nominis impositione, periculosa educatione, detentione, liberatione, & Pueri coronatione.

REGINA Maria, (vt vidimus) peperit filium suum, & pro singulari dono immortales Deo, eiusq; purissimæ Matri gratias egit. Ciuitas magno iubilo, gaudio & lætitia plena est vniuersa, imo deinde in cunctis Ciuitatibus, & locis Regni, & Dominij sui spirituales, & mundanæ fiebant solemnitates. At Regina ne ingrata tanto beneficio videretur esse; filium suū sericis. & pretiosis inuoluit pannis Et aduentāte iam die Sanctissimę Purificationis, quando Virgo Maria filiū suum vnigenitū præsentauit in templo; voluit similiter ipsa filiū suum recenter natum Deo, & Virgini Mariæ offerre, & præsentare. Sed accidit non sine speciali Dei ordinatione, & gratia, (quod deferentibus infantulum vnius diei, & Ecclesiam Dominæ nostræ de Valuerde ingredientibus) Clerici in Choro horas matutinas solemniter decantantes, & nihil de aduentu Principis cogitantes intonare inciperent, te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Ex inde post gratiarum actionem abierunt ad aliam Ecclesiam Sancto firmino dicatam, & eodem tempore quo Ecclesiam intrare incipiunt, Clerici, qui similiter matutinas horas in choro cantabant, nulla de infantuli aduentu habita notitia Canticum Zachariæ psalere incęperunt dicentes; Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit. & fecit redemptionem plebis Suę Quasi Vaticinari, & Prophetare volentes natiuitate eius Pueri Dominum nostrum Captiuorum afflictorum suspiria exaudisse, eos visitasse, & fecisse Redemptionem plebis suę. Quæ omnes in stuporem, admirationem, & in maximam deuotionem venire fecerunt. Et Regiam domum reuersi, quæ audierant, & proprijs oculis prospexerant Reginæ nunciarunt, & omnes cognati eius, Proceres, & Magnates, & cuncti Populi congratulabantur ei, & benedicebant Deum in omnibus operibus suis. Post paucos dies cęperunt Parentes, & Cognati de nomine Puero in baptismo

im-

A imponendo inter se cogitare, & conuenientia inter eos reperiebatur nulla. Rex enim volebat, quod in gratiam Patris sui, Alphonsus appellaretur. Cognati vero morem Regi gerere volentes nequaquam (inquiunt) sed vocabitur Petrus. Sola vero Sanctæ Reginæ sententia præualuit, in hæc verba prorumpentis. Si fætus ex me prodigiose, & admirandis signis natus, & in templo præsentatus fœmineus esset; vellem ob reuerentiam, & nimiam deuotionẽ, quam a teneris annis ad virginem gero, quod Mariæ nomine appellaretur, sed quia placuit Altissimo hæredem masculum nobis concedere, vehementer exopto propter deuotionem specialem, quam similiter ad Sanctos Apostolos habeo, quod alicuius Apostoli nomen filio meo imponeretur, si domino meo Regi placeret. Cui Rex gratissimum sibi fore respondit. Sed cuius in particulari Apostoli nomen a Regina exprimi, & in medium adduci, tam Rex, quam omnes astantes magno animi affectu, & desidio expectabant. Ipsa vero inquit, in nominis filij mei impositione, sicut in reliquis Cœlestem voluntatem, & nostram media B oratione implorandam esse consonum iudico. Et sic duodecim cereos nimis albos eiusdem magnitudinis, ponderis, & crassitudinis fieri, & afferri præcepit. Quorum singulis, singula Apostolorum nomina fuerunt scripta, & super altare facelli Regij positi, a duodecim Personis eodem tempore accensi sunt. Et Regina vouit, quod illius Apostoli filio suo nomẽ imponeretur, cuius cereus diutius perduraret. His sic ordinatis, & dispositis, & orantibus omnibus, placuit Deo Cereo Sancti Iacobi Primi inter Apostolos Martyris, & Hispaniarum Patroni dare victoriam; qui alijs vndecim extinctis, & totaliter consumptis solus ipse accensus superdurauit, & litere, seu nomen quod in extrema ipsius Cerei parte erat descriptum, adhuc clare legebatur, & per aliquod temporis spatium Cereus lumen dedit. Et sic Infans nominatus est Iacobus eius nominis primus. Quibus diuulgatis, magis, ac magis mirati sunt vniuersi, & posuerunt omnes, qui audierant in cordibus suis, dicentes quis putas Puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo, nam prodigiose natus, admiran- C do modo in templis præsentatus, & diuinitus Hispaniarum Patroni nomine appellatus mirabilia operabitur in vita sua.

1218.

Quatuor Sanctis veteris testamenti legimus fuisse diuinitus per Angelum imposita nomina, videlicet Ismaeli, Isaac, Sansoni, & Ezechiæ. Et in testamento nouo duo alia nomina de cœlo data scripturæ Sacræ testantur, Ioannes scilicet, & Iesus; quorum interpretationes, & significata in hoc puero nobis nato, & nobis dato adimpleta videntur. Ismael nihil aliud est quam exauditio Dei, Isaac risus, Sanson nominis itineratio, Ezechias fortitudo Dñi, Ioannes gratia, & Iesus Saluator, & Redẽptor interpretatur. Fuit hic Puer, vt Ismaelis nomen significat ad præces Seruorum, & subditorum suorum in lucem editus, supplicationes enim Populi sui exaudiuit Deus, & miseratione commotus Regem, & Regni hęredem Populo suo valde desideratum dare dignatus est. Cuius gloriosa, & admiranda Nati- D uitas fuit cum Isaac Populo suo Risus, & lętitia, quia in natiuitate eius gauisi sunt multi. Et in nominis impositione fuit cum Sansone nominis itineratio, & profectio eo quod non prope, neq; a propinquis, neq; ad eorum nutum, & libitum (vt de more nomina imponi solent) sed de longinquo, & de Cęlo delatum, & datum est illi nomen. Et factus Vir, tanta in eo cum Ezechiele Dei fortitudo reperiebatur, vt de Inimicis suis Saracenis gloriosus, & victor semper remanserit, vnde cognomento Debelator, & in bellis fortunatus appellari meruerit. Ioannis similiter gratia in eo replenduit, non solum in anima plurimis donis gratuitis plena, qui Angelorum Reginam, (vt cito dicemus) cernere meruit; verum etiam in corpore, de quo dicitur, quod erat formosus, & pulcher nimis, pluribusq; naturalibus bonis, & donis condecoratus. Et adeò fuit Procerus, quod sicut alter Saul in medio exercitus collocatus, altior cunctis ab omnibus respiciebatur, & agnoscebatur. Fuit demũq; vt E Dominus noster Iesus Christus Populi sui Saluator, & Redemptor ordinem nostrum de Redemptione Captiuorum fundando, & de Saracenorum potestate quatuor Regna eripiendo.

In sua educatione non pauca discrimina, & euidentia mortis pericula euasit; nam Dominus Gulielmus Pueri Patruus, & Reginę Marię Frater, natu minor Principatum Mõtis Pessulani, & dominium affectabat, sibiq; de iure deberi eo quod esset masculus pręrendebat. Sicq; modis etiam illicitis hoc dominium habere, & Iacobum Principem Principatus hęredem de medio tolere hoc perpetrato scelere procurauit. Quadam die supra cubiculum regium, foramen secreto fieri iussit in illa parte, ex qua lapis deiectus Puerum in lecto offendere posset. Et omnibus somno deditis, lapidem grandem pendicule riter super iniecit, cuius ictus (Puero in tacto) cunabula vbi iacebat elisit. Quo rumore experrecti omnes,

1218. nes, & timore, ac stupore repleti sunt valde. At Parentes eius Deo Opt. Maximo Puerorum A
Exod. 2. Custodi, & Tutori, filium suum in cunis sicut Moysem in Fiscella Exod. 2. liberanti, & protegenti gratias egerunt; & diligentiorem quam antea in educando vnico filio curam se adhibituros proposuerunt, & inter mille Simoni Comiti Montis fortis electo, filium in Dei timore, & bonis moribus instruendum tradiderunt. In cuius potestate euidentissimum mortis periculum vix Puer euasit, nam Comes contra ius, & contra promissionem Parentibus Pueri datam, quod libere ad simplicem nutum, & eorum voluntatem Puerum consignaret, & traderet eis, procurauit modis omnibus, vt Princeps Iacobus Magni Regni, & ditissimi dominij vnicus hæres, & Rex futurus filiam suam in vxorem duceret. Et cum ambitiose nimis hunc posteritati suæ honorem indebite ambiret, rogatusque, & requisitus a Rege Petro Pueri Patre filium in puerili ætate Constitutum, contra Parentum voluntatem, matrimonio constringere intentaret; Regis voluntati, & iussis acquiescere obstinate semper renuit, Puerum in bona, & maiori quam antea custodia tenendo. B Qui licet a Parentum suorum blanditijs, & illecebris, quibus vtpote vnicus, & dilectus filius, frui solebat, alienum se contemplaretur, & vitam in mærore afflictam duceret; Comitis Præceptoris, & Nutritij sui voluntati viriliter restitit, in qua honesta Captiuitate, rerum diuinarum cogitatio ipsum non parum confirmabat, & luctum leuabat. Et sic dicebat in corde suo: si ego Princeps, qui Parentes habeo Reges, & honeste detentus, & ab omnibus honoratus delicatis cibo, & potu recreatus, parum solatij, aut nullum in hac mea iniusta detentione habeo, quæ consolatio poterit esse miseris Captiuis, in dura Saracenorum potestate detentis, catenis ligatis, fame, & siti afflictis, & ab omnibus, opprobrijs, & iniurijs, afflictis? Faxit Deus quod libertati restituar, nam promitto suæ diuinæ maiestati eiusq; sanctissimę Matri Sarracenos, & fidei Catholicæ Inimicos me insecuturum, & miseros Captiuos de eorum manibus Erepturum. Hæc & alia similia Puer Iacobus in eo statu dicere solebat. Sed accidit quod hoc eodem tempore Comes Tholosanus aduersus C Comitem Montis fortis Principis Iacobi detentorem bellum mouens, legationem ad Regē Petrum mitteret, suumq; regium auxilium imploraret, & peteret, quod Rex, vt hac occasione filium suum de potestate Comitis eriperet, & facilius liberaret, dare non distulit. Imò in auxilium Comitis Tholosani, ipse cum suo exercitu personaliter venit, & Simonem Comitem deuicit, ac eius exercitum fugauit. Quo non contentus, volens vltimam manum, & bello omnino finem imponere, Gallos fugientes, incaute, & veloci cursu, ac de victoria gloriosus insecutus est; sed dum longe a suis digreditur, fugientes Galli conuersi, & Regis a suis discessum aduertentes constiterunt omnes, vires reassumpserūt, & insecutorem Regem circumuenerunt. Qui cum se victum pro animi sui magnitudine fateri nollet, & se eis tradere recusaret, statim occisus est. Cuius infelix obitus fuit amarè valde in terris suis, & in statu Ecclesiastico comploratus. Nobiles deinde, & Regni Proceres, & D totius Dominij Magnates sæpe a Comite, Iacobum Principem repetiuerunt, sed obtinere non valuerunt; timebat enim Comes quod Princeps Iacobus libertati restitutus, & Rex iuratus Patris sui mortem vlcisci vellet. Ob id communi consensu, & consilio, Eximium Cornelium, Gulielmum Ceruarium, Petrum Haonium, & Magistrum Religionis Templariorum, nomine Regni Aragoniæ, & totius Principatus, & Dominij, Magnates, & Consiliarij Romam destinarunt, Summo Pontifici humiliter supplicantes, quatenus Comiti Montis fortis præcipere dignaretur, vt Principem Iacobum contra ius, & indebite detentum libertati donaret. Qui quatuor Oratores feliciter suum expleuerunt munus, & inter alia Summo Pontifici mortem infelicem Regis Petri ab eodem Summo Pontifice Coronati, de religione Christiana benemeriti significarunt. Quorum supplicationibus Sanctissimus inclinatus Petrum de Mora Beneuentanum, Diaconum Cardinalem Sancti Angeli, suum E Apostolicum Legatum in Iudicem deputauit. Cuius sagacitate, Solertia, & Prudentia, Simon Comes Iacobum Principem liberum, & incolumem, Apostolico Legato tradidit. Qui Cardinalis (ad sedandas, & componendas lites, ac scandala euitanda, quæ oriri poterant, quorum nonnulla vestigia iam apparebant, quæ Comes Sanctius, & Infans Ferdinandus, Iacobi Principis Patrui ad regnum aspirantes suscitauerant) habuit, & celebrauit Cōuentū, atque Consiliariorū cætū in hilerdæ Ciuitate coadunari iussit. Vbi Aspargus Abarca Genere nobilissimus, Iacobi Cōsanguineus, Archiepiscopus Tarraconēsis, accepit Principē in manibus suis, illūq; Patribus, & Dominis, ac vniuerso Populo Præsentibus ostēdit, & ab oībus ad quos attinebat (nemine discrepante) fuit Rex Iuratus, acclamatus, & habitus.

Ca-

Caput XIII. Angelorum Regina apparet Regi nostro Iacobo, vt Ordinem fundet pro redimendis Captiuis. 1218.

A IACOBVS igitur pacifice ab omnibus Rex, & vniuersalis Dominus in Regno,& dominio suo habitus, suæ præteritæ Captiuitatis memor, & miseriæ quam in ea degustauerat non immemor, vt Vir Christianus, magnanimus, & excelsus, quod tunc ad Dei honorem, & animarum salutem proposuerat, modo liber, & potens adimplere decernens; ad opprimendos, & euertendos Sarracenos, & de eorum manibus miseros Captiuos eripiendos, tum interiorem, tum exteriorem hominem ad instar Principum, & Ducum Israel occupare nititur. Vt deuotus Princeps cum Maria ad pedes Domini prouolutus, & postratus, Deo eiusq; purissimæ Matri præcibus continuis per singulos dies hoc negotium commendabat; et vt solicitus Imperator, & Dux strenuus, de Captiuorum redemptione cum Martha anxius, bellum patenter in Mauros inferre decernebat. Quod sibi cogitanti Nuncius est delatus, quorundam merè secularium hominum reperiri societatem, a nonnullis retro annis in suo dominio inceptam,
B Captiuorum Redemptioni operam nauantium. Quorum superior erat nobilis, & locuplex Vir, fortunæ bonis affluens, nomine Petrus, cognomento Nolascus, natione Gallus, Barcinonæ municeps, magna charitate accensus,& fidei Christianæ propagandæ zelo pręstans. Qui in redimendis Captiuis eos personaliter liberando, suas diuitias, & facultates erogabat, & labores plurimos, ac incommoda libenter substinebat. Quem superioribus annis, & hac nostra tempestate fuisse imitatū vidimus Patrem Contreras natione Hispanum, Sacerdotem secularem Sanctimonia præditum, ex Prouincia Bæticæ oriundum, famosissimum Captiuorum Redemptorem, qui plures Redemptiones Personaliter fecit, ac plures in eis redemit Captiuos, cui vt refert Villegas non fuit dissimilis Pater Sandoual *Villegas.* famosus etiam nostræ ætatis Redemptor Captiuorum. Redeamus ad nostrum Iacobum Regem, qui eo Nuncio lætatus est vehementer, quod in suo Regno reperirentur homines his charitatis operibus dediti. Et aduocatum Petrum Nolascum ad Præfatum Redemptio-
C nis munus suo fauore,& facultate in amplissima forma concessa, ac suis ingentibus Eleemosynis hortabatur, adducebat, & excitabat, non sine suasione, & cohortatione Sancti Viri Raymundi de Penia forte Canonici Ecclesiæ maioris Barcinonæ, qui amborum Confessiones audiebat. Hic Sanctus Confessor, & Doctor ægregius dignitatum, fauorum, & diuitiarum huius sæculi mirificus propter Dei amorem Contemptor, ad regios honores, & ad Petri Nolasci opes minime aspirans, eorum Confessiones audiendo, aut cum eius loquēdo quando ascitus, & Aduocatas Consilium daturus accedebat, non leniter, & blande aures eorum demulcebat, aut eis blanditias (sicut Regum, & Magnatum Adulatores facere solent) dicebat; sed magna animi constantia, & libertate (sed cum modestia, quæ Sacerdotem decet) Populi patefaciebat, & arguebat errata,& malefacta, vt Rex ea emendare curaret. Et intrinsico sui cordis dolore, cum lacrymarum fonte, cruciatus, miserias, & animarum corporumq. discrimina, in quibus afflicti Captiui versabantur Regi significabat,
D & circa eorum redemptionem magnam Principum negligentiam grauibus verbis increpabat, & quam acceptum, & meritorium apud Deum, & homines esset Captiuorum Redemptionis opus, ex plurimis Scripturæ Sacræ locis, & Patrum sententijs deducebat, & probabat, & ad perseuerantiam eos incitabat; ita vt suis verbis accensi, & inflammati non solum Nolascus Redemptionis Captiuorum opus auidius exerceret, & continuaret, & illud Rex largiori manu adiuuaret, verum etiam ambo in suis cubiculis Deum,& Virginem Mariam, & alios Sanctos præsertim Ciuitatis Patronos pro Captiuorum liberatione feruentius quam antea orarent. Dum hæc Sanctissima, & saluberrima opera palam fiunt in terris, & in abscondito, & secretò orant, Pater cęlestis, qui videt in abscondito exaudiuit eos, & Mercedem reddidit eis, Ordinem scilicet de Mercede Redemptionis Captiuorum hoc admirando modo fundando.

Calendis Augusti prima mensis Sancto Petro ad Vincula dicata, Anno Domini 1218. 1218.
E Quando Romana Ecclesia cum filiabus suis Sacris illis Vinculis, & Catenis, quibus Princeps Apostolorum Petrus vinctus fuerat, honorem magnum anniuersaria celebratione habere solet; Angelorum Regina, q̄ soluit vincla Reis fuit (vt diximus) a Deo missa in Ciuitatem Barcinonæ ad Præfatum Regem, supernorum spirituum cœtu, & plurimorum Sanctorum comitata caterua;& inter eos S. Iacobi Hispaniarum Patroni, Sanctorum Cucuphatis, seueri, Paciani, & Eulaliæ eiusdem Ciuitatis Aduocatorum. Et hoc Sanctissimo,& nobilissimo

1218. lissimo Comitatu Regina intrauit ad Regem, & cubiculum eius suo splendore illustrauit, A lucidũq;, ac splendens sicut solem in medio die reddidit. Et accessit ad eum, qui post solitas vigilias, orõnem, & præces aliquantulũ requiescebat, & hac insolita claritate, ac noua, & admiranda luce, nũq̃ ab eo visa, & similiter sonitu, & leniori strepitu experrectus, turbatus est, & timuit valde, ita vt os suũ aperire non posset. Sed cũ tantisper siluisset, statim interius cõfortatus, & ad se reuersus, hunc qui sequitur protulit sermonẽ. Quæ es tu, quæ venisti ad me hac insolita hora, clausis domus, & cubiculi ianuis? sed vt video, & cor meũ multis exagitatum motibus ardẽs est in me, magna es tu, & magna est dignitas, & virtus tua, indica ergo mihi causam tui aduẽtus. Ego sum (Maria rñdit) illa Virgo, quæ sola merui ex meis purissimis visceribus mũdi parere Redemptorẽ Deũ, & hominẽ; a quo missa sum, vt te instruã, & doceam in quibus in vita tua te versari oporteat. In primis considera fili mi quod nomina aliquibus diuinitus imposita quodam speciale donum gratuitum a cœlo datum significant ab eis exercendum. B Abrahæ meus Pater cœlestis dixit; appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constituo te. Et meo purissimo filio in sua prætiosa Circumcisione fuit a Deo Patre nomen Iesus impositum idest Saluatoris, & Redemptoris, quia oẽs erat Saluaturus. Sic ergo tibi fili mi speciali dono, & diuino Consilio hoc tempore Populo Hispano in Sarracenorum potestate detento nomen Iacobi impositum est, vt huius Apostoli Hispaniarum Patroni sequaris vestigia, qui suis præcibus intercedendo, interpellando Hispaniam tutatus est. Et dum hac communi luce fruebatur in Ciuitate Cæsaraguftæ regni tui, templum vbi vsq; in præsentem diem color, in honorem meum ædificauit. Et denique hic Apostolus filius meus Ranimiro primo Castellæ Regi apparens, eum confortauit, & victoriam insignem de Sarracenis reportare fecit. C Cuius rei causa institutus est Ordo, qui hunc Apostolum Patronum, & Institutorem agnoscit, cuius Religiosi Crucem gestant in candido pallio. Sic tu in his omnibus huius Apostoli imitator effectus, eius vestigia sequi te oportebit. Eris Populi Hispani defensor, & ego dico tibi quod contra Sarracenos bellum mouendo victoriam reportabis, & regna, Ciuitates, & loca plurima ab Inimicis eripies; in quibus in honorem meum templa extrui, & ædificari, ac consecrari curabis. Memento fili tuæ Captiuitatis, quam paucis ab hinc diebus passus es, & quanto sit libertas æstimanda, & sic ex Captiuorum Christianorum miseria tuo corde anxius esto. Et deniq; voluntas Dei, & mea est, quod in hac tua Ciuitate Ordo Fundetur meus, qui Captiuorum Redemptioni semper sit intentus, & hoc ad imitationem filij mei charissimi, & in honorẽ meũ, quæ sum eius vera Mater; quos iuxta Simeonis Prophetiam pro Generis humani liberatione accutissimus pertransijt gladius. Ego enim pro salute, & generis humani Redemptione filij mei acquieui morti, imo pro eadem salute mori, & filij mei in Cruce Comes esse, ac lateri eius hærere eram parata; sed suæ diuinæ Maiestati in maiorem erga Genus humanum, sui diuini amoris significationem, me dimittere placuit. D Sic huius Ordinis in charitate fundandi Fratres Religiosi meum filium imitantes suas animas pro fratribus suis ponere debent. Et quia ad hoc de cœlo personaliter in mundum veni, vt Fundetur Ordo iste meus, mea voluntas est, quod Titulus eius sit (Ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum) & insuper in honorem meæ puritatis fratres, & filij mei vestes omnino albas semper gestare debeant, & Cruces similiter in pectoribus suis in loco patenti fidem Catholicam palam profitentes. Hæc est diuina voluntas, & cæleste Decretum, tu esto eius Ordinis Fundator, (& dum vita fuerit tibi Comes) Patronus, & Protector; & post mortem tuam Successores tui. Lingua enarrare, & exprimere non sufficit, quanto tunc lętitię gaudio, Rex postquam hæc audiuit perfusus remansit, & alacriori intus corde delectatus, præ nimia lætitia, deuotione, & reuerentia, hoc singulari munere donatus, & fauore affectus, lacrymas suspirijs commiscendo, & fundendo, genuflexus in terra hæc quæ sequunt protulit verba. E Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me; Puer sum ego, & in laboribus a iuuẽtute mea inscius, & ignarus, & tantam Prouinciam meis debilibus imponẽdi humeris incapax, & indignus, nisi tu cœli Regina manu tua potenti adiuuaueris me. Sed quis poterit tuæ (o Domina mea) resistere voluntati. Libenter igitur assentio, & qđ præcipis, & a me petis, continuo præstabo, nam tu quæ dedisti incipere, dabis & perficere. Nihil (subiunxit Virgo) dubites fili, nam sufficit tibi gratia mea. His dictis Angelorum Regina ab oculis eius euanuit. Rex autem totam illam noctem in diuinis contemplationibus, & laudibus insomnem duxit. Solent nonnulli in hac parte hæsitare, & in ambiguo versari, dicentes quomodo hæc quæ de Regis Iacobi Captiuitate, de eius Pueri animi constantia, importunis sui Nutritij, & iniusti detentoris præcibus viriliter resistendo, de eius

Gen. c. 17.

A eius deuotione, mentali oratione,& alijs virtutibus,quę de eo circumferuntur, & narrātur, veritatem habeant; cum hoc Anno 1218. quando noster Ordo Institutus est; Iacobus tātum qu...cim habebat annos, vt in breuiario antiquo,& historijs,& auctoribus nostri Ordinis, imo Hie... ...mus Zurita diligens, & veridicus historiographus refert in suis annalibus Regē nostrum Iac... ...quando hoc anno nostrum Ordinem fundauit vndecim solum habuisse Annos, Anno scilicet ... sui quinto Rex autem (vt idem auctor ait) fuit Ilerdę coronatus Anno ętatis suę sexto. 1218.

Quibus dubitationibus facillimo negotio re... ...demus asserentes omnia diuinę prouidentię esse possibilia, & manū Dei non esse abreuiatā ... ...ueris, qui diuina gratia suffulti, in illis teneris annis mirabilia magna fecerūt, & ingentes ... ...es substinuerunt, quod plurimis exemplis probari, & demonstrari potest, quorum pau... ... multis adducemus. Primum sit Sanctę Basilissę annorum natę nouem prudentia, & plu... virtutibus

B prędite, quę nicomedię in Persecutione Diocletiani verbera, ignes, ac bestias, diu...a gratia superauit,& in oratione in qua assidua esse solebat,spiritum suo reddidit Creatori. Minor erat S. Nicolaus Tolentinus Augustinianus, de quo legitur quod carnem suam abstinentia macerabat, & ętatis suę anno vix septimo,complures hebdomadę dies ieiunabat. Sed maiorem admirationem afferre potest, Martirium cuiusdam Pueri quinque annorum, apud homeritas in Ciuitate Nagran, cuius Matre Christiana incendio pro Christi fide tradita, cum Balbuciendo puer Christum confiterer̄, nec blanditijs, nec minis retineri posset; in ignem vbi Mater ardebat se pręcipitem dedit. Et ne videantur nostrę Hispanię his similia deesse exempla, nonnulla ex nostris referamus. Primum sit trium Puerorum Claudij, Lupertij, & Victorij, qui in sua tenera ętate Pueros Babilonię imitantes, in Ciuitate Legio-

C nensi Cristum constantissime confitentes necati sunt. Sanctus etiam Pelagius Puer decem fere annorum (vt Franciscus Tarapha de rebus Hispaniæ) ob fidem Catholicam in Ciuitate Cordubę ferreis forcipibus membratim pręcisus, suum gloriose martyrium consumauit. Iustus, & Pastor Fratres valde Pueri, cum literis imbuerentur in Ciuitate Compluti, Tabulas in schola proiecerunt, & sponte ad martyrium cucurrerunt, sed a Daciano tenti, cum in fidei Confessione intrepide perseuerassent, fustibus cęsi sunt, & se mutuis cohortationibus ad martyrium roborantes iugulati sunt. Hi omnes Sancti in exemplis, a me alati, in Sanctorum Cathalogo sunt scripti, & de eis Romana Ecclesia celebratione anniuersaria officium recitat. Qui non Viribus naturæ solum (qui tenelli, imbecilles, & milites delicati erant) orare, ieiunare, carnem macerare, Tirannorum pręcibus importunis resistere poterant, nec pręces, blandicias, & promissiones contemnere, crudelissi- *Franciscus Tarapha.*

D mum mortis genus, ac tormenta plurima constantissime pati valebant; sed cęlesti dono, & Dei gratia speciali illustrati hęc, & maiora operari poterant. Sic Serenissimus Rex Iacobus tot præcedentibus signis in lucem editus, mirabiliter educatus, & seruatus; etiam si esset Puer sex annorum in Captiuitate detentus poterat importunis sui Nutritij Pręcibus viriliter resistere, & tam pro sua quam pro Captiuorum liberatione Deum, eiusque purissimam Matrem orare, non sua, sed gratia Dei confortatus; eo quod hic puer, non erat sicut cęteri Pueri, Gesticulatores, mendaces, edones, cum paribus tota die iurgantes,& rixantes, sed puer temperatus, in omnibus rebus modum seruans, qui ab ineunte ętate futurę Sanctimonię, Prudentię, Modestię, Fortitudinis, & aliarum virtutum specimen dedit. De quo Pręfatus Hieronymus Zurita in suis annalibus ait; Quod Anno Domini 1217.

E quadam die ante solis ortum exiuit a Monsonij Castello inermis, & cum in via Nuncium accepisset de aduentu Comitis aduersarij sui contra eum manu armata, & potenti venientis; voluit tunc armari, armisque muniri, quem ęques lorica leui statim induit, & armatus, vt strenuus Dux suum exercitum anteibat, milites suos ad Pugnam viriliter, & fortiter excitando, omnibus stupore plenis, eo quod Rex tunc decimum ætatis suæ annum non dum compleuerat.

1218.

Caput XIIII. Gloriosissima Dei Mater apparet Sancto Raymundo, ac Beato Petro Nolasco, qui ambo vnà cum Rege diuinam inter se Visionem conferunt.

S. Gregorius Magnus.

SANCTVS Ecclesię Doctor Gre...us lib. 9. Moral. inter suas valde A memorię Thesauro commendandam; dignas sententias, vnam...ior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. ...quod tanto quisq...entem proximum compasio, & amoris perfectio, pręnos. Hęc ...o Raymundo resplenduit modo, qui Captiuorum cruciatus, & dolore... claro vt alienos, sed vt proprios sentiebat. Vnde hic Vir doctissimus, ...pientissimus solebat domi suę segregatus, in oratione defixus desumens nonnulla Innocentij de Vili. condict. huma. verba, hoc modo dicere; cuius pectus tam ferreum, cuius cor tam lapideum, vt gemitus non exprimat, lacrymas non effundat, cum miserorum Captiuorum pœnas quas in captiuitate patiuntur intuetur, aut considerat? quis patienti, non compatitur, & dolentibus non condolet? si Dominus (dicebat) B Exod. 23. pręcipiebat, ne videns Asinum odientis, & Inimici sui iacentem sub onere pertransiret, sed subleuaret eum; quomodo Reges, Principes, & magnates videntes non Asinum Inimici sui, sed ipsos met Amicos, & Proximos suos iacentes sub Captiuitatis onere, & labore, pertranseunt, & non subleuant, adiuuant, & liberant eos? Quod autem Captiui, & in potestate Infidelium detenti, sint amici nostri, Proximi, & fratres, constat ex ore veritatis in multis Sacrę Scripturę locis; maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, idest Captiuis, &c. omnes enim Christiani sumus in Christo fratres, proximi, & Amici, & Patrem habemus in cœlis Dominum nostrum Iesum Christum. Si huius temporis Reges, & Principes hęc tacita cogitatione perpenderent, ac animaduerterent, & veteris, ac noui testamenti, C Sanctorum Patrum, Regum, & Ducum, quos sacra Pagina celebrat sequerentur vestigia, rem Domino Deo, & hominibus gratam proculdubio facerent.

S. Innocentius. *Exod. 23.*

Abraham Redemptor. Genes. c. 14.

Abraham quem Deus multarum gentium Patrem elegit, erga Captiuum Fratrem, & Proximos suos charitate resplenduit. Cum audisset enim Genes. cap. 14. Fratrem suum Lot cum suis, à Chodorlahomor Elamitarum Rege esse Captum, & in Captiuitate męrore afflictum, patienti compatiens, & dolenti condolens irruit nocte super iniustum detentorem, cumque vicit, ac superauit, & Fratrem, & Proximos suos misericorditer redemit.

Dauid Redemptor. *Regum 1. c. 30.*

Dauid similiter homo Iustus, & perfectus, Vir charitate, & compasione erga afflictos Captiuos condecoratus, accedens ad Ciuitatem Siceleg, & videns eam succensam D igni, ac intelligens mulieres, & vniuersum Populum fuisse ab Amalecitis Captiuum, & in Captiuitate vexatum, non potuit se a lacrymis abstinere. Cuius cor ita gemitus expressit, ac lacrymas effudit, quod dicat Sacra Scriptura 1. Regum cap. 30. Quod a planctu non cessauit, donec in eo deficerent lacrymę, & quasi extenuatus prae nimio dolore confugit ad Dominum orando, eumque in oratione consuluit, & diuino responso accepto, persecutus est Inimicos, & eos superauit, & Captiuos de Amalecitarum manibus liberauit.

Abdemelech Redemptor. *Ierem. c. 38.*

Abdemelech de domo Regis Sedecię Etiops, & Eunuchus, fuit singulari charitate erga Captiuos exornatus; cum audisset Ieremiam Captiuum, & in carcere obscuro inclusum fame perire, Captiuitate, & miseria eius compatiens, & condolens, non cessauit donec Proximum suum patientem visitauit, ac liberauit, Ieremiae E cap. 38.

Tobias Redēp. *Tobiæ 1.*

Multos alios Patres Sacra Scriptura in testamento veteri, charitate, & misericordia erga Captiuos, feruidos commendat, & celebrat; sed qui inter eos tamquam sol inter reliquos Planetas resplenduit, fuit Tobias, de quo dicitur, quod (obtenta à Salmanasar Rege facultate) pergebat ad omnes, qui erant in Captiuitate, & monita salutis dabat eis, eosque sua facultate adiuuabat, Tobiæ 1.

Onesipharus Charitatiuus. 2. Paul. ad Timotheum.

Charitas hæc, quæ patiens, & benigna est, diffusa erat in corde Onesiphari; qui Apostolo Paulo Captiuo, & in carcere detento compatiebatur, & sæpe eum visitabat, & consolabatur, ac refrigerabat, vt idem Paulus refert 2. ad Timotheum cap. 1.

A cap. 1. Et idem Paulus ad Hanc erga Captiuos compassionem exitat, & mouet; mementote (inquit) vinctorum tamquam simul vincti, & laborantium tamquam, & ipsi in corpore morantes. Ad Hebręos cap. 13. Ac si diceret, dolores alienos, sicut proprios sentire debemus. Hęc & alia Sanctus Raymundus per singulos dies dicere solebat, afflictis Captiuis condolens. Et ad imaginem Crucifixi, quę erat in altari sui Cubiculi conuersus, & genuflexus, hoc modo orabat; O bone Iesu, Generis humani Redēptor, a quo bona cuncta procedunt, infunde in Principum cordibus, hanc charitatem, & causa in eis veram cum pace concordiam, & vnionem, vt fideles Principes terrę attent omnes, & conueniant in vnum, aduersus Sarracenos, & ipsorum Regem: nam hoc facientes, tuo diuino auxilio suffulti, de Inimicis victoriam reportabunt, & Captiuos Christianos, in tantis animarum, & corporum miserijs, & periculis versantes rediment. Deinde cōuersus ad Simulacrum in dextera altaris parte situm misterij Annuntiationis Virgi- 1218.
B nis Marię representatiuum, (cuius misterij fuit dum vixit valde studiosus) suam orationem ad Angelorum Reginam dirigens sic dicebat; o Regina, & Domina mea, specie tua, & pulchritudine tua, ac tua venusta facie, in quam desiderant Angeli prospicere, ita Regis cœlestis animum ad te concupiscendum inclinasti, vt tuo Captus amore, Nuncium cœlestem de supernis, Angelum Gabrielem ad te mitteret. Non mirum si Dominus mundum redempturus suam operationem a te inchoauerit, quia per te salus omnibus parabatur, fuisti ab Angelo reuerentissime salutata, cum quo habuisti illum serium sermonem, in quo tota totius mundi salus agebatur. Gratia plenam te appellauit, & quod in te erat Dominus, in tua scilicet anima, & vt esset Personaliter in tuo ventre, tuum Nuncius de ordine Altissimi petijt consensum, quo post longum sermonem pręstito, fuit in ventre tuo facta in instanti illa mira, & ineffabilis diuinę, & humanę naturę in verbi Persona vnio, ex qua tu, quę per humilitatem humilis ancilla dicebaris, effecta es, dignissima Altissimi Saluatoris, & nostri Redemptoris Mater; qui nos de profundo auidissimi Draconis gut-
C ture misericorditer eripuit. Eripe Domina nostra supplices seruos tuos in te confidentes de Inimicorum potestate. Et per illam diuinam, & ineffabilem vnionem in te factam; Christianorum animos in vnum redige, vt quę discordia dilabebantur, concordia crescāt. Et dum toto animi pectore, & affectu pro Captiuis eadem media nocte Calendis Augusti orat, apparuit ei Angelorum Regina, afflictorum consolatrix, quæ consolabatur famulū Christi. Pater (inquit) ęternus, qui ad me Ancillam suam, vt essem filij sui mater, Gabrielem vnum Angelum suum de cęlis mittere dignatus est, ipsemet hac hora non Gabrielem vnum Angelem, non Raphaelem, aut alium Angelum, sed me Angelorum Reginam, Patris ęterni filiam, filij Dei Matrem, & Sancti spiritus sponsam mittit ad te, vt tu qui Sacedotali dignitate fulges, & Regis Iacobi, & Piorum hominum confessiones audis, quos idoneos, & deuotos inuenisti, & iudicasti; in vnam, eorum animos, dirigas voluntatem, vt Ordo tua, vnà cum aliorum opera, & industria (quod crastina die aperte agnosces) in hac Ciuitate fundetur. Quorum Religiosi Fratres iuxta desiderium tuum, & supplices pręces,
D quas ad filium meum, & ad me sępe fudisti, Captiuorum incumbant redemptioni. Et eius Ordinis dum vixeris specialem curam, & protectionem habebis, & vt fratres Deum super omnia ament, simul & timeant, atq; in charitatis operibus se exercere debeant instrues, & docebis eos. Et in eius Ordinis primordijs aliquam viuendi formam, officio redemptionis competentem fratribus assignabis, nam deinde Religiosorum numero crescente, quid circa Ordinem te facere oporteat, Dominus inspirabit. Hęc est diuina voluntas, & Dei decretū, quod te ex sequi oportet. His dictis Regina cęlorum disparuit. Et S. Raymundus in gaudio exultans, cępit pro tanto beneficio, gratias Deo agere, simulq; ad eum laudandum Captiuos excitare cum Tobia C. 13. dicendo, magnus es Domine in ęternum, & in omnia secula regnum tuum, quia tu flagellas, & saluas, deducis ad Inferos, & reducis, & non est, qui Tobiae. 13
effugiat manum tuam, Confitemini igitur miseri Captiui Domino in conspectu gentium,
E & in Sarracenorum præsentia laudate Iesum Christum Saluatorem nostrum, fidem Catholicam, quam professi estis retinendo, & palam confitendo. Quoniam ideo Dominus dispersit vos, & Captiuari vos permisit in potestate Turcarum, qui eum ignorant, vt vos enarretis mirabilia, quę fecit Dominus, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens pręter Saluatorem nostrum. In his & alijs spiritualibus laudibus totam noctem cōsumpsit.

Eadem nocte, & hora cum eodem Sanctissimo, & nobilissimo Comitatu apparuit eadem Angelorum Regina Pientissimo Viro Petro Nolasco dicens ei; scias me esse genitricem

1218. filij Dei, qui pro salute, & liberatione generis humani sanguinem suum fudit, & mortem crudelissimam subijt, cuius ego fui occulata testis, qui stabiliri vult Ordinem vnum, in honorem meum, qui intituletur (Ordo Beatę Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum) cuius Fratres in viua fide, in spe salutis, & vera charitate fideles Captiuos visitent, & opera charitatis, & misericordiæ circa eos exerceant; & oblata occasione, si opus fuerit, ad exemplum filij mei, pro eis animas ponant, vt in die extremi, & vniuersalis Iudicij, filius meus viuorum, & mortuorum Iudex eos in parte dextera collocare dignetur: & mereantur audire illam fauorabilem sententiam, Venite benedicti Patris mei percipite regnũ vobis paratum ab origine mundi, quia charitatis opera exercuistis, charitas enim, radix omnium bonorum est. Manifesto ergo tibi fili mi hanc veritatem quod quando orabas cum lacrymis, eleemosynas faciebas, & Captiuos redimebas, ego offerebam orationem tuam, & & opera tua filio meo, qui dignatus est te ad instituendam hanc meam religionem primum Fratrem, & Pastorem eligere. Reliquum ergo est, vt tu, qui ante hunc diem deuote orabas, eleemosynas charitate faciebas, cum tuę vitę dispendio, & labore Captiuos redimebas, feruentius deinceps in fratrum, & filiorum tuorum exemplar, ores, largiori manu de tuis facultatibus Pauperes resoueas, & sociorum tuorum adminiculo vberiores quam antea redemptiones facias. Cui Vir Sanctus humilis, & deuotus gaudio, & lætitia plenus sic respondit; ego certe credo, quia tu es Mater Dei viui, quæ in mundum venisti ad fundandã hanc Religionem; ideo quicquid præcipis, opere complere fas est, & sum paratus tuis obedire mandatis; sed quis quæso mihi peccatori mercaturam facienti, & humanis implicito rebus, cum sim ignarus, idiotes, & illiteratus homo, credet & fidem adhibebit? Hoc quod imperas Domina mea, meas excedit vires. Humilitatem (inquit Virgo) respicit Deus meus, & exaltat humiles, & stulta, & infirma eligit, vt confundat sapientes, & fortes terræ, ne glorietur omnis caro in conspectu eius. Petrus & Reliqui Apostoli quos elegit filius meus, pro Ecclesiæ suæ Sanctæ fundamento, illiterati, & imperiti erant, & missi sunt ad prædicandum in omnem terram, vt fides credentium, & conuersio gentium, non humanę, sed diuinæ sapientiæ, quæ in eis refulgebat tribueretur, & soli Deo honor, & gloria in secula seculorum daretur. Sic tu fili mi ne animo cadas, sed esto robustus, nam filius meus, qui te elegit in Pastorem, & Rectorem multorum filiorum, & fratrum dabit tibi sapientiã, & fortitudinem, ac vires quibus eos per plures annos in pace regas, & gubernes. His dictis disparuit, & abijt in cęlum; & Petrus Nolascus, quæ proprijs oculis viderat, & auribus suis audiuerat vsq; ad aurorã meditãdo remãsit. Qua aduentãte surrexit ab oratione, & confessariũ suũ consulturus festinus abijt; quem cũ domi suę non inuenisset, ad Ecclesiã maiorẽ S. Eularię cuius erat Canonicus se contulit, vbi ante altare maius genuflexum, & orantẽ inuenit. Cui diuinæ Virginis visionem, & Dominicum de nouo Ordine fundando præceptum enarrare cępit. Et ante quam vltra progrederetur, Vir Sanctus Raymundus stupens, & admiratione plenus, suis verbis occurrens, sermonem eius interiunxit, eandem visionem sibi factam, & idem præceptum fuisse sibi impositum referendo. Vnde ambo pręnimio charitatis feruore, & fidei zelo, ac magna deuotione a lacrymis se abstinere non valentes gratias Deo, & eius purissimæ Matri immortales egerunt. Dum hęc in maiori Ecclesia agebantur, Serenissimus Rex, qui illam noctem. (vt diximus) insomnem duxerat, primo surrexit diluculo, & duos famulos suos vnum ad Confessariũ Raymundum pro consilio in hac re recipiendo, alterum ad Petrum Nolascum, quem ad opus redemptionis idoneum, & valde propensum semper fuerat expertus, vt festinanter ad palatium regium accederent destinauit. Qui reuersi nunciauerunt Domino suo, eos in domibus suis non reperijsse. At Rex ne pro tanto beneficio ingratus, & præcepti domini Dei sui, at tantæ Dominæ ne videretur indiligens executor, ad Cathedralem Ecclesiam, quam frequentare solebat, gratias acturus se conferens, ibi præfatos Viros inter se colloquentes reperit. Et facta prius Sãctissimo Christi Corpori, deiparæ Marię, & Sanctis deuota oratione, & reuerentia, seuocans eos in Ecclesiæ angulo, sic allocutus est. Per familiares nostros diligenter hoc mane vos conquisiuimus, vt rem valde seriam, & grauem nimis, quæ media nocte nobis euenit, vobis detegeremus, & deuelaremus. Scire igitur debetis me Angelorum Reginam maxima Sanctorum, & Sanctarum comitatam caterua intra clausum Cubiculum meũ hisce oculis vidisse. Cuius venustas, decor, diuina elegãtia, splendor, & odor pulchritudinem humanam, phebi lucem, & quæcumq; odoramenta longe superant. Quæ inter alia mihi dixit voluntatem sui Sacratissimi filij, & suam esse, vt in hac nostra Ciuitate Ordo illico fundaretur, qui operi Redemptionis (quod optabamus) assidue incumberet, cuius fratres in honorem suæ Sanctis-

Matthæi.

Margin letters: A B C D E

A ctissimæ puritatis vestes omnino albas cum signo Crucis in pectore semper, & vbiq; gestet; & multa alia quæ esset longum referre. Gratias igitur ago Deo meo, quod huic Sanctissimo operi vos aptos, & idoneos, ac propensos inuenio, & semper agnoui. Dum Serenissimus Rex hęc narrabat, incredibile est quantis Sanctorum corda agitabâtur motibus; & se ad inuicem respicientes, ab imo pectore suspiria plurima ducebant. Et postquam Rex finē dicēdi fecit, & suum sermonem exhausit; S. Raymundus, & S. Petrus Nolascus idem sibi euenisse dixerunt, & verba quæ audierunt, ac præcepta vnicuiq; imposita regi retulerunt. Et omnes tres tunc cęperunt Virginis purissimæ pulchritudinem, & splendorē, verba quæ de ore eius exierunt, nobilissimū S. Marię Comitatū, candē diuinę apparitionis horam, solatiū interius quo aīę suæ confortatę remanserūt inter se cōferre. Et deniq; meritoriū, & Deo acceptū opus, attente examinātes, & signa cū signis cōferētes (omni dubitatione, & hęsitatione procul remotis) hanc esse diuinā, & cęlestē reuelationē, & indubitatā Dei volūtatē, tribus fide- 1218.
B lissimis cōprobatā testibus firmiter iudicarunt. Et post debitas gratiarum actiones, decreuerunt hanc admirandā reuelationē, ad laudem Dei, & suę purissimę Matris, ac Christianorum ędificationē, & consolationē populo debere patefieri. Et pro huius miraculi promulgatione, ac noui Ordinis fundatione cum solemnibus ceremonijs magnoque apparatu, & pompa diem decimam Augusti S. Laurentio Martyri Hispano ex Aragonia dicatam (vt in sequenti Capitulo videbimus) assignarunt.

Caput XV. De ipsa met solemni nostri Ordinis fundatione, & de Sancti Raymundi vitæ breui narratione, quæ facit ad rem.



C D iucundum, delectabile & dulcissimum transfigurationis spectaculum, in quo ēt agebatur de Dñi nece, & de genere humano in durissima Demonis potestate miserabiliter detento, liberādo; Christus Dominus noster non oēs Apostolos in Testes vocauit, ob multas causas quas scriptores adducunt: sed tres solū, Petrū, Iacobum, & Ioannē voluit adesse. Petrum futurū Ecclesię suę Sanctę fundamentū, Iacobum Hispanię Patronum, & primum inter Apostolos Martyrem, Ioannē in quo maior quam in reliquis charitas, & animi fortitudo videbatur esse, qui reliquis discipulis prę timore mortis recedentibus, ipse in monte Caluario aīo forti, & intrepido, suo magistro in Cruce pendenti affuit, cui Christus suam dilectam Matrē cōmēdauit. Sic Maria Virgo ad suam iucundissimam, & Sanctissimā visionem, qū facies eius resplenduit sicut sol, in qua agebat̄ de liberatione, & miserorum Captiuorum redemptione, ac de nouo Ordine in terris fundādo; tres solū Personas in Testes elegit, quæ testimonium darent in terra, omni exceptione maiores, Petrum, Iacobum, & Raymūdum, Petrū Nolascū,
D primam Petram, & Religionis fundamentū, Iacobum Hispanię defensorem, & Turcarum debellatorē, qui pro fidei Catholicæ defensione, contra Mauros decertando plures passus est labores, ac mortis pericula. Et S. Raymundū, in quo vt in vita sua legitur erga Infirmorum curationem, erga indoctos literas docendo, erga Iudeorum, & Sarracenorum conuersionem, erga Neophitos, & deniq; erga Captiuos dando operā, vt redimerent magna eius charitas prę cęteris fulsit. Qui vt eius cognomē denotat Penia fort hoc est ars fortis, fuit aīo fortis & intrepidus Principes, & Magnates Christiana libertate arguēdo, Christum crucifixum ante oculos habendo, & ei solum adhęrendo. Qui regis minas in maris transfretatione non timuit, cui Maria Virgo suam, & nostram dilectam religionem antequam transiret de Ciuitate Barcinonę ad suā cęlestem Patriam cōmendauit. De Regis Iacobi natiuitate, educatione, & coronatione iam superius egimus, de Petro Nolasco, secunda Persona inferius
E agemus: de Sancto vero Raymundo in pręsentiarum breuiter, & succinte sermonem habebimus, cuius vitam ad veritatē fundationis nostri Ordinis diminuemus, & ex ea nonnulla puncta scitu digna, ad maiorem veritatis dilucidationem, quę (ni fallor) nullus aduertit, depromemus; desumpta exactis Canonizationis eiusdem Sancti, & ex relatione quam Sanctissimo Dño nostro in publico Consistorio fecit Illustrissimus Dominus Cardinalis Gesualdus Sacrorum rituum Congregationi Prępositus die 4. Decembris 1600. & deniq; ex Historia eiusdem Sancti edita a Reuerendissimo Domino Francisco Penia Sacro Rotę Auditorio Pręfecto, cui sanctissimus vna cum alijs duobus Auditoribus, vitę, & miraculorum examen commisit. *Gesualdus Cardi.* *Franciscus Penia.*

Natus est igitur. S. Raymundus Barcinonę, vel (vt alij extimant) in oppido non procul

1218. cul inde distante Villa Franca de Panaders nuncupato sub Anno Domini 1175. A

Adolescens humanioribus litteris, & liberalibus disciplinis operam dedit, in quibus tantum profecit vt vigesimo ętatis suę anno coętaneos easdem artes per aliquos Annos cum discipulorum fructu doceret.

Bononiam Iuris Ciuilis, & Canonici adiscendi gratia se contulit, vbi doctoratus gradu insignitus, vt gratis alijs daret, quod a Deo gratis acceperat, sacros Canones publice absq; vllo stipendio multa cum laude est interpretatus.

Berengarius de Palatiolo Barcinonæ Episcopus ex Ciuitate Romæ ad suam Ecclesiam redire volens, allocutus est Sanctum Dominicum, a quo obtinuit aliquos sui noui Ordinis Fratres quos hoc anno 1218. secum adduxit, & similiter celebri fama Raymundi Ciuis sui permotus, existimans tantum Virum magno dictę suę Ecclesię ornamento, & Christi fidelium vtilitati futurum Bononia iter facere voluit, vbi ab eo summis precibus obtinuit, vt secum in Patriam, & Natale solum reuerteretur. B

Accesserunt igitur Episcopus; Raymundus, & aliqui Fratres Dominicani in principio huius Anni 1218. Barcinonam, vbi Episcopus Raymundũ de Canonicatu illius Ecclesię prouidit, eiq; vacantem pręposituram contulit.

Rosellus Cardi. Anno sequenti 1219. Fratres Dominicani in eadem Ciuitate Barcinonę Conuentum suum fundare cęperunt, vt multi Auctores Dominicani, & pręsertim Rosellus Cardinalis in libro Romę confecto Ann. Domini 1357. affirmant.

Horum Religiosorum Dominicanorum pia conuersatione, & sanctimonia S. Raymũdus allectus, ipsorum Ordinem est ingressus, & in die Parasceues Ann. Domini 1222 professionem emisit. Quod est notatum in quodam per vetusto libro manuscripto membraneo, qui asseruatur in monasterio S. Catherinę Barcinonę in quo nonnulla anniuersaria, & professiones aliquorum Fratrum S. Dominici annotantur. C

Religiosus effectus deferebat oĩbus verbo, & exemplo, cuius fama cum vndiq; vulgaretur, & ad aures pręclarissimi Domini Ioannis de Abbatis Villa natione Galli, Monachi Cluniacensis, Episcopi Cardinalis Sabini, Sanctissimi Domini nostri Gregorij Papę IX. in Hispaniam ad Cruciatam promulgandam, & ad alia grauissima negotia peragẽda, Legati de Latere missi peruenisset; tantum Virum sibi socium, & ministrum Cardinalis Legatus asciuit, & elegit.

Cardinalis Legatus prudenter ad modum suæ Legationis munus exeruit, Concilium Prouinciale celebrauit Ilerdę die 29. Martij 1229 in quo interfuerunt A. Tarraconensis Archiepiscopus, Berengarius Barcinonensis, C. Gerundensis, G. Vicensis, P. Vrgellensis, B. Ilerdensis, P. Dertusensis, & G. Oscensis Episcopi, & multi Abbates, & S. Raymũdus Legati socius. Et inter alia fuit statutum, quod statuta S. Generalis Concilij Lateranensis sub Innocentio Papa III. celebrati obseruarentur, quę magna ex parte erant neglecta. D

Mense Aprilis eiusdem Anni 1229. Legatus Apostolicus cum suo socio moram trahebat Calataiubij; vbi tunc Rex noster Iacobus cum sua regali Curia morabatur.

Die 29. eiusdem Mensis, & anni apud Turiasonam Legatus Apostolicus ex voto multorum Prelatorum, & socij sui consilio matrimonium contractum inter nostrum Regem Iacobum, & Dominam Elionoram Alphonsi Regis Castellę filiam diremit, & super regum diuortio sententiam tulit.

Legatus sententia lata, quę erat ex principalioribus causis suę legationis Romam reuersurus socium suum Raymundum, secum in vrbem adducere suis viribus curauit. Quod postquam ab eo humilitate, & modestia se excusante obtinere non posset, Summo Pontifici Gregorio insignem Raymundi Sanctimoniam, iurisperitiam, Prudentiam, Consilium, & prędicandi munus, & quod tanti Viri, & veri Religiosi Romano Pontifici opus erat, suis literis significauit. E

Interim Legatus cum suo socio nonnullas Principales Cathalonię Ecclesias visitauit, & reformauit, & ad supplicationem Raymundi Barcinonensem Ecclesiam ordinauit 13. Cal. Octobr. eiusdem anni 1229.

Cardinalis Legatus legationis Prouincia omnino absoluta cum vnà secum Raymũdum, popularem auram refugientem adducere non posset tristis, & męstus ex Hispania discessit; & ad Romanam Curiam reuersus tam multa de sui socij Raymundi admirabili doctrina cum vitę innocentia, & humilitate coniuncta retulit; vt idem Pontifex illius videndi desiderio incensus ad suam curiã eum acciuit. Quod Dño Regi maximopere displicuit eo quod

tan-

A tanti Viri absentia Hispania destituta, & mœsta manebat, sed nolens Sũmi Pontificis iussa aliquo modo retardare, Sancto Raymundo imposuit, vt omni postposita mora, Christi in terris Vicario, vt obedientię filius humiliter obediret, & recordaretur, quod in Concilio Lateranensi fuerat statutum, nullam censeri religionem, nisi prius a Sede Apostolica confirmationem obtineret; ob id daret operam, vt nomine suo Regio, ac Principatus Cathaloniæ, nostri Ordinis de Mercede confirmationem a Summo Pontifice exposceret, & obtineret. 1218.

Raymundum ad Curiam suæ Beatitudinis venientem, benigne satis Summus Pontifex recepit, & Capellanum, & Penitentiarium suum declarauit, eumq. suis confessionibus audiendis constituit, & compilationem Decretalium opus dignissimum, & valde difficile commisit, idq; feliciter compleuit; qua perdocta compilatione, idem Pōtifex Doctoribus, & Scholasticis Parisijs commorantibus vti debere pręcepit sub datum Spoleti 9. Septemb.
B Anno sui Pontif. octauo, idest Anno Domini 1235.

Eodem Anno 1235. Sāctus Raymundus postquam in Curia Romana quinq; cõsumpserat Annos, & Archiepiscopatũ Tarraconensem, & oblatas dignitates, ac Ecclesiastica beneficia humiliter recusauerat, obtenta a Gregorio Papa IX. licentia ad natale Barcinonę solum redijt.

Reuersus in Patriam iterum diuersarum rerum contemplationi vacare cępit, & dum totus est in religiosę vitę studio, ac diuina meditatione occupatus, fuit Bononię absens maxima omnium admiratione Magister Generalis electus Ann. Domini 1238. qua dignitate propter solitarię vitę desiderium, post bienniũ sponte se abdicauit.

Post Annos 35. a voluntaria magistratus depositione ipso die Epiphanię Domini Anno Domini 1275. fere Centenarius insignibus miraculis clarissimus obdormiuit in Dño.

Ex hac vitę S. Raymundi breui narratione colligimus primo hoc Anno 1218. quando S.
C Raymundus reuersus est cum Episcopo Barcinonę, ex Ciuitate Bononię Barcinonam, & quando ei apparuit Beata Virgo, esse clericum secularem, & non Religiosum Ordinis S. Dominici.

Secundo colligimus nostri Ordinis fundationem hoc Anno factam esse vno Anno priorem quam fundationem Monasterij Prędicatorum Ciuitatis Barcinonę, qui fundari cępit Anno sequenti videlicet Ann. Domini 1219.

Tertio inferimus Sanctum Raymundum, quatuor Annos, aut ad minus tres post nostri Ordinis institutionem, solemnem professionem emisisse in eodem S. Dominici conuentu Barcinonę.

Quarto inferimus S. Raymundum non ab Honorio Papa III. vt grauissimi Doctores affirmant, sed a suo successore immediato Gregorio Papa IX. fuisse Penitentiarium, & Capellanum creatum dicebant enim hi doctores quando noster Ordo institutus est tempore
D Honorij Papę III. fuisse S. Raymundum eiusdem Pontificis Penitentiarium, & Capellanum, & ex hoc magnā habere in Regnis Hispanię auctoritatem, & potestatem inferebant, quod falsissimum est.

Quinto errant Doctores grauissimi asserentes nostri Ordinis institutionem hoc Anno 1218. incidisse in annum sextũ Honorij Papę III. nam prępfatum Concilium Lateranense fuit celebratum sub Innocentio Papa III. Anno Domini 1215. & Anno sequenti 1216 fuit Honorius Papa III. creatus.

His modo suppositis pedetentim, & paulatim ad solemnem nostri Ordinis institutionem accedamus, ad quam statim 2. die Augusti, altera post apparitionem Serenissimus Rex per suos diligentes Cursores, & idoneos Tabellarios omnes Reuerendos, & Venerabiles in Christo Patres Pręlatos, & alias Ecclesiasticas Personas illu-
E stres, spectabiles, magnificos, nobiles, & ęgregios Consiliarios, Comites, Vicecomites, Barones, milites, & alios nobiles inuitauit, & aduocauit. Qui propinqui & prope erant, & commode venire poterant, cum magnifica, & splendida comparuerunt Pompa; qui vero longinqui etiam cum dispendio, & labore, vt rem inauditam cernerent, magnis itineribus aduentarunt; & omnes ciuitatem Cohonestarunt, & repleuerunt; sicq; prę nimia nobilium, & ignobilium frequentia per vias, & plateas Ciuitatis de ambulari non poterat, & omnia Xenodochia, diuersoria, & Caupanulę tam intra quam extra Ciuitatem externis Personis, hospitibus, & aduenis plena erant. Die igitur S. Laurentij decima Augusti Serenissimus Rex in honorem tantę solemnitatis, manto, colobio, pomo, & Corona aurea in capite suo, & omnibus regalibus indumētis exornatus suo nobilissimo comparuit Comitatu, me-

dius

1218. dius inter suos duos diuinę visionis socios, Confessarium a dextris, & Petrum Nolascum a sinistris. Quos Reuerendus in Christo Pater Berengarius de Palatiolo Ciuitatis Episcopus, Pontificalibus indumentis superindutus cum clero in Ecclesię Cathedralis foribus auidissime, & valde lętus expectabat, intra se contēplando, quod in initio huius anni talem conciuem ex Ciuitate Bononię secum asportauerat, qui Virginem Mariam videre, & alloqui meruerat. Cantato igitur te Deum laudamus in aduentu Regis, & facta solemni processione, Episcopus Pontificalem, & solemnem missam incępit, & Euangelio a Diacono decantato S. Raymundus suggestum ascendens Concionem habuit ad populum recensens, & enarrans pręfatā diuinā reuelationem, & admirandam Virginis Marię apparitionē, & expressam Dei voluntatem, quod in illa Ciuitate nouus a Serenissimo Rege pro Redimendis Captiuis Ordo institueretur. Et multa de instituto, & quam meritorium opus esset Captiuos redimere in pauca contulit, quę populus audiens cum animi lętitiam dissimulare non posset, gestibus corporis affectum exprimebat. Absoluta concione, & post offertorium, descendens Rex de solio suo, accessit ad altare simul cum suo Confessario, & Petro Nolasco, & nonnullis magnatibus associatus, & conuersus ad Episcopum dixit ei; nostra voluntas est quod iuxta Dominicum Pręceptum, & Decretum, & Virginis Marię voluntatem Ordo militaris instituatur, cuius milites Fratres in Captiuorum redemptione ēt cum proprię vitę dispēdio se exercere debeant. Et sicut militares Ordines Templariorū, & Hierosolymitanorū, S. Iacobi, & alię Religiones habēt pro munere vias a Grassatoribus, & Maria a Piratis defendere ne Christiani Captiuenē, & seruituti mancipētur; sic huius nostri Ordinis fratres Christianos iam Captiuos redimere, & liberare debeant. Et Primus Frater, & Redemptor sit noster amicus, & socius Petrus Nolascus, quem Angelorum Regina ad hoc munus subeūdum idoneum elegit. Tu ergo Reuerende Pater diuinam ordinationem, & voluntatem nostram executioni demanda. Tunc Episcopus Pręfatum Petrum Nolascum coram se genuflexum, & pręnimia deuotione lacrymantem vestes omnino albas induit, & Rex ipse regium signum nempe scutum cum barris rubeis, croceiq; coloris cum Cruce insuper alba in honorem Sanctę Crucis vbi Ordo instituebatur eiusdem Petri Nolasco Pectori imposuit. Vt ab ipso, & Fratribus suis semper deferatur, quem singularem fauorem, vt suo loco dicemus sua manu firmauit, & corroborauit. A. B. C.

Ex dictis colligimus, & inferimus nostri Ordinis, qui a principio fuit militaris fuisse Fūdatorē, & Institutorē Serenissimū Regē Iacobum, qui suis manibus scutū regiū cū Cruce in quo signo consistit militaris Ordinis essentia, primo Fratri cōtulit, nā per tale signū vnus Ordo ab alijs distinguit. Et sicut ꝑ habitus dissimiles Monachi, & Religiosi diuersarū Religionum, & professionum cognoscuntur C. Deus Tit. de vita, & honestate clericorum, & similiter Viri a fęminis per crines, vestes, & ornamenta. C. siqua fęmina 1. & 2. dist. 3. C. mulier 33. q 5. Sic arma quę in forma vel colore sunt distincta, & dissimilia etiam si vestes, & habitus sint similes, & eiusdem coloris, & formę; dissimiles constituunt Religiones, vt Crux viridis, & rubea in Religionibus Calatrauæ, & Alcantarię. D

Quod autē noster Ordo fuerit a principio regius & militaris, probatē primo auctoritate plurimorum doctorum non modicę auctoritatis ex iam a me allegatis nostrum Ordinem fuisse militarem, & ęquestrem, & a Serenissimo Rege Fundatum, & Institutum affirmantium. Famosus Historiographus Volaterranus in suis Commentarijs vrbanis de militaribus ordinibus sic ait. Duo militum Ordines, &c. Cassanęus in Cathalogo Glorię mundi par. 9. consid 9. Polidorus Virgilius de inuentoribus rerum, Lęlius Zecchius in republica Ecclesiast. C. 2. de Relig. dist. Alphonsus Chacon Dominicanus de gestis Summorū Pontificū in vita Gregorij IX. in fine. Ordo inquit S. Marię de Mercede Institutus a Iacobo Rege Aragonum Barcinonę. Zurita etiam & Paulus Morigius, & multi alij externi, qui a Rege Iacobo fuisse nostrum Ordinem fundatum clare fatentur, & hoc est notissimum in nostra Religione, & in Chronicis, & Historijs suis, imo in ipso met corpore constitutionum hoc exprimitur, quibus (vt diximus) fides indubitata debet adhiberi. E

Secundo est alia coniectura, imo ratio non modici fundamenti, nam hac eadem die S. Laurentij Sacrosancto Missę sacrificio peracto Dominus Rex domum suam reuersurus, Petrum Nolascum, & suos socios, qui hac die habitum similiter susceperunt, aduocauit ad se, quos cohonestare publicè volens non solum eos (Fratres nostros) appellauit quo honorifico titulo sępe sępius in cartis, & priuilegijs regijs ad fauorem nostri Ordinis concessis vsus est; Verum etiam eos secum ad suam regiam domum tamquam filios, & familiares, ac membra sua, quorum ipse met Rex erat caput, & non alius, asportauit, & ex illa hora regiam

A domum pupillus grex inhabitare cępit, quam regiam domū Serenissimus Rex nostro Ordini in perpetuū donauit eamq; religionostra hodierna die pacifice possidet, in qua Fratres nostri, nunc cum suo superiore habitant, quem Vicarum Aulę regię appellant.

Sed quid respondendum ad grauissimorum doctorum sententiam Pręsertim omniū Patrum Ordinis Prędicatorum asserentium S. Raymundum suis proprijs manibus B. Petro Nolasco habitum contulisse, qui patres postquam Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. in suis Decretalibus literis pro canonizatione eiusdem Sancti, hoc expressis verbis declarauit, vires reassumere, & caput erigere videntur. Quibus Deo dante quando de nostri Ordinis confirmatione agemus, facilimo negotio satisfaciemus; & suam, & nostram sententiam esse veram astendemus. Quia licet amicus Ordo, magis amica veritas, quæ omnia vincit, & superat.

Caput XVI. In quo agitur de solicitudine Regis nostri Iacobi, circa nostri Ordinis augmentum. Et qualiter Fratres nostri Redemptores pro sui muneris debito explendo, grauissima patiuntur discrimina.

B HOC Anno 1219. (vt supra diximus) Patres Dominicani suū Barcinonę monasteriū extruere inceperunt, opera & auxilio pręfati Domini Berengarij de Palatiolo, qui eos ex Italia ad suam diœcesim Barcinonensem (vt Cęnobium fundarent) asportauit. 1219.

Serenissimus Rex nostri ordinis fundator, de eius augmēto anxius Capellæ Suę regię curā, & regimen B. Petro Nolasco, & successoribus suis in perpetuū dedit. Et q̄tā ad ipsum, quā ad successores de idoneis Capellanis, & Sacerdotibus prouidere attineret, qui Sacerdotes quotidie sacrificiū offerrent, & missas pro ipso rege, & regia prosapia, ac successoribus suis celebrarent, & diuinum officium recitarent.

Et de Consilio Domini Episcopi, & S. Raymundi Rex ordinauit, quod (ad instar aliorū C militarium ordinum, pręsertim Templariorum, qui in Dominio Regis maxime florebant) superior domus nostrę, & aliarum quæ pro tēpore reciperentur, dici & appellari deberet Commendator. Ita quod in qualibet domo nouiter constructa, vel Ordini collata aliquis Frater non sacerdos, sed eques deputarē pro Superiore, & Administratore, qui Commēdator nominaretur; & ratione officij circa quod se exercere deberet, Procurator Redēptionis etiam appellaretur, qui in sua commenda per se, vel fideles Fratres sibi subditos in sua tantum iurisdictione, & districtu Eleemosynas pro Captiuorum redemptione petere, requirere, & procurare teneretur. Et ex hac hora cępit B. Petrus Nolascus Commendator, & Procurator Redemptionis appellari, & nominari. Sed deinde ad differentiam superiorum aliarum domorum nouiter receptarum; noster Primus Pater Commendator maD ior, & Procurator Generalis Redemptionis habens super omnes Fratres, & monasteria superioritatem, & iurisdictionem nominatus est. Similiter Rex de eorundē Consilio præfixum Fratrum Equitum Laicorum, & Sacerdotum pro regia Capella assignauit numerum; & quasdam leges, & ordinationes tam quo ad horas Canonicas Laicorum, quam quo ad Redemptionis munus debite, & rite exercendum, & soluendum a Raymundo prudēter, & docte cōpositas B. Petro Nolasco pro se, & successoribus suis dedit, & consignauit, in quibus inter alia formam, quam Fratres Redemptores in eleemosynis diligenter, & sine scandalo captandis, & sub bona custodia vsque ad debitum tempus reponendis, & custodiēdis, & q̄uo in eundo, & redeundo, & in Sarracenorum terris se habere deberent, tradidit eis.

Hoc eodem Anno B. Petrus Nolascus strenuus Redemptionis Imperator, & Dux, ad suorum Filiorum, & subditorum exemplum, (magna collecta, & in vnum aggregata E eleemosynarum copia) volens ex eis fœcundum Pauperum, & Captiuorum agrum emere, qui (vt ait S. August. de verb. Domin.) citò reddit fructum suum; (licentia prius a Domino Rege habita, & saluo conductu obtento) sui pusilli gregis regimen Religioso Viro Fratri Bernardo de Sancto Romano commisit, & assumpto pro socio Fr. Bernardo de Casolis Valentiam profectus est, quam Mauri tunc possidebant, & ab eorum manibus 158. redemit Captiuos; & quos pecuniarum defectu liberare non valuit, ad fidei Catholicæ confessionem, & perseuerantiam cohortatus est, & promittens eis propediem valentiam se reuersurum, suspirijs, ac lacrymus amplexatus est eos. Et ad

S. August.

Liberati. 158

suos redemptos Captiuos cōuersus dixit eis; & vos filij mei labamini, & mūdi estote, & nemo cū maculis quas conuersando cū Mauris contraxit, ad propria reuertatur. Nam parum proficit Redemptio, & corporis liberatio; si anima misera sordida, polluta, & inquinata remaneat. Et sic in primo Christianorum oppido spirituales Redemptores qui animas eorum a Captiuitate Demonis liberarent, & a lepra vitiorum mundarent, ac ab iniquitatum maculis purgarent solerter quęsiuit. Deinde vt sine mendicitate ad Patrias redirent ministrauit, eis iniungendo quod gratias Deo, eiusq; Purissimæ Matri pro sua liberatione semper agerent, & pro Fratrum suorum in potestate Inimicorum remanentium liberatione, & in fide Catholica perseuerentia preces effundent. A

1220. Hoc Ann. 1220. collecta maiori quam antea Eleemosynarum summa, idem B. Petrus Nolascus Valentiam versus (sicut Captiuis promiserat) iter arripuit; sed cum ad eam propter bella, & viarum Grassatores liber non esset aditus, (obtenta licentia, & saluo conductu a Rege) Algariæ non sine magno maris periculo nauigando Portum tenuit. B Et Ciuitatē ingressus considerauit, & vidit, ac secretò se informauit in quibus Captiuis maius esset a fide apostatandi periculum, ex quibus 160. Christianos Captiuos (quos Deum laudantes feliciter, & lętus nimis secum conduxit, mense Augusti) redemit.

Liberati 160.

Eodem Anno ante festiuitatem S. Michaelis mensis septembris S. Vir Fr. Petrus Nolascus cum suis filijs, & socijs in Palatio regio Conuentum, seu Capitulum celebrare voluit; cui S. Raymundus (sine cuius Consilio Fratres nostri nihil momenti decernere audebant) adesse voluit. Et inter alia docebat eos, quomodo in Eleemosynis procurandis, & Christianis redimendis se habere deberent. Vos (inquit) cum mundanis, & a fide alienis conuersari, nundinari, & consuetudinem habere oportet, & sic caute ambulare decet. Sit in gestu vestro grauitas, in motu simplicitas, in incessu honestas, nihil dedecoris, nihil lasciuię, nihil petulantiæ, nihil insolentię, nihil lęuitatis in vestro incessu appareat; sed cōuersatio vestra Sancta sit, quæ Sarracenos confundat, ædificet Proximos, & Deum glorificet. C Quando vero ad vltra marinas partes transmeare (pro liberandis Captiuis) sit vobis necesse, solertem adhibete curam, inquirendo eos, qui in maiori aīæ versantur periculo; pro quorum liberatione (si Eleemosynę non sufficiat) vos ipsos exponite, & pro eis in pignus manete. Fratres vestros in eo misero, & in felici statu respiciendo consolamini. Si eos paupertas angit, luctus męstificat, dolor corporis inquietat, calamitas vexat, & charos videndi, ac in Patriam reuertendi desiderium agitat, & infestat flete cum flentibus. Mitibus verbis afflictos męrore suspendēdo dicite eis; quod si ad Vesperum demoratur flectus, ad matutinū veniet lętitia. Quod inter flagella, quæ patiuntur, ea delicta quæ in Deū cōmiserūt ad memoriā reuocēt. Et quod iustū, & consonū est, quæ carnis delectatione peccarūt, carnis dolore purgare. Qua salubri, & sancta Consideratione non iā flagella, ipsa Captiuitas sed speciale Altissimi donum cęlitus datum eis apparebat. Nihil aliud in hoc Capitulo in regio Palatio celebrato, ordinatum reperio.

S. Isid. 2. lib. Soliloquiorū.

S. Greg. in Mor.

D Aragones, & Gotholani, fidelissimi nostri Regis Iacobi Subditi, qui (vt supra narrauimus) magna cum difficultate, & ingētibus expēsis suum Regē de Potestate Comitis Montis Fortis, Summi Pontificis auctoritate interueniente liberauerāt, factionibus lancēij, & Ferdinādi Regis Patruorū, regnādi auidorū, & bellis, quę quotidie renasci videbāt, anxij, & soliciti, Oratores suos ad sanctissimā, & prudentissimā Berengariā Castellę Reginā destinarūt; suā sororē Eleonorā in Regis Iacobi vxorē postulātes. Qui legatione feliciter functi, quod postulauerant, libenter a Castellæ Regina obtinuerūt. (Quod si fuisset denegatum, aut prius maturius deliberatum, melius procul dubio foret, & non pauca fuissent euitata scandala, nā inter Personas matrimonio coniungendas, erat clarum dirimens impedimentum.)

1221. Hoc igitur Anno 1221. die 6. Febr. Agredę qđ est Castellę oppidū ad Aragonię fines, factę sunt nuptię, & spōsalitia data sunt (Quibus magno iubilo peractis) Turiasonē Rex, & Regina cū suo magno, & nobilissimo Comitatu peruenerunt. Et in deuotissimo Tēplo S. Marię Campestris (quod vulgariter dicitur de la Vega) solemnia nuptiarum celebrata sunt. E

B Petrus Nolascus de miserorum Captiuorum liberatione, (quos Valentiæ dimiserat) anxius, & solicitus, pro licentia obtinenda, & saluo conductu habendo (contulit se Darocam, vbi hoc Anno 1222. Mense Martij Rgem nostrum inuenit, Conuentum cum suis Primori-
1222. bus, & Magnatibus regni celebrantem, a quo generosa & larga manu ingētes Eleemosynas obtinuit. Ad cuius Regis exemplum Regina Eleonora, fęmina charitate accensa, Sanctius Ahones Archiepiscopus Cęsaraugustanus, & alij Prælati, & temporales Domini dona non pauca, & largas eleemosynas pro redimēdis Captiuis pręfato Redēptori suppeditarūt,

qui-

A quibus bonis adminiculis, & saluo conductu obtento Valentiam cum suo socio (sicut promiserat) accessit. Cuius aduentum miseri Captiui exploratum habentes, palmas sursum eleuantes, & genuflexi communi voce dicebant, Redemptionem misit Dominus Populo suo in afflictione clamanti, & Consolatus est nos. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto spiritu, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Et ad Redemptoris pedes pro voluti magnis precibus liberari poscebant. Vnus dicebant, redime me Domine, & miserere mei, quia vnicus, & Pauper sum ego, & non est, qui me redimat, neq; qui me saluum faciat, nisi tu redemeris me. Alter clamabat, angustiæ sunt mihi vndiq;, & ad talem rerũ conditionem, & statum tormenta, & crudelitates quas patior deduxerũt me, vt vires iã defecerint, & amplius sustinẽdi ipsa mihi desit spes. Respice in me clamore valido alius cõtẽdebat vxorẽ afflictã, filios paruulos, & nubiles filias habentẽ quos in sudore vultus mei, & ĩ labore manuũ mearũ ego solus alebã, & me modo Captiuo fame pereunt. Et deniq; singuli B singulas exponebant, & enarrabant miserias. Quorum iniquam sortem B. Nolascus grauiter miserans de Sarracenorum potestate 209. magis afflictos, & in maiori periculo constitutos breui tempore redemit; Quod Populum Christianum in admirationem deuenire fecit. *Liberati 209.*

Hoc eodem Anno 1222. Sanctissimus Raymundus de Penia forti (vt superius tetigimus) suam professionem emisit in die Sancto Parasceues in Conuentu Sanctæ Catherinæ Ordinis S. Dominici Ciuitatis Barcinonæ. 1222.

B. Petrus Nolascus Generalis Sanctę Redẽptionis Procurator, grauibus Ordinis negotijs præpeditus, nõ potuit personaliter redẽptionis munus exercere, neq; a Ciuitate Barcinonæ discedere. Oportuit.n. Pastorem vigilãtissimum super gregẽ suum, & nouã plãtationẽ vigilare, & excubare, ne famelicus lupus, & inimicus homo, qui inuidia disruptus ne noua plantatio gliscerét, & inualesceret, eã in iuuentute sua perdere conabatur, de damno no- 1223.
C stro gloriarẽt, & exultaret. Ob id Pastor bonus, & diligens Agricola non solũ erat Ordinis regimini valde intẽtus, sed ẽt de Redẽptionis opere, ne aliquo modo posset retardari, specialẽ curã habebat. Hac de causa ad Redẽptionem sequenti anno faciendã in Redẽptorẽ elegit prudẽtissimũ, & zelãtissimũ virũ Fr. Gulielmũ Bassũ, qui libẽter, & toto animi pectore munus sibi iniũctũ suscepit, & diligẽtissimę exercuit. Nã hoc anno suis socijs oẽs fere Ciuitates, Castella, loca, & angulos Principatus Cathalonię, Regnij Aragonię, & totius Dominij Regis nr̃i Iacobi personaliter circuiuit, & ingẽtes a Christi fidelibus eleemosynas recepit. Nã ordini nouo diuinitus fundato, pientissimo charitatis operi intẽto, oẽs fideles Populi generosa manu subministrabant, & Fratres nostros benignissime recipiebant, felices se reputantes, qui eos in domos suas ducere, & trahere possent.

Præfatus igitur Fr. Gulielmus Bassus Redẽptor cõtulit se Cęsaragustam vbi a Serenissimo Rege ibi commorante licentiam obtinuit, & inde Valentiã abijt. Cuius aduentu Zeyt Al-
D buzcytus Valentinus Rex cogitans eum esse B. Nolascum gaudio lętatus est magno; sciebat enim quanta apud Regem Iacobum auctoritate Nolascus pollebat, cum quo Rex Maurus veram, & perpetuam pacem, vel adminus inducias inire exoptabat. Nihilominus alloquendo nouum Redemptorẽ tanto honore affecit eum, vt nonnullos Captiuos Christianos gratis, & sine pretio consignaret, & traderet ei, hac spe vt Fr. Gulielmus cum eis in Aragoniam reuersus, & in Regis Iacobi præsentia constitutus de Rege Mauro magnifice loqueretur, eiusq; excelsam, & amplã liberalitatem quã transiret, celebraret, & Populis narraret. Quibus omnibus feliciter actis potuit Redemptor ab alijs etiam Sarracenis ingenti soluta pecunia plures emere Christianos, qui omnes fuerunt 233. de qua famosa Redemptione, & Regis barbari magnificentia, & liberalitate nostrum Regem cum suo exercitu Cęsaragustæ commorantem Redemptor certiorem fecit, eumq; lætum, & hilarem reddidit. 1224. *Liberati 233.*

Hoc Anno 1225. in Palatio regio B. Petrus Nolascus omnium Fratrum suorum Con-
E uentum, & Congregationem habuit, in qua piã, & religiosam exhortationem fecit, eisq; inter alia præcepit, vt in suis orationibus orarent pro pace, & Ecclesiæ felicitate, pro Sanctissimo Domino nostro Honorio Papa III. a Federico Occidentis Imperatore grauiter diuexato; & similiter pro Rege nostro Iacobo ab Inimicis, & Consanguineis sui regni Prætensoribus præsertim ab Infante Ferdinando potentissimo aduersario iniuste, & indebite molestato; Pro Maurorum, & fidei Inimicorum ab Hispania expulsione; Pro Captiuorum Christianorum liberatione, & vt eis in fide Catholica retinenda Dominus noster Iesus Christus constantiam dare & largiri dignaretur. 1225.

Et denique subiunxit se velle Algariam pro Redemptionis munere explendo pro-

ficisci. Et ne Ordo sua absentia Pastore destitutus maneret, suas vices discreto Viro A Fr. Gulielmo de Basso commisit, eumque suum Vicarium constituit. Et assumpto pro socio Fr. Guglielmo de Sancto Romano optimo Viro Algariam felici nauigatione peruenit; vbi ex Captiuis in maiori constitutis periculo 219. Christianos redemit, & ab alijs segregauit. Sed cum propter excessiuum, & iniustum Maurorum vendentium pretium, & eorum Tirannidem, pecuniæ quas secum nostri Fratres asportabant non sufficerent, Captiuorum Domini Redemptoribus dixerunt; vnum de duobus, vobis eligere necesse est. Aut pecuniam pro his Captiuis quos elegistis modo soluite; aut si ad manus pecunias non habetis eos dimittite, qui nobis sicut antea seruiant, & vos in Hispaniam abite. Quo pij Redemptorũ animi afflictione, & solicitudine repleti remanserunt. Sed continuo decreuerunt pro omnibus Captiuis iam electis, alterum Redemptorum in pignus remanere. Sed inter eos facta est contentio magna, quis eorum videretur maior, dignior, & felicitior, vt pro fratribus suis in scambium remanere, Captiuus haberi, tormẽta pati, & sustinere mereretur, (Vtroq; omni conatu, toto animi pectore, & hilari fronte B animam pro fratribus suis ponere se offerente.) Sed post longam, & sanctam inter eos cõtentionem, & altercationem, Fratris Gulielmi de S. Romano vicit sententia, & Consilium; qui dicebat B. Nolasco; tua vigilantissime Pastor pręsentia, & assistentia pusillus Ordo, & tenellus grex maximopere indiget; & insuper noster Serenissimus Rex, tuo in rebus arduis, qui magna apud eum auctoritate polles Consilio vti solet; & ob id ego his omnibus solutus, & liber effectus, tua Sancta benedictione, & licentia sine qua nihil (dum vita fuerit mihi Comes) facere intendo in pignus pro nonnullis ex his Captiuis remanere libenter decerno, vsque dum pretium transmiseris. Signato igitur pretio, & solutionis pręfixo termino

Liberat. 219. Fr. Gulielmus de Sancto Romano vt Captiuus Algarię remansit. Nolascus vero cum 219. Christianis redemptis hoc solemni, & glorioso Triumpho Dux a Christi militibus secutus Barcinonam ingressus est. Longam habere orationem, & plurima facere verba oporteret C si lingua mea enarrare vellet, quomodo in iucundo, & felici Redemptoris aduentu, & pro Captiuorum liberatione tota Ciuitas commota est. Quibus amplexibus, quibusue pręnimia lętitia lacrymis, Patres & Matres filios suos iam redemptos strictim amplectebantur, vxores liberatos maritos, Barcinonę Ciues, suos Conciues charos Amicos, & Cõsanguineos ad amoris, & pacis oscula recipiebant. Et in medio huius lętitię Captiui gaudio magno repleti annuentes, & B. Nolascum respicientes suis Cognatis, & Amicis magna voce dicebãt;

Tobiæ c. 12. ecce, ecce Pater noster, Dominus, & Redemptor noster, qui nos emit, & redemit, & ab Inimicis nos liberauit, per eum salui facti sumus. Quid dignum poterit esse beneficijs eius, nos sanos reduxit, libertatem nos habere fecit, & vobis gaudium portauit. Quid igitur dignum poterimus dare ei. Tunc dixit eis Nolascus, benedicite Deum cęli, & coram omnibus D viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Quæ cum ad aures nostri Serenissimi Regis deuenissent in Ciuitate Darocę commorantis incredibili gaudio elatus, & hilaritate perfusus Ecclesiam S. Marię continuo visitauit, vbi gratias Deo, eiusq; sanctissimę Matri pro vberrimo fructu quem Ordo a se fundatus in Ecclesia Dei faciebat immortales egit,.

1226. Si B. Petrus Nolascus de miserorum Captiuorum in potestate Sarracenorum detentorum (quos numq̃ viderat, neq. agnouerat) liberatione ita anxius, & solicitus semper erat; quam męstitiam, & solicitudinem habuisse credimus de suo charissimo filio, Fratre, & socio Fr. Gulielmo de Sancto Romano, genere nobilissimo, sed Religionis Christianę zelo, & virtutibus nobiliore in potestate Inimicorum miserabiliter detento, & crudeliter tractato? vt constat ex literis ipsorum Captiuorum ad Ordinem missis. Ob id B. Nolascus pro eius E liberatione non paucos labores, & peregrinationes passus est. Deniq; collecta sufficienti pecuniarum summa, pro qua Socius detinebatur, eam Algariam per Mercatores trãsmisit. Et (pretio Domino Sarraceno integraliter soluto) in Hispaniam, qui ligatus tenebatur, liber ad laudem Dei reuersus est.

Sanctissimus Honorius Papa III. Hoc Anno 1227. nocte, quę pręcessit festiuitatem

1227. Sanctissimi Ioseph Virginis Marię sponsi 18. Martij die Iobis Romę obijt, cum sedisset annos decem, & menses octo. Cui sabato sequenti eiusdem hebdomadę die 20. mensis, Hugolinus Comes Anagninus Episcopus Card. Ostiensis, & Velitrensis Innocentij Papę III. nepos successit, & Gregorius IX. appellari voluit; vt ex ipsis Summorum Pontificũ bullis, & gestis, ac ex Auctoribus, qui eius vitam scripserunt (nemine dempto) manifeste patet. Quod his circunstantijs, & minutatim annotare, & exprimere volui, vt meam senten-

tiam

A tiam circa nostri Ordinis confirmationem (prę̨ter omnium scriptorum spem) esse veram suo tempore innotescat.

Dum hęc Romę agebantur Cathalonię Principatum, præsertim Ciuitatem Barcinonę eius dominij caput, caritas crudelissima, Penuria grauis, & rerum omnium difficultas plurimis incommodis afficiebant, & opprimebant, ita vt res etiam minimę cariores quam antea maximæ venirent, & ad humanam, & animalium vitam frumentum magno oblato pretio difficulter reperiebatur. Ob eam causam hoc Anno 1228. Fr. Gulielmus de Basso, & Fr. Bernardus de Corbaria Redemptores, a B. Nolasco deputati suum munus operecomplere vsq; ad finem eiusdem anni distulerunt. 1228.

Præfati igitur Redemptores vnam nauim Gotholanam ascendentes, Algariam nauigare decreuerunt; sed vix a Citerioris Hispanię maris litore discesserant, & ecce Insularum Balearum Piratę improuiso, & inopinato impetu naues nostras aggrediuntur. Et dum maB ritimi Prędones in naues Christianorum impetum faciunt, & prędæ se accingunt; placuit Deo, & eius Sanctissimę Matri, quod nostri Redemptores, & nonnulli Mercatores nauibus, & bonis omnibus relictis & amissis, vitas & libertatem fuga saluarent.

Multa alia damna hoc eodem anno idem Pyratę a Maioricarum Rege missi cui nomen erat Bethabohihæus, in naues nostras Gotholanas intulerunt, nonnulla nauigia carpentes, & quamplures diuitias, ac magni pretij merces expilantes. Quæ cum Regi nostro Iacobo Tarraconę Commoranti nunciata fuissent, non potuit non tristitia, & dolore de Captiuis, & Captiuorum bonis, ac de Redemptoribus expoliatis affici magno. Et sic ne in Barbaro Rege scusationis aliqua posset remanere occasio, suum Rex noster ad prę̨fatū Maioricarum Regem cum regalibus literis Nuncium destinauit, quibus eum requirebat, vt a rapinis, & latrocinijs desisteret, & quos sui Pyratę in Gotholanis nauibus Captiuauerant, liberare, & cum bonis suis restituere non tardaret. Quod Maurus Rex ægre ferens, parū C defuit quin regium Oratorem (contra ius gentium) perimi coram se faceret. Sed ira furibundi Regis a suis Consiliarijs demolita, Oratorem Christianum sine responso, & sine literis liberum abire permisit. Qui maiori mętu, quam verecundia plenus, Tarraconam peruenit, & Regi, quæ sibi acciderant denarrauit. Quibus grauatim auditis Rex vtpote magnanimus, & in armis strenuus ad adeptionem Insularum Maioricarum voluntatem suam aggregauit. Et ad hunc effectum Barcinonę Prę̨latorum, & Consiliariorum suorum Conuētum habuit. Vbi iuramento, & nonnullis pactionibus interuenientibus, omnes vnanimes bellum Sarraceno Regi inferendum fore statuerunt, & Regem adiuuare promiserūt.

Præfati Redemptores iterum a Rege licentia, & saluo conductu adeptis vnam nauim Gotholanam ascenderunt, & post paucos dies, licet aduerso mare, & hiemali tempore, portum Algarię appulerunt. Et breui tempore ex Christianis in maiori periculo constitutis, D 239. Captiuos redemerunt. Et soluta pro illorum pretio pecunia, nōnulli Christiani, qui hac redemptione redimi non potuerant, cum se in illa misera Captiuitate remanentes animo voluerent, gementes, & flentes, ac vociferantes Fr. Gulielmum Bassum tenuerunt dicentes; non dimittemus te nisi nos liberaueris, aut nobiscum pro nostra consolatione remanseris. Cur nos pater deseris, cur nos desolatos inmanibus Inimicorū relinquis. Incredibilia, & infinita mala in hac seruitute incessanter patimur. Si Deum more nostro Christiano, & Matrem eius purissimam (dum per tempus licet) laudamus, ora nostra ictibus, & pugnis tundūtur, noctu diuq; nulla est nobis requies. Diebus Dominicis & festis quando Deo, & orationibus vacare, ab opereq; seruili quiescere esset necesse, isti maledicti Sarraceni pro vituperio, & despectu nominis, & passionis Christi, ac sanctorum suorum, plus nos hoc Sancto tempore, quam alijs diebus arare, fodere, & laborare faciunt, semper ferreis catenis ad pedes ligatos. Noctu vero in obscuris, & fętidis terrę Cauernis trudimur. Facies nostrę, etiam a Turcarum filijs, & Pueris in publicis vijs, & plateis colaphis cęduntur, & spuuntur, & non est qui eos reprehendat, bene tamen qui laudet, & rideat. Corpora nostra fame, frigore, inedia, ac varijs tormentorum generibus affliguntur. Et quando prę nimia debilitate & labore, corporum vires infringuntur, & diminuuntur, ad laborandum ferreis catenis onusti, ictibus, & percussionibus impellimur. Vnde membra nostra ab istis Rabiosis lacerantur canibus. Minima occasione, imo nulla sępe sępius præcedente causa, in diuersis corporis partibus inhumaniter flagellamur. Respice quæsumus Pater bone tuorum fidelium, & conciuium in membris nostris has cicatrices, & recentia vulnera, in quæ nostri turpissimi hæri, ne nos mancipia sua pereamus, & ne pecunię quibus venundari possumus deperdahtur vnguenta infundunt. Sed quæ inguenta? non delicata, & molia, aut medi-

medicinale oleum, sed aceto sale permixto vulnera nostra perfricantur. Animæ vero (quod magis dolendum est) his diuersis tormentorum generibus periclitantur, nam plurimos ex nostris Concaptiuis, Turcarum hortatu, & eorum blanditijs, promissis, & minis, Religionem Christianam abnegare, & deserere hisce oculis sępe vidimus. Quotquot Captiui, cū non possint citò redimi, vt se a tot malis, & tormentis redimant, habentes in Hispania filios, & vxores viuas, Infidelium filias ducunt in vxores. Tunc Fr. Bernardus de Corbaria alter Redemptor, qui ad hęc Captiuorum afflictorum verba, pias aures porrexerat, pro plurimorum consolatione, & liberatione, & vt in fide Catholica eos persistere faceret, Algariæ remanere voluntarie voluit. Quam Prouinciam Fr. Gulielmus Bassus suis etiam humeris imponere elegit; Sed decuit tunc antiquiorem Redemptorem de Redemptione operata Regi Iacobo, & Ordini nostro rationem personaliter reddere. Et sic Fr. Bernardus de Corbaria inpignus pro nonnullis Captiuis Christianis liberatis Algariæ remansit. Sed Fr. Gulielmus Bassus cum ducentis, & triginta nouem Christianis liberatis in Hispaniam reuersus est.

Liberati 239.

Caput XVII. Rex noster Iacobus ad Dominum Papam mittit S. Raymundum pro confirmatione nostri Ordinis, qui eam petit, sed differtur Bulla expeditio. Ciuitatem Hierusalem Fridericus Imperator, Baleares Insulas Rex noster adipiscuntur, sed lætitia Nuncius diuersus.

1229.

SI bene memini eorum quæ ab hinc vndecim annis in vita Sancti Raymundi passim tetigi, hoc Anno 1229. Gregorius Papa IX. Sanctum Raymūdum, videndi desiderio incensus ad suam Apostolicis literis vocauit Curiam. Quam occasionem oblatam Serenissimus Rex Iacobus præterire nolens, ne tantorum beneficiorum immemor videretur; contemplans etiam Ordinē nostrum in multis Hispanię partibus esse dilatatum, & quantum Fratres nostri in mirifico redemptionis opere proficerent; quosue fructus hæc diuina Domini plantatio Christiano generi esset allatura, vt magis, ac magis in dies cresceret, & augeretur; iudicauit consonum fore, imo necessarium ab eo, qui in terris Christi vices gerit, diuina sue approbationis gratia irrigari. Sine qua nullus Ordo, in Ecclesia Sancta Dei (vt iamdudum in generali Concilio Lateranensi) censetur approbatus, neq; Ordo dictus. Ad hoc igitur munus tam difficile, quale erat, noui Ordinis confirmationem petere, tempore quo de multiplicis Religionum differentię reformatione agebatur, elegit Rex suum Confessarium S. Raymundum diuinæ Reuelationis oculatum testem, qui de nostri Ordinis admiranda fundatione, & incremento Summum Pontificem certiorem faceret, & ab eo confirmationem, paucis ab hinc annis diuo Dominico, & Sancto Francisco pro suis Ordinibus aliquando denegatam, & dilatatam, obtineret. Igitur S. Raymundus Patris Patrum, & Pastoris Pastorum, ac in terris Christi Vicarij, neq; non sui temporalis Domini iussa opere complere volens, & ab eodem Rege testimoniales literas, & totius Aragonię regni, Principatus Cathalonię acclamationē, & pro nostri Ordinis cōfirmatione supplicationem accipiens, suos in Italiam direxit gressus, & prima Decembris huius Anni 1229. (vt Reuerendissimi Magistri Gauer, & Zumel in suis Historijs pręallegatis, & constitutiones antiquę & modernæ affirmant) Perusiā peruenit, vbi tunc Gregorius Papa IX. cum Romana Curia residebat. Et ad intimum Cubiculum Apostolicę domus, facilem qui alijs difficilis esse solet, aditum adinuenit. Et tunc ad suę Sanctitatis pedes prouolutus, magna cordis humilitate, & reuerentia in hęc prorupit verba. Non me quæso (Pater Sanctæ) inobsequētem, aut nimium patrię delitijs indulgentem Sanctitas vestra existimet; eo quod Cardinalem Sabinum Sanctitatis vestrę legatum ad vestram Beatitudinem reuertentem, nō fuerim Comitatus, & antea coram vestra Beatitudine comparuerim. Considerabam enim meam imbecillitatem, & extimescebam, ac indignum, vt coram Sanctitate Vestra comparere possem me reputabam. Sed literis sanctitatis Vestrę acceptis; obedientia quę victimis præponitur, legem nescit, & terminis non arctatur, a me expulsit, & rupit timorem, ac mandatum Apostolicum de comparendo aures meas auditui, linguam voci, manus operi, & pedes itineri libenti animo parauit meos. Et in ipsa via si aliqua fortasse dura, & aspera occurrerunt, suauia mihi, & plana vt Sanctitatis Vestræ mandatum peragerem apparuerunt. Et similiter vt rem nimis seriam magniq;

mo-

A momenti negocium Vestræ enarrem Beatitudini. Tunc regium testimoniū,& regni Aragonię, ac Principatus Cathaloniæ acclamationem, & supplicationem in forma auctentica porrexit; Nostri Sacri Ordinis solemnem Institutionem, insigne & meritorium opus, cui Religio nostra operam nauabat,copiosas,& famosas per Fratres Nostros in Infideliū regnis Redemptiones, superioribus annis factas in pauca retulit: Et se (quando Sanctitati suę placeret,) nostri Ordinis diuinam Fundationem, & Virginis Marię apparitionē narraturum promisit. Quę Sāctissimus audiens,benigne regiū oratorē suscepit. Et cōsiderate perpendēs finē cui Ordo noster incūbebat, continuo decreuit supplicationē petitā concedere, & Oratorū humilibus votis annuere. Sed nō statim (pro rei grauitate vt maturius res tāti momēti perpenderet) confirmationis Bullā expediri iussit. Interim S. Raymundū in suo Apostolico Palatio, hospitio accipi pręcepit. Postea considerata eius Sācta cōuersatione, & sciētia probata, prouidētiaq; circūspecta, in arduis Apostolicę Sedis rebus, Raymundi Consilio 1229.
B vtebatur,& pręcipue in graui negotio, quod prę manibus habebat; An scilicet deberet Fridericum Cęsarem Romanum ob multa dāna contra Ecclesiastica iura illata meritò excommunicatū; absolutionē per suos Oratores Archiepiscopū Messanensem,& magnū Teutonicorū Ordinis Magistrū instanter petentem, ab excōicationis vinculo absoluere. Qui Imperator licet hoc eodem Anno Ciuitatē Sanctā Hierusalē fuisset adeptus, & die Sancto Paschatis magno apparatu, & solemni Pompa eā Sanctam Ciuitatem in qua dominus noster Iesus Christus eodem loco & tempore fuerat expoliatus,& spinis Coronatus,subiugasset,& se regem Hierosolymitanum appellari,& coronari fecisset; totum hoc fuit fraudulenter, & dolose perpetratum, pręcedentibus prius illicitis, & indignis inter ipsum Imperatorē, & Soldanum inducijs,& pactionibus in magnum dedecus, & Christianæ religionis damnum quod postea rei probauit euentus. Et sic Sanctissimus Pontifex de Cardinaliū voto & S. Raymundi consilio absolutionem petitā husq; ad debitam satisfactionē fore denegandam
C decreuit, licet postea idem Pontifex eidem Imperatori de nouo fraudulenter veniam petēti, pepercerit, quod facere non licebat. Vnde Sanctę Ciuitatis recuperatio, & captura per Imperatorem Fridericum dolose facta, & victorię huiusmodi Nuncius non tantum attulit Christiano orbi gaudium,quantam lętitiam ortam credimus ex adeptione Insularū Balearicarum quas hoc similiter Anno de Sarracenorum Potestate Rex noster gloriose liberauit. Vnde Dñi Dei nostri singularis resplēdet prouidētia, & misericordia elucet immēsa. Ipse enim percutit, & sanat, humiliat, & subleuat. Fridericus Rex dolosus ineundo fędus cum Soldano,& Sarracenis Ecclesię Inimicis multa intulit dāna; Margaritam pretiosam, & inextimabilē gēmam vendidit,& porcis immundis Thesaurum dedit, qui suo immenso valore Orbem Christianum ditare,& felicem reddere poterat. Cum Antioco vasa Dei contaminauit,cum Acab vineam Dei prophanauit,cum Apolonio spolia Tēpli domini dirupit,insidias occulte secundum nequitiam adinuētionum suarum apposuit, & se putridum atq; fœ-
D tidum Ecclesię membrū effecit. At Deus clemēs,& misericors suscitauit in Ecclesia Sancta sua spiritum Iacobi Regis nostri,qui cum Saracenis fędus non iniuit,neq. eorū iacula,& minas timuit, Potentiam,& Regis Maioricarum iactantiam contempsit, vineam Dei propagauit, altaria ditauit, cum Zorobabel, & Iosue Templum erexit, imo Templa quinq; millia,(vt eius enarrat Historia) in quibus Deus immolatur,& colitur,& suos ab iniquo,& Tyranno Rege Captiuos redemit.

In initio huius Ann. 1230. S. Raymundus ad Summum Pontificem accessit a quo humiliter nomine regio Bullam confirmationis pro Ordine nostro petijt. Cui Sanctissimus imposuit,vt diuinā visionem enarraret,& quo Titulo nouus Ordo intitulari,& sub qua Regula militare deberet, quo colore,& forma habitus Fratres eius,indui vellet, ostenderet;& deniq; de omnibus minutatim rationē coram se redderet. Cui S. Raymundus, non sine lacrymarum fonte (Beatissime Pater) loqui homini licet. neq; mea lingua enarrare sufficit, 1230.
E quę ab hinc Annis 12. Cal. Augusti hisce vidi oculis. Reginā vidi Angelorū, magna Sanctorum,& Sanctarū comitatam caterua, sole splendidiorem, & luna pulchriorem ab Altissimo filio suo missam,vt a Rege, & filio Sanctitatis vestrę Iacobo Ordo institueretur, qui in honorem eiusdem Virginis Ordo B. Marię de Mercede, seu de misericordia diceretur. Cuius Fratres ad imitationem sui filij Redemptoris nostri, (qui genus humanum e potestate Demonis eripuit, & duram sustinuit mortem) Christianos Captiuos de Infidelium manibus etiam cum proprię vitę dispendio (si necesse foret) liberare deberent. Quę diuina Angelorum Regina eadem nocte pręfato Sanctitatis Vestrę filio Regi Iacobo, & honesto Viro Petro Nolasco ad eundem effectum apparere dignata est. Hæc est (Pater Sancte) vo-

luntas

luntas Dei, & matris. Quantum vero ad regulam sub qua hic Ordo militare debeat, si Sanctitati Vestrę placet, maximopere exopto, quod in hoc imitetur Religionem filij Vestri Dominici, ab immediato Sanctitatis Vestræ Prędecessore confirmatam, huic nouo Ordini concedendo Regulam S. Augustini, quam mea Religio seruat. Et vestes hi noui Ordinis Fratres in honorem puritatis gloriosissimę Virginis Marię albas omninò gestent. Hęc, & alia tanto diuino spiritus feruore, & ardore Raymūdus enarrauit, quod Summi Pontificis animum, de Friderici scelere, & proditione anxium, suspensum, & quasi in extasi eleuatū per aliquod temporis spatium teneret. Sed in se Pontifex reuersus, subleuatis in celum oculis, & aperiens os suum, hoc modo orando Domino dicebat. Domine Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuę resistere voluntati. Tu fecisti cęlum, & terram, & quicquid cęli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est, qui resistat maiestati tuę. Et nunc Domine miserere Populi tui, quia volunt nos Fridericus, & sequaces eius perdere, & hæreditatem Ecclesiæ Sanctę tuę delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti. Conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ne claudas ora te canentium. Fiat Domine voluntas tua in terra sicut in cęlo. Et conuersus ad Raymundum dixit ei; placet placet, fiat tibi sicut uis, & sicut nomine Regij filij nostri Iacobi petis, & ex nunc proponimus præfatam, & petitam confirmationis Bullam in forma gratiosa tibi dare, & expediri iubebimus quando in Hispaniam reuertaris, modo enim tuo Consilio, & literarum præstantia in rebus arduis, & magni momenti negotijs opus est nobis.

Hest. 12.

A

B

Post aliquot dies Summus Pontifex (vt diximus) S. Raymundum suum Capellanum, & Pęnitentiarium Apostolicum, ac inter alios specialem suum Confessarium elegit, ac Decretalium compilationem ei commisit. C

1230. Nostrum Ordinem fuisse confirmatum hoc Anno 1230. a sua fundatione duodecimo omnes affirmant, non solum nostri scriptores, sed etiam externi: Quod in corpore nostrarum Constitutionum est expressum, & nullus vsq; in pręsentem diem de hoc dubitauit, neque ego in historijs parum versatus, tot diligentissimis, & doctissimis Viris, vno ore, & vna voce loquentibus, & communi opinioni vsq; in hanc diem receptę me opponerem, neque nouam & contrariam post tot secula suscitare, & diuulgare auderem, si ipsa met Bulla confirmationis, ratio, & veritas (quæ omnia vincit) non essent in contrarium, vt suo loco clarissime demonstrabimus.

Caput XVIII. B. Bernardus de Corbaria, & Concaptiui Christiani in Captiuitate crudeliter tractantur. Raymundus deplicamans nobilis Vir situm emit, vbi fuit prima Ordinis domus fabricata.

MISSIS modo quæ in Europa, & Italię partibus agebantur, in Africam reuertamur ad Ciuitatem Algariæ vbi anno præterito B. Bernardum de Corbaria Redemptorem in pignus pro decem fidelibus Captiuis sub crudeli Sarracenorum potestate reliquimus. Inhumani igitur Sarraceni certiores facti de insigni Regis nostri victoria; & quomodo iam Baleares Insulæ in Christianorum deuenerant potestatem; non modica de festis, & iubilo, quæ in Catholicorum terris vbiq; peragebantur inuidia liuidi, & de nostra prosperitate furore pleni, inceperunt omnes crudelius quam antea suos torquere Captiuos; pręcipue B. Bernardum de Corbaria eo quod Fratres suos Concaptiuos verbo atq; exemplo recreabat; Debiles, & pusillanimes ad retinendam Catholicam fidem confirmabat, męrore, & tormentis oppressos futuræ redemptionis citò faciendæ spe ad tolerandum, & sustinendum animabat. D E

Quem Mauri crudeles in opprobrium Religionis Christianæ, & vt aliquo modo vindictam de parta victoria summerēt; in vijs publicis, & Ciuitatis plateis ignominiose depalmabant, pugnis fortiter percutiebant, & absque pietate pesundabant. Et ad ignem, ignem, & ad dolorem, dolorem addentes, & adiungentes, dum suis sacrilegis pedibus Virum innocentem conculcant; ignominiosis verbis, dedecore, & infamia opprobrabant. Quæ omnia Bernardus (qui valde iuuenis erat) diuina confortatus virtute propter honorem, & amorem Dei Redemptoris nostri, & propter Fratres suos, qui in eisdem supplicijs & tormentis versabantur, & cruciabantur animo forti, & patienter tolerabat. Sed quod patienter

A ter sustinere non potuit, fuit atrocitas, & crudelitas Maurorum in quosdam inutiles, & Captiuos senes, quos eorum Domini varijs, ac diuersis tormentorum generibus coram oculis suis necarunt. Quam crudelem mortem, & vltimum supplicium in B. Bernardum de Corbaria, & in iuuenes Captiuos absq; pietate exsequerentur, si pretium, & pecunias quibus Redemptor detinebatur, & quibus Captiui fortes redimi poterant, recuperandi, & habendi firma spes Tyrannos a Tyrannide non retraheret. Vnde vitium a vitio fuit victum, & Auaritia crudelitatem superauit, ac vehemens, & insita pecuniæ recuperandę opinio homicidium retardauit, & furorem fręnauit.

Hæc aliena supplicia, occisiones, & Captiuorum tormenta, quæ lacrymosis suis Beatus Bernardus de Corbaria oculis respiciebat, intimo, & interno sui cordis dolore, ac si ea ipse in corpore suo pateretur sentiebat. Vnde suis oculis in cœlum eleuatis iusto viuorum, & mortuorum iudici dicebat. Iustus es Domine, & iudicia tua recta sunt, vindica sanguinē seruorū tuorum Captiuorum, qui effusus est in terra; vt superbi, & inhumani Saraceni a deprauatis vijs retrahantur, & miseri Captiui ab infœlici statu eri-
B piantur. Et cum per plures menses in hoc infœlici statu, & misera Captiuitate detentus maneret, suam libertatem non quęrebat, sed circa suos Concaptiuos omnia charitatis opera exercebat. A Mauris occisos, noctu sepelliebat, Elemosynas quas a mercatoribus habere poterat (sui omnino oblitus) magis indigentibus erogabat, & nihil quod bonum, & fidelem Captiuorum Redemptorem decet, facere omittebat. At nonnulli mercatores Gotholani Barcinonam reuersi, miseratione commoti, ea quæ Algariæ perpetrari viderant, in regio Palatio vbi B. Nolascus cum Fratribus suis commorabatur, & in vniuersa Ciuitate deseminarunt, & nunciarunt, lacrymisq; & dolore omnes a maximo vsque ad minimum repleuerunt. Vnde tam ex pecunijs antea collectis, & aggregatis, quam ex eis quas de nouo pro ea vrgenti necessitate Fratres nostri receperunt, ingentem earum copiam coadunarunt, & per mercatorum literas ad B. Bernardum de Corbaria eas miserunt, quibus Redemptor se ipsum (vt ei præceperat B. Pater Nolascus) & 269. Captiuos redemit. *Liberati 269*

C Huius famosissimæ Redemptionis rumor, & vberrimi fructus fama, qui per Fratres nostros Redemptores in Ecclesia Dei fiebat, per vniuersum terrarum orbem, & præsertim per afflictam; & miseram Hispaniam in apertum prolatus, & promulgatus, Religionem nostram celebrem, & famosam reddebat, & nostrorum Patrum eximiam charitatem plurimis laudibus omnes commendabant, & ad cœlum vsque magnificis præconijs euehebant. Quæ cum ad miserorum Captiuorum in Bætica detentorum aures peruenirent, ipsimet afflicti Captiui per suas literas in Patrum nostri Ordinis fidem se conferebant; & per viscera Dei nostri eiusque sanctissimæ Matris, a crudelissima Maurorum tyrannide per nostras manus liberari supplicabant. Quorum miserijs S. Petrus Nolascus condolens, & de eorum liberatione anxius Fr. Gulielmum de Basso, & Fr. Berengarium de Cassano hoc anno 1231. in Redemptores pro Redemptione in Vandalia facienda deputauit. Qui gnaui, & solertes Redemptores accesserunt ad Regem nostrum Iacobum a quo licen- *1231.*
D tiam proficiscendi, & suum fauorem, & literas, qui in alienam regionem adibant contenderunt. Quos Rex læta fronte, & benigne suscepit, & quod postulauerant gratiose concessit. Deinde inuenerunt quendam nobilissimum Virum Raymundum de Plicamans appellatum, qui licet esset ciuis Barcinonensis magna etiam in Castella, & in tota Hispania pollebat auctoritate, a quo similiter suum fauorem postularunt. Quibus Raymundus respondit; obtentis Regis nostri fauorabilibus literis, quæ vobis satis sunt, quodcumque nostrum studium, sedulitas, aut diligentia superuacanea, & inania iudicari meritò debent; sed ne cogitetis in cordibus Vestris me Vestri Ordinis (quem in visceribus gero,) non esse studiosum; scribam Reginæ Castellæ Dominæ Berengariæ, & eius filio Ferdinando III. recenter ad Regni fastigium sublimato, quos ad charitatis opera propensos inuenietis. His igitur adminiculis a magnatibus, & Christi fidelibus ingentes elemosynas receperunt, quibus hoc anno ex *Liberat. 225*
E Granatæ regno 225. Christianos redemerunt.

Vt ait S. Papa Leo in serm. de ieiun. validiora sunt exēpla, quam verba, pleniusopere docemus, quam voce. Nam vt ait S. Ambrosius super Psal. Beati immaculati, insitum est bonis, vt Castum Pudicus, Prudentem sapiens, & misericors liberalem affectu pio diligat. *S. Leo Papa. S. Ambrosius.*

Sic nostri primi Patres, qui simplices, & mundi corde erant, plus opere quam sermone suæ vitæ honestate, castitate, & eximia misericordia post se Viros pudicos,

sapientes, & liberales trahebant. Religiose, & exemplariter viuendo intra aulam regiam, ac suis famosis Redemptionibus quam plures nobiles diuersarum Nationum, & Regionum Viros honestate pudicos, sapientia præstantes, & charitate liberales institutũ nostrum amplecti effecerunt. Sed cum eos regia domus præ ipsorum multitudine capere non posset, omnes vnanimes, & conformes a Curia regia, & a Secularium multitudine diuertere exoptantes, (vt feruentius Deo, & Redemptionis operi vacare commodius possent) a regio Palatio discedere decreuerunt. Sed imprimis a Serenissimo Rege humiliter licentiam expostulandi B. Petro Nolasco curam demandarunt. Et in super inter eos fuit Decretum quod situs, & locus in quo prima domus fundaretur, extra Ciuitatẽ diligentissime perquireretur.

1232. Hoc Anno noster Parens Nolascus ab eisdem Bęticæ Captiuis instatus, & rogatus, deputauit in Redemptorem F. Berengarium de Cassano, & in eius socium Fr. Dominicum Doso, qui a Rege Iacobo Tarraconæ commorante licentia obtenta, magnis itineribus ad Castellam peruenerunt. Die igitur S. Leonis Papæ 11. Aprilis coram Eleonora Regina cõparuerunt, eique retulerunt filium suum Alphonsum, quem ipsa nutriebat, fuisse vnanimiter ab omnibus Ecclesiasticis, & Secularibus Personis Regni Aragonię, ac Principatus Cathaloniæ verum & legitimum hæredem declaratum, & receptum. Quo Regina nobilis vehementer lætata est, & Redemptoribus pro redimendis Captiuis auxilium suum, & largas elemosynas generosa manu largita est. Quo & alijs adminiculis in fine huius anni ex Vandalia 189. Christianos liberarunt. B

Liberati 189

Superius de nobilissimo Viro Raymundo de Plicamanibus mentionem fecimus; cuius strenuitas, animi fortitudo, & in gerendis negotijs dexteritas in tota celebrabatur Hispania. Hic fuit ille famosus Dux, cui Rex noster Iacobus in Balearicarum Insularum expugnatione, totius suæ classis administrationem commisit. Erat valde potens & diues, & super omnia bona sua multum misericors, & erga Pauperes valde liberalis, quibus larga manu bona sua erogabat. Qui habens notitiam eiq; cum esset delatum B. Petrum Nolascum esse nimis anxium, & solicitum in perquirendo loco, in quo cum Fratribus suis extra Curiam regiam, & Ciuitatẽ vitam religiosam, & quietam degere valeret; accessit ad Gulielmum de S. Iacobo, a quo emit quendam locum Arenalis, a litore maris parum distantem, in quo & iuxta quem nulla erat fabricata Domus, quia nostri Fratres fuerunt primi, qui in eo loco fabricare inceperunt. Quem nobilis Vir Raymundus ad nostrum institutum, valde opportunum, & commodum iudicauit; vt nos quibus quotidie ad partes vltramarinas transmeare erat necesse, iuxta mare habitaremus. Hoc igitur Anno 1232. emit illum locum continentẽ (vt antiquissimi instrumẽti verba fideliter repetã) sex Dextros, & mediũ Arenalis. Aduentãte igitur die S. Laurentij, (in qua consueuit in memoriã fundationis fœstũ solẽne in Ordine celebrari) prętatus Dominus Raymundus coram magna nobilium, & populi multitudine, & frequentia, illum situm & Arenalis locum gratis dedit, & consignauit Sancto Petro Nolasco Procuratori Redemptionis; vt constat ex instrumento publico, quod Magister Gauer se vidisse, tenuisse, & legisse fatetur in sua Historia, & vsq; ad sua tempora in Archiuio nostri Conuentus Barcinonę permansisse affirmat. Post paucos dies accessit Nolascus ad Regem cum timore & reuerentia, & gratias pro tot fauoribus agendo, discedẽdi licentiam petijt humiliter ab eo. Quod Rex ægre tulit, sed nolẽs eũ contristare, licentiã cõcessit, & donationẽ prędicti Arenalis non solũ confirmauit, sed eã extendit vsq; ad aquas maris. Vnde vsq; ad aquas maris est locus ille sub dominio, & proprietate nostri Cõuentus Barcinonę. Et tã donationis Dñi Raymundi, quã cõfirmationis regię, & extẽsionis asserbãtur in eodẽ Conuẽtu instrumẽta publica, vt idẽ Magister Gauer in sua Historia. Sed ne Rex Ordine nostro (quẽ in oculis ferebat) maneret omnino orbatus, Conuersus ad B. Nolascũ dixit ei; est nostra voluntas quod aliqui ex nostris Fratribus (sic nos semper vt diximus appellabat) sint perpetuis futuris temporibus Capellani nostri, & quemadmodum hucusque sic deinceps domum nostram inhabitent. In qua pro salute nostra, (dum vita fuerit nobis Comes) pro Populorum nostrorũ pace, pro nostra ad laudem Dei prosperitate, pro Maurorum expulsione, & Captiuorum fidelium redemptione; & post obitum nostrum pro anima nostra, & successorum nostrorum preces effundere debeant. Quæ B. Nolascus se executioni demandaturum promisit. Fuit deinde in dicto loco extructus famosus ille, & celeberrimus Conuentus quem modo cernimus; licet vetustate & tot luibus (vt suo loco dicemus) in peius ruentem, & deteriorẽ factum. Hunc locũ Rex Iacobus, præfatus Raymundus, & multi alij Domini, ac Magistri Generales, & Priores redditibus plurimis locupletarunt,

Gauer.

C D E

A tarunt, & auxerunt, quod est totius Ordinis Caput. Deinde a B. Nolasco fuerunt in Redemptores Deputati Fr. Arnaldus de Pratis, & Fr. Bernardus de Tona. 1233.

Hoc Anno 1233. die S. Crucis Maij B. Nolascus in Palatio regio Fratrum suorum habuit Conuentum. In quo inter alia fuit Decretũ, quod Fratribus ad eleemosynas procurãdas deficientibus, si alias extra Ordinẽ recipere esset necesse, illas solũ ad hoc munus exercendum admitterent Superiores, quæ essent honestate, fidelitate, & exẽplari vita condecoratę. Quæ antequam admitterentur, prius iurare super quatuor Dei Euangelia deberent, quod fideliter, sincere, & sedulo (quantum humana fragilitas permittit) Patribus Redemptoribus, seu Redemptionis Procuratoribus oẽs, & quascũq; Eleemosynas receptas consignabunt. Et similiter iurẽt quod euitabũt quodcũq; dãnũ, & infamiã, quę Ordini nostro possent euenire. Quod si iurare recusauerint, nullo modo admittant. Si aũt pręfata oĩa adB implere, & obseruare promiserint, veste alba cum scuto Ordinis in loco patenti gestando superindui debeant. Decreuerunt insuper Patres, quod domus in Arenali extruenda, S. Eulalia intitularetur, in honorẽ eius Sanctæ Virginis, & Martyris Ciuitatis Patronæ, in cuius Cathedrali Ecclesia nouus Ordo noster institutus est. Et similiter quod domus de nouo acceptandæ eodem Titulo decorarentur.

Pręfati Redemptores cum suis Procuratoribus magnam regij dominij partẽ circuierũt, & Eleemosynas non paucas a Christi fidelibus receperunt. Deinde die 5. Iulij eiusdem anni ad Burrianæ oppidum peruenerunt, vbi Rex cum sua regali Curia, & exercitu moram trahebat; a quo & ab alijs Principibus, & magnatibus munera, & Eleemosynas recipientes, Valentiam profecti, ibi plurimos labores, & discrimina passi sunt. Sed gratia diuina confor-C tati de Inimicorum manibus 197. Captiuos Christianos redemerunt. *Liberati 197*

Gregorius Papa IX. totis suis viribus procurauerat, quod inter Regẽ nostrum Iacobũ, & Dominam Violantem Regis Hungariæ filiam, matrimonium contraheretur. Quod hoc Anno 1234. fuit iuratum, & conclusum die 20. Februarij in Ciuitate Barcinonæ, vt Zurita in suis Annalibus. 1234.

Caput XIX. De Tempore, & anno, quo Religio nostra fuit confirmata contra communem opinionem.

D SICVT refulgens Fœbus reliquis Planetis, quibus suum splendorem præbet, præstare videtur, sic historia dignitate sua, & splendore alijs scribendi modis longe excellit. Ipsa enim Temporis longitudinem amplectitur; imo est verus temporum Testis, memoria publica, rerum veterum memoria, antiquitatis commemoratio, rerum gestarum expositio, omnium secretorum memoria, vita memoriæ, & magistra vitæ. Sed prima excellentia, & virtus eius est, vt vera narret, quia veritatis est lux vera, quæ illuminat hominem venientem in mundum. Et quamuis aliquando ex rationabili causa picturam æmulando, soleat pulchra magnificare, & extollere, turpia si tolerabilia sunt dissimulare, si latere non possunt, mitiori vocabulo nominare; nunquam tamen debet a veritate declinare, neque in annorum computatione errorem committere, aut ab alijs etiam grauissimis Viris commissum dissimulare, inglomerare, & implicare. Sed historiographus debet libere veritatem (nullo habito respectu) palam proferre, ne cum errantibus errorem committere videatur, aut cæcorum ducatum sequendo in foueam ipse voluntarie cadat. Vnde quò quisq; doctior est, eo E solertior, & acutior atque in veritate indaganda sagatior debet esse; in eo enim quælibet negligentia, & incuria vituperanda est. Nam propter auctoritatem suam, & famam iam adeptam, & comparatam opinionem, cum sit mundo celebris, plurimos habebit sequaces, qui suis dictis, & scripturis (nulla alia facta, aut adhibita diligentia) facillime adhærebunt; & sic errando, multis errandi ansam, & occasionem præbebit, & cæcorum ipsæ cæcus Ductor erit. Grauissimus fuit Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum, qui suum opus perfecit Vrbini Anno Domini 1499. quinta die Augusti, sed nolens se bene informare de habitu nostri Ordinis patentem, in libro 7. cap. 5. commisit errorem asserendo, quod Fratres nostri Ordinis atram Crucem gestant. In quem manifestum errorem traxit post se Raphaelem Volaterranum in Anthropologia, libr. 21. qui suum opus dedicauit Iulio Papę II. qui Ecclesiam Dei regere cępit Ann. Domi-

Cicero. *Ant. Nebric.*

ni 1503. & multos alios vt Bartholomęum Cassanęum parte 9. consid 9. Lęlium Zecchium A
de Republica Ecclesiast. 2. Cap. de Religionum dist. hi Graues Auctores non solum errarunt, sed alijs in errorem incidendi ansam præbuerunt. Similiter Polidorus primo, deinde Volaterranus, & eorū sequaces alium manifestum committendo errorem, multis errandi occasionem dederūt, asserentes; Regem nostrum Iacobum, qui fuit eius nominis primus, duos militum Ordines in Aragonia fundasse, nostrum scilicet de Mercede, & Ordinem de Montesia, quod vltimum falsum est. Nam militia Montesiæ non a Iacobo I. sed a Iacobo II. fuit Instituta, sub Ioanne Papa XXII. a quo Summo Pontifice fuit confirmata, & nō a Gregorio IX. qui per plures Annos Ioannem XXII. præcessit, vt constat ex confirmationis Bulla, quam in mea potestate habeo, cui maior fides quam doctorum sententijs adhibenda est. Ego igitur licet inter scriptores nostri Ordinis, qui de nostra Religione tractant sim vltimus, & minimus (si scientiam, & sufficientiam respicias) nullus tamen meo videri (si me non mea fallit opinio) in inquirendis Summorum Pontificum Bullis, & Literis B
Apostolicis, atq; ex registro in forma auctentica extrahendis, & ad Vrbē ex Hispania nullis expensis parcedo transportandis, maiorem solertiam quam me hucusq; adhibuit. Nam in Romana Curia commorando, ibique per plures Annos moram trahendo, hęc mihi commoda fuerunt. Inter plures igitur Bullas, quæ ad meas deuenerunt manus, Gregorij Papæ IX. Bullam originalem, nostrum Ordinem Confirmantis accepi, vidi, tenui, & diligenter intuitus sum, eamque attente legi, & perlegi, quæ est tenoris sequentis.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorū Dei. Dilectis filijs magistro, & Fratribus domus Sanctæ Eulaliæ Barcinonensis. Deuotionis vestræ precibus inclinati, præsenti vobis auctoritate concedimus, vt cum nondum aliqua; sit a vobis ex Religionibus approbatis assumpta; B. Augustini possitis Ordinem profiteri. Datum Perusiæ 16. Calend. Februarij Pontificatus Nostri Anno octauo. C

Hoc est verum eius Bullæ transumptum, & cum suo originali concordat; & nostri Ordinis auctores incipiendo a Reuerendissimo Gauer vsque ad hęc tempora, & similiter omnes externi mentionem de confirmatione nostri Ordinis facientes (nemine dempto) expresse affirmant fuisse nostrum Ordinem confirmatum a Gregorio Papa IX. sui Pontificatus Anno octauo. Videamus ergo quo Domini nostri Iesu Christi Anno, Bulla hæc fuit expedita; quod facillimo negotio colligi poterit, & concludi, si aliqua repetamus. Gregorius igitur IX. (vt superius minutatim aduertimus) fuit creatus Ann. Domini 1227. die 10. Martij, & sic annus sui Pontificatus secundus incepit die 21. Martij, An. Dñi 1228. Et annus sui Pontificatus tertius incępit 21. die Martij Anni Domini 1229. & sic de singulis vsque ad octauum Annum, qui incepit die 21. Martij Anni Domini 1234, & per durauit vsque ad diem 20. Martij pręsentis Anni 1235. Quo Anno die S. Antonij Abbatis 17. D
1235. Ianuarij fuit noster Ordo confirmatus, & non Anno 1230. Hæc sunt vera & clara, cui veritati iam in lucem editę, nullus sanę mentis se opponere, vel contradicere audebit. Et qui huic veritati reclamare fuerit ausus, affirmando cum communi sententia nostrum Ordinem non hoc Anno 1235, sed Anno 1230. fuisse confirmatum, alterū de duobus fateri necesse est; aut asserere Gregorium IX fuisse ad Summū Pontificatum assumptum Ann. Domini 1222. vt octauus huius Pontificis annus esset, annus Dominicę Natiuitatis 1230.; aut asserere in literarum originalium scriptura, fuisse commissum errorem; idest quod vbi Bulla dicit nostri Pontificatus Anno octauo, deberet dicere Anno tertio. Primum inconueniens per nullam potentiam dari, aut excogitari potest; quod si vltimum profiteri liceret, vehementer gauderem, ne ab opinione communi tantorū virorum, & grauissimorum Doctorum auctoritate fulcita, & vallata, ac antiquitate corroborata dissentire viderer. Secundo hanc meam sententiam confirmo, ex Bullæ ipsius verbis. Constat enim E
Oratores a Summo Pontifice confirmationem postulantes, fuisse magistrum, & Fratres Domus S. Eulaliæ; si ergo vt tenet communis opinio fuit noster Ordo confirmatus Ann. Dñi 1230. ex eo anno tenebatur B. Petrus Nolascus magister Ordinis dici, & eo Titulo, sibi a Sede Apostolica ex dono speciali, & gratia concesso, in instrumentis, & scripturis vti; sed transactis duobus Annis hoc Apostolico Titulo non vtebatur, sed adhuc antiquum a Rege nostro datum retinebat; ergo noster Ordo non fuit confirmatus præfato Ann. 1230. Minor probatur, nam (vt supra diximus) quando Ann. Dñi 1232. fuit emptum illud arenale, & nostro primo Patri concessum in concessionis scriptura, & auctentico instrumento

facto

A facto coram notario, & Testibus, & coram nostris Fratribus Capitulariter Congregatis; ibi noster Primus Pater B. Petrus Nolascus non Magister Generalis, sed Procurator Redemptionis inscribitur, ergo signum est euidentissimum, quod ante illum Annum 1232. non erat noster Ordo confirmatus. Nec est credendum, aut dicendum, nostrum primum Patrem totius Ordinis auctoritate Apostolica Magistrum, Caput, & Superiorem, voluisse propter suam humilitatem, & simplicitatem omittere honorificum Titulum sibi a Summo Pontifice concessum, & eo non vti, in instrumento ad perpetuam rei memoriam facto, suis Fratribus, & subditis præsentibus. Tertio confirmatur hæc veritas ex eadem Bulla, nam Patres nostri quandiu in regio Palatio moram traxerunt, non Fratres S. Eulaliæ (sicut eos Bulla nominat) appellabantur; quia Capella, & Aula regia in qua S. Nolascus cum suis filijs habitabat, nunquam fuit nominata S. Eulalia, si ergo Bulla est directa Magistro, & Fratribus domus S. Eulaliæ, asserendum est, Bullam fuisse expeditam Anno quo Primi nostri Patres morabantur in domo Arenalis, quæ vocatur S. Eulalia, & non quando moram trahebant in Aula regia; sed illud Arenale fuit emptum Ann. Domini 1232. ergo non ante sed post istum annum fuit Bulla expedita. Quis vero tot grauissimis Viris vsque in præsentem diem errandi occasionem dederit, fuit ille celebris, & doctissimus Magister Gauer, quem propter literarum suarum prestantiam, & opinionem adeptam reliqui nostri Ordinis Auctores (nulla alia adhibita diligentia) secuti sunt; & me post se sua auctoritas aliquando traxit. Sed solertius Bullam præfatam legendo, tam ab eo quam a sequacibus suis dissentire decreui. Veritas quippe inquirenda est non a riuulis, qui sunt auctores, sed a fonte, & a textu hoc est a Bulla originali, vt est textus in c. ieiunium 76. dist. & sic non est mirãdum, quod extrahens veritatem ex liquido, limpido, claro, & puro Gregorij IX fonte, a communi doctorum sententia discedam. Communis enim opinio non attenditur, quando contraria habet validas, & meliores rationes, l. 1. §. sed neq; ex multitudine, c. de verb. enucl. Dec. in c. 1. lectura, num. 29. de constitutione. & in Consilio 271. nu. 13.

Sed quia veritas odium parere solet, nollem ex hoc quod Fratres mei, & filij Matris meæ pugnarent contra me, & exprobrantes, & iniurijs me onerantes, odio me gratis haberent, & dicerent mihi per singulos dies; quod duo mala feci Matri, & Religioni meæ, antiquitatem eius in qua consistit Religionum pulchritudo, & excellentia minuendo, & ansam præbendo, quod aliæ Religiones propter hanc nouitatem, quę dissimulari poterat, nostram Religionem pręcedant. Nam Præcedentia earum Religionum, quæ post Præfatum Lateranense Concilium institutæ sunt, debet attendi pœnes confirmationem Apostolicam; vt Reuerẽdissimi Domini Rotę Auditorio prępositi passim decernunt. Hæ sunt tacitę obiectiones quibus facillimo negotio satisfaciam. Et in primis absit a me contra Matrem meam Religionem, cuius sum (licet indignus) legitimus filius, & nullam aliam pręter eam etiam per breue tempus, veneratus sum Matrem, aut habere excogitaui; absit in quam a me tanti sceleris D nota; imo tantum abest me eam in minimo offendisse, vt Romæ commorando nullis tẽpore hiemis & magni caloris, laboribus parcendo, mei oblitus, Religionem, & Matrem meam gratijs, & priuilegijs Apostolicis quantum in me fuit ditare fuerim semper conatus, vt suis loco, & tempore patebit. Non enim me latet contrarium perpetrando, & me indeuotum erga Matrem meam ostendendo, veri filij, & Religiosi nomine me indignum reputari. Auelle (vt ait Petrus Rauę.) a sole radium, & non lucet, riuum a fonte, & arescet, ramum ab arbore, & exiccatur, membrum a corpore, & putrescit, & a deuotione erga Patrem, & Matrem separa filium, & iam non est filius, sed frater Diaboli. In quam pœnã nõ incidit filius, & hæres, qui euoluendo Parentum suorum census, scripturas, & legata, & scrutando quo iure sint adepta, & possessa, & cui obligata, si inuento quodam antiquo instrumento, quo plane constat mortuos Parentes fuisse authoratos, & ad quinq; millia scuta soluenda obligatos, illud instrumentum quod erat occultum patefaciat, & debitum ingenue, & voluntarie soluat. Nam profecto debitum iuste & misericorditer atq; prudenter a filio indicatur, & iniuste contra propriã conscientiã, & non sine dolo ab eo occultatur, daret enim occasionem, quod illud in tenebris inuoluendo (si filius habet vnde soluat) ad soluendum ab externis, & a Iudice coactus compellatur, qui suauiter, & faciliter ex bonis paternis soluere poterat. Hoc exemplum a me allatum clarissimum est, & ob id non indiget applicatione; solum ad maiorem abundantiam, & ad nostram consolationem affirmo; nos huius sacræ Religionis filios, & hæredes, esse valde diuites, & plurimis bonis paternis abundare, & sic commode posse sine præiudicio, & sine Ordinis diminutione illos quinq; annos quos Patres nostri confirmationi Apostolicę applicauerant, & tribuerant, fun-

Margin notes: B (beside "tres morabantur"); C (beside "cl. Dec."); E (beside "nue, & voluntarie"); 1235. (right margin, top); Petrus Raue. in quodam sermone.

1235. fundationis tempori restituere. Qua solutione facta, & debito soluto Religio nostra ditissima remanet, & sua antiquitate plurimas Religiones Congregationes, & Ordines militares præcedit, post confirmationem nostram fundatas, & fundatos, (licet ab aliquibus non iure antiquitatis, sed alias ob causas præcedatur;) & sunt quæ sequuntur. Religio seruorum Virginis Mariæ, qui sunt mendicantes. Ordo vallis collium. Congregatio bonorũ hominum. Congregatio Siluestrinorum. Congregatio Monachorum Cęlestinorũ a Cęlestino Papa V. in minoribus constituto fundata. Ordo S. Pauli Primi Eremitæ, cuius Fratres vestes omnino albas gestant. Ordo militaris Montesię. Ordo militaris Iesu Christi. Ordo militaris Garterię in Anglia institutus. Ordo Sanctę Brigidę. Ordo Iesuatorum, qui sunt mendicantes. Congregatio Monachorum Montis Oliuetani. Congregatio vitæ Communis. Congregatio S. Hieronymi de Pisa. Ordo Apostolinorum. Congregatio S. Hieronymi de Fesulis. Ordo S. Gregorij de Alga. Congregatio S. Hieronymi, a lupo de Olmedo instituta, quæ floret in Italia. Ordo Ambrosianus. Ordo Minimorum S. Francisci de Paula. Ordo Clericorum Regularium boni Iesu. Congregatio Clericorum Regularium S. Spiritus. Congregatio Canonicorum regularium S. Saluatoris. Congregatio Theatinorum. Congregatio Cisterciensis S. Mariæ Fullens. Ordo Capuccinorum. Ordo militaris S. Stephani. Congregatio Clericorum Regularium de Somascha. Religio Iesuitarum, qui sunt mendicantes. Religio Clericorum Regularium Infirmis ministrantium. Congregatio Clericorum Regularium Minorum. Ordo Ioannis Dei. Et similiter post nostri Ordinis confirmationem fuerunt in Hispania institutæ Congregationes S. Benedicti, S. Bernardi, S. Hieronymi; & Carmelitarum discalciatorum. De quibus omnibus me Deo dante acturum ad longum promitto, sicut de Ordinibus, Religionibus, & Congregationibus nostram Religionem præcedentibus iam egi: Quod opus (vt huic nostræ Chronicæ vltimam ponerem manum) Typis mandari non potuit. A B C

Deniq; vt immunis culpa omnino reddar, & a Religioso Lectore omnis euellatur scrupulus, & nulla in eo, me persequendi remaneat occasio; dico præfatum Gregorium IX. qui nostrum Ordinem confirmauit; nullum alium Ordinem nouiter institutum toto sui Pontificatus tempore confirmasse, (quod ego sciam) præter militiam Iesu Christi Parmæ, & Congregationem Canonicorum Regularium S. Marci Ciuitatis Mantuæ. Inter quas & nostram Religionem præcedentiæ lis versari non potest, quia quæcumq; Religiones etiã Mendicantes, & Monachales non possunt prætendere neq; se opponere Canonicis Regularibus, neq; Ordinibus militaribus Cruce signatis. Ergo de primo ad vltimum, hæc mea opinio, seu potius veritas, in lucem hodie edita, nullum pręiudiciũ nostræ Religioni affert,

Caput XX. Qualiter S. Raymundus reuersurus in Patiam, nostri Ordinis confirmationis Bullam obtinuit, cuius breuitas ponderatur, & arcanum in breuitate contentum declaratur. Et Decretales literæ ad fauorem nostri Ordinis interpretantur.

SVMMVS Pontifex Gregorius suo Confessario Raymundo licentiam in Patriam redeundi sępe petitam denegauit. Imo vt in Curia Romana commorandi occasionem haberet, Decretales Epistolas, & Constitutiones in diuersa volumina dispersas, ad communem vtilitatem in vnum redigẽdi; curam & onus eidem imposuit. Et eadem causa Bullam confirmationis nostri Ordinis sæpe etiam petitam, dare distulit. Sed cum Vir Sanctus incidisset in morbum, & Medicorum iudicio sanari non posset, nisi patrio solo restitueretur, non potuit nõ Summus Pontifex sui Confessarij saluti consulere, & sic ei hoc Anno 1235. facultatem D
1235. in Hispaniam reuertendi, & Bullam originalem confirmationis concessit. Cuius Bullæ tenor (vt vidistis) breuis est, & Compendiarius, quod non vacare misterio ostendemus. Sed multi eam Bullam legentes, & arcanum, & secretum in breuitate contentum non calentes, admirati sunt valde. Quorum admiratio indies crescit, dum aliarum Religionum confirmationis Bullas in ampla, & extensa forma concessas legunt. Solent enim Summi Pontifices Religiones de nouo erectas, & Congregationes nouiter institutas confirmando, in Bullis, & Literis Apostolicis confirmationis, Regulam & Constitutiones aliquas inserere; E

A rere; vel Religiosis Oratoribus confirmationem postulantibus nouas Constitutiones condendi facultatem concedere,& multa alia ad decorem fauorẽq; Religionum,Supplicãtibus generosa manu largiri. 1235.

Innocentius Papa III. confirmando Religionem Sanctissimę Trinitatis, in confirmationis Bulla inserit Regulam quinquaginta quinq; Paragraphos continentem ab Episcopo Parisiensi,& ab Abbate S. Victoris compositam. Sub datum Romæ Ann. Domini 1198. 16. Cal. Ianuarij ann. sui Pontificatus primo.

Honorius III. qui immediate Innocentio III. successit, confirmando Religionem fratrum Minorum in confirmationis Bulla inserit Regulam S. Francisci duodecim capita continentẽ. Sub datũ Laterani 3. Cal. Decemb. sui Pontificatus ann. 8. Si ergo hic est mos in confirmationis Bullis vsitatus, quare Gregorius IX. qui immediate Honorio III. successit, suorum Prędecessorum vestigijs inhęrere recusat, & insolita & minus fauorabili B vtitur breuitate?

Et insuper Paulus Papa III. confirmando Congregationem Clericorum Regularium de Somascha, a Hieronymo Miani nobili Veneto institutam, nouas leges, & cõstitutiones condendi facultatem Oratoribus dedit. Sub datum Romæ apud S. Marcum Ann. Domini 1541. sui Pontificatus ann. 6.

Si his fauoribus Religionum Institutores, & Oratores, confirmationem petentes, Sedes Romana prosequi solet, quare Summus Pontifex Gregorius, in nostri Ordinis cõfirmationis Bulla (postq̃ eius expeditionẽ per quinquenniũ distulerat) ea breuitate, ita Cõpendiarie vti voluit? Potuerunt ne in Christi Vicario nostrã Religionem cõfirmante, benignitas, humanitas, liberalitas, & gratias conferendi voluntas deficere? & in Ordine nostro confirmato defuerunt ne merita, vt non sicut cęteri Ordines, fauoribus Apostolicis donaretur, & cõdecoraretur? cum Religio nostra laudabiliter per annos decem & septẽ a sua primęua insti- C tutione, in Charitatis,& Redemptionis operibus se incessanter exercuerat, de quibus omnibus Pontifex fuerat a suo Confessario bene & ad satietatem informatus. Si non in sua Sanctitate confirmante, neq; in Ordine confirmato voluntas,& merita defuerunt, quomodo a munifica,& liberali Summi Pontificis manu, munusculum ita paruum,& exiguum emanauit? defuerunt ne in Iacobo Aragonum Potentissimo Rege cum vniuerso suo Dominio, & Cathaloniæ Principatu rogante, & Summis precibus supplicante Religionis Christianæ zelus, animi magnitudo, & Regia maiestas de sede Apostolica benemerita? aut in S. Raymundo Oratore Regio, defuerunt magna Sanctitatis signa, religio probata, literarum præstantia,& informandi, aut persuadendi modus, magnaq; Energia? minime gentium. Quid ergo? nihil certe quidem. Pro quo est sciendum, quod Summus Pontifex Gregorius IX. attente considerans innocentem,& inculpatam sui Sancti Confessarij vitam, morum honestatem,& insignes virtutes,& quam longe in iure Canonico, & scientiarum notitia proces- D sisset; & similiter contemplans quam deuincta, & obligata huic Sanctissimo Viro propter Decretalium compilationem, & plurimos labores patienter, per quinquennium toleratos Sedes Romana remansisset; & quomodo pro laborum suorũ pręmio, aut aliquo alio iusto, licito, & honesto titulo Archiepiscopatum Tarraconensem, & alias dignitates atq; beneficia Ecclesiastica, ei a sua Sanctitate oblata; se humiliter scusando, acceptare renuisset (quia solum animæ suæ, & Proximorum suorum saluti consulere exoptabat) voluit quod in Patriã reuersus, munera quę in Curia Romana exercere solebat, etiam in Hispania ad laudẽ Dei cum spirituali multorum lucro; & cum plenissima potestate gereret, administraret, & tractaret. Et sic dedit ei auctoritatem,& facultatem causas laboriosas hæreticorum cognoscẽdi, & eos absoluendi. Quod inter Inimicos, & aduersas factiones pacem bonam inire deberet. Quod periculum faceret,& se informaret, an sacrum Lateranense Concilium, & ea E quæ Ioannes Cardinalis Legatus in Hispania salubriter statuerat, ad vnguem obseruarentur,& de his oĩbus sanctitatem suam certiorem faceret. Quod in Hispania,& absens a Curia Romana eam potestatem Pęnitentiarij Apostolici qua Romæ vtebatur, & fungebatur, haberet & exerceret. Et non solum hoc, sed in Hispania existenti Sedes Apostolica grauissima,& ardua commisit ei negotia; videlicet Episcoporum Confirmationes, seu Prouisiones de Episcopis,& Abbatibus faciendas. Deniq; de tanti Viri Prudentia,& suaui dispositione Summus Pontifex in Domino confidens; id quod in præfata confirmationis Bulla deesse videbatur, suo confessario supplendum,& perficiendum commisit Dedit enim ei viuę vocis Oraculo facultatẽ Apostolicã primo Generali Magistro habitũ verę Religionis tradendi, Constitutiones nouas condendi, & Prptectionẽ nostri Ordinis (sua vita durante) habẽdi.

Im-

1235. In primis clarissimum est, & inter omnes constat, Constitutiones quas habemus, in duas distinctiones diuisas, esse in essentialibus, imo easdem numero de verbo ad verbum extractas a Constitutionibus, quas in exordio Religionis S. Dominici, recte ordinauit S. Raymundus pro sua religione, & in forma bona redegit, ac in duas partes diuisit; cum prius essent confusę, vt narratur in vita eiusdem Sancti. Non tamen S. Raymundus qui prudens & sapiens erat, voluit nostris primis Patribus, & Ordini nostro Pusillo, ac tenello gregi omnes Constitutiones suas simul & semel vno (vt dicunt) ictu imponere; sed solum imposuit eas, quas Patres nostri in iuuentute religionis, & teneris annis substinere poterant, qui simplicitati, & charitatis operibus incumbebant; & pręter hoc aliquas de nouo condidit nostro instituto congruentes. Deinde vero noster Ordo vires reassumens, & indies crescens, in diuersisq; mundi partibus florens Constitutiones omnes a S. Raymundo bene ordinatas noster Ordo amplexus est. A

Quod autem S. Raymundus a præfato Gregorio IX. Bullam confirmationis nostri Ordinis obtinuerit, & suis manibus habitum Religionis Primo Generali Magistro imposuerit, manifeste constat ex literis Decretalibus Clementis Papę VIII. pro Canonizatione eiusdem Sancti Raymundi, ex quibus duos Paragraphos de Instituto, & Confirmatione nostri Ordinis, memoriam facientes, extraximus, & sunt qui sequuntur. B

Cum itaq; eius hortatu Petrus Nolascus Gallus, Vir pietate, & opibus affluens, (cuius ipse Confessiones audiebat) in pauperum sustentationem, ac præcipue in Captiuorum Redemptionem, bona sua erogaret, diuinitus factum est, vt gloriosissima virgo eadem nocte dicto Petro, ac ipsi Raymundo, nec non Jacobo Regi Aragoniæ appareret, eisq; significaret, sibi filioque suo gratissimum fore, si in honorem suum, Ordo Religiosorum fundaretur, a quibus Christiani sub dura Barbarorum Tyrannide degentes, redimerentur. Jta Ordo Beatæ Mariæ de Misericordia, seu de Mercede Redèmptionis Captiuorum primo institutus est. Quem Fr. Raymundus vt illius auctor ad certam viuendi Regulam, ac Religionis formam redegit, eiusque confirmationem post aliquot annos, a Gregorio Nono obtinuit, primoque Generali Magistro suis manibus Religionis habitum imposuit. C Hæc sunt expressa verba, Domini Alphonsi Iesualdi Episcopi Ostiensis, Archiepiscopi Neapolitani, Sacri Collegij Decani, Sacrorum Rituum Cōgregationi Pręfecti, quæ Typis impressa & ad singulos Cardinales, & ad alios Prælatos transmissa fuerunt. Quas Decretales sua Illustrissima Dominatio prius in plurimis Congregationibus cum reliquis Cardinalibus, & Rotæ D Auditoribus per longum tempus bene discussas, & euentilatas super causa Canonizationis Sancti Raymundi in Consistorio retulit, easq; Sāctissimus Clemens Papa VIII. de omnium Cardinalium, & Prælatorum voto approbauit. Quibus sine temeritate nullus contradicere potest. Hæc igitur verba in dictis duobus Paragraphis contenta, noster Sacer Ordo Speciali reuerentia, & obseruantia venerari, & colere debet, quia maximopere ad excellentiam & nostræ Religionis decorem conducere videntur. In primis Summus Pontifex nostrum Patrem, & Patriarcham B. Petrum Nolascum multum commendat asserendo; quod erat Vir pietate, & opibus affluens. Ac si diceret; ijs quæ inter se contraria videntur pietas, & opes, speciali dono & Dei gratia, Nolascus affatim affluebat, & in eo simul reperiebantur. Inueniebatur in eo, vera Pietas cum iustitia, Deo grata, Dominum concilians, necessitudines fouens, Dei cultura, iustorum Tribunal, egenorum Portus, Miserorum suffragium, indulgentia Peccatorum, diuini cultus religiosa deuotio, grata omnibus, ex benignę mentis dulcedine auxiliatrix, quæ antequam importunis Pauperum flecteretur pręcibus, nouerat eos fatigatos. Pietas inquam quæ vt ait Ambrosius in libro de viduis est vera merces, & Pius homo, diues, & verus est mercator; nam Pauperibus dando, ipsi Pauperes citò duplicatum fructum reddunt. Vnde Nolascus mercator optimus, fœnerator ęgregius dando quæ retinere non poterat, recipiebat quæ non poterat amittere, & modicum dādo recipiebat centuplum, & eius dona augebantur, & crescebant, & ditior fiebat. Insuper non erat hic noster Patriarcha, sicut cęteri diuites, qui superbię ęgritudine nimis labo-

S. Petr. Chry. — E (margin)

S. Ambrosius.

Hugo. Cassi.

bo-

A borant. Morbus enim diuitiarum, & opum, vt ait S. Augustinus serm. 29. superbia est. 1235.
Et difficile est, vt non sit superbus, qui diues est. Non sic Nolascus, quia etiam si diuitijs; & opibus affluerct, cor suũ in eis (sicut solent auari) nõ apponebat; sed animo generoso, & ingenuo eas in Pauperum sustentationẽ, ac præcipue in Captiuorũ redẽptionem erogabat. *Vnde diuinitus factum est, vt gloriosissima Virgo Maria, &c.* agit Summus Pontifex de diuina nostri Ordinis fundatione. Pro quo singulari beneficio, tota nostra Religio, huic Summo Pontifici eiusq; Sanctissimę sedi obligatissima remanet. Nam licet quãdiu Clemens Papa VII. Sub datum die 21. Octobris, Ann. Domini 1530. (vt supra diximus) & alij Sũmi Pontifices, & nouissime his diebus Paulus Papa V. qui fœliciter sedet sub datum Romæ 10. Cal. Septemb. sui Pontif. an. 2. in suis bullis, ad fauorem nostri Ordinis concessis, nostram Religionem fuisse diuinitus apparitione gloriosissimæ Virginis fundatam clara verborum expressione dicant; hoc tamen retulerunt in principio, & in narra-
B tiua bullarum suarum; non sic Clemens Papa VIII; sed disponendo, decernendo, statuendo, & ex Fratrum suorum Cardinalium voto determinando; quæ iuxta doctorum sententiam valde distant. Vnde deinceps nullus erit, qui contra hanc Summi Pontificis determinationem, & maturam declarationem ambigere, aut in ancipite esse possit.

Eisque significauit, sibi filioque gratissimum fore, si in honorem suum, Ordo Religiosorum fundaretur, a quibus Christiani sub dura Barbarorum tyrannide degentes, redimerentur. Notanda sunt verba, ecce quomodo institutione, & nostri Ordinis fundatione fuit gratissimum Christo Redemptori nostro eiusq; Sanctissimæ Matri factum obsequium. Et quia filij, & Matris (quantum ad hoc) vna est voluntas, fuit Decretũ quod noster Ordo in honorem Matris fundaretur, & in Captiuorum Redemptione filium
C imitaretur. Magna profecto dignitas, & infinitus fauor alijs Religionibus nunquam concessus, quod Redemptor noster Christus, æterni Patris filius, gratissimam haberet nostri Ordinis fundationem, nosq; voluerit eligere tamquam instrumẽta sua, & in laborioso Redemptionis opere in socios, & adiutores, vt iugum quod ipse collo suo imposuit, nos simul cum eo portaremus, eumq; adiuuaremus. *Ita Ordo B. Mariæ de misericordia, seu de Mercede Redemptionis Captiuorum, primo institutus est.* Hic est honorificentissimus Titulus, quo sedes Romana nrũm Ordinẽ condecorat. *B. MARIAE*, i genitiuo casu significat possessionẽ; idest quod noster Ordo, nõ est proprie alicuius Sancti, sed Reginæ Sãctorũ. Si Carmelitana Religio se iactat, ab Elia Propheta originẽ duxisse, Canonici Regulares ab Apostolis, Canonici Regulares Mãtuæ ab Euãgelista Marco, Fratres Cruciferi a Martyre Cleto, Eremitarum Ordo S. Augustini ab hoc Ecclesiæ doctore, Prædicatorum Re-
D ligio a Dominico Confessore, Cassinenses Monachi a Benedicto Abbate, Camaldulenses a Romualdo Eremita, Discalciati Carmelitæ a Virgine Teresa, & Fratres Brigitani a S. Brigita Vidua; multo excellentius maioriq; lætitia se noster iactare poterit, quia est Ordo B. Mariæ, Reginæ Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Doctorum, Confessorum, Abbatum, Eremitarum, Virginum, Viduarum, & Sanctorum omnium vt cantat Ecclesia. *De misericordia.* Noster Sacer Ordo se exercere debet circa opera misericordiæ, quæ est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio Peccatorum, Iustos probans, sanctos roborans, & cultores Dei ostentans. Nihil vt S. Ambrosius de officijs tam commendat Christianum, quàm miseratio charitatis. His igitur misericordiæ operibus Fratres nostri debent esse intenti ad imitationem nostri primi Parentis S. Petri Nolasci; de quo dicit Summus Pontifex, quod bona sua in Pauperum sustentationem ero-
E gabat, quem multi Patres, & Superiores nostri Ordinis secuti sunt, de quibus inferius agemus. *Seu de Mercede.* MERCES in hoc loco non significat præmium quotidianum quod pro labore, & stipendio Mercenarijs dari solet. Nos enim non sumus serui mercede conducti, sed filij Dei, & eius Sanctissimæ Matris sub gratia constituti; vnde pro laboribus, miserijs, periculis, calamitatibus, & alijs incommodis, quæ in munere Redemptionis explendo patimur & sustinemus; nullum aliud pręmium præter æternum expectamus. Gratis enim & Dei amore Fratres nostros redimimus. Significat igitur MERCES in hoc loco gratiam, & fauorem vt vulgariter nos Hispani dicere solemus hazedme merced y fauor, & Itali dicunt fatemi gratia. Et sic Ordo de Mercede, idest de

1235. gratia, & beneficio interpretatur, quod Fratribus Captiuis sine stipendio, & pręmio A impendimus. *Redemptionis Captiuorum*. De Redemptione Captiuorum multa diximus, & plurima vsque in finem huius nostrę Chronicę (Deo dante) dicemus. Pro nunc sufficiat dicere, quod nulla est Religio in Ecclesia Dei, quę habeat Deum, ita appropinquātem, & similem sibi, sicut nostra. Christus animam suam posuit pro Fratribus suis, & nos pro Fratribus nostris Captiuis animas ponimus. Christus habet pro Matre Mariam, & filius Marię vocatur, & nos sumus specialiter filij eius. Sed venit mihi in mentem, quod hoc Redemptionis opus quotquot exercent, pręter Fratres nostros, illud administrāt ex humana commissione, & speciali Superiorum hominum facultate, qui eam concedere voluerunt, & valuerunt, & eadem facultate qua huiusmodi commissionem concesserunt, possunt ad libitum reuocare. Imo ipsimet Redemptionis Nuncij, & Commissarij sic creati, & ab B hominibus constituti, cùm voto speciali non astringantur, possunt eam facultatem, & cōmissionem deponere, & omittere; at vero hoc Redemptionis Captiuorum opus, est nobis natiuum & innatum, & de cœlo datum; & cum quarto speciali voto ad eius obseruantiam astringamur, non possumus nos illud deponere; neq; homines sub Elemento lunari constituti quacumque fungantur potestate, aut dignitate (ex nostra parte demeritis præcedentibus nullis) illud auferre a nobis possunt. Ex dictis infero quod cum fuerit voluntas Christi, & consequenter sanctissimæ Trinitatis, (quia Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est voluntas) vt in Ecclesia Sancta Dei, noster Ordo pro Redemptione Captiuorum fundaretur, tenētur omnes Superiores Spirituales, & Temporales, nos in hoc munere, & instituto nostro defendere, ꝓtegere, & in ꝑpetuū cōseruare, q̄a hoc beneplacitū, & grauissimi est Deo eiusque purissimę Matri. *Primo Institutus*. Idest hæc fuit prima nostri Ordinis institutio, & C & fundatio; Prima in quam, respectu secundæ, q̄n post aliquot annos vera Religio facta est.

Sed est aduertendum quod Summus Pontifex nominādo tres illas Personas, primo loco nominat B. Petrum Nolascum, & meritò quidem, quia licet totæ tres Personæ fuerint nr̄i Ordinis coadiutrices cohortando, adiuuando, & voluntatē diuinā, & Virginis Mariæ beneplacitū exequendo; solus B. Nolascus, vt Persona intima, & intrinseca Religionis nostræ habitum induit, & solus ipse mansit intra Religionem indutus, & per annos 31. totius Religionis pōdus, & Redēptionis labores vsq; ad mortē laudabiliter, & patiēter sustinuit. Aliæ vero duę Personæ, licet Ordinē nr̄um defenderint, & adiuuauerint; erāt tñ quasi extrinsicę, idest a foris extra Religionē ei auxilia mittētes, Raymūdus spiritualia, & Rex Iacobus tpalia.

Secundo aduerto quod Sūmus Pontifex in p̄fatis duobus paragraphis ad nr̄um Ordinē pertinentibus, bis nominat S. Raymundum; primo loco quādo ei apparuit B. Maria, & tunc nō Fratrē Raymundū, sed Raymundū tantū appellat, & meritò q̄dē quia (vt diximus) Cal. D Augusti An. Dn̄i 1218. q̄n facta est diuina reuelatio S. Raymundus erat Clericus secularis sine dignitate, & nulla superioritate Apostolica, aut regia fungebat. Qd̄ manifestum, est in ipsis Decretalibus per hęc verba. *Cum autem in Ciuitatē Barcinonensem Fratrū Pręd icatorū Religio, quæ tunc ēt maxime florebat, introducta fuisset, Raymundus, q̄ ad perfectiorē vitæ statū anhelabat, dictorū Fratrū pia cōuersatione allectus, quadragesimūquintū circiter annū agens, mūdi gloria, & fallacibus seculi honoribus contēptis, eū Ordinē die Parasceues anni ducētesimi uigesimi secūdi supra millesimū est ingressus.* Ex dictis colligo S. Raymūdū die fundationis nr̄i Ordinis, q̄n primo Institutus est, cū esset merus Clericus secularis sine dignitate, & iurisdictione nō potuisse neq; E debuisse tradere habitū B. Nolasco. Quia actus ille solēnissimus publicus, & dignus expectabat ad primā Barcinonę sedē, q̄a erat actus dignitatis, & prioritatis, & dignitas declarat ex prioritate sedis, vt Canonistæ C. exore de priuile. c. 1. & c. statuimus de maior. & obed & cū Ep̄us primā Ecclesiæ Cathedralis sedem occupet, ad ipsum exercere hūc actū expectabat.

Secūdo cū Ep̄us sit culmē dignitatū in sua iurisdictione dēt quoscūq; suę Diœcesis præcedere, vt c. 1. de Pręben. & Iason in lege Imperium in 4. colum. ff. de iurisd. omnium iudic. Ergo S. Raymundus Canonista celeberrimus, & Doctissimus, qui Bononiæ publicæ legerat, & docuerat, cum esset Episcopo subditus Vir valde humilis non auderet, etiam si a Rege sibi iniungeretur habitum primo Fratri tradere in præsentia sui Episcopi, & sui Prælati, ac Superioris. *Quem Ordinem Fr. Raymundus, vt illius auctor*

lam

A iam Summus Pōtifex S. Raymūdum, Fratrem Raymundum appellat propter opera, quæ Religiosus effectus circa nostrum Ordinē exercuit, quæ ordinate sequuntur. Auctor vocatur, eo quod suo hortatu, & consilio, ac salutis monitis B. Nolascum ad charitatis, & præcipue ad Redemptionis opera excitabat, & fuit causa quod noster Ordo fundaretur, non totalis, & omnimoda, sed partialis; quia tribus æqualiter Personis eadem apparitio eadem nocte facta est. Hoc significauit auctor antiquus, qui parum post S. Raymundi obitum floruit in libro in membranis manuscripto Tabellis ligneis operto, cui Domini Rotæ Auditores non dubiam fidem adhibuerunt. In quo libro capit. 37. de Ordine misericordiæ ait *Consulente igitur Fratre Raymundo, ac Summo Pontifice approbante inchoatus fuit Ordo ille, cuius Ordinis Fratres circa prædicta multipliciter proficerent.* 1235.

B Si ergo hic grauissimus Auctor Dominicanus, in loco præallegato fatetur, nostrum Ordinē fuisse inchoatum S. Raymundo consulente ergo nō fundante neq; instituente, sed consiliū præbente, & coadiuuante. *Ad certam viuendi Regulam, ac Religionis formam redegit*. Iam Pontifex enarrat, quæ Fr. Raymundus Religiosus factus in nostro Ordine egit. Videlicet reduxit Ordinem nouum ad certam viuēdi regulā, non ex approbatis ab Ecclesia Romana, quia eam dare, aut concedere facultatem militandi sub aliqua regula ad solū Romanum Pontificem attinebat, Sed sua sciētia, prudētia, & experiētia nostris primis Patribus tradidit certum viuendi modum nostro Instituto competentē, & accommodatū,

C qui esset via, & dispositio ad veram Religionē. Docebat enim eos castitatē seruare, sine proprio viuere, & suo maiori parere, vt veros Religiosos decet. *Eiusque confirmationem post aliquot annos a Gregorio IX. obtinuit*. Idest est transactis decem, & septem annis ab institutione, obtinuit a Gregorio IX. Apostolicam confirmationem. Sub datum Perusiæ die 17. Ianuarij sui Pontificatus an. 8. Idest Ann. Domini 1235. vt diximus.

Caput XXI. Qualiter S. Raymundus in Hispaniam reuersus primo Generali Magistro, habitum religionis imposuit. Landatur S. Raymundus, & eius Religio.

D PERACTIS igitur in Romana Curia quinq; annis ad natale Hispaniæ solum cum gratia Dei, & Summi Pontificis benedictione reuertitur S. Raymundus ætate sexagenarius, Apostolicus Pœnitentiarius, & circa ardua negotia suę sanctitatis Commissarius. Quo autem mense huius Anni 1235. a curia discesserit, non plane constat. Sed non difficulter mihi persuadeo, morā in Italia traxisse, vsque dū S. Dominicus Hispanus sui Ordinis Fundator cū quo multā habuit familiaritatam in sanctorum Confessorum numerp reponeretur. Quem Gregorius IX. hoc anno Reatæ 3. Idus Iulij inter Sanctos Confessores retulit. Deinde S. Raymundus licet propter dignitatem suam, & munus Apostolicum quo fungebatur, & propter senectutem immensosque labores tam animi, quam corporis Curiam Romanam sequendo

E perpessos, liceret ei cum aliquibus famulis, qui ei in via deseruirent incedere; numquam tamen toto tempore vitæ suæ Religiosam paupertatem, & humilitatem amittere, aut deserere voluit. Et sic quatuor sui Ordinis Fratribus comitatus, iter pedibus conficiens, Barcinonam Patriam suam peruenit; quam propter nuptias inter Regem nostrum Iacobum, & Violantem Hungariæ Regis filiam celebrandas, totam lætitia magna, & iubilo, ac hospitibus, & Aduenis plenam inuenit. Sed ipse qui vanitates seculi declinare solebat, ad suum S. Catherinæ Conuentum accessit. Cuius aduentu non modica oēs Fratres spiritus Consolatione recreati, & repleti sunt. Imo tota Ciuitas certior facta de tanti conciuis aduentu dignissimā se reputabat. Inuisit S. Raymundus profunda humilitate, Ecclesiæ Prælatos, qui ob nuptias aduenerāt, & Barcinonæ Episcopū, ac Serenissimum Regē, cum quo perlongum habuit sermonem, eiq; legationis sibi impositæ rationē reddidit, & Bullam cōfirmationis nostri Ordinis pręsentauit. Qua Rex lętatus est vehemēter, attēdens qđ Ordo a se in iuuētute sua fundatus, iam per Dei, & Sedis Apostolicę gratiā

1235. inter Apostolicas Religiones, & Ordines enumerabatur. Et Aduocato B. Nolasco (qui A similiter Sancti Viri, & Patris sui aduentu, incredibili gaudio affectus est) fuit inter eos statutum, quod in Cathedrali Ecclesia S. Crucis (quia nondum nostra Ecclesia erat expleta) S. Raymundus munus Apostolicum executioni demandaret. Sed antequam ad habitus collationem accedamus, nos exponere oportet vltima verba in illis duobus Decretalium paragraphis contenta. *Primoque Generali Magistro suis manibus Religionis habitum imposuit.* Non dixit Pontifex primo Fratri, sed primo Generali Magistro. Possumus enim considerare B. Petrum Nolascum duobus modis, primo modo in quantum primum Fratrem, & in hoc statu consideratus vixit sine Regula approbata, licet cum aliqua religionis forma a Beato Raymundo sibi tradita, suo (vt diximus) statui competente, incipiendo a die 10. Augusti Ann. Domini 1218. vsque ad hunc annum. Vixit inquam cũ habitu militari ab Episcopo imposito, & scuto Ordinis, quod de Regis manibus susceperat. Secundo modo possumus considerare nostrum Patriarcham Nolascum post expeditionem Bullæ confirmationis, in qua Bulla Summus Pontifex eum Magistrum Generalem appellat. Hoc posito fundamento infero, quod si S. Raymundus suis manibus posuit Religionis habitum B. Petro Nolasco, fuit tempore quo per Sedem Apostolicam, poterat dici, & appellari magister Generalis, & non tempore Institutionis, & Fundationis, quando hoc Titulo vti non poterat. *Religionis habitum.* In hoc loco loquitur Summus Pontifex de Religione vera, & perfecto modo sumpta. Quia verba a Principe, & a Summo Pontifice (matura deliberatione, & consideratione) prolata non imperfecto, sed perfecto modo intelligi debent. Et sic credere debemus Summum Pontificem fuisse locutum de habitu Religionis stricto modo sumptæ ad differentiam habitus militaris ad instar Religionis, qui sine auctoritate Apostolica fuit Beato Nolasco in fundatione nostri Ordinis traditus. Nam habitus ille quẽ Berengarius Episcopus nostro primo Patri, & Fratri cõtulit, non fuit habitus Religionis verę bene tñ via & dispositio ad illã. Nulla.n. ante confirmationẽ Apostolicã in Ecclesia Dei censẽ Religio, vt Cõciliũ Lateranẽse a me citatũ celebratũ sub Innocentio III. Ann. Domini 1215. tribus videlicet annis ante nostri Ordinis fundationem statuerat, & decreuerat cuius hæc sunt verba. *Ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat firmiter inhibemus, ne quis de cætero, nouam Religionem inueniat, sed quicumque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assummat.* Sed hac occasione posset aliquis nostros tres Religionis nostræ Institutores, & Fundatores increpare, quod temere, & inconsulte egissent contra præfata Concilii verba, recenter in lucem edita. Iacobus Rex nouum Ordinẽ contra hoc concilium fundando; S. Raymundus hortando, adiuuando, & consulendo; & B. Nolascus Religionis nouæ habitum suscipiendo. Et grauius omnibus S. Raymundus, qui erat celebris Canonista, & Doctor ęgregius; & ob id nullam ignorantiæ excusationem adducere poterat. Cui obiectioni facillimo negotio respondere possumus asserendo, quod prædictum Concilium inhibet ne quis nouam Religionem proprio animi motu inueniat, quæ in Ecclesia Dei possit confusionem inducere. Non tamen loquitur cum nostri Ordinis Institutoribus, qui non proprio motu, & ad humanum libitum Religionem nouam inuenerunt, sed diuino impulsu, & cęlesti motu, per Deiparæ Virginis Mariæ reuelationẽ significato, & ostenso, ipsi fuerunt diuini beneplaciti, & voluntatis Dei exequutores nouũ ordinem Fundando, qui suo sanctissimo Instituto, & officio nõ confusionem, sed admirationem, & ædificationem in Ecclesia Dei induxit. Secundo respondeo, quod præfatum Concilium, non inhibet Regibus, & Principibus pro suorum subditorum remuneratione, & honore, ac Regnorum suorum splendore, bono, & vtilitate nouos militares Ordines contra Infideles fundare, & instituere. Sed non vult quod Ordines, & Religiones sic fundatæ sine Sedis Apostolicæ licentia, inter veros Ordines, & Religiones deputentur, nisi accedat Sedis Apostolicæ confirmatio. Tertio dico esse manifestum omnes Religiones fundatas post præfatum Lateranense Concilium, antequam per Sedem Apostolicam confirmarentur; vixisse sub certa Religionis forma, & sub quadam Congregationis norma, cuius Fratres, qui non erant veri Religiosi, vitam ducebant ab alijs secularibus Personis segregatam. Et tantum abest, vt huiusmodi nouarum Religionum, & Congregationum Inuentores, & Fundatores reprehensione sint digni, quod eos non solũ Ecclesia tolerat, sed laudat.

B. Phi-

A B. Philippus Nerius Florentinus (quem Romæ allocutus sum) obijt 8. Cal. Iunij 1595. miraculis illustris, maxime commendatur, eo quod fundauerit Congregationem Oratorij, quæ modo extat, & in nonnullis Italiæ partibus floret, vberrimosq; in Ecclesia militanti, suis Concionibus, & vita exemplari fructus producit, & non dum veræ Religionis a Sede Apostolica obtinuit confirmationem. 1235.

Similiter S. Carolus Borromęus laudatur eo quod Mediolani Religiosorũ hominum Ordinem salubri disciplina fundauerit, qui Ordo, seu Congregatio nondum a Sede Apostolica (quod ego sciam) confirmationem habuit. Ad eundem modum nostri Ordinis Institutores commendari meritò debent, eo quod in Ecclesia Dei Ordinem fructiferum, & sanctissimum fundauerint; licet ante confirmationem non poterat verus Ordo, seu Religio vera appellari. *Suis manibus imposuit.*

B Hoc igitur Anno 1235. S Raymundus Pęnitentiarius Apostolicus, & Summi Pontificis specialis commissarius coram Rege, & Regina Violante, & immensa Prælatorum, & Populi multitudine breuem, sanctam, doctam, & prudentem habuit in Cathedrali Ecclesia Concionem, narrando qualiter Ordinem de Mercede annis superioribus in eodem loco diuina voluntate fundatum Sanctissimus Christi Vicarius sua auctoritate approbauerat, & inter veros, & Apostolicos Ordines, & Religiones essentiales scribi, & enumerari fecerat sui Pontificatus anno 8. Deinde B. Petrum Nolascum coram se genuflexum auctoritate Apostolica benedixit, eiq; suis manibus Tunicam, Scapularium, Caputium, & Cappam omnia alba, & ad formam, & instar habitus Religionis S. Dominici, quem ipse S. Raymundus gestabat, imposuit. Coram quo Apostolico commissario B. Petrus Nolascus promisit Deo, & B. Mariæ obseruare essentialia Religionis veræ vota. Et ex ea hora mansit verus Religiosus. Quem tunc S. Raymundus Magistrum Generalem totius Ordinis declarauit, quo C Titulo, supremi Ordinis Prædicatorum Prælati insigniri videmus. Et deniq; iniunxit ei, & successoribus suis quod iuxta Apostolicam confirmationem deberent sub regula S. Augustini (sub qua etiam Dominicanus Ordo militat) militare.

Sed quid respondendum nonnullis nostri Ordinis Fratribus superbia tumidis, qui antequam hæ Summi Pontifices Decretales in lucem propagarentur, & publicarentur, hanc veritatem abhorrere, imo eam negare pertinaciter solebant, quasi indignos se reputantes, qđ essent filij B. Petri Nolasci, & a tali Magistro Generali descendissent, & originem duxissét, qui de manibus S. Raymundi Religionis Dominicanę, habitum suscepit. Quam arrogantiam de eis cogitare minime auderem, postquam Romanus Pontifex, & supremus in terris Iudex, sua auctoritate in præfatis Decretalibus manifesta, clara, & expressa verborum forma, hoc declarauit, statuit & decreuit. Sed si (his non obstantibus) aliquis in duritia cordis sui permanens ingenue, libenter & alacriter fateatur nostrum primum Patrem Nolascum D suscepisse in die S. Laurentij de manu Berengarij Episcopi Barcinonæ habitum Religionis, (quod verissimum est) obstinate tamẽ neget, ea quę modo hoc anno S. Raymundum fecisse retulimus; postulo ab eo, vnde hæc prompta, & libens affirmatio, & negatio proueniant? si mihi rñdeat hanc confessionem sine cunctatione procedere, ex eo quod Berengarius, qui nostro primo Patri in fundatione Ordinis habitum tradidit, erat Persona in dignitate constituta, & Episcopali honore condecorata; ad quam dignitatem numquam S. Raymundus ascendit; hæc profecto magis est stultitia, & stoliditas, quam superbia. Non ne si Berengarius erat Barcinonæ Episcopus, S. Raymundus est plusquam Episcopus, qui Archiepiscopatum Tarraconæ, (quo ad Cardinalitiam dignitatem via sibi parabatur) & alios honores sibi oblatos viriliter contempsit? Non ne vt in sua vita refertur, Episcoporum prouisiones, & confirmationes (quod sapit superioritatem) Summi Pontifices fiducialiter committebant ei? Sicq; Archiepiscopatum, & honores contemnendo, & calcando, super Bar- E cinonæ Episcopatum gloriosus sustollebatur. In super considera S. Raymundum, non vt particularem Ordinis Prędicatorum Fratrem, sed vt Summi Pontificis commissarium, Pęnitentiarium, Capellanum, & specialem Confessarium; & sic te gloriari oportet, quod Pater tuus Nolascus habitum veræ Religionis susceperit de manibus S. Raymundi ad cuius sanctissimos pedes Gregorius Papa IX. genuflexus peccata sua aperire, & deuote pœnitẽtiam ab eo sibi iniunctam suscipere solebat, vt in eius vita C. 8. narratur. Sed si dicas quod honor auctus non mutat Personæ qualitatem, vt de Monacho facto Episcopo, vt Baldus in l. falsa. de Monast. §. 1. de cond. & demonstr. & sic velis considerare S. Raymundum his Apostolicis honoribus denudatum, vt Fratrem Ordinis S. Dominici; non te pudeat appellare,

1235. lare Patrem tuum, qui est in cælis inter Sanctos Confessores collocatus, qua gloria, & honore beatissima aïa eius in perpetuū, & inseparabiliter gaudet. Cuius Sanctū cadauer a Castellæ, & Aragoniæ Regibus, suis humeris fuit ad Tumulum delatum, & dū hac cōi luce fruebatur, inter sapientissimos, & doctissimos floruit. Insuper fuit Religiosus non cuiuscūq; Ordinis, sed Prædicatorum Ordinis, qui inter Religiones mendicātes primum tenet locū. In qua Religione floruerunt sūmi Pontifices, plurimi Cardinales, & Ecclesiæ ingens Prælatorū numerus, Martyres Dñi, Confessores, Doctores, Virgines in Sāctorū numerū relati, & infinitū magistrorū, & scriptorū pelagus. Respice quæso Ordinē quorundā Monachorū S. Basilij, qui a Monte Nigro, qui est in Græcia a Turcis expulsi, Ianuā nobilissimā Liguriæ Vrbem venientes, sub norma Dominicani Ordinis viuere auctoritate Apostolica susceperunt. Et Romana Sedes curam huiusmodi Monachorū Ordinis, Magistro Generali Religionis Prędicatorum cōmisit; qui auctoritate Apostolica qua fungebatur, & Commissarius Apostolicus constitutus, sui Ordinis habitum Monachis huius Ordinis suis manibus tradidit; quē habitū vsq; in prẹsentē diem gestant; deditq; eis facultatem, vt de Triennio in Triennium, Capitulū Generale celebrare, & Generalem eligere possent. At si hæc tibi videntur parua, audi maiora. Fr. Iacobus de Auogradis, natione Italus, ex Ciuitate Bergami (vt dicunt) bigamus, duas enim habuit vxores, Vir celebris, & doctissimus, cū die quadam Sacerdotem secularem, Bartholomæū nomine, famosum, & feruidum Concionatorē, prędicantem audiret, qui inter alia Religionis statum commendādo dicebat; o vita secura, vbi absq; formidine mors expectatur, imo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione; contemnite & fugite seculi vanitates, & mundi fallacis pompam; confugite ad securum Religionis Portum, quæ est Pauperi abundans, mediocri sufficiens, diuiti tolerabilis, Infirmis larga, delicatis cōpatiens, fortioribus moderata, pęnitentibus misericors; peruersis seuera, & bonis optima; Concionatoris volens sequi, & explere consilium, & mūdi naufragium declinare, in Religionis S. Dominici portum, velociter penetrauit, & euolauit. Et quia erat (vt diximus) bigamus, habitum & professionem non Fratrum Choro deputatorum, sed conuersorum & laicorum solēniter Venetijs suscepit. Vbi religiosissime & exemplariter viuendo, illius Monasterij Fratrum negligentias, redarguere solebat. Vnde cępit aliquibus esse inuisus, & in tantū creuit eorum indignatio, & odium, quod Fr. Iacobum carceri obscuro manciparent. Sed non sine Dei prouidentia liber effectus ad sanctissimum Papā Gregorium XII. se contulit. Quem Pontifex benigne suscepit, eiq; amplam facultatem Diachonatum suscipiendi, vt vel sic Verbum Dei explanare posset, libenter concessit. Deinde habitum per Canonicos Regulares gestari solitum, & alias fauorabiles facultates gratiose largitus est ei. Quibus Apostolicis fauoribus munitus, tantū profecit, vt qui antea fuerat Frater Ordinis S. Dominici laicus, & carceri mancipatus, deinde euaserit solemnis Concionator, Auctor, Institutor, & vere Fundator illius famosissimæ Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensis de Frigonaria vulgariter dictæ, quæ propter suam excellentiam, Basilicam Lateranensem primam mundi Ecclesiam possedit, eiusq; nomen retinet. Quæ Congregatio Summi Pontificis declaratione, & matura deliberatione Monachos Nigros S. Benedicti vbiq; præcedit. Hæc igitur nobilissima Congregatio in signum beneficij accepti, & ob reuerentiam ad suum Fundatorem Fratrem Ordinis S. Dominici Conuersum, voluit quod Religiosi scapularium Nigrum ad instar Fratrum Laicorum Ordinis Prædicatorū, supra Rocchetū lineum patenter gestarent (licet illud scapulariū nigrū, in albū deinde mutauerint.) Sic tu religio mea, mercenaria, ne sis quæso tuo Benefactori ingrata. Quid habes, quod ab eo non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? te a teneris annis, & in iuuentute tua lactauit, bonos mores te docuit, confirmationē a Summo Pontifice obtinuit, & Religionem esse veram, quod antea non eras, te fecit. Quid igitur dedecus, quæue macula, quod opprobrium, aut ignominia ex hoc tibi accidere, aut euenire poterit. Responde modo mihi; in quo, ex eo quod habitum Religionis veræ de manu commissarij Apostolici suscepisti, decurtata, aut diminuta mansisti? non ne Mariam Angelorum Reginā in cælis, & Iacobum Aragoniæ Regem in terris tuos agnoscis Institutores, Fundatores, & Protectores? non ne es libera, & nulli nisi Romano Pontifici immediate subiecta? redde ergo quæ sunt Cęsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et huic Sancto omnibus diebus durationis tuæ (durabis in æternum, quia Redemptionem misit Dominus Populo suo, mandauit in æternum testamentum suum) te obligatam & deuinctam agnosce, & hæc beneficia, & officia grato animo memoria retine. Vnde Reuerendissimus Ordinis Magister Fr. Philippus Guimeran Episcopus de Xacca, ne

S. Bern. ad milites Templi.

Hugo de claustro animæ lib. 1.

A ne filij sui in animi ingrati vitiũ incideret, sed semper & vbiq; tãtorũ beneficiorũ memores se prestarent; præcepit in suo ceremoniali nuper in lucẽ edito, c. 20. Quod in vniuerso Ordine sub duplicis officij ritu S. Raymundi festiuitas annua memoria recitaretur (prius ab Ecclesia Romana facultate obtenta.) 1235.

Caput XXII. Fratres nostri laudabiliter suum Institutum exercent, Fr. Iacobus a soto martyrio coronatur, Cordubam Ferdinandus, & Valentiam Iacobus capiunt, & nostro Ordini domus Podij, & Valentiæ donantur.

EODEM Anno 1235. Insula Iuiza altera ex Pityucis, fuit e Maurorũ potestate capta, & Regis nostri Coronę aucta. Don Gulielmus Zagardia in toto Regis nostri dominio notissimus, cum agnouisset B. Nolascũ esse Virum charitate feruidũ & in Captiuorũ liberatione solertẽ valdeq; fœlicẽ, & similiter magnã apud Mau-
B ros habere æstimationẽ rogauit eũ, vt dñi Gulielmi de Aguillon nepotis sui in Captiuitate positi liberationem procuraret; cuius Redemptio ob generis nobilitatẽ, bonã famã, strenuitatẽ, & diuitias difficilis valde erat. Quod onus S. Nolascus Redẽptor in Dño cõfidens aggressus est. Et Valentiã vbi Aguillon Captiuus detinebatur, accedens, dũ eius redẽptionem totis suis Viribus procurat, accidit quod Rex noster Iacobus in expugnatione cuiusdã Castelli sexaginta caperet Mauros; qui solertia, & interuentione nostri Generalis Magistri ꝓ præfato Dño Gulielmo de Aguillon commutati sunt. Et ob hoc Singulare beneficiũ tam Patruus, quàm nepos cęperunt nostri Ordinis esse valde studiosi, plures elemosynas pro redimendis Captiuis larga, & generosa erogando manu. Hac occasione potuit Generalis Magister 192. Captiuos Christianos ex Valentiæ Regno redimere. Liberati. 192

Hoc Anno 1236. Barcinonę Capitulũ Generale celebratũ est ad quod oẽs Fratres acces- 1236.
C serũt, quia in Ordinis primordijs oẽs vocẽ habebant. Et inter alia fuit Decretũ, quod iuxta confirmationis Bullã B. Petrus Nolascus ab oĩbus Generalis Magister appellaretũ. Quo Titulo tàm ipse, quàm successores sui, in subscriptionibus, & in literis patentibus, & in alijs publicis, & priuatis actibus vti in perpetuũ tenerentũ, quod vsq; in hanc diẽ seruatũ est. Deinde omnes Patres sub regula S. Augustini militare promiserunt. In super Capitulũ generale quatuor Fratres cũ socijs suis ad Elemosynas Redẽptionis procurãdas deputauit, & destinauit, imponẽdo singulis, ne quis extra territorium sibi assignatum quocũq; colore, aut prętextu Elemosynas petere auderet; & receptas Generali Magistro, aut eius Vicario fideliter consignare teneretũ. Deniq. ad opus Redẽptionis hoc eodẽ anno explẽdũ, in Redẽptores electi sunt, Fr. Ioannes de Lercio, & Fr. Petrus de Calidis, q in fine huius anni magnã pecuniarũ Summã ab illis quatuor Redemptionis Nuncijs, & Procuratoribus collectam, secum
D ãsportãtes, Barcinona discesserunt; & ex Algariæ regno 208. Captiuos redemerunt; eosque Tarraconam incolumes duxerunt, & nimis lętos ad Patrias suas missos fecerunt. Liberat. 208.

Hoc Anno 1237. fuit Barcinonę celebratũ Cap. Generale, in quo de S. Raymũdi Cõsilio inter alia Decretũ est; qđ maior Fratrũ Clericorũ, & Sacerdotũ numerus ad Ordinẽ admitteretũ, q altaris ministerio, & horis nocturnis pariterq. diurnis recitãdis, & decãtãdis deseruirẽt; dũ Fratres nr̃i ęquites operi Redẽptionis, & quærẽdis elemosynis incũbebant. Vt vel sic noster Ordo cũ Maria ad pedes Dñi prouolutus, cordis humilitate, & mẽtis cõtẽplatione Deo frui, & cũ Martha solicitus, Christo q sunt Pauperes Captiui ministrare posset. Vnde breui tpe tũ in spirituali, tũ in corporali exercitio plurimos fecit ꝓgressus. Nã Religiosi ęqtes ꝑ Ciuitates, & loca a Capitulo deputata, & sibi assignata, valde solertes, & seduli in petendis elemosynis, & legatis in testamento relictis procurandis se exhibebant. Clerici vero conuentuales missas celebrabant, & horas Canonicas, ac diuinas laudes suis debitis loco, 1237.
E & tempore, more & cantu Fratrum Prædicatorum in communi recitabant, & decantabant. Non tamen propter hoc Fratres ęquites, qui erant vere & essentialiter Religiosi, a Choro, quando erãt Domi excusabantũ. Imo eodẽ tẽpore sicut Clerici surgebant; Chorũ (si eis per tẽpus licebat) frequentabãt; & eodẽ modo inclinabantur, eademq; habitus forma induebantur, quia eadem essentialia vota emittebant. Vnde toto cęlo aberrant asserẽtes Fratribus nostris ęquitibus vxores ducere aliquando licuisse, sicut militibus S. Iacobi, &c. semper enim vt veri, & essentiales Religiosi cęlibem vitam duxerunt. Non enim decebat Religiosos Fratres, Christi imitatores, & Redemptores, operi Redemptionis continuò intentos, ducere vxores. Nam qui ducit vxorem, solicitus est, quomodo placeat vxori, & diuisus est, vt S. Paulus ad Corinth. cap. 7. In eodem Capitulo impositum est S. Paulus.

omni-

1237. omnibus Patribus, vt feruenti animi deuotione, & affectu præces ad Dominum funderent A pro fœlici statu, & Ecclesiæ necessitatibus, quæ eo seculo per magnæ erant, & similiter pro Maurorum ab Hispania expulsione, præsertim a Valentia, cõtra quam Rex noster ingentem armatorum copiam parauerat, & se nostris orationibus specialiter commendauerat.

Expleto igitur Generali Capitulo, Magister Ordinis Vocatus, & rogatus, ad exercitũ Regis nostri se conferre volẽs, suas vices in omnibus, & per omnia discreto Viro Fr. Gulielmo Basso dedit, eumq; suum Vicarium constituit. Et prope Valentiam accedens plures diuersorum Ordinum Fratres, & milites adinuenit, qui Regi nostro deseruire voluerunt, sed Tẽplarij, & Hospitalarij S. Ioannis ante omnes contra Mauros strenuissime decertabant. Noster vero Magister cum suis socijs non armis, sed lacrymis, & suspirijs cęlestem, & permanentem Ciuitatem aperire, & orationis continuæ ictibus rapere conabatur. Quorum, & aliorum Sanctorum Virorum præcibus omnipotens Deus per merita gloriosissimæ Matris suæ aures benignas accommodans, exercitui Christiano victoriam tribuit, & honorem. B (Qua obtenta) strenuissimus exercitus Dux (quem nonnulli Dñum Gulielmũ appellant) cõuersus ad nostrum Generalẽ Magistrum quem percolebat, sic eum allocutus est. Hæc insignis victoria, quæ semper in vniuerso celebrabitur mundo, non nobis, qui Inimicis nostris longe pauciores eramus, nec armis, aut meritis, quia inermes peccatorum pondere præmebamur; sed tuis (bone pater) orationibus, quibus Angelorum Reginam ad te venire fecisti, parta est. Scio enim quod magna est orationis vis si pura, & lacrymosa sit, quæ Deum vngere, compungere, lenire, & cogere solet. Ora igitur Pater, & idem in tua Religione fieri iube, vt Dominus, qui incepit, ipse perficiat, & Valentiæ Ciuitas in Christianorum deueniat potestatem, vestra enim res agitur. Nam nostro Serenissimo Regi est in animo dare vobis, & Ordini vestro, locum in Valentiæ Ciuitate valde opportunum, & cõmodum, vbi Deo deseruire, & muneri Sancto Redemptionis operam nauare valeatis. Dum hęc in arce Podij loco huius admirandæ victoriæ dicebantur & agebantur, aliud quod Captionis Valentiæ fuit vaticinium, accidit miraculum. C Nam (nostris militibus, Christianis ex hoc forti loco obsidionem Mauris Valentiæ parantibus, suasq; Castrorum acies atq; tẽtoria debito, & recto Ordine iuxta arcem collocantibus, & componentibus) septem micantes stellæ plerisq; diebus in terram descendere a toto exercitu visæ sunt. Quæ res omnes in admirationem rapuit. Noster vero Magister Duci exercitus, & alijs Proceribus dixit; quid admiramini; non ne stellæ istæ, quæ sicut flammæ coruscant aliquid diuinum & cęleste in visceribus terræ absconditum, & inclusum demonstrant, cui reuerentiam porrigere, & præstare videntur. Ista stellarum lux, similis est splendori quem superioribus annis mei oculi indigni prospicere Barcinonæ meruerunt. Fodite ergo locum vbi stellæ descendunt, & videbitis magnalia, & mirabilia Dei. Quod cum Dux executioni demandari iussisset; non procul a terræ superficie æneum ingentis magnitudinis zimbalum repertum est; sub quo deuotissima Virginis Mariæ imago, quæ sua odoris cęlestis fragrantia nectarem, & ambrosiam longe superabat, & totius agri Campum fœcundabat, inuenta est. D Tunc eam in altum a Prælatis, qui aderant eleuatam omnes genuflexi adorauerunt; & lętitia & gaudio magno pignus, & futurę victoriæ spem cuncti Christiani receperunt. Cæpit ex ea hora imago illa, & vsq. in pręsentem diem numquam cessat euidentissimis coruscare miraculis, quæ de ordinariorum approbatione, & licentia Typis mandata sunt, & ibi extructa est Capella, in eaq; hæc sanctissima imago collocata, cum regia domo B. Petro Nolasco, & Ordini nostro donata est. Quam noster Ordo cum animarum cura, & Parrochiali eius oppidi administratione, ac magnis redditibus modo possidet. Et ad eam magna, & vndequaq; ingẽs nobilium, & Peregrinorum frequentia confluit.

Postquam Serenissimus Rex Iacobus sua strenuitate, & magnanimitate Maurorum destructionem se velle ostendit, & procurauit, non solum eos, qui intra Hispaniæ limites degebant persequendo, sed ab Insulis adiacentibus semouendo, & expellendo, reliqui Hispaniæ Reges oculos suos aperuerunt, & nostri Iacobi Regis imitatores effecti, maiori quam antea conatu Sarracenorum exterminium conati sunt. Vnde Dominus Ferdinandus Castellæ Rex eius nominis tertius cognomento Sanctus, hoc eodem Anno 1237. (vt Hieronymus Zurita in suis annalibus, & alij grauissimi Auctores) Cordubam Bęticæ Ciuitatem oppulentissimam (in qua Myramamolini Mahomectanæ sectę Reges supremi, suam sedem fixerãt,) de eorum manibus eripuit.

Fr. Gulielmus Bassus Vicarius Generalis Magistri ad continuas præces, & lacrymosas supplicationes afflictorum Captiuorum in Granatæ Regno detentorum duos pro eorum libe-

A liberatione destinauit Redemptores Fr. Petrus de Osca Aragonem, & Fr. Iacobũ a Soto ex Castella. Hic bonus & deuotus Vir Fr. Iacobus a Soto cuius vitam enarrare incipio fuit Patria Toletanus (vt aiunt) bonis moribus imbutus, & non vulgari literarum notitia præditus. Votum vouerat Sãctorũ Petri, & Pauli limina visitandi; qđ vt fęlicius expleret, Rodericum suæ Patriæ Archiepiscopum, (cum quo magnam necessitudinem habebat) Romam ob grauia suæ Ecclesiæ & alia vrgentissima negotia proficiscentem comitari voluit. Voto igitur ad laudem Dei expleto, & in Hispaniam reuersus, & itinere fatigatus voluit Barcinonę aliquantulum requiescere. Et dum ibi moram trahit, pia & Sancta Fratrum nostrorum conuersatione allectus & ingenti Captiuorum liberatione per Redẽptores nr̃os facta commotus, & admiratus, nostrũ Ordinem ingressus est. Igitur Religiosus effectus totũ se diuinæ contẽplationi, & elemosynis pro Captiuorum redemptione procurãdis dedit. Et cũ esset in sacrarũ literarum lectione valde versatus, & feruens Concionator, plures per Ciui- 1237.
B tates, & loca quã transibat, ad amplectendas virtutes, vitiaq; fugiẽda verbo, & exẽplo incitabat, vnde ab oĩbus Sanctus habebatur, & vocabatur, de quo nonnulla narrantur, & scribũtur miracula, quæ breuitatis causa omissa facimus. Huius ergo boni Viri Vicarius Generalis Magistri sanctitatẽ, & erga Captiuos Christianos Charitatem zelũq; agnoscens, Redẽptorẽ cũ præfato Fr. Petro de Osca elegit, & Granatã misit. In eo igitur Regno citò, & fęliciter suũ munus explere potuerũt, quia Mahomato Alhamaro Granatę Rege vita functo, filius eius Mahomatus Mil Almuzlemynus ad regnũ sublimitus, magna lętitia, & incredibili gaudio elatus nr̃os Redemptores lęta fronte suscepit. Et qcqd ab eo petierunt, faciliter obtinuerũt. Vnde enumerata pecunia 173. redemerunt Captiuos, quos secũ ad Castellæ Regnũ ducebant. Sed dũ in via per quodã Castellũ a Granatę Regno parũ distãs transeunt, viderũt eius Castelli Dominum, seu melius Tyrannũ, quosdam Christianos Captiuos indebite, & sine culpa, ad nominis Christiani vindictã, vel forsan indignatione cõmotum, qđ Ferdinãdus *Liberati 173*
C Rex Castellæ Cordubã de Saracenorũ manibus eripuerat, vsq; ad Sãguinis effusionem torquentem. Quo inhumano spectaculo nostrorũ Redemptorũ viscera misericorditer cõmota sunt. At Fr. Iacobus a Soto præ multitudine doloris se a lacrymis abstinere non valens, ad Tyrannum accedẽs rogabat eum, vt cum seruis suis Christianis ad similitudinem Dei creatis mitius agere, & a Tyrannide desistere vellet. Quo Tyrannus ira incensus crudeliori oppressione Captiuos Christianos cędi coram se iussit. Tunc Iacobus constanti, & intrepido animo immitem arguebat, & asperum increpabat Tyrannum. Et ad afflictos Christianos conuersus dicebat eis; dilecti Fratres, & charissimi filij sperate in Dño semper, & fidem Catholicam quam ab incunabulis recepistis, & Patres vestri receperunt, pro qua Sancti Dei sanguinem suum fuderũt, vos Ecclesiæ filij retinete. Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem nõ possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest, & animã, & corpus *Matth. 10.*
D perdere in hegennam. Tribulationes istæ quas patimini, & patiemini amaræ, atq; breues sunt, sed futuræ vitæ dulcedo vobis debita, æterna est. Quis non bibat tribulationis poculũ metuens hegennam, & infernalem ignem? Non sint hæc Tyrãni tormẽta ad vestrã dãnationem, sed ad diuinæ gratię augmentum. Ardeant in fornace, & in igne furoris huius furibundi Tyranni corpora vestra, sed tamquam aurum purgentur animæ vestræ. Debilitentur, & minuãtur corpora, sed cęlestia multiplicentur dona. Nam quantò Inimicorum potentia, & Tyranni crudelitate fueritis afflicti, tantò deinde maiora præmia consequemini, non enim potest retributionis gaudium de æternitate colligi, quod prius pia non fuerit tribulatione, & tormento seminatum. Quibus & alijs verbis Tyrannus iratus obscuro carceri Virum Sanctum trudi imperauit. Vbi post aliquot dies carceris fætore, siti, & fame, vel veneno, seu alio mortis genere a Tyranno adinuento, & procurato mortuus repertus, ad cœlestem claritatem, & æternam saturitatem gloriosus migrauit. Quem Captiui *S. August.* *S. Hierony.* *S. Greg.*
E Christiani complanxerunt, præsertim Fr. Petrus de Osca eius socius, qui de Fratre amisso nimis mæstus, & indignatione plenus, ad Granatę Regem quanto citius potuit euolauit. Et coram Rege Sarraceno constitutus, crudelem mortem contra saluum conductum, & ius gentium socio suo illatam non sine lacrymis Regi retulit De qua iam Rex per specialẽ nũcium a Tyranno missum certior factus, & male informatus Redemptori respondit. Quid a me petis, quid tibi vis faciam? Possum ne ego socium tuum ad vitam reuocare? quod lucrum quæso si doloris tui punitor fuero, tibi euenire poterit? mors socij tui, sibi & suę temeritati, ac mordaci linguæ imputetur. Consulo ergo tibi, & Fratribus tuis (si huc reuerti vobis contigerit) ne nostrum Sanctum Prophetam conuitijs, & cõtumeliosis verbis afficiatis, aut legem nostrã contẽnatis, neq; in nostri Regni Dominos coronæ nostrę subiectos (quos

tueri tenemur) iniuriam inferatis. Male profecto fecistis, iustitiæ executionem impedien- A
do, & Seruis fauorē præbendo, vt non obediant Dominis suis. Vestra tantum interest, de Ca-
ptiuorum vestrorum liberatione agere, & de hoc solum tractare. Quod si feceritis, gratia, &
fauore nostro vos dignos, & participes facere pollicemur. Et finem dicendi faciens, fratrem
Petrum de Osca cum suis literis recommendatitijs ad sui Regni Proreges, & Gubernatores
directis in pace dimisit. Qui attendens nihil posse proficere, & in Rege iuuene sic volen-
te, & potente, & male affecto oleum, & operam perdere, ad suos Captiuos reuersus, intelle-
xit ab eis, corpus S. Viri Fr. Iacobi fuisse iubente Tyranno igni traditum. Quo dolore ma-
ximo dilacerabatur, & consumebatur. Sed ne idem crudelitatis genus in seipsum, aut in
Fratres suos Redemptos dira Tyranni manus inferret, eos ad Castellę Regnum deduxit,
& in patrias redeundi, eis licentiam concessit. Fr. Iacobus a loto fuit primus nostri Ordi-
nis Martyr, qui animam suam posuit pro fratribus suis. Et non solum pro palma Martyrij,
sed pro eius sanctitate, vita inculpata, cum aliquibus miraculis in Principatu Cathaloniæ B
operatis poterat iure optimo in sanctorum collocari numero; sed Patrum nostrorum sim-
plicitas hoc non attendit. Tantum enim simplicitati, & humilitati studebant. Et charitatis
operibus intenti, nihil de sanctorū suorū Canonizatione curabant. De hoc fęlicissimo Mar-
tyre agunt nostri Ordinis scriptores, & præsertim magister Zumel in vita primi magistri.

2138. Die Sanctæ Crucis mensis Maij 1238. Fr. Gulielmus de Basso Vicarius Generalis Ordi-
nis Cap. Generale celebrauit Barcinonę; in quo nonnulla salubriter statuta fuerunt. Insu-
per tres Religiosi discreti, & Ordinis zelo condecorati Viri, videlicet Fr. Bernardus de Cor-
baria, Fr. Raymundus de Vllstreto, & F. Petrus de Solanes a toto Capitulo electi, & nomi-
nati sunt Generales cōmissarij, cum amplissima facultate, quascumq; domos, in quibuscūq;
mundi partibus recipiendi, & acceptādi pro augmento, & nrī Ordinis propagatione. Qui-
bus cōmissarijs Patres imposuerunt, & cōsuluerunt, quod in nouarum domorum receptio-
ne, ita prudenter se gererent, quod illas solum acceptarent, & admitterent, quas Ordo no- C
ster in perpetuum sustinere, & retinere posset; ne post acceptionem inutiliter, & cum vili-
pendio ad deserendas, aut supprimendas Ordo compelleretur. Si autem aliquam domum,
vel domos non debere acceptare ipsi iudicarent; tunc ita suauiter, & grati animi affectu of-
ferentium vota, & nostram societatem desiderantiū animos suspenderēt; quod vtilitati, &
bono Ordinis regimini consulerent, & Populorum deuotioni satisfacerent. In eo enim
florenti seculo, & nostri Ordinis primordijs Fratres Redemptores, & omnes supe-
riores, & inferiores, ita pijs charitatis operibus erant dediti, vt fere omnes temporales Do-
mini Religionem nostram, vt alijs fructuosiorem, & vtiliorem in terris suis plantari instan
ter efflagitarent, peterent, & procurarent, & non erat pro ingenti petentium numero, & de-
siderio, sufficiens Religiosorum copia, qui Missas celebrarent, horas Canonicas recitarent,
Elemosynas peterent, & procurarent.

1238. Hoc eodem Anno 1238. Cap. Generale Ordinis Prędicatorum celebratum est Bononię; D
in quo S. Raymundus Barcinonæ existens, nihil de hoc cogitans, neq; honores Ordinis,
aut alias dignitates procurans, in magistrum totius sui Ordinis post mortem B. Iordani
electus est. Et Patres electores dubitantes quod S. Raymundus seculi dignitates contem-
nens, electionē Magistratus de sua Persona factam acceptare nollet, miserunt ad eum qua-
tuor grauissimos, & doctissimos Patres, qui eum pro totius Ordinis decore, & vtilitate ad su
premā Ordinis dignitatē acceptādā hortarent. Quorū precibus pręsertim Fratris Hugonis,
qui fuit primus ex eo Ordine ad Cardinalitiam dignitatē assumptus, Generalatū acceptauit.

Fridericus nomine Imperatoris indignus, ad malū semper procliuis Ecclesiā Sanctā Dei
eiusque sanctissimum Caput, neq; non plures Italicę Ciuitates diuexare quotidie nō ces-
sabat. Vnde Summus Pontifex Gregorius IX. afflictus & męstus, ac auxilio destitutus, no-
stri potentissimi Iacobi Regis (cuius victoriarum rumor, & fama, ac in rebus bellicis pro- E
speritas totum repleuerat orbem) auxilium per suos Nuncios, & Oratores Apostolicos
exorabat, & petebat. Quod similiter Mediolanum, Bononia, Placentia, & aliæ prin-
cipales Italię Ciuitates fecerunt. Qui omnes Oratores petentes a Rege nostro, vt contra
Tyrannum Catholicæ Ecclesiæ, & afflictę Italiæ, patrocinium, & defensionem acceptare
dignaretur; Regem Iacobum non otiosum, aut desidem, sed ad ianuas Valentiæ, eam obsi-
dentem inuenerunt. Qui non potuit non, opus quod præ manibus habebat perficere, &
bello vltimam ponere manum. Et sic Mauris interclusis, & obsessis omni auxilio destitutis,
& deditionem facientibus, magnanimus Rex pepercit; & quinquaginta millia Maurorum
promiscui sexus, & ætatis e Ciuitate ęgredi pręcepit. Quibus fęliciter gestis, Rex Magnificus
&

A & Triumphator excellens suis Principibus, & Magnatibus Comitatus Valentiam ingressus est die 28. Septembris huius Anni 1238. & post debitas Deo eiusq; Gloriosissimæ Matri gratiarũ actiones, deambulãs Rex p Ciuitatẽ, & eã illustrãs, aduocauit S. Virũ Nolascũ Generalẽ nrĩ Ordinis, & dixit ei; qd tibi videt̃ de hac insigni, & alijs admirandis victorijs quas superioribus annis (Christiani nominis hostibus superatis) reportauimus? bene & prospere quidem (respondit Nolascus) sed nõ oportet Domine mi Rex lætitia efferri, ne te quæso iactes; quasi tua virtute, & fortitudine viceris Inimicos. Omne enim bonũ desursum est. Non enĩ i multitudine militũ atq; exercitus, victoria belli, sed de cęlo fortitudo est. Deus vltionũ Dñus, Deus vltionẽ libere egit. Qui iudicat terrã, reddidit retributionẽ superbis Saracenis. Dominus exercituũ super oẽs Populos. Dextera dñi fecit virtutẽ, dextera Dñi exaltauit nos apprehendit arma, & scutũ, & surrexit in adiutoriũ nobis. Et isti superbi Mauri, qui totam fere Hispaniam possidebant, auertent̃ retrorsum, operient̃ confusione, & pudore, & reuertent̃ in Africã terrã suã, vnde venerũt. Dies eorũ fient pauci, & sicut Deus emigrauit eos de hac Ciuitate Valentiæ, sic in finẽ destruet eos, & euellet eos de tota Hispania. Faxit Deus (rñdit Rex Iacobus) quod exaudiat Dñus pręces seruorũ suorũ, & nostri misertus, det victoriã in diebus nrĩs; scit Deus cordiũ nostrorum scrutator, quod bella hæc aspera sumpsimus, & contra Mauros decertare decreuimus, nõ libidine nominandi, non crudelitate vlciscẽdi, neq; cupiditate nocendi; sed vt exaltetur Religio Christiana, & Fratres nostri Captiui redimantur. Quanta malignati sunt Saraceni inimici nostri in sanctis, quot sanctuaria incendit ignis eorum, quot tabernacula polluerunt, & quot templa profanarunt. Ob id cõtraria & opportuna tot malis adhibere volẽtes remedia, ediculã illã, quę est in medio istius Ciuitatis, in qua falsus Propheta coli solebat, cũ edibus illis quibus est circumdata, trado & consigno tibi, & Ordini tuo, vel potius meo, vel vt melius dicã nostro; (pares enim fuimus in diuina visione.) Curabo igitur, vt ex nostris redditibus Ecclesia ibi ædificetur in honorem Gloriosissimæ Virginis Marię, quam oculi nostri cernere meruerunt. Dabis igitur operam, vt in ea Ecclesia immoletur Deo sacrificiũ laudis, & Iesu Christo Saluatori nostro eiusq; Gloriosissimæ Matri cõtinuo deseruiatur. Hęc igitur domus Valentię, sicut Domus Podij, sunt regales, a Rege Iacobo nrõ Ordini collatæ; ex quibus plurimi sanctitate, & literis condecorati Viri exterũt, qui nostrũ Ordinẽ illustrarũt, & gubernarũt, de quibus suo loco agemus. 1238.

ex Psalmus.

B

C

Caput XXIII. Qualiter in Barcinona Monasterio Infirmaria pro ægrotis, & hospitium pro Peregrinis fuerunt erecta. S. Serapionis vita, & martyrium describitur. Gregorius Papa IX. obijt; cui succedens Cælestinus IV. parum vixit.

D

HOC Anno 1239. celebratum est Cap. Generale Barcinonę, in quo Fr. Bernardus de Corbaria, vnus ex Commissarijs ad acceptandas domos deputatus, exsurgens in medio Patrum, & Electorum dixit eis. Patres, & Fratres mei in Christo dilectissimi iuxta præceptum, & munus a vestris charitatibus mihi impositum, omnes terras, & Dominium Principatus Cathaloniæ, Maioricarum, & montis Pessulani, quę mihi contigerant, cum meo circuiui socio; & per gratiam Dei nonnullas nostro Ordini profuturas acceptaui domos; vnde Religio nostra indies augetur. Dum munus igitur explebam meum; Plures in via Peregrini Pauperes, Aduenę, & ęgẽtes nuditate, & fame afflicti, facti sunt mihi obij, conquerentes, & dicentes, quod non erat, qui panem frangeret eis; quo commota sunt omnia viscera mea. Recte scio, quod in Redemptionis opere fundatus est noster Ordo; sed dum duo, vel tres Fratres nostri, se ad munus redemptionis explendum conferunt, quid vos & nos in domibus, & cœnobijs facimus? si dicatis mihi, oramus, Ecclesiam, & Oratorium frequentamus, pro Populo Christiano, pro pace, & concordia inter Principes Christianos, pro benefactoribus viuis, atque defunctis, & pro Fratribus nostris Captiuis, vt fidem Catholicam retineant, & de Captiuitate liberentur, pręces continuas ad Dominum fundimus; bene proculdubio facitis; sed quomodo substinere potestis, & permittitis, Aduenas, & Peregrinos ex longinquis, & diuersis mundi partibus per hanc nostram Ciuitatem transeuntes mæstos, & vacuos abire? quorum plurimi fame, & erumnis infestantur, alij infirmati, vtroque animæ & corporis indigent remedio. Non fiat igitur sic, sed omnes omnibus charitatis operibus incumbamus, Redẽptores redimẽdo, Nũcij Redẽptionis Elemosynas 1239.

E

procurando, Fratres intra claustrum degentes Hospitalitatem sectando; nam sic facientes A
cuncta prospera euenient nobis, & Regum, & Principum, ac Chisti fidelium largitiones, & munera indies augebuntur, & copiosiorem Christianorum Captiuorum numerum redimemus. Placuit hic sermo Patribus, & sic fuit Decretum, quod in illo Barcinonæ Cœnobio, quod est totius Ordinis caput, & omnium Monasteriorum debet esse norma, quam sequantur & imitentur, Infirmaria pro Pauperibus Peregrinis ægrotis, & pro miseris Captiuis Redemptis, si eos infirmari contigerit extrueretur. Et similiter hospitium pro Aduenis, & Peregrinis transeuntibus ædificeretur; quæ omnia essent a Fratrum habitatione separata, & diuisa. In quibus Cellulas fieri iusserunt, & in eis linteamina linea cum Anaclyntenjs laneis, & alijs necessarijs rebus, ita vt nihil deficeret, reponi fecerunt. Et tam pro Infirmaria quam pro hospitio singuli a Magistro Generali pro tempore existente eligerentur Præfecti, qui essent Viri Prudentes, solertes, amabilis & blande conditionis, vita exemplares, & charitate feruidi. Quibus esset onus, & maxima cura, Personarum suæ sol- B
licitudini demandatarum animæ, & corporis procurare remedium. Si autem ægrotantium, & Peregrinorum necessitas posceret, & multitudo adesset, in subsidium Præfectorum, famuli, vel oblati Fratres quot sufficerent, assignarentur. Insuper quod licet hi duo Præfecti ex muneris, & officij debito pluries noctu diuq; Infirmariam, & Hospitium visitare, & in eis Personas degentes Consolari, resocillare, & refouere tenerentur; non tamen propter hoc Generalis Magister, seu eius Vicarius a quotidiana visitatione excusari deberet; imo ipse personaliter semel ad minus in die, seu in nocte adesse deberet, vt proprijs oculis cerneret, an prędicti Præfecti suum munus cum Dei timore in Proximorum nostrorum spiritualem, & corporalem salutem explerent; & necessaria omnia, cum ea quæ decet charitate, & sollicitudine omnibus Indigentibus administraretur. Et sic primum illud Cœnobium hospitale Sanctæ Eulaliæ a Summis Pontificibus (vt postea dicemus) appellari meruit. Qui Titulus honorificus est, eoq; plures grauissimæ Religiones, & ditissimi Or- C
dines honestari, & decorari a Sede Apostolica obtinuerunt, vt Fratres Templarij antequã supprimerentur, & Fratres S. Ioannis Hierosolymitani, & alij.

In hoc Generali Capitulo duo Redemptores cum suis socijs deputati sunt Fr. Alphonsus Menesius Toletanus nobilis Vir, & Fr. Dionysius de Villaargut paris nobilitatis; &
1239. ambo Montem Pessulanum profecti mense Iunij huius Anni 1239. licentiam, & saluum conductum obtinuerunt, & in nomine domini vnusquisq; in partem sibi a Capitulo assignatam abire solerter decreuit. Fr. Dionysius in regnum Valentiæ peruenit, & ex Ciuitate
Liberati 103 Xatiuæ, & alijs circumuicinis locis 103. redemit Captiuos. At Fr. Alphonsus Castellam profectus a Ferdinando Castellæ Rege literas fauorabiles, & nonnulla munera, ac Elemosynas recepit. His bonis adminiculis ad Alhamarum Granatæ Regem se contulit; apud quem gratiam adinuenit. Rex enim Maurus literis Ferdinandi receptis lætatus est valde; & ob id Redemptori in amplissima forma facultatem concessit, vt in vniuerso suo Regno D
Liberati 213 toties quoties sibi placeret, Redemptionis munus sine vllo impedimento exercere valeret. Hac de causa post paucos dies 213. liberauit Captiuos, quos sine obstaculo incolumes ad Castellam duxit.

Hoc Anno 1240. Comitia Generalia Barcinonæ celebrata sunt, ibique in Redemptores
1240. fuerunt electi Fr. Petrus de Castiliolo, & S. Vir Frater Serapio Anglus, qui saluo conductu & alijs rebus necessarijs adeptis Vandaliam petierunt. Et transeuntes per Murtiæ Ciuitatem, magnam gratiam in Hudiele eius Regni Regulo inuenerunt. Hic enim Regulus licet a fide Catholica alienus, Christianorum tamen amicitiam exoptabat vehementer, & eam
Liberati 98. suis viribus procurabat; Vnde ex eo Murtiæ Regno 98. Christianos liberarunt. Completa Redemptione Christianisq; Captiuis in Castella, vt ad propria libere se conferrent dimissis, Barcinonam Redemptores Patres peruenerunt. Et dum ibi de operata Redemptione, & de gratiositate Hudielis Reguli Magistrum certiorem faciunt, & ei rationem reddunt; E
accessit ad eos quidam mercator Gotholanus ex Africa veniens, qui crudelitates, & inhumanitates a Mauris in miseros Captiuos illatas, quas proprijs oculis viderat, Patribus retulit & aliquorum Captiuorum literas Patribus similiter dedit, quibus se Ordini nostro cõmendabant, eisque nonnullos Christianos, vt Sarracenorum tormenta fugerent, a fide Catholica apostatasse significabant. Quo Nuncio inconsolabili dolore, & permagno animi cruciatu repleti sunt omnes, maxime Ordinis Magister, qui pro Fratrum suorum Captiuorum liberatione animam suam ponere voluit, sed vocatus a Rege Tarraconam profectus est. Deinde montem Pessulanum Regem nostrum Comitatus, ad Redemptionem in Afri-

ca

A ea faciendam eundem Fratrem Serapionem destinauit; cuius S. Viri vitam, & martyrium enarrare incipio. 1240.

Superioribus Annis ad supplicationem Regis Castellæ Alphōsi eius nominis octaui procurante Roderico Archiepiscopo Toletano, Innocentius Papa III. pro bello in Mauros inferendo concessit Cruciatam quam vocant. Et cum ad omnes Christiani Orbis Principes, Nuncij destinarentur, plures cruce signati in auxilium præfati Alphonsi Regis, ex diuersis mundi partibus Toletum conuenerunt. Quibus adminiculis obtinuit illam admirandam, & celeberrimam victoriam quam de las nauas de Tolosa appellant (vt superius diximus.) Inter hos igitur Principes, & Magnates, qui in auxilium Regis venerunt, comparuit (licet iam esset adepta victoria) Dux Austriæ, de partibus Teutoniæ, magno apparatu, & Comitatu; quem Comitabatur quidam nobilis Vir, natione Anglus, in Ducis domo educatus, cui nomen erat Serapio, ætate valde iuuenis, sed prudentia, & moribus maturus, ac
B bello strenuus. Huic igitur Serapioni maxime displicuit, quod pro fidei Catholicæ defensione, contra Mauros, Regi Alphonso deseruire non meruisset. Ob id petita ab Austriæ Duce Venia, & in Hispania remanendi licentia, cæpit sub Castellæ Rege militare. At quadam die nostros Fratres Redemptores cum Captiuis Christianis redemptis ex Bætica per Castellam prætereuntes respiciens; de nostri Ordinis fundatione, instituto, & progressu, ab eis informari voluit. Cumq; de omnibus ad satietatem esset satis edoctus, cæpit interius diuino Sancti Spiritus igne accendi. Vnde ex Regis terreni milite, voluit Christi cælestis Regis miles, & crucifer fieri, & secutus est Redemptores vsque ad Cathaloniam. Sed dum sunt in via, antiquior Redemptor, qui sufficienter literarum præstantia, & virtutibus pollebat, Serapioni dixit; si tanta in adipiscenda de Inimicorum manibus aliqua Ciuitate, aut obtinenda victoria, solertia adhibenda est, quantam quæso adhibere tenemur, in adipiscenda Ciuitate cęlesti, cuius consecutionem Demones, qui sunt nostri aduersarij pro viri-
C bus impediunt? hi sunt fortes armati, & non est potestas in terra, quæ comparetur eis.

Hi sunt Aduersarij nostri, insidias incessanter nobis parantes. Interl. Deuter. c. 20. Volatilia cęli, Interl. super c. 28. Deuter. Aucupes insidiantes, Interl. Prober. c. 6. Castra Philistinorum 1. Paral. 14 Interl. Canes animas cruciantes Lyranus moraliter super 3. Regum c. 22. Circundantes nos ad literam Psal. 31. Equi indomiti, Interl. super c. 11. Iosue. Exterminatores crudeles, Interl. Iudith c. 8. Exactores Tyranni, & inhumani, Interl & glos. ordinaria super Iob c. 39. fortiores dicūtur Demones, Interl. super Psal. 34. & Dracones, vt glosa interl. super Psal. 73. Horribiles eos appellant Sancti, & glos. Interl. literal. & ordinaria sup. Iob c. 20. Principes cadentes, qui nos cadere faciunt ad literam super Psal. 81. Venatores sunt Demones, vt S. Augustinus cum glosa ord. super Psal. 90 qui animas nostras venari conantur. Hi sunt vere Inimici nostri, qui nostram perniciem, & exterminiū exoptabant, vt Interl. super Deuter. c. 21. & ad literam super Psal. 67. dissipentur Inimici
D eius. Hostes indefessi nos assidue, & occulte oppugnantes, quos nec videre quidem possumus, quantò minus cauere S. Bernardus in Euan. sept. Pan. serpentes lubricos eos Isidorus appellat lib. 3. de summo bono. Demon igitur est, vt ait Petrus Rau mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, corruptor seculi, hominis semper Inimicus, q. laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia amori addit, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, diuina tentat. Et quia vt idem Petrus Rau. ait iste insidiator crudelis primordia bona pulsat, captat rudimenta virtutum, & sancta in ipso ortu festinat extinguere, oportet te vigilare, & confugere citò ad eminentem Religionis nostræ montem, in quo beneplacitum est Deo, montem coagulatum, montem pinguem, charitatis pinguedine plenum. Est tanta Domine Serapio Patrum nostri Ordinis charitas,
E vt perfectior ęxcogitari non potest, animas enim pro Fratribus a Demonum periculis, & Sarracenorum potestate liberandis voluntarie, & libenter ponunt.

Deuter. c. 20
Prober. c. 6.
1. Paral. 14.
3. Regum.
Psal. 31.
Iosue c. 11.
Iudith. c. 8.
Iob. c. 39.
S. August.
S. Bernard.
S. Isidorus.
Petr. Rau.

Quibus & alijs verbis Serapio commotus, & incitatus nostrum institutum, & spiritualem militiam sequi voluit. Habitum Barcinonæ de manu Magistri Ordinis suscepit, & factus Christi miles, tantum breui tempore in Ordine nostro profecit, vt dicat Reuerendissimus Zamel in vita primi Magistri; quod noster Serapio erat eximiæ sanctitatis, virtutis exemplum, parcissimo vtens cibo, in oratione vehementissimus, & ardentissime Redemptioni Captiuorum incumbebat, & pro eorum redemptione mortem subire non dubitabat, imo desiderabat. Sed non fuit fraudatus a suo desiderio. Nam hoc Anno 1240. a Generali Magistro in Africam destinatus, Algariam cum suo socio Fratre Berengario Zamel.

rio

1240. rio de Bagnarijs accessit. Quorum aduentu afflicti Captiui lætati sunt valde, & enumerata pecunia 87. redemerũt Captiuos. Sed cum alij quamplures diuersarum nationum Christiani, qui propter pecuniarum defectum liberari non potuerunt, crudelitatem Saracenorũ amplius substinere non possent, Redemptoribus dixerunt. Deo cui cuncta patent, & hominibus etiam manifestæ sunt afflictiones nostræ, quas in hac Captiuitate patimur; & quãta malignati sunt Inimici nostri in nobis; quot quotidie inauditas torquendi adinuentiones inquirunt, quas plures ex nostris Christianis euitare volentes, Mahometanam sectam hisce diebus amplexi sunt. Nos vero omnem spem nostram in Ordine vestro collocatam habentes, opprobria, irritiones, ac varia & diuersa torquendi genera sustinuimus, & vestrum iucundum aduentum auidissime expectabamus, cogitantes post spem, & tormenta lætitiam recepturi; sed nostra spes euanuit, quia vos omnem sollicitudinem vestram in redimendis Captiuis ex Hispaniç Regnis adhibetis, nullam nostri curam gerentes, & quasi extraneos, & derelictos (ac si pro nobis Christus non mortuus esset) in minimis nos ponitis. A

Cum mors igitur in singulos dies sit expectanda nobis, vt eam euitemus, (sapientis enim est violentam euitare mortem) decernimus simulare ad tempus, nos esse Saracenos, vsque dum veniat tempus fugiendi, aut aliquo alio modo animas nostras saluandi se offerat occasio; cum hoc tamen quod interius in cordibus nostris Religionem Catholicam retinebimus. Et Dominus Deus noster, qui cordium nostrorum scrutator est, & videt tribulationes nostras, quas patimur, ad pœnitentiam nos expectabit, nam in quacumq; hora ingemuerimus, clementer exaudiet. Quas blasphemias S. Serapio audiens, tactus intrinsecus cordis dolore, & super animas fratrum suorum misertus, dixit socio suo. Iam audisti blasphemias, & temerarias execrationes, quas isti miseri Captiui locuti sunt, quorum animæ nullo auro, nulloq; argento æstimari valent; pro eis enim Redemptor noster suũ infiniti valoris sanguinem latissime effudit, & abundanter disseminauit. Eas debeo iuxta institutum, & professionem nostram corpori meo, sepulturæ proximo præferre. Ob id ne isti mæsti, & afflicti Captiui, vi tantorum malorum commoti, cogitationes prauas executioni demandent; apud eos remanere volo. Tu igitur (Frater mi) cum istis Captiuis redemptis reuertere in Hispaniam, & quæ vidisti, & audiuisti, nostris Patribus refer, & manifesta, vt & ipsi in suo munere explendo solertiores reddantur; & me tuis orationibus commendo. Fr. Berengarius de Bagnarijs in Hispaniam reuersus, præfatos 87. Captiuos Christianos perfectæ libertati restituit. Et nullam summens requiem, montem Pessulanum adiuit; vbi Regem nostrum Iacobum, & Magistrum Ordinis inueniens, de ijs, quæ Algariæ gesta erant, eos certiores fecit, & rogauit, vt pro Fratribus Captiuis in maiori periculo constitutis (quos Fr. Serapio cum propriæ vitæ discrimine ad retinendã fidẽ hortabatur) subsidiũ opportunum citissime porrigere dignarentur. Rex se Ordini suo non posse deesse respondit; sed grauibus negotijs, in Gallia irretitus, opem ferre distulit. Magister ordinis ad suum Vicarium Fr. Gulielmum Bassum, & ad alios Monasteriorum Superiores literas direxit, quibus miserias Captiuorum in Africa detentorum, & imminens periculum, in quo F. Serapio versabatur, eis significauit, stricte præcipiendo, vt alias aliarum partium, & Regnorum redemptiones suspendentes, quascunq; Elemosynas Fr. Serapioni trasmitterent. Sed dum in Hispania fit præfatarum Elemosynarum collectio, in Africam redeamus, vbi S. Serapionem Christi militem, fortiter armatum, & ad pugnandum contra Inimicos suos paratum reperiemus. Habebat in capite suo galeam salutis, in manibus acutum fortitudinis ensem ad percutiendum Inimicos suos, & similiter impenetrabile fidei scutum, æternç salutis fundamentum, quo omnia nequitiæ tela Maurorum retorquere posset, in corpore suo aduersus eorum insidias inexpugnabilem charitatis loricam, in pedibus tamquam ceruorum agilitatem, & velocitatem ad persequendum, & hostes fugientes opprimendum. Et cum esset corde robustus, & magna, atq; excelsa esset virtus eius, fortitudine plenus, foras ex abundantia cordis ardorem, & ignem vrentem mittebat. Vnde aperiens os suum cum fiducia, & cęlesti audacia, notam faciebat Iesu Christi crucifixi potentiam, & Mahometanæ sectæ manifestum errorem. De labijs eius spirituales, & ignitæ exibant flammæ, quæ Infidelium ignorantias, & tenebras patefaciebant. De lingua eius scintillæ, & formidabiles reprehensionum ictus, ac fulminã ęgrediebantur, quibus ipsorum in miseros, & afflictos Christianos inhumanitatẽ arguebat, & increpabat. Ipsi vero conuicti nescientes vllum ei respondere verbum, conticuere omnes. Sed cum aliquos Mauros ad Catholicam fidem conuertisset, Saracenus Regulus valde indignatus, carceri obscuro, & fętidissimo Virum Innocentem trudi iussit. Et in via ab illis mutis canibus, qui antea ei respondere nescie-

Right margin letters (beside lines): B (at "in minimis nos ponitis."), C (at "Ob id ne isti"), D (at "literas direxit"), E (at "ignem vrentem mittebat").

Liberati 87.

A nesciebant circundatus colaphis, & pugnis cæsus est. Carceri igitur mancipatus nó cessabat nostrã veram fidẽ profiteri, & falsam eorum sectam detestari. Quod cum Regi eiusq; Cõsiliarijs esset denunciatum, reus mortis ignominiosæ, & crudelissimę ab eis iudicatus est. Et ad locũ supplicij delatus, iussus est religiosis vestibus expoliari, & totus denudari, brachijsq; & cruribus ad inuicem, & ad summũ separatis, & extensis, ad duos Palos fuit ligatus; quorũ alteri manus dextera, & pes sinister crudeliter affigebatur, alteri vero palo eodem modo manus sinistra, & dexter pes vinciebantur. Ita quod totum corpus in quatuor partes & angulos extensum, crucis similitudinem præseferebat, & ostendebat. Qua crudelitatis inuẽtione inhumani Tyranni non contenti, sed igni ignem addentes, corpus illud sanctissimũ articulatim trucidarunt, & imminutas partes secuerũt. Miles vero Christi dum Carnifices carnem, & ossa secant, oculis suis ad cęlum eleuatis pro miseris Captiuis, hoc modo ad Dominum orabat. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi. Bestiæ sunt Infideles, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: animas vero tuorum fideliũ in Captiuitate detentas tibi B confitentes libera eas a malo. Torqueantur in Captiuitate corpora, sed animas prętioso sanguine tuo redemptas salua eas. Qua in oratione spiritum reddidit creatori suo multis post mortem illustratus miraculis. Cuius sanctitatis odor, & fama vsque in præsentẽ diem redolet, ac perseuerat, & durabit in æternum; nam in multis Ordinis nostri Ecclesijs in honorẽ huius Sancti Martyris sunt erecta altaria, & Capellæ, in quibus cernitur eius sanctissima imago, eo modo depicta, quo martyrij genere de Inimicis suis triumphasse diximus Et Christi fideles, qui in corporum suorum iuncturis, & in membris suis dolores patiuntur, & similiter fęminę parturientes implorantes eius auxilium, diuina gratia sanitatẽ, & a periculis liberationẽ adipisci solent. Et tam pro obtinẽda desiderata sanitate, quam in gratiarũ actiones pro sanitate iam adepta, solent fideles, Capellas, & Altaria huius sancti visitare, & frequentare portantes cereos, & figuras argenteas, & cereas, atq; depictas tabulas (quas vulgariter vota vocant) parieti appendendas, & affigendas. Et insuper in eiusdem sancti honorem C deuotissimas laudes vernaculo sermone compositas, & de Ordinariorum licentia impressas Fratres nostri ad supplicationem, & instantiam fidelium decantare solent. De hoc Sancto Martyre agit Magister Zumel in loco citato, & alij nostri Ordinis Auctores. Sed nullo modo sunt audiendi, qui affirmãt S. Serapionem nostri Ordinis Fratrem fuisse flagellatum iussu Regis Angliæ, & ibi occisum, quod veritate caret. Nam cum sæpe sæpius diligẽtissimos Auctores, & grauissimos historiographos, qui ex professo de Regibus, & rebus Angliæ, Britanniæ, & Scotiæ agunt, lectitassem, & perlegissem; facta temporum computatione cum Ordine nostro, nullum inuenio Regem Tyrannum, Christianos persequentem, præter duos Henricos II. & VIII. Angliæ Reges, & Reges, qui post Henricum VIII. regna- D runt. Sed Henricus II. & VIII. atq; Henrici VIII. successores nullo modo regnarunt tempore quo S. Serapio erat in humanis; ergo non in Anglia neq; a Rege Angliæ fuit flagellatus, aut occisus. Maior est notissima, & communis inter doctores, & scriptores Anglos quibus de rebus Angliæ fides adhiberi debet. Minorem sic probo; Henricus II. qui crudeliter persecutus est S. Thomam Cantuariensem Episcopum, regnauit antequam noster Ordo institueretur, tempore scilicet Alex. Papæ III. qui S. Thomam canonizauit per plures annos antequam noster Ordo fundaretur, ergo Henricus II. non poterat nostrum Serapionem persequi, nec Henricus VIII. qui regnauit tempore Leonis Papæ X. noster vero S. Serapio fuit vnus de illis primis Patribus antiquis, qui sanguine suo primordia nostri Ordinis illustrarunt, purpurarunt, & sub regimine primi Magistri vixerunt; ergo &c.

Post Gregorij Papæ eius nominis noui obitum, qui accidit 11. Cal. Septembris, fuit 9. E Cal. Octob. electus Gaufridus Castilionis patria Mediolanensis, qui Cælestinus IV. appellari voluit, Vir integerrimæ vitæ, & præstantis doctrinæ. Sed cum iam esset sennio confectus, & infirma corporis valetudine laboraret, die decimo septimo sui Pontificatus, octauo idus Octobris, magno sui dolore relicto ex hac vita migrauit. Vacauit Romana sedes anno vno, mensibus octo, & diebus quindecim; quia Cardinales nonnulli a Federico Ecclesiæ Inimico Imperatore Romano, Melphi detinebantur.

1240.

An. Domini 1241.

Caput XXIIII. De Martyrio duorum Redemptorum, & magnis gratijs, & fauoribus ab Innocent. Papa IIII. nostro Ordini concessis.

1244. OC Anno 1242. fuit Barcinonæ celebratum Cap. Generale, in quo de S.Raymundi consilio, qui iam sui Ordinis Generalatui cesserat, Decretum est a Patribus diffinitoribus, quod nullo modo, in ordine nostro, mercatura exerceretur. Solebant enim nonnulli nostri Ordinis Fratres, vt vberiores facerent Redemptiones, & maiorem Captiuorum redimerēt numerum; non in nostri Ordinis, & Monasteriorum commodum, sed in ipsorum Captiuorum vtilitatem, se illi mercaturæ licitæ dare, per quam nemo lædebatur, iustum acquirebatur, & nulli (vt ait Cassi. in Ep.) præiudicium fiebat; quod tunc forsan Religiosas Personas non dedecebat, neq; in nostris primis Fratribus equitibus, qui simplicitate, fidelitate, honestatis candore, & bona fama apud omnes pollebant, inconueniens erat; neq; ex hoc populis, in quibus versabantur, scandalum oriebatur. Patres vero diffinitores hoc anno capitulariter Cōgregati, attendentes mercaturam, & aliud quodcumq; industriæ (vt aiunt) genus, esse a veris Religiosis valde alienum, posseq; temporum varietate, secularibus Personis scādalum generare, & Religiosorum spiritum, mercaturæ emptionis, & venditionis procellis obrutum suffocari, & extingui; illam omnino vetuerunt. Permiserunt tamen, quod aliquando, sed raro, Redemptionis Procuratores emere possent aliquos infideles, vt illos quam primum, pro Captiuis fidelibus commutarent, si hoc in Redemptionis vtilitatem cedere iudicarent. A B

Fr. Raymundus de S. Victore Gallus, qui fuit B. Iacobi a Soto socius, & in martyrio, & passione imitator, (nam quos natio, & patria diuersa separabant, similitudo morum, sancta conuersatio, ipsorum vitæ honestas, ac innocentia, maximis amicitiæ nodis, & vinculis coniungebant;) factus certior de socij sui martyrio, de amisso socio maximopere doluit; sed lætatus in his, quæ de eius martyrio dicebantur, & circumferebantur, sui socij sequendi vestigia, magno flagrans desiderio, id ad laudem Dei, & Ordinis nostri decorem, hoc Anno C
An. 1242. 1242. executioni demandare meruit. Fuit vna cum Fratre Gulielmo de S. Leonardo, natione similiter Gallo, Redemptor electus. Et vt ambo suum Redemptionis opus explerēt; Barcinonæ nauim, quæ Algariam tenderet, expectarunt; & cum per plures dies, nulla commoda, & secura, nauigandi se offerret occasio; & permagno, suos Fratres Algariæ detentos, & in euidenti a fide apostatandi discrimine constitutos, & liberandi desiderio
Redemp. 19. arderent; qualemcunq; proficiscendi opportunitatem quærebant. Et inuenientes frumētariam, & onerariam nauim, in eam ascenderunt. Et die sequenti, maris procellis, & vi ventorum agitati, naufragium fecerunt, & nauim in litore maris fregerunt. Sed per gratiam Dei, bonorum pro Captiuis redimendis, quæ asportabant, iacturam fecerunt nullam. D
ibiq; fuit eis denunciatum, quod a nauigatione hoc anno desisterent, eo quod Maurorum prædatoriæ, & piraticæ naues, more Inimicorum, Christianos insequentes, bona eorum prædabātur, & eos occidebant. Ideo Redemptores, ne bona Redemptionis inutiliter perirēt, nauigationem in Africā omiserunt, & in Vandaliam gressus suos direxerūt. Sed Charibdim fugientes, in Scyllam inciderunt. Nam non procul ab oppido, cui nomen erat Eliocrota, armatorum Arabum Turma prædabunda, eos spoliauit, & bona omnia a Redemptoribus surripuit, vacuos eos sinens abire. Qui propter iacturam, & damnum, in miseros Captiuos illatum, aspero, & impatienti cruciati dolore, vt mortui in terram a sensibus fere alieni, ceciderunt. Sed in se reuersi, & ad inuicem se consolantes (charitatis ardore, ad moriendum pro Christi nomine, & pro Fratribus suis liberandis, aut confortandis, spiritus E
amborum vrgente, & compellente;) vt non sine aliquo fructu Barcinonam reuerterent, vltra progredi intentarunt. In quo, euidentissimis se periculis exponebant; nam inter Ferdinandum Castellæ Regem, eiusq; filium ex vna parte; & Arabes ex altera, bellum implacabile ortum erat. Intrepidi igitur milites Christi, antequam vlterius processissent, & ad oppidum quod (mula dicitur) peruenissent, satellites Mauri, occurrerunt eis, & famulos Dei sine saluo conductu, & sine pecunijs ad Redimendum repertos, eos fore Christianorum Regum exploratores arbitrantes, feraliter comprehenderunt, & contemptibiliter pertractarunt, & conuitijs, ac verberibus affligentes vinculis alligarunt. Cum igitur a quibus,

A bus, & ad quid missi essent Saracenus dux perquireret, intrepido aio, & Dei Spiritu feruētes responderunt; missi sumus a Deo, qui in viam salutis, dirigit gressus nostros, vt semen bonū, quod est verbū Dei, in cordibus hoīum disseminemus. Beata corda vestra, si illud recipient, nā in tēpore suo fructū iucundissimū, super mel & fauū, in æternū producēt. Multa alia de regno Christi proposuerūt, & firma mēte cōstātia Christū prædicarūt, & turpia magna, & errores, de eorū pseudo Propheta, & falsissima secta iactātes, sequaces eius cęcos, & deuios dānare non erubescebant. Quā ob rē, dux Maurus ira accensus, in primo oppido, eos in vincula conijci iussit; & carceris ianuę custodes posuit, publicoq; edicto præcepit, ne qs ad eos adiret, aut vllū auxilij genus afferret, futurū ratus, vt sic eos affligēdo, & opprimēdo, a proposito reuocaret. Post duos dies, Tyrānus, noctu, vno solo Arabe, in sua secta perito, ad eos ingressus, prius arte, & dolo, ac blāditijs, seruos Dei, a cōsilio, & proposito abducere q̄siuit, dicēs ad eos; q̄ vos vesania, q̄ estis Galli, ducit, vt in Hispaniā veniatis, & pro Captiuis B Hispanis diuersę nationis, quos nunq̄ vidistis, nec agnouistis, patriā dulcē, & natiuū solū deserētes, pro eis acerbissimos cruciatus perpeti eligatis; & vnā solā vitā, qua iucūde frui potestis, p̄dere, & mortē ignominiosam eligere imprudenter nō vereamini. O vos felices, & fortunati Galli, si amabili p̄sentis vitę iucūditate in n̄ro Granatę Regno, & in n̄ra societate frueremini, legem n̄ram sāctā, a Deo datā, facilē, & suauē amplectētes. Cui famuli Dei respōderunt; Ecclesia Sācta n̄ra in charitate fundata, (vt ait noster sapientissimus Hugo) vniuscuiusq. ciuitatis, Cōgregatio est. Et similiter noster Burgūdus Bernardus, multarū est aīarum vnitas. Nō est in ea distinctio Iudæi, & Gręci; sed oēs sumus fratres in Christo, q est pater noster. Ex hoc igit cognoscere debes, quod Ecclesia, & Christianorū lex, vera est, quę diuersarū Ciuitatū, Regnorū, & nationū ciues, & fideles, in vnā voluntatē congregat, & aīarū diuersitatē, tanto indissolubili, & forti amoris nodo vniat, vt Christianus pro Christiano (ad nationē respectu habito nullo,) aīam suā ponere nō erubescat, neq. formidet. Sed vidēs Tyrannus, quod nec blāditijs, nec minis, nulloq; studio posset eos a proposito auertere, & Maurus C ille peritus (si īter Mauros peritia esse pōt) nullo modo eos ad suā insaniam trahere posset; iussit secreto carnificē venire, & in eo obscurissimo carcere capitibus corā se truncari, Deū laudātes, & glorificātes, quod meruerint, Pręcursorē Domini Ioannē, in mortis genere imitari. De his sanctis Martyribus agit Magister Zumel in vita primi Magistri, & Reuerēdissimus Magister Melchior Rodriquez modo Episcopus, & alij nostri Ordinis scriptores. Licet Cognomina horū Redēptorū, nō exprimāt, sed tātū eorū nomina. *Hugo.* *S. Bernard.*

Sed est aduertēdū, ne cognomē cū nomine cōfundamus; qđ S. Gulielmus de S. Leonardo Gallus, nō est ille S. Leonardus, etiā Gallus, cuius fęstiuitatē celebrat Romana Ecclesia 6. die Nouemb. De quo mentionē fecimus in superioribus Capitulis, quē nōnulli credūt, fuisse n̄ri Ordinis fratrē, eūq. inter sanctos, & Beatos n̄ri Ordinis collocare solēt, quod à veritate valde alienū est. Nā S. Leonardus floruit tēpore Clodouei Frācorū Regis q mortuo Childe- D rico patre, in Regno adhuc Paganus, & Gentilis successit, an. Dn̄i 485. idest annis septingētis triginta tribus ante n̄ri Ordinis institutionē. Si dicat aliqs quod inter Sanctos, & n̄ri Ordinis Beatos annumeratur, nō quod Togā Religionis n̄ræ induerit, sed qa institutū Sanctæ Redēptionis in fauorē fidei a Deo datū sit secutus; ei respōdebo, quod eadem causa collocare, & enumerare poterat, omnes Sanctos veteris, & noui testamenti, Martyres, Confessores; Abbates, & alios Viros, qui redemptionis institutum amplexi sunt, quos in Capitulis superioribus præsertim quinto, & sexto, suo Ordine posuimus. Et maxime poterat afferre, & enumerare S. Paulinum Episcopum Nolanum, qui proprius quam B. Leonardus munus redemptionis exercuit, se dando in scambium, & pignus, pro redimendo filio viduę. Et hoc faciendo imitaretur Patres Carmelitas, qui inter Sanctos sui Ordinis, enumerare solent, Prophetas, & S. Ioannem Baptistam, & alios, eo quod montem Carmelum inhabitarunt.

E Post Præfatorum Redemptorum martyrium, non defuit in patribus nostri Ordinis, ad nostrū institutū exercendum, voluntas, & animus; & (pluribus se offerentibus) Magister voluit ad Redemptionē anno sequenti faciendum in aliorum exemplum personaliter adire. Sed ante discessum decreuit hoc Anno 1243. Cap. Generale Barcinonæ celebrare. In quo inter alia, fuit decretum, quod ad solum Ordinis Magistrū domū celebrationis Capituli Generalis eligere attineret; & insuper quod fratres in cibo, & potu, sobrietatem seruarent. Et quod numquam liceret Fratribus nostris, pręsertim extra domos degentibus, aut inuitatis, vinum firmum, sed bene dilutum bibere. Sciebant enim Patres, sobrietatem maxime in vino omnium virtutū esse matrem, mētis, & sensus, & mēbrorū omniū, corporisq; tutelā, muni- 1243. *Orig. Ho. 83*

K men-

mentum castitatis, pudori proximā, amicitiæ pacisq; seruā; honestati semper coniunctam, A
vitiorum oīum profugam, recti iudicij tenacem, memoriæ inseparabilem sapiētiam, secre-
torum custodem, arcani velamē, lectionum, & doctrinç capacem, artium bonarū disciplinā,
Petr. Rau. in Epi. S. August. & magistram, capiendorū pedissequam, bonæ famç auidam, fidē sibi commissam seruantē,
temeritatem fugientem, pericula declinantem, superbiam detestantem, mutuis officijs ob-
temperantem, & monasteria cum moderamine gubernantē. Comitijs celebratis Generalis
Magister cum suo socio, Vandaliam proficisci volens, Nuncium recepit de Captiuitate
Episcopi Valentini Viri sancti, quem Mauri ad Prouinciale Concilium Tarraconę adeun-
temq;, in via Captiuarunt. Quo tristatus est valde, quia erat sibi amicus, quem suis Viribus
a Captiuitate liberare procurauit; sed plurimæ difficultates oblatæ occasio fuerunt quod
Episcopum liberare non valeret. Et ob id Vandaliam petijt, vbi ex locis a Mauris possessis
Liberati 188. 188. Captiuos redemit, & perfectę libertati restituit.

Post longam Apostolicę sedis vacationem, & Cardinalium carcerationem, quos Fidericus B
Imperator cogebat, vt in summum Pontificem, sibi aliquem amicum eligerent, Cardinales
libertati donati, & in vnum Congregati in Ananię Ciuitate elegerunt die solemni Natiui-
tatis S. Ioannis Baptistæ, Sinibaldum Fliscum, natione Ligurem, & Patria Genuensem,
Imperatoris amicū, sed Virum bonū, & rectū, qui Innocentius IIII. appellari voluit. Quę
creatio maxime displicuit Imperatori. Timebat enim huius Innocentij Pontificis innocē-
tiam vitæ, & sciebat, Ecclesiasticæ imminutatis esse mirificum defensorem. Plurima bona,
nostro contulit Ordini, vt citò videbimus.

1244. Hoc Anno 1244. celebratum est Cap. Generale Barcinonæ. In quo cum iam per Dei
gratiā Ordo esset, mediocriter extensus, & auctus, nō oēs Monasteriorū Fratres vocē habe-
bant; sed solū Superiores domorū, cum suis socijs, quos Fratres Conuentuales eligebāt, &
pro bono sui Monasterij in societate Superiorū destinabant, & ad Cap. Generale mittebant.
Et sic ad hoc Capitulum Venerunt, vocē habentes, magister cum suo socio, Vicarius Con- C
uētus Palatij regij, Cōmendator Podij cū suo socio, Vicarius perpetuus Podij, Cōmendator
Valentię Cōmendator Maioricarū, Cōmendator Gerundę, Cōmēdator Perpiniani, Cōmē-
dator Narbonę, Cōmendator Tarraconę, Cōmendator Tortosæ, Cōmendator Ilerdeñ. Cō-
mendator Cęsaraguštanę, Cōmendator Sarrion, & Cōmendator Daniæ, oēs cū suis socijs.
Qui inter alia decreuerunt; quod domus de nouo in Ordine nr̄o ædificāda, Titulo S. Eulalię
insigniri deberet; in memoriā huius S. Virg. & Mart. in cuius Cathedrali Ecclesia fuit datus
primus habitus; & dicta Ecclesia plurimos nr̄o Ordini contulit fauores. Et præter crucem
albā, quam nobis in pectore gestandā concesserat, dedit nobis facultatem, vt nigrum pileū,
more suorum Canonicorum gestaremus; & quod Fratres nostri, dum noua domus fabri-
cabatur, tamquam Canonici regulares insererentur, & alterni, inter positiq; in illius
Cathedralis Ecclesiæ Choro sederent, & horas cum eis recitarent; quod per aliquot annos
seruatum fuit. Sed illa nigrorum pileorum gestatio, vsq; ad nostra tempora perdurauit; & D
sunt modo plures Patres, qui eos more Patrum suorum gestauisse affirmant.

Innocentius Papa IIII. ad supplicationem Generalis Magistri, plurima priuilegia no-
stro Ordini concessit. Quem sub B. Petri, & sua protectione suscepit; ordinando, quod no-
ster Sacer, & Regularis Ordo, qui secundū Deum, & B. August. regulam in Hospitali S. Eu-
laliæ Barcinonæ institutus, pro redimēdis Captiuis, diuino vacat officio; decimas soluere nō
debeat, neq; eas a nobis aliquis exigere, vel extorquere prçsumat, prçcipue noualiū nr̄orum,
Quæ proprijs manibus, aut sumptibus colligimus, aut de aīaliū nr̄orū nutrimētis. Quod li-
ceat nobis, clericos vel laicos liberos, & absolutos, a seculo fugiētes, ad nr̄um Ordinē admit
tere, & recipere, ac retinere. Qui in nr̄o Ordine fuerit professi, sine expressa Magistri licētia,
discedere nō possint; discedētes retinere nullus audeat. Tpe gn̄alis interdicti, clausis ianuis,
nō pulsatis Cāpanis, suppressa voce, possimus diuina officia celebrare Infra fines Parrochię E
nrę nullus sine licentia dioecesani Epi, & nostra, audeat Capellā, seu Oratoriū de nouo ędifi-
care. Quod noster Ordo Ecclesiasticis, vel secularibus Personis cuiuscūq; gradus, & digni-
tatis cēseant, nouas, & indebitas exactiones nō soluat. Quod sepultura Ecclesię nrę Barcino-
nę sit libera ijs, qui ob suā deuotionē, vel vltimā voluntatē illic sepelliri deliberauerint; qui-
bus nullus obsistat. Dat facultatem redimendi, & liberādi de potestate Seculariū Persona-
rum decimas, & possessiones, ad ius nostrarum Ecclesiarū spectantes, si ab illis detinerent.
Quod Petro Nolasco obeunte, nullus magistratui Ordinis præponatur, nisi quem nostri
Fratres, vel eorum maior pars, sanioris consilij secundum Deū, & Beati Augustini regulā,
prouiderint eligendum. Prohibet ne quis infra clausuras locorū, seu Grangiarum nostrarū,
homi-

A hominem aliquem capere, vel extrahere præsumat. Et denique confirmat omnia, quæ summi Pontifices Romani, Reges, Principes, & alij fideles nostro Ordini concesserant. Sub dat. Lugduni per manum Magistri Marini S. R. E. Vice Cancellarij 2. nonas April. Indict. 3. Incarnationis Dominicæ 1 2 4 5. sui Pontif. an. 2. Quam bullam subscripserunt 1245.
Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Otto S. R. E. Cardinalis Portuensis, & Sanctæ Ruphinæ Episcopus ex Marchionibus Montis Feriati Cassinensis subalpinas, Petrus de Collemedio Gallus, Episcopus Albanensis Cardinalis. Gulielmus Subalpinas Episcopus Sabinensis Cardi. Otto de Castro Rodulphi Bituriensis Gallus Episcopus Tusculanus Cardi. Petrus de Barro Gallus, tituli S. Marcelli, Presbyter Cardin. Fr. Gulielmus Gallus, Monachus, & Abbas Sancti Facũdi, Presbyter Cardinalis Basilicę duodecim Apostolorum. F. Ioannes Franciogа Monachus Cisterciensis Gallus, Tituli S. Laurentij in Lucina Presb. Cardinalis. Fr. Hugo de S. Caro Vienensis Burgundus Gallus, Tituli S. Sabinę Pres-
B byter Cardinalis. Ægidius de Torres Hispanus, Tituli Sanctorum Cosmæ, & Damiani Diacon. Cardinalis. Petrus Capotius Romanus, Tit. S. Georgij ad Vellum aureum Diacon. Card. Ioan. Caietanus Vrsinus Romanus, Tit. S. Nicolai in Carcere Diaco. Card. qui postea fuit Nicolaus Papa III. Gulielmus Fliscus ex Comitibus Lauaniæ Ligur Patria Genuensis, S. Eustach.j Diac. Cardi. Sunt etiam in hac bulla multa alia, quæ breuitatis causa omissa facimus; in qua Summus Pontifex, proprijs nominibus exprimendo omnia nostra Monasteria, domos, possessiones, & loca, quæ hoc anno noster Ordo possidebat, sub Apostoca, & sua suscipit protectione.

Hoc eodem anno, & mense Maij, fuit Perpiniani celebratum Capitulum Generale. In 1245.
quo inter alia Patres diffinitores decreuerunt; quod deinceps nullus Superior posset opitulari, & subsidiũ porrigere alicui Captiuo, sine expressa licẽtia Generalis Magistri; si tamẽ
C necessitas cogeret, & periculum esset in mora, & non posset de facili ad Magistrum haberi recursus; tunc posset hoc subsidium porrigere de Consilio ordinarij, & Episcopi loci, in quo monasterium est fundatum; & non aliter neq; alio modo. Pro cuius Decreti iustificatione est aduertendum, quod ea tempestate, nostri ordinis Commendatores, & Superiores, bona forsan intentione, & sana mente deducti, plurima bona, imo ipsamet Monasteriorum suppellectilia, census, & possessiones, in notabilem Monasteriorum perniciem, & destructionem, pro Captiuis Christianis redimendis, aut adiuuandis vendebant, & erogabant; quibus particulares Redemptiones, sine magistri licentia faciebant; dicentes, & concludentes; si ex muneris nostri debito animas nostras pro Fratribus Captiuis ponere tenemur, multo magis bona, quæ inferioris Ordinis sunt, erogare debemus.

Similiter aduertere oportet; quod Fratres nostri Equites, & Clerici, diuino spiritus fer-
D uore ducti, gestabant a principio habitum reformatissimum, ex panno scilicet crasso, vulgariter dicto (frissa, seu cordellate,) & eorum tibialia, tantum pertegebant crura, non autem pedes. Et multi eorum arctioris vitæ studio, discalciati incedebant, vt clare constat ex antiquis Codicibus, qui tempore Gregorij Papæ XIII. fuerunt Romæ a Fratribus nostris Gotholanis, suæ Sanctitati præsentati in lite, quæ inter ipsos, & Fratres ex Prouincia Castellæ vertebatur, quos vidi, tenui, & legi; & plurima ex eis, pro hac nostra Chronica desumpsi, & extraxi. Ibi legitur, quod Fratres nostri antiqui, Fratres de Pœnitentia vulgariter appellabantur. Hoc igitur anno Generale Capitulum tam Ordinis reformationi, quam Fratrum saluti consulere volens, (quia quotidie Fratres Elemosynas procurantes, & Redemptionis opus exercentes præ nimia asperitate, & pęnitentia per loca aspera incedẽtes infirmari solebant,) ordinauit, & statuit; quod deinceps intra claustrum Fratres nostri,
E possent si vellẽt discalciati incedere, extra claustrum vero, dum eis Elemosynas procurare, aut ad opus redemptionis proficisci contingeret, calceos ad instar Fratrum Templariorum gestare deberent. Quorum forma (ni fallor) erat ad instar calceorum quos Fratres Hospitalarij de Ioanne Dei, a principio ferebant, qui licet pedum plantas tegebant, non tamen omnes superiores partes neque pedum talos cooperiebant.

Caput XXV. In quo Innocentius Papa nostrum Ordinem mirifice commendat. Fr. Petrus a S. Dionisio martyrio coronatur. Lis inter nostrum Conuentum Barcinonæ, & Sancti Iusti Parrochum terminatur. Et Sanctus Nolascus sanctissimæ obijt.

LINGVA enarrare non sufficit, nostrorũ antiquorũ Patrũ erga miseros Captiuos, infirmos, debiles, peregrinos, & erga charitatis opera, ardentissimã solertiã. Redẽptores deputati transibãt ad vltra marinas partes, & pro fratribus suis (necessitate cogẽte) in scambiũ manere, & aĩas ponere nõ dubitabãt. Præfectus Infirmariæ, & socij eius, per vias, vicos, & plateas Ciuitatis, Infirmos, & ægrotos quærebant, & inuentos domũ asportabãt. Ianitor ad ostiũ Conuentus trãseuntes peregrinos, ad hospitiũ inuitabat, & indigentibus larga manu Elemosynas porrigebat. Quæ cum ad aures Sãctissimi Dñi nostri Innocentij IIII. deuenissent, suissetq; informatus, annuos cẽsus, redditus, & Elemosynas quotidianas, pro tot sanctis operibus nõ posse sufficere; sua bullã plũbea, & literis Apostolicis inuitat, mouet, & hortatur oẽs, & singulos ad quos sua bulla peruenerit, ad porrigẽdum auxilium, fauorem, & subsidium fratribus nostris, vt præfata charitatis opera exercere valeant; præcipiendo quod Nuntij, & Procuratores, quos ad procurandas Elemosynas mittimus, honeste, & charitatiue recipiantur, & tractentur. Et Sanctissimus Pontifex, ac si esset Concionator, & Elemosynarum Procurator, causam adducit dicendo; quod meritò debẽt præfatæ Elemosynæ dari, eo quia prædicta charitatis opera, nr̃i fratres laudabiliter exercẽt, & exequuntur. Non solũ (inquit Sũmus Pontifex) recipiunt hospites, sed eos trahunt; illud propheticũ exequentes; frange esurienti panem tuum, & ægenos vagosq; induc in domum tuã. Cum videris nudũ, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Pascunt esurientes, sitientes potant, colligũt hospites, nudos vestiunt, & non solũ infirmos visitant, sed eorum in se infirmitates assumunt, ministrant in carcere positis, & sepelliunt mortuos; propter quod Dominus in vltimo districtionis examine, eos est remuneraturus. Quæ sunt expressa summi Pontificis verba. Et vt Christi fideles, ad Elemosynas porrigendas, ardentius moueret, sua Sanctitas relaxat, his qui de suis facultatibus, nostro Ordini subuenerint, & in nostra fraternitate, statuerint se collegas, & beneficia præstiterint annuatim, septimam iniunctæ Pęnitentiæ partem. Et statuit, quod si isti nostri Cõfratres, & Consorores, mori contigerit, possint in Ecclesijs interdictis sepelliri. Et ne Elemosyna huic Sancto operi eroganda, aliquo modo impediatur, aut retardetur, præcipit, quod quando fratres, aut Nuncij nostri, vel collectores, ad Ciuitates Castella, loca, &c. accesserint, in eorum iucundo aduentu si Ecclesiæ sint interdictæ, semel aperiantur, reiectis prius excommunicatis, & nominatim interdictis; ibiq; illa die diuina officia celebrari possint, vt super Elemosynis acquirendis verbum exortationis ad populum proponatur.
1246. Sub datum Lugduni. Idus Ianuarij 1246. sui Pontif. an. 3.

Hanc bullam plumbeam, diligenter vidit, & suis manibus tenuit Dominus Bernardus Episcopus Viccensis, & transumi, & in auctenticam formam redigi mandauit, per Petrum Ayrecis Vici canonicum, & publicum eius Ciuitatis notarium. Sub datum 4. Cal. Martij
1246. huius anni 1246.

Tunc Sanctissimus Nolascus, Ordinis magister, plura transsumpta auctentica fieri iussit, quæ Superioribus Monasteriorum misit, eis iniungendo, vt charitatis operibus; & maxime Redemptioni, totis suis Viribus vacarent, & pias ad Dominum pręces effunderent, pro sua Beatitudine, & felici S. R. E. statu, pro extirpatione hęresum Galliæ, & Maurorum expulsione ab Hispania.

Hoc eodem Anno 1246. mense Nouembris in Villa Vallisoleti, quæ modo est opulen-
1246. ta Ciuitas, nuptiæ factę, & celebratę sunt, inter Dominum Alphonsum primogenitum Ferdinandi Castellæ Regis, eius nominis tertij; & Dominam Violantem filiam natu maiorem nostri Regis Iacobi.

1247. Hoc Anno 1247. fuit Tarracone celebratum Capitulum Generale, in quo Patres statuerunt; quod nunquã liceret, Generali Magistro, iter facere, sine aliquo socio nostri Ordinis Sacerdote, qui Generali Magistro esset solatiũ, & adminiculũ, & tam ipsius Magistri, q̃ Fratrum, qui ob sua negotia ad eum accederent, confessiones audiret, & alia sacramenta Eccle-

A Ecclesiæ administraret. In quo Capit. fuit Fr. Petrus a Sancto Dionisio, natione Gallus, Commendator Perpiniani Redemptor deputatus. Hic Sanctus Vir, Patria Narbonensis, fuit celebris Parisiensis doctor, ac famosus verbi Dei Concionator; & licet esset sacerdos, fuit a magistro Commendator electus. Obtenta igitur a Rege Iacobo, & a magistro Ordinis in Ciuitatem Tharsensem, seu Tunetum proficiscendi licentia, vnam Massiliensium mercatorum nauem, cum suo socio Fratre Bernardo Pratensi Gotholano, equite laico cōscendit. Cumq; Tunetum applicuissent, nonnullos ibi inuenerunt mercatores Gallos, & Italos Genuenses, & Pisanos, a quibus lætanter recepti, & benigne fuerunt tractati. Et post paucos dies, maiorem quam cogitauerant Captiuorum Christianorum, ex omni sexu, & natione numerum redemerunt. Quo Fr. Petrus de Sancto Dionisio non contentus, maiori deuotione, & spiritu Dei accensus, ac ex omnium Captiuorum, ibi detentorum spirituali salute solicitus, omnes saluos facere optabat. Ideo in domo cuiusdam mercatoris Gal- 1247.

B li Narbonensis, remanere voluit; & socium Fr. Bernardum Pratensem, cum ducentis, & nouem Christianis redemptis oblegauit; qui vento secundo portum optatum tenuit, & Captiuos Christianos perfectæ libertati restituit. Sed reuertamur ad Fr. Petrum, qui per singulos dies Christianis Captiuis, quos inuenire poterat, & mercatoribus verbum Dei prędicabat, illos ad fidem Catholicam, quam professi erant retinendam, & ad tolerantiam grauibus verbis, ex sacrę scripturę locis, ac Sanctorum exemplis hortabatur. Filij mei (dicebat) vos estis Rei, & propter peccata a Patria exules, nolite cum mœrore exilium suscipere. Vultis ne mala gerentibus confusionem facere, tormenta ab eis illata fortiter tolerate. Vultis Saracenos, qui non cessant quotidie vos torquere, inualidos, & imbecilles reddere, induite vos armatura patientię, quæ mirifice a Deo prædicatur, in iniurijs verum humilem ostendit. Quæ amarum dulce æstimat, & omne quod affligit, requiem putat. Mentem iustam ab iniusta decernit. Laudem Summi Dei inter aduersa confitetur. Iudicium Deo dere- Librati 209. Ex Ecclesiæ Doctoribus.

C linquit. Impetuosum animi motum frænat. Fęcem totius voluptatis abstergit, lympidas Deo animas reddit, audit noxia, & vincit aduersa. Si ergo ex Captiuitate fructus vberrimos capere, ad Patriam redire, & libertatem amissam consequi optatis; fidem Romanæ Ecclesiæ retinendo, patienter mala omnia tolerate. Et ad mercatores conuersus dicebat eis ne omnem curā, & solicitudinem, in acquirendis, & coaceruandis diuitijs, modis forsan illicitis collocarent. Diuitiæ enim (dicebat) quando sunt adeptæ, animum in altum extollere, si vero recedant, frangere, & opprimere solent. Sed solum illas veras diuitias quærite, quæ nunquam perdi possunt, quas Diuus Bernardus in serm. non opes, sed virtutes appellat. Terrenæ vero substantiæ, & diuitiæ, æternæ fęlicitati comparatæ, pondus est non subsidium. Vnum pondus portat Camelus, vos vero duo, vnum diuitiarum, alterum peccatorum, quæ diuitiæ secum asportant; videlicet anxietatem intus in cogitatione diuitias acquirentis, furorem iniustum, arrogantiam, superbiam, irrationalem mo- S. August. super Matth. S. Bernard. S. Greg. S. Bernard. Ex Sanctis Doctoribus.

D tum, immundam luxuriam, vanitatum vanitatem, insidias, insecuritatem, inquietem, sorditatem in auribus, iactantiam effręnatam, cor ad illicita corruens, & immodicam inuidiam. Videte filij mei, quanta dementia est, diuitias procurare, quæ vos a Patria vestra alienos, in Infidelium partibus cum Barbaris, & Inimicis vitam degere cogunt. Hæc & similia verba Christianis prædicabat; sed magis, ac magis, Christi amore incensus, nihil a se clare gestum, nihil suis prædicationibus, & reprehensionibus, ac admonitionibus, fideli Populo factis, laude dignum existimabat; nisi efficatiori amoris signo in publicum exiens, & nomen Domini palam coram Mauris manifestans, flammam cordis sui ardentissimam ostenderet. Vnde gratia cœlesti confortatus, & animatus conclamabat, & intrepidus Christi miles Barbaris dicebat; o stulti, & tardi ad credendum, o perditæ, & Infelices creaturæ, imo vestris Captiuis infeliciores, & miseriores. Vos estis peccati serui, & in Dæmonis potestate detenti, ac fortissimis li-

E gaturis, & indissolubilibus vestri falsissimi Alcorani nodis innodati, ligati, & irretiti, quæ est vera, & intolerabilis Captiuitas. Quid aliud est, vestri pessimi pseudo Prophetæ Alcoranus, quam clarum, & manifestum figmentum, quędam vitiorum relaxatio, ac libertas apparens; vt vel sic videre, & agnoscere non valeatis immundissimæ luxuriæ, detestandæ libidinis, abominabilis carnalitatis, & Concubinarum multarum permissionis licentiæque catenas. Aperite oculos vestros, & attendite, quibus vinculis vos vt immanes bestias Diaboli teneant fortiter constrictos, a quibus nemo liberare vos potest, nisi Christus, quia in nullo alio potest esse libertas, præter quam in vniuersali Saluatore, & mundi Redemptore. Quæ cum Saraceni milites, ad Ciuitatis

cu-

custodiã deputati audiuissent, indignati valde, famulũ Christi opprobrijs, & verberibus afficientes, ligatum ad Proregem adduxerunt, dicentes; hic seductor, suis blanditijs, & callido dicendi modo, totam hanc Ciuitatem in fraudem inducere, & pellicere conatur, & ad amorem Christiani Maioricarũ Regis nostram gentem inclinare suis viribus intendit. Quo non contentus (quod sine lacrymarum fonte dici nequit) in sanctum nostrum Prophetam, turpissima conuitia, & inauditas execrationes, suo temerario ore, in vijs publicis, & plateis proferre (nobis pręsentibus) non erubuit. Quem nonnulli ex nr̃is ciuibus idiotæ, & simplices, ac nr̃æ sanctæ legis ignari, non moleste audientes, imo videntes audaciam, & licentiam sermonum eius, titubare cęperunt; eumq; non sine magno scandalo cum alijs Christianis mercatoribus attente audiunt, & sequuntur. Quibus malis, si in principio morbi, nullum adhibes remedium, maiora & grauiora indies sequi, tuis oculis cernes. Quia iste subdolus, & astutus homo, ob religionis suæ zelum, suffultus auxilio Christianorum mercatorum, quos statim sibi amicos effecit, nectendis fraudibus, parandis dolis, & struẽdis insidijs, in magnam religionis nostræ perniciem, & huius Ciuitatis destructionẽ, aptissimus est. Quibus verbis iratus Prorex, ac furore plenus, nulla alia quam militum accusatorum depositione, aut examine præcedente, eum morti adiudicauit, suisq; satellitibus, ac accusatoribus occidendum tradidit. Tunc Satanæ ministri, famulum Dei ad supplicium duxerunt. Ille vero præsentiens imminentem corporis sui mortem, & sciens quid in morte boni sit, candidissimus anima, & corpore, ac albis vestibus Cygnus, suauissimo, & Apostolico Cantu intonare cæpit. Mori, & dissolui, pro Iesu Christi amore, qui pro me mori dignatus est, semper ex quo habitum suæ purissimæ Matris indui, concupiui. Igitur quod desideraueram teneo, nec dimittam. Nunc proculdubio implebitur desiderium meum, quia iudex iratus, & male informatus, ac ministri crudeles a Tyrannide non desistent. At si (quod Deus auertat) aliquam intercapedinem fecerint Inimici mei, & auaritia ducti, lucrum a fratribus meis, pro liberatione mea expectantes, aut accipere excogitantes, mortem meam distulerint, totum illud temporis spatium, cum meis Concaptiuis fratribus, & filijs, consumare propono, & pro eis mori sum semper paratus. Pro quo erga eos amore, nihil aliud peto; nisi quod fidem Catholicam vsque ad mortem retineant. Et quia dum ad mortem ferebatur, magnis encomijs nomẽ dulcissimum Iesu Christi laudare, & falsam Mahometanã sectam, ore pleno execrari non cessabat; plurimis pugnis, & ictibus percutiebant eum. Qui lætus, tamquam ad immaculati agni epulas inuitatus, improperium Iesu Christi portans, festinabat ad mortem; quam intrepido animo, Capitis decollatione sustinuit. Cuius corpus in ardentem rogum, vt ab vltricibus flammis combureretũ, & ne a mercatoribus Christianis redimeretũ, eiectum est. Animam autem, quam ministri Diaboli non potuerunt occidere, in patriam cęlestem Angeli deduxerunt. De martyrio huius sancti Redemptoris breuiter agunt nostri Ordinis scriptores; & Reuerẽdissimus Magister Zumel de vitis generalium in corpore constitutum pagina 79.

Magist. Zumel.

Non solum Religio nostra cui ex officio captiuos Christianos redimere, & de eorum liberatione exultare, & gaudere tenetũ, sed Hispania tota, imo vniuersus orbis, illustribus, & ęgregijs, Ferdinandi Castellæ regis operibus lætabatur. Qui infinitum Captiuorum Christianorum numerum, de potestate Barbarica, & Saracenorum Tyrannide, suis victorijs redemit. Et inter alias quæ hunc S. Regem celebrem fecerunt, fuit illa pręclara, & insignis
1248. victoria, quę hoc anno 1248. die lunæ, vigesima tertia Nouẽb. S. Clementi dicata, accidit; quãdo post longã, & laboriosam obsidionẽ, nobilissimam, & fidelissimam Ispalim Patriam meam, quæ sine controuersia, primas inter omnes Hispaniæ Ciuitates tenet, e Maurorum manibus eripuit. In cuius obsidione, Rex noster Iacobus adfuit. Quem noster Generalis Magister, licet senectute grauis, comitabatur, & sequebatũ. Parta igitur victoria, & adepta Ciuitate, quæ per spatium 534. annorum, in Saracenorum potestate miserabiliter iacuerat, Ferdinandus Rex in distributione quam fecit, vt se erga omnes sibi in bello, & obsidione opitulantes, gratum exhiberet, nostri etiam Ordinis recordatus est. Et aduocato Beato Nolasco quem ob familiaritatem cum Iacobo Rege, recte agnoscebat, assignauit ei, iuxta flumen Bęthis, locum in quo Monasterium fundatum est, nostro instituto de redimendis Captiuis commodum. Et subiunxit dicendo, da igitur operam, vt in Ecclesia extruenda, fratres tui, pro me, dum vixero, & pro anima mea, post mortem, præces ad Dominum effundant. Non enim me latet, quanto sint Deo accepta opera vestra, quibus in ordine vestro, præsertim in Hospitali S. Eulaliæ Barcinonæ, summo amore, & charitate operam nauatis, & erga omnes nationes vos pios, & misericordes exhibetis. Cuius Hospitalis

A talis immemor non ero. Et tunc Rex super redditus Almoxarifazgi (vulgariter sic appellati) eiusdem Ciuitatis, nonnullos annuos redditus, vt pro ipsius Regis anima, singulis annis Missa celebraretur in nostra Ecclesia Ispalensi, assignauit. Et iuxta decretum Capituli generalis Superioribus annis celebrati, nouæ Ecclesiæ fundandæ S. Nolascus nomen S. Eulaliæ imponi iussit. Huius tamen regiæ assignationis, & redditaum donationis instrumentum, & regiæ literæ (subsecuta eiusdem regis morte) subsignari non potuerũt. Sed filius eius Alphonsus, sciens voluntatem Patris, in distributione quam fecit die Iobis 1. Maij 1253. (vt eius refert histor. ab Alphonso Morgada in histor. Ispalensi relata) recordatus est Monasterij S. Eulalię Barcinonę (Licet alij credãt, quod nomine S. Eulalię Barcinonę intelligatur Cathedralis Ecclesia eius ciuitatis.) Sed veritas innotescet in Alphonsi regis auctentico priuilegio quod videre exoptaui, vt quid esset tenendũ, firmiter assererẽ. *Alphonsus Morgada.*

Hoc eodem Anno 1248. Generalis Magister, Barcinonam rediturus, ex diuersis partibus Regnorum Ispalis, & Granatæ, ducentos, & quatuor redemit Captiuos Christianos, 1248.
B quos libertati donandos socijs suis tradidit. Ipse vero pręsentiens suæ resolutionis instare diem; vt cum Fratribus suis, in primo nostri Ordinis Monasterio a se fundato moreretur, magnis itineribus Barcinonam peruenit; vbi sennio confectus, varijsque, & diuersis ægritudinibus oppressus, ne post obitum suum, filios suos quos in visceribus Christi ardẽter diligebat, & ad quorum salutem spiritualem, & quietem, semper dum vixit, rectis studijs intendit; ne inquam ob litigium, ad Iudices seculares, & ad tribunalia extra ordinem accedere eos oporteret; voluit quandam litem motam, inter Curatum, & Parrochum Parrochiæ S. Iusti ex vna parte; & Conuentum nostrum Barcinonæ ex alia, nonnullis appositis honestis conditionibus, ante quam ex hac vita discederet, terminari. Licet enim esset verum, Romanos Pontifices, maxime Innocentium IIII. qui hoc anno erat in hu- *Liberat. 204*
C manis, multa concessisse, ad fauorem nostri Ordinis, & præsertim Conuentus Barcinonæ, de non soluendis decimis, de libera mortuorum sepultura, de nouis exactionibus non exigendis, & his similia; (vt supra retulimus;) ijs tamen non obstantibus, præfatus Curatus, & Parrochus nonnulla prætendebat, contra nostri Conuentus decorem, & honestatẽ; Vnde grauis lis exagitata erat, cui Sanctus Magister, hoc anno finem imponere voluit, recursum habendo, ad Reuerendissimum in Christo Patrem, & Dominum, Fratrem Petrum de Cendra, Virum sanctissimum, & doctissimum, Barcinonæ Episcopum, humiliter postulans ab eo, (ante quam suos clauderet oculos,) vt huiusmodi litem extinguere vel componere, vt bonum Pastorem decet, dignaretur. Cuius præcibus Episcopus annuens, simulq; Canonici maioris Ecclesiæ, (maturo prius inter se Consilio habito) attendentes, (vt ipsi in suis referunt literis,) quod Ordo noster, qui dicitur S. Eulaliæ Barcinonæ, iam
D per Dei gratiam, in diuersis mundi partibus dilatatus, in Ciuitate Barcinonæ contraxerit originem; & a sua Cathedrali Ecclesia S. Crucis, sanctæq; Eulaliæ, cui domus prædicta subesse dinoscitur, idem Ordo, nomen & signum accepit. Quæ sunt expressa verba Episcopi, & Canonicorum, qui insimul concesserunt, quod in illa domo, iuxta litus maris, possemus retinere oratorium, seu Capellam, cum suis campanis, & proprium sacerdotem habere, quod Parrochus impediebat. Et quod ibi Fratribus, & familiaribus nostris, qui nostris expensis sustentabantur, Ecclesiastica Sacramenta, & extremam Vnctionem, ministrare, eosque in nostro Cęmeterio sepellire, similiter possemus. In quibus, & bonis omnibus, quæ pro redemptione Captiuorum, vel alia de causa, nobis fuissent donata, vel relicta, nullo modo Parrochus supradictus, se intromittere auderet. Sub datum Barcinonæ 3. Cal. Maij 1249. Fr. Petrus Barcinonæ Episcopus, A. de Burgo Barcinonæ Archidiaconus. Ferrarius de Cauro Sacrista Barcinonæ. Petrus de Bello loco, Ber- 1249.
E nardus de Pirarijs, Berengarius de Sancto Christophoro, R. de monte Signo, Canonici Barcinonæ. Gulielmus de Bagnarijs, Rector altaris S. Ioannis. Ferrarius de Torrente malo, Canonicus Barcinonæ sedis. Petrus de Aronis Barcinonę Canonicus. Berengarius de Piellis Canonicus. Petrus Arbitius Barcinonę Canonicus. Petrus de Insula Barcinonæ Canonicus. Petrus de Oliuella Barcinonæ Canonicus. Gulielmus Scriptor Barcinonę Canonicus hebdomadarius ... de Picalgrio. Bernardus Delphini Barcinonę Canonicus. Petrus de Castellare Presbyter Canonicus. Magister Arnaldus Canonicus, & hebdomadarius Barcinonę. Petrus de Mecapa. Petrus Richarius Notarius Curię Domini Episcopi Barcinonę, qui hoc scripsit.

Post huius litis compositionem, noster Generalis Magister, in grauem, & lęthalem incidit morbum, ex quo discessit. Et quia mors eius fuit Sancta, laudes eius recensere, non

in

1249. in vita, sed in fine distulimus. Quem morem vt implurimũ seruabimus gloriosos, & præstantes nostri Ordinis Viros, post mortem laudando. Fuit igitur B. Petrus Nolascus, natione Gallus, ex diœcesi Papulensi, siue Sancti Papuli, quæ est inter Carcassonam, & Tolosam, nobili prosapia, & pijs Parentibus natus; qui sanctimonia, omnium virtutum genere, militari gloria, & diuitiarum copia decorabantur. Introiuit Nolascus, in hanc communem (speciali Dei dono) vitam, vt plurimis proficeret. Et quoniam generis honestas, & nobilitas, ingenuam proferre prosapiam solent, & bonos Parentum mores, insignesque virtutes filij imitari student, hinc est, quod Nolascus genitorum suorum mirificus æmulator effectus, cœpit cum ipso Nutricis lacte, & ab adolescentia sua bonum facere, & a malo declinare. Defuncto Patre, qui Nolascus dicebatur, vnde filius cognomen accepit, matris tutelæ traditus est, quæ Carcassonam sub honesti Pedagogi custodia, vt bonis artibus operam nauaret, suum vnicum filium misit. In quibus tantum profecit, vt condiscipulos, & coætaneos suos longe superaret. Deinde Lutetiam Parisiorum, Iuris Pontificij adiscendi gratia, a matre per literas adeundi licentiam petijt. Sed mæstum Nuncium accepit, se videlicet (mortua matre,) amplissimæ hæreditatis fuisse relictum hæredem. Sicque cum breui tempore vtroque Parente orbatum se cerneret, cæpit cœlestia meditari, & terrena despicere. Et sic proposuit in corde suo, eligere in Patrem, Dominum nostrum pro nobis crucifixum; & in suam Matrem, Angelorum Reginam; suosque Thesauros, & diuitias nunquam deficientes, esse deinceps miseros Captiuos, & indigentes. Quibus sic sancte dispositis, Patriam relinquere statuit. Et non sine Dei nutu, a Spiritu sancto ductus Barcinonam se contulit, quam suæ habitationis domicilium elegit, & in Parrochia Sancti Pauli domum pro se, & familia sua emit, vbi adhuc secularis religiosam vitam, & normam degebat. Non vna contentus solum, sed plures quotidie singulari deuotione, & attentione Missas audiebat. Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentabat. Famulis suis, qui hanc vitam ducere renuebant, discedendi licentiam dabat. In orationibus, & diuinis contemplationibus erat assiduus, pijsque Charitatis operibus intentus. Et licet nullam aliam scientiam, quam Grammaticam, & artes illas, quibus puerilis ætas, ad humanitatem informari solet, didiscerat: nihilominus tamen, adeo in plateis, & in vijs publicis Ciuitatis, suis colloquijs, ac mirabili persuadendi modo adstantes mouere solebat, vt plurimos nobiles, & ingentem ex plebe multitudinem, ad cœlestem Patriam aspirandum, & charitatis opera amplectendum, verbo, & exemplo moueret, & Mauros non paucos, ad Christianæ fidei lumen reduceret. Et quia vt Patrem, Christum elegerat, Christi tenendo, & sequendo vestigia, quosdam discipulos elegit, & Congregationem illam Virorum (quam superius diximus) instituit, qui omnes Redemptioni incumbebant. Meruit his operibus intentus, quod Mater eius Maria (vt diximus) appareret ei, vt nostri Sacri Ordinis esset institutor, & primus Magister. Quem magna prudentia, humilitate, & summa charitate, per annos triginta, & vnum, laudabiliter rexit. Infirmis, & hospitibus, adhuc Generalis Magister, libenter, & charitatiue seruiebat, ac humiliter eorum lababat pedes; subditis relinquens exemplum, vt eius sequerentur vestigia. Ostiatim pro miseris Captiuis, Eleemosynas quærebat. Cibi, & potus fuit semper parcissimus. Super tabula cum vna sola lodicola inuolutus, vt solicitior ad horas Canonicas expergisci, & assidue orationi vacare posset, cubabat. Carnem ieiuniorum frequentia, sic comprimebat, vt Fratres, & seculares Personæ, quomodo quotidianis laboribus, eius vires sufficerent, mirarentur. Cilicio aspero ad nudas carnes imposito, & nudis pedibus incedebat, præter quam in senectute. Plurimos, & incredibiles labores, transeundo ad vltra marinas partes, perpessus est; vbi cum inhumanis, & crudelibus Saracenis agendo, & conuersando, infinita sustinuit opprobria, ictus, & alapas. Multas in Hispania legationes, & difficillima itinera, ad laudem Dei, & Virginis Mariæ honorem, in Regum, & Principum obsequium, Captiuorum, & Ordinis nostri vtilitatem, ac augmentum subiuit. Et tantus huius Sancti Viri sanctitatis rumor, & fama increuerat, & inualuerat, vt in vniuersa Hispania, Sanctus adhuc in hac mortali vita viuendo, appellaretur, & fœlices se reputarent, qui vestimenta eius, per Ciuitates, & loca qua transibat, tangere, aut manum osculari possent. Vnde legitur de plurimis Infirmis, per mœrita eius, a langoribus suis, ad sanitatem restitutis. Cum ergo iam valde senex,

carnem

A carnem suam disciplinis, orationibus, & abstinentijs domando esset quasi collapsus, & ex- 1245
tenuatus, spiritu tamen prompto, & ad solidæ perfectionis culmen euecto, præsentiens sibi
transitus sui appropinquare horam, suos charissimos filios, fratres, & in laboribus socios cõ-
uocauit. Qui inter alios fuerũt, Fr. Gulielmus de S. Romano, Fr. Gulielmus Basso, Fr. Ioan-
nes de Lercio, Fr. Bernardus Casolis, Fr. Berengarius de Cassano, Fr. Dominicus Doso, Fr.
Raymundus de Villtretto, Fr. Bernardus de Corbaria, Fr. Petrus de Calidis, Fr. Pontius de
Solanis, Fr. Arnaldus de Pratis, Fr. Bernardus de Tona, Fr. Ferrarius de Gerũda, Fr. Ray-
mundus de Monte Oliuo, Fr. Petrus de Castilliolo, Fr. Petrus de Osca, Viri oẽs charitate fer
uidi, & de Captiuorũ liberatione valde solliciti, atq. solertes. Quibus Pater morti propin-
quus iniunxit, vt psalmos Pœnitentiales recitarent, & pro se, preces ad Dominũ funderent.
Quod filij lacrymantes, deuotissime fecerũt. Tunc Pater scitote filij mei, corporis mei ta-
bernaculum esse citò deponendum. Lętissimus ex hac vita discedo, qui tot prudentes, de-
B uotos, ac nobiles filios spiritualiter genui. Ordinem Apostolicum, & Regalem, in varias, &
diuersas partes extensum, plurimis gratijs, & priuilegijs, benignitate summorum Pontificũ,
& Regũ Hispaniæ, roboratũ, & bene munitum vobis relinquo. Omnibus bene facite filij,
maxime Captiuis, eos redimẽdo, ĩ quo eritis similes filio Dei. Aegrotos curate. Aduenas ho-
spitamini, vt audire mereamini in fine mũdi, venite Benedicti Patris mei, & vos ad dexterã
suã Iudex viuorũ, & mortuorũ collocet. Domi, & extra, cruce signati, & muniti incedite, vt
Princeps tenebrarũ, & fortis armatus, munitos, & armatos vos inueniat, & discedat. Attẽdi-
te fratres mei, quia placuit Patri cęlesti, vos facere ministros sui operis exequẽdi. In quo car-
ceres, vincula, & mortem crudelẽ, a Regibus, & Principibus Tyrannis, sustinere vos opor-
tebit. Inter vos erũt contẽtiones, & schismata, sed nõ terreamini, q̃a fuerũt ẽt in exordio
Ecclesiæ, & dñs noster Iesus Christus, qui vos misit Redẽptores Populo suo, cõseruabit
Ordinẽ matris suæ. Obedientiã præstate, nõ solũ Christi in terris Vicario, sed ẽt Barcinonę
C Episcopis, a q̃bus tot beneficia accepistis. Cathedralis, & maioris Ecclesiæ S. Crucis Cano-
nicos honorate. Similiter Regẽ nr̃um, cũ prole Regia, & successores suos, nr̃i Ordinis Insti-
tutores, & Protectores semper colite. Reuerendum Patrẽ Fr. Raymũdũ, quẽ Deus suę di-
uinæ volũtatis testẽ veridicũ elegit, vt Patrẽ vestrũ veneramini q̃ cõfirmationẽ a sede Apo-
stolica obtinuit, & multa bona pro nr̃i Ordinis decore, & augmẽto fecit. In arduis negotijs
ad eũ cõfugite, nã magna est virtus eius, & prudẽtia. Quibus dictis benedixit eis, ac ample-
xatus est oẽs. Et sumptis deuotissime, & integris sensibus Ecclesię sacramẽtis, oculis in cęlũ
defixis, lęto vultu, quasi ridẽs, inter manus discipulorũ ad instar dormiẽtis, aĩam efflauit.
Quo ingẽs tristitia, & tristis oĩno luctus, oẽs Patres inuasit. Diuulgata morte, Ciues Barci-
nonę, Cateruatim incedẽtes, ad venerandũ Sanctũ illud corpus veniebãt, clamãtes, & dicẽ-
tes; mortuus est vir Sanctus, charitate plenus, qui suis sanctis, & ęgregijs operibus Ciuitatẽ,
& Patriã nostrã, celebrẽ reddebat. Quid tãto viro destitutis, faciendũ est nobilis? Paupe-
D res, & ęgeni, super Patrem Pauperum, Planctum magnum faciebant. Peregrini, hospites, in
carcere positi, & viduę quos adiuuare, & consolari solebat, tanto benefactore de medio sub-
lato cõplorabant. Miseri Captiui de eius morte certiores effecti, amarè collacrymabant.
Fuit eius sanctum cadauer, non sine difficultate propter Populi deuotionem, honorifice se-
pultum in Cœmeterio nostri Conuentus, quasi in deposito, quia nondum erat fabricata ma-
gna illa Ecclesia. Deinde fuit translatum, in paruã Ecclesiam quã successores sui Barcino-
nę Priores, extruxerunt, iuxta ordinationem (hoc Generali viuente) de paupertate in ędi-
ficijs seruanda. Tempore vero vndecimi Prioris, Religiosissimi viri fratris Bonanati de
Prexana, habuit initiũ illud magnum templum, quod cernimus. Et tunc ad Capellam Sã-
ctissimi Sacramenti fuit, huius sancti primi Magistri corpus delatum. Quod apparet, &
cõstat ex quadam vetustissima memoria manuscripta, in eodẽ conuentu reperta. Denique
Generalis Magister Fr. Iacobus Aymero, qui floruit tempore Martini Papę V. templum il-
E lud inceptum perfecit; & ignorans præfatam memoriam, altaria, & Capellam in meliorẽ
formam transmutauit. Vnde modo ignoratur, in quo loco, erat sita Capella Sãctissimi Sa-
cramenti, & ob id (nostris demeritis exigentibus) post exactam diligentiam, & magnas
expensas, fodiendo, & fabricando Pauimentum, & parietes Ecclesiæ, nunquam
reperiri potuit. Tempore huius Magistri, magnum incrementum suscepit Re-
ligio nostra, & mirifice fuit dilatata, vt videri potest in præfata Innocentij Papæ bulla.
Tempore huius Generalis constat de potestate Infidelium fuisse liberatos 3773. Chri- Liberat. 3773
sti fideles.

Caput XXVI. Fr. Gulielmus de Basso in Magistrum Ordinis eligitur. Duo Redemptores in mari demerguntur, & alter igne crematur. Et Alex. Papa IIII. nostrum Ordinem plurimis fauoribus condecorat.

SVBsecuto sancti viri, & primi Magistri obitu, Patres Pastore destituti Comitia Generalia Barcinonæ pro nouo Prælato creando, (iuxta Apostolicas literas) habuerunt; in quibus sine murmure, sine cõtentione, & dissentionibus, de vnanimi consensu, in magistrũ totius Ordinis elegerunt clarissimũ, & doctũ Patrẽ, virũq; discretum, Fr. Gulielmum Bassum, bonũ profecto fructũ a bona arbore productum, ramum florentem, & palmitẽ virentẽ, ab illa prima vite vberrima, & fœcundissima orientem, & prodeuntem, quã ille verus Agricola, Christus Deus noster, in vinea Religionis primo plantauit. Facta Canonica electione, omnes Fratres genuflexi, Generalis electi deuote, & humiliter osculati sunt manus. Ipse vero Magister memoriæ tenens salutis monita, quæ Pater suus Nolascus, in vltima suę vitæ hora dixerat, continuo a monasterio exiuit, & duobus socijs, qui fuerunt Fr. Bernardus de Corboria, & Fr. Bernard. de S. Romano comitatus, ad R. in Christo Patrẽ, & Dñum Petrũ Ciuitatis Epũm, humilis & deuotus accessit. Et ostenso suæ Canonicæ electionis testimonio, confirmationẽ ab eo petijt. Quem Epus blande, benigne, & honorate suscipiens, amplexatus est eum. Et benedicẽs dixit ei; vade in pace, & in memoria semper habeto, te tãti Viri, qualis fuit Pater Nolascus, immediatũ esse successorem, eius in omnibus sequere vestigia, & non errabis. Attẽde similiter Pater, te pro oĩbus, & singulis tui gregis ouibus rõnem Deo redditurũ. Magister domum reuersus, Fratres, qui sufficerent, & vtiliores essent pro illo primo Ordinis monasterio, cuius regimen ad ipsum solum expectabat, Conuentuales assignauit; domorum vero Superioribus, & alijs fratribus, vt festinanter in domos suas abirent, iniunxit. A B

1250. Hoc Anno 1250. fuit Barcinonæ celebratũ Cap. Generale, in quo Patres decreuerũt, qd in singulis Capitulis quatuor eligerẽtur diffinitores, per eadẽ suffragia, & eodẽ modo, ac eligitur Ordinis Magister; quorũ duo essent Religiosi Clerici, & alij duo Religiosi equites laici. Sine quorũ Cõsilio, vel maiori parte, Magister negotia seria, & magni momẽti, decernere minime posset. Quæ ordinatio, facta fuit ad instantiã Sancti Raymundi, qui dicebat eis; a magistro tã bono, q̃ malo nihil dẽt graue decerni, sine consiliariorũ cõsensu. Hi enim (dicebat) bonis Prelatis sunt adminiculũ, & solamẽ, ac ne i aliquo deficiãt occasio; malis vero retinaculũ, & habena, ne temerè se dẽt in precipitiũ, cũ magno Ordinis, & Religiosorũ dispendio, & inquietudine, ac molestia. Non quod inter vos, sint modo inquietudines, aut discordiarũ inter Prelatos, & subditos incentiuũ, sed quia hoc ad salubre vestri Ordinis regimẽ, & bonam dispositionem valde conducit, vt Ordo ipse, qui clericis, & equitibus constat, per vtriusq. votũ regatur, & tã illorũ q̃ istorũ vota in capitulis audiantur. In his Comitijs, Generalis Magister pro futura Capituli Generalis celebratione, assignauit domũ Cæsaraugustanã. C D

Hoc eodẽ Anno 1250. Fr. Ferdinãdus Perezius ex Castella, & Fr. Ludouicus Blãchius ex Aragonia, seu Cathalonia Redemptores, oĩa ad redẽptionẽ requisita in promptu habẽtes, ex Carthaginis portu discesserũt. Sed secũda aut tertia nauigationis die, in Maurorũ Piratarum manus inciderũt, qui ab eis magna bona, qbus ingẽs Captiuorũ numerus redimi poterat, furãtes, & aufeFẽtes, ipsosq; Redẽptores nomen Dñi Iesu Christi inuocantes, & auxilium Virginis Marię implorantes, crudeliter occiderũt, & ad colla magnis saxis alligatis in maris pro fundũ deiecerunt. Ex antiquis Barcinonę codicibus veteri Gotholanorũ idiomate scriptis.

1251. Hoc Anno 1251. Comitia Generalia Cæsaraugustæ habita sunt. Quibus interfuisse dicitũ, Rex noster Iacobus, qui vehemẽter gauisus fuit Ordinis a se fundati tot nobiles, & Religiosos viros, ibi Cõgregatos respiciẽs professores. Et voluit se etiã de minimis à Patribus informari; & plurima priuilegia nostro contulit Ordini. Et inter alia illud quod refert Reuerendissimus Magister Zumel in corpore constitutionũ quod sua regalia gentilitia in pectore gestare possemus, quo fauore oretenùs benignitate regis nobis vti licebat, hoc vero anno 1251. fuit sua regali manu in scriptura, & auctentica carta firmatum. E

In hoc Capitulo Patres proposuerunt esse valde necessarium, quod pro bono Barcinonensis Monasterij regimine, alia Persona a Magistro Ordinis distincta deputareĩ. Dixerũt enim oportere aliquando Magistrum Ordinis, ad subditorum exemplum ad vltra marinas partes ad redimendũ transire, & Ordinem totum visitare, imo etiã Barcinonę esse grauibus

nego-

A negotijs impeditum, quibus ibi commorando, aut ad præfata munera exequenda discedendo, poterat regimen eius Monasterij in aliquo deficere. Quibus Magister respōdit, hoc sibi vtpote rationi consonum placere. Sed pro grauitate rei, vtpote in ordine nouæ, prudenter & mature fore incedendum, & ad aliud Capitulum diferendum. 1251.

In Cap. Generali Barcinonę celebrato, hoc Anno 1252. inter alia fuit statutū; quod Superiores Monasteriorū, & Procuratores ad Capitulum veniētes, teneātur afferre in forma authentica, cōputum Pecuniarum, & omnium bonorū, quæ ab alijs mutuo acceperint, vel ipsi alijs accommodauerint; & similiter computum legatorum pro alicuius Captiui, vel plurium Captiuorum, ab ipsis receptorum; de quibus omnibus distinctè & clare (omni ambiguitate, & obscuritate depositis) debeant Generali Magistro, & quatuor fratribus Iudicibus, ad hoc specialiter nominatis, & deputatis, quorum duo essent fratres Clerici, & alij duo Laici, rationem minutatim reddere. Quod si Commendator, vel Procurator in fraude B repertus fuerit, vel bonorum sui Monasterij dissipator extiterit, tunc iuxta grauitatem culpę puniatur. 1252.

Hoc Anno 1253. die Iobis 1. Maij, (vt superius tetigimus) Alphonsus cognomento sapiens, nostri Regis Iacobi gener, & filius Ferdinandi Castellæ Regis, cognomento Sācti, volens Patris sui, executioni voluntatem demandare; distribuit plurimas possessiones, dona, bona, & hæreditates nonnullis Monasterijs, & militarium ordinum Magistris, & in ea distributione nostri Ordinis, (vt diximus) recordatus est. 1253.

Hoc eodem Anno, & mense, celebratū est Cap. Generale Barcinonæ, in quo fuit propositū iterum, an liceret nouū superiorem pro monasterio Barcinonæ creare; & maturius cōsideratū, & ab oībus bene discussum est, & resolutū; quod in ea domo Superior crearetur, qui Commendator diceretur; cui immediata eius Monasterij administratio (et Magistro pręsente) incumberet; absente vero, vices eius in oībus haberet. At Magistro defuncto, aut quacūC que ex causa magistratu vacāte, esset & vocaretur Prior Generalis, & verum totius Ordinis Caput: ad quem Ordinis regimen, vsque ad nouam Magistri electionem expectaret; cuius Prioris duratio esset ad vitam. Ad quod officium, & primam post Ordinis magistratus dignitatem, fuit merito assumptus, sanctus Vir, Fr. Bernardus de Corbaria, qui fuit tertius dictæ domus Gubernator, sed primus Commendator. De cuius sanctitate, & moribus suo loco dicemus. 1253.

Eodem Anno Fr. Theobaldus natione Gallus, Patria Narbonensis, a patribus diffinitoribus Redēptor electus (obtenta prius a Rege nr̄o licentia Barcinonę Cōmoranti,) cū magna pecuniarum summa, Ciuitatem Tuneti prospero vento tenuit 16. mensis Octobr. Et breui tempore, ex omni ętate, sexu, & natione 129. redemit Christianos; quos perfectæ libertati tradere non valuit, eo quod duo peruersi homines, professione Saraceni, grauiter indignati, quod suos Captiuos non emisset, & similiter suæ nefandæ sectæ zelatores, in D vnum aduersus sanctum Virum conuenientes, sua & aliorum falsa depositione deposuerunt, & coram Iudice affirmarunt, Fr. Theobaldum, cum quadam fœmina Saracena, dolo & fraude, stuprum commisisse, quæ licet alium Christianum, stupri auctorem ostenderet, & Fr. Theobaldum Innocentem esse, & numquam cum eo fuisse locutam affirmaret; non valuit Iudicem iniustum indignatione plenum, & dolose informatum, ad veritatem indagandam adducere. Et ob id S. Theobaldus innocens, in ardentem rogum missus, tamquā aurum in fornace probatus est; & rubigine carnis deposita, anima munda, & nitida remanens, ad cęlum sine macula euolauit. Christiani vero redempti tamquam oues percusso Pastore errantes, ad Saracenos dominos, & ad miserā coacti seruitutem deuenerunt. Ex codicibus vetustis Barcinonę. Liberati 129

E Hoc Anno in oppido Podij Comitia Generalia celebrata sunt. In quibus Nuntij, & Redemptionis Procuratores grauissimam Patribus proposuerunt quęrelam, asserentes; Parrochos, & Ecclesiarū Rectores contra Apostolicas literas, & Regia priuilegia, Fratres nostros ad ipsorum Ecclesias pro elemosynis petēdis, & requirendis accedētes, recipere nolle; imo eos crudeliter tractantes, quartam elemosynarum partē indebite exigere, & extorquere nō verebantur. Si autem Fratres nostri apud Episcopos, & locorum ordinarios de hac iniustitia conquerebantur, eos Episcopi inauditos, & indefensos impatienter, & ignominiose eijciebant. Hac de causa Magister Generalis, & Fratres Capitulariter Congregati deliberarunt huiusmodi quærelam contra Ecclesiasticas Personas ad suam Beatitudinem fore deferendam, sanctissimo significantes, qualiter suæ Apostolicæ literæ in maximum Christianæ Religionis dispendium, & Animarum Captiuorum periculum 1254.

infringebantur, vt de opportuno remedio prouide dignaretur. Quod vt facilius, & maio- A
ri æstimatione ad desideratum perueniret portum, fuit similiter decretum, nostri Regis
Iacobi, vtpote Ordinis nostri Fundatoris, & Protectoris (qui ex Regno Cantabriæ pro-
pediem Valentiam venturus ferebatur) auxilium, & fauorem fore implorandum. Sed
quotiescunq; examino, & tacita mecum consideratione perpendo, Ecclesiastici status, &
Episcoporum aliquorum in Fratres, & Redemptores nostros illatam iniuriam, nō possum
non demirari. Cum in hoc Deum Opt. Max. grauissime offendant. Nam Domini Epi-
scopi, & Ecclesiarum Prælati ex sui muneris debito Fratres nostros Redemptores, & Re-
demptionis Procuratores patienter audire, adiuuare, & pro viribus tueri tamquam suos
socios, & coadiutores ex iure tenentur. Pro quo est aduertendū cum Emanuele Rodriguez
Emanuel Rodriguez. in sua summa To. 1. c. 12. num. 7. Prælatos, & Episcopos animarum curam habentes, esse
sub lœthalis peccati pœna astrictos, ad Redemptionem suorum subditorū in misera Capti-
uitate detentorum. Nam si Prælati huiusmodi, & animarum Pastores subsidium, & Ele- B
mosynam sub mortalis peccati incursu pauperibus sui ouilis indigentibus largiri tenentur;
multo magis suis subditis in Infidelium potestate degentibus, qui in maiori animæ, & cor-
poris versantur discrimine. Captiui enim sunt veri Pauperes, & Captiuitas vera est, & in-
Innoc. de Vilit. Cond. hu. tolerabilis Paupertas. Nam in illo misero, & infœlici statu, vt Innoc. de vilit. cond. hum.
Seruus Captiuus omnibus indiget, pati cogitur, & nemo finitur compati, dolore compelli-
tur, & nemo condolere permittitur. Ex hoc deduco, qđ Dominos Episcopos, & animarum
curam habentes non solum nostrum Institutum defendere, & adiuuare, sed vt solicitos, &
feruidos Pastores omnem solicitudinem, & curam adhibere eos oportet, (quando Redem-
ptionis faciendæ instat tempus, & ad vltra marinas partes est adeundum,) indagando, & in-
quirendo, an aliqua sui Gregis, & iurisdictionis ouis in Captiuitate iaceat, vt eam Fratribus
nostris Redemptoribus commendent, & suis elemosynis eius liberationem adiuuent, ne a
fide apostatando depereat, & iratus Dominus eam de manibus eorum requirat. Nam in- C
ter alias querimonias, & Domini lamentationes contra Pastores Israel (qui Episcopi, &
animarum curam habentes intelliguntur) eam enarrat Ezechiel c. 34. qua Dominus gra-
Ezech. c. 34. uibus verbis, & queribunda voce de hac Episcoporum erga oues suas incuria conqueritur.
Væ (inquit) Pastoribus Israel, quia quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, nō
quæsijstis; factæ sunt oues meæ in deuorationem bestiarum agri, viuo ego dicit Domi-
nus Deus, quia pro eo quod facti sunt Greges mei in rapinam, & oues meæ in deuoratio-
nem bestiarum, ecce ego ipse requiram gregem meum de manu eorum. Hæc igitur ver-
ba Domini Episcopi memoriæ Thesauro mandent, & obseruent, ne in illa formidabili fi-
nalis iudicij die, Iudex iratus de eorum manibus eas oues requirat, quæ in rapinam, & be-
stiarum agri deuorationem factæ sunt, & perierunt. Bestiæ sunt Saraceni bestialibus vitijs
Iob c. 6. deditis & mancipati; seu Demones ipsi vt glo. ord. & interl. super Iob c. 6. & c. 39. Qui
Captiuorum animas rapiunt, & deuorant, Pastorum, & Episcoporum nimia negligentia, D
& magna incuria. Sed hæc passim dicta sufficiant, vt ad Capitulum Generale hoc anno ce-
lebratum reuertamur, in quo Magistro Ordinis, qui apud Regem auctoritate pollebat, hu-
iusmodi quærelam præsentandi Patres diffinitores curam demandarunt. Comitijs igitur
vltima imposita manu, Magister Ordinis ex Conuentu Podij Valentiam petijt, vbi Regem
Iacobum inueniens, eum de molestijs, a Clericis nostro Ordini illatis, certiorem fecit, sup-
pliciter exorando, vt super hoc suas fauorabiles literas summo Pontifici mittere dignare
tur. Quod Rex gratanter libentique animo fecit, scribendo suo Regio Oratori Neapo-
li commoranti (vbi tunc summus Pontifex Innocentius IIII. cum sua Romana Curia
residebat) ei iniungendo, vt suo Regio nomine, suæ Beatitudini supplicaret pro efficaci, &
opportuno remedio, vt vel sic Apostolicæ literæ a sua Sanctitate emanatæ (sicut iacent)
obseruarentur, & transgressores in aliorum formidinem punirentur. Sanctissimus memo-
riale sibi nomine Regio porrectum Cardinali Ostiensi, vt se informaret, & merita causæ E
referret, remisit. Nihil tamen obtineri potuit (subsecuto summi Pontificis Innocentij
IIII. obitu, qui hoc accidit anno, in eadem Ciuitate Neapolis idibus Decembris.)
1254. Hoc eodem Anno 1254. die Natalis Domini nostri Iesu Christi, (quod numquam
accidit) in locum Innocentij, suffectus est Raymundus, ex Comitibus signe, Sessa vrbe
Campaniæ, Episcopus Cardinalis, (cui Innocentius memoriale ad fauorem Ordinis no-
stri porrexerat.) & Alex. Papa IIII. appellari voluit. Sedit annos sex, menses quinque, &
totidē dies. Qua creatione Vniuersus Christianus orbis, & specialiter Ordo noster, gauisus
est valde; quia hic Pontifex in minoribus Constitutus, fuerat ab Oratore Regio, bene
infor-

A informatus de pijs charitatis operibus, circa quæ noster Ordo versabatur; & vehementer desiderabat, quod se offerret occasio, nostrum Ordinem fauoribus prosequendi; quia vt in 1254.
eius vita legitur, fuit a natura pauperum amator, quibus largissimas elemosynas erogabat, & nr̄um Institutū, & ordinē (cui propriū est pauperibus, & miseris in periculo cōstitutis, benefacere; plurimis laudibus commendare solebat. Et ad nostrum Ordinem mirifice honestādum, alia non infima ex caussa mouebatur; quia hic Pontifex Alexander, erat nepos Gregorij Papę IX. nr̄um Ordinem cōfirmantis, idest filius Philippi Gregorij IX. fratris, & solent successores ea, quæ laudabiliter a suis consanguineis Parentibus, & Progenitoribus facta, erecta, & ordinata sunt, prosequi, augere, & defendere. Et sic Alexander IIII. nostrum Ordinem a Gregorio Papa IX. patruo suo, opera S. Raymundi Confessarij sui, confirmatum, & honestatum, summo amore prosecutus est; vt ex bullis eius Pontificis ad fauorem Religionis nostræ expeditis patebit. Interim mecum tacita cogitatione perpen-
B do, quid summus Pontifex illa suæ creationis die, multa euoluendo, intra se in suprema Petri sede sublimatus, loqueretur. O me infœlicem (forsan dicebat,) quomodo audeo ego Iesu Christi in terris vices gerens, in tā sublimi, & excelso Throno, tanta maiestate, & pretiosis vestibus exhornatus, a Principibus veneratus, sedere? Si Dominus meus hac nocte natus est in præsepio, frigori expositus, nudus, vilibus deinde pannis super indutus, ille dominantium Dominus, Pauperrimus, & ego seruus seruorum diues? ille inter animalia collocatus, & ego inter magnates sublimatus? non misterio vacare credo, quod de nullo meorum Prædecessorum legitur; quod Pontifex sim creatus, quando Christus est natus. Quod ea die qua verus Dominus, cępit miserias nostras tolerare, ego indignus seruus eius incipiā dominari. Magna est confusio mea, sed scio, quid faciam, Domini mei hodie nati, iuxta fragilitatem meam totis meis viribus vestigia sequar; amicorum eius amicus, & Inimicorum eius ero Inimicus. Non carni, aut sanguini acquiescam, non delitijs, & seculi oble-
C ctationibus, aut otiositati deseruiam; pauperibus, & humilibus benefaciam, circa quos iuxta nomen meum verbo, & opere, liberalis, & verus Alexander ero. Quæ Sanctissimus Pontifex mirifice adimpleuit. Vixit in Pontificatu sex annos cum dimidio, & ne carni aut sanguini acquiesceret, aut Regibus, Principibus, aut hominibus placere videretur, nullos creare voluit Cardinales, quod fuit admiratione dignum. Ecclesiastica bona non consanguineis, aut alijs indebite, aut inutiliter distribuit. Fuit adeo Inimicorum Christi, qui sunt hęretici Inimicus, & malleus, vt eorum libros, & falsa opera, suis proprijs manibus flāmis cōburenda tradiderit. Pauperum vero & Captiuorū, qui in suis miserijs, & tribulationibus sunt veri amici Dei, fuit liberalis, & fidelis amicus; quibus innumerabiles elemosynas (vt in eius narratur vita) erogauit. Fuit Christi sui Magistri verus imitator. Numquam enim toto sui Pontificatus tempore otiosus, opere solutus, aut sollicitudine vacuus repertus est; imo quando ei per tempus licebat, Scripturæ Sacræ lectioni, & Epistolarum com-
D pilationi incumbendo tempus conterebat. Sed vt ad rem deueniamus, cum esset charitatis amator, sciretq; Ordinem nostrum circa charitatis opera versari, plurima priuilegia gratias, & fauores nostro Ordini concessit, quæ sunt amoris signa. Nam vt ait S. Papa Grego- S.Greg.
rius Ecclesiæ doctor, probatio dilectionis, exhibito est operis (vt diximus.) Deueniamus ergo ad bona opera, nobis ab Alexandro Papa exhibita, vt ex eis probetur Pontificis dilectio. In initio igitur sui Pontificatus continuo cępit, suis Apostolicis literis, vniuersis Christi fidelibus directis, veluti eximius Concionator, & Orator, nostrum Ordinem laudando, ad subsidia nobis prętanda omnes inuitare. Et allegando Diui Pauli auctoritatem ait; omnes stabimus ante tribunal Iesu Christi, recepturi prout in corpore gessimus, siue bonum, siue malum. Oportet nos seminare in terris quod (redeunte Dn̄o) cū multiplicato fructu recolligere debeamus in cęllis, firmā spem, fiduciamq; tenentes, quoniā qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitā
E ęternā. Sane dilecti filij Magister & Fratres domus S. Eulalię, Barcinon̄ diœcesis, S. Augustini, & Captiuorum, noui sub tempore gratię Machabæi. Sistamus hic pedem, hæcq; verba ponderemus. Nos in hoc loco summus Pontifex Machabæos sub tempore gratiæ vocat. Ac si diceret; sicut Sancti Machabæi, ante Christi aduentum, in lege scripta Martyres fuerunt, qui pro fratribus suis, & pro patrijs legibus, & institutis, fortes constantesque se præbuerunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas, in fide scilicet Christi venturi sanguinem suum fundentes: sic fratres Mercenarij, Martyres Domini, noui Machabæi sub tempore gratiæ, post Christi aduentum, pro lege Catholica, pro patrijs legibus, & institutis suis, quæ sunt Captiuos redimere, sanguinem suū fuderunt, & quotidie fundere non

for-

formidant. A

Sed est passim non sine misterio aduertendum, horum Sanctorum Machabæorum memoriam, a Romana Ecclesia recoli Calendis Augusti, quo die Regina Angelorum in terris apparuit, vt noster Ordo fratrum Redemptorum, tempore gratiæ Machabeorum institueretur. Prosequitur summi Pontificis bulla narrantis, & asserentis, quod Fratres nostri abnegantes secularia desideria, & propria relinquentes, tollentes Crucem suam, Dominum secuti; diligunt proximos suos, sicut se ipsos, præceptum Apostolicum attẽdentes. Quia non solum elemosynas quas a Christi fidelibus colligunt, in Redemptionem Captiuorum expediunt latissime; sed etiam proprias animas pro fratribus ponere non formidant; per quod Christianismi in diuersis partibus, cognoscitur vtilitas. Et cum præ multitudine expensarum, reficiendo Pauperes Peregrinos, necessitatibus Infirmorum subueniendo, & præcipue Captiuos de manibus Paganorum liberando propriæ ipsis non suppetant facultates; imo sint tantum attenuati, quod sine magno iuuamine fidelium, non possunt prouidere Pauperibus, & Captiuis; ideo sanctitas sua rogat, & monet, omnes Christi fideles, vt fratribus, vel Nuntijs nostris, larga subsidia impendant. Quæ vt libentius faciant; omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui de bonis suis a Deo collatis, Fratribus nostris subuenerint per vnicum mensem singulis diebus, vnum annum, & quadraginta dies, de iniũctis sibi pœnitentijs, misericorditer relaxat, & peccata oblita, & venialia cum generali confessione, offensas Patrum, & Matrum, sine manuum iniectione, transgressionem fidei, & iuramentorum, in quibus proximus non lęditur, vota fracta si ad ea non redierint, penitus indulget. Sub datum Neapoli. 5. idus Aprilis sui Pontif. anno 1. B

1255. Ex hac bulla constat, summum Pontificem fuisse certiorem factum de martyrio fratrum nostrorum Redemptorum, qui sanguinem suum pro fratribus suis liberandis posuerunt, & pro legibus, & instituto suo, vt veri Machabæi vitam amiserunt. Et qualiter in hoc sanctissimo opere latissime elemosynæ, & propriæ facultates a nobis expendebantur. Et in nostris cœnobiis Pauperes Peregrini reficiebantur, & infirmorũ necessitatibus subueniebãt. C

Idem Pontifex eodem die, mense, & anno, aliam bullam concessit, in nostri Ordinis fauorem, decorem, & Redemptionis vtilitatem, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Decanos, &c. directam. Cuius initium est; cum dilectis filijs, Fratribus hospitalis S. Eulaliæ Barcinoñ. & Captiuorum, fuerit a Prędecessoribus nostris indultum, & a nobis postmodum confirmatum, vt semel in anno recipiantur in Ecclesijs ad elemosynas colligendas; quidam viri auaritiæ ardore succensi, Confraternitates suas, Confraternitatibus illorum, eodem die in ipsorum aduentu proponunt; & sic Fratres ipsi confusi, aut nihil exinde, aut modicum consequuntur. Quia igitur hoc indecens est, & in contemptum Dei, & Ecclesiæ Romanæ redundat, Prædecessorum nostrorum vestigijs inhęrentes vniuersitati vestræ mandamus; quod cum fratres ipsi ad loca vestra pro elemosynis accesserint colligendis, benigne recipiatis, & honeste tractantes, eosdem ipsos in Ecclesijs vestris, admonere populum, & elemosynas libenter quærere permittatis; confraternitates vestras, (quod facere potestis quotidie) nullatenus proponentes; ne occasione illarum elemosynæ depereant. Sane ab eisdem nostris Prædecessoribus est statutum, & a nobis confirmatum, vt nemo excommunicet fratres ipsos, vel eorum oratoria interdicat, sine mandato sedis Apostolicæ speciali, quod præsentium vobis authoritate præcipimus. Iura eorum defendere, & manu tenere curetis; ita quod ipsi ad nos pro defectu iustitiæ recurrere non cogantur; sed sollicitudinem vestram debeamus meritò commendare; vosque beneficiorum, quæ in ista religione fiunt, participes existatis, &c. Et in hac bulla, quæ per longa est, multa alia, sua sanctitas concedit; videlicet de sepultura libera, quod non soluamus decimas; quod nostras Ecclesias, Oratoria, & Cęmeteria benedicere curent Archiepisc. Epi. &c. Et indulget benefactoribus, qui de suis facultatibus nostro Ordini subuenerint, & in nostram Confraternitatem statuerint se collegas, septimam partem iniunctæ Pœnitentiæ. Et insuper, quod si forte eodem die, & hora, diuersorum locorum Quæstores, simul cum nostris Fratribus in Ecclesijs suis accesserint; ne Captiuorum negotium impediri possit, nostri fratres, vel nostri Nuncij, alijs pręferantur. Ita quod illa die, qua Fratres nostri accesserint, elemosynas petituri, nullum alium Quæstorem admittant; exceptis Quæstoribus Romanæ Ecclesiæ. Et denique ad maiorem huius fauoris cumulum, mandat hanc suam constitutionem, per Parrochos denuntiari, & publicari. An. 1255. D E

Idem summus Pontifex, recordatus supplicationis tibi a suo immediato Prædecessore porrectę contra Ecclesiasticas Personas, nostros Fratres, seu Nuncios Redemptionis impedien-

A pedientes, aliam bullam eodem mense, & anno concessit tenoris sequentis, (aliquibus breuitatis causa demptis.)

Quærelam grauem recepimus, dilectorum filiorum fratrum Ordinis S. Augustini, S. Eulaliæ, Barcinonensis, & Captiuorum, quam præ magnitudine culpæ, & Pauperum dispendio simulare, nec volumus, nec debemus. Proposuerunt siquidem iam dicti Fratres, quod cum ipsi Fratres, pro elemosynis Pauperum requirendis, iuxta consuetudinem suam auctoritate Apostolica confirmatam, ad Ecclesias quorundam Presbyterorum accedunt, eos recipere nolunt. Et quod grauius est, ipsos Fratres ab Ecclesijs suis, eijcere non verentur; cum deberent ipsos benigne, ac patienter audire, & Parrochianos suos ad conferendas Pauperibus elemosynas accentius exhortari. Accedit ad hoc, quod idem Presbyteri, quãdam partem elemosynarum Pauperum exigunt impudenter; & vt possint extorquere quod quærunt (parrochianis suis reclamantibus) pauperum obsequium impedire pro suæ voB luntatis arbitrio non formidant. Dictorum tamen fratrum grauamen, & Pauperum dispendium, clausis non debemus oculis pertransire; quibus ex debito pastoralis officij patrocinium censemus contra hominum insolentiam impartiri. Vniuersitati vestrę, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vniuersis Presbyteris vestræ potestati subiectis sub pœna officij, & beneficij iniungatis, vt prędictos fratres in ecclesijs suis ad opus Captiuorum prędicare, & elemosynas quærere iuxta quod eis sedes Apostolica indulsit; fine contradictione permittant. Si de dictis Presbyteris, ad audientiam vestram, quærela peruenerit, in transgressores præcepti nostri iuxta modum culpæ taliter vindicetis, quod eos suæ temeritatis pęniteat, & fratres pro defectu iustitiæ non cogantur ad præsentiam nostram laborare. Peruenit præterea ad audientiam nostram, quod si quando Parrochiani vestri, præfatis fratribus de rebus suis quicquam in testamento relinquunt, hæredes eorum, vel illi, qui res ipsas pœnes se habent, ipsum legatum eis soluere contradicunt; qui grauem culC pæ maculam contrahunt, & non mediocriter oculos diuinæ maiestatis offendunt; quia ea quæ sanctis Dei Ecclesijs, rationabiliter in testamento legan̄t, detinere præsumunt. Vniuersitati vestræ mandamus, quatenus si quando prædicti fratres, apud vos quærimoniam exinde deposuerint, illos quos vobis nominauerint, (si vobis ita esse cõstiterit) moneatis accentius, & districtius compellatis, vt ea quæ prędictis fratribus sunt in testamẽto legata (remoto appellationis obstaculo siue malitiosa dilatione,) absq. diminutione persoluant, vel in pręsentia vestra (appellatione remota) exhibeant iustitiæ complementum. Quod si monitis vestris parere contempserint, eos (appellatione cessante) vsque ad condignam satisfactionem excõicationis vinculo astringatis. Nos autem, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus Prælatis, ac alijs Clericis, qui dictis fratribus, vel eorum Nuncijs, consilium, vel auxilium præbuerint; quicquid in horis debitis dimiserint, cum generali confessione, misericorditer relaxamus.
D Pręterea quadragenas duodecim Cardinaliũ, & Patriarcharum, & Archiepiscopi S. Iacobi omnibus benefactoribus prędicti Ordinis generaliter confirmamus. Sub datum Neapoli, 5. idus Aprilis nostri Pontif. an. 1.

Idem Põtifex Alex. IV. discedens Neapoli, & accedẽs Anagnam Ciuitatẽ Cãpanię, bullã ibi valde fauorabilẽ, in qua fratres nostros, & institutum nostrũ cõmendat, concessit; quę sic incipit. Si iuxta sententiã sapientis, &c. Si indigentibus vniuersis aperire tenemus viscera charitatis, illis tamẽ specialius, & abundantius quodãmodo liberalitatis debemus gratiã exhibere, qui cum sint Pauperes spiritu, sponte subeũt onera Paupertatis, vt Pauperibus possint copiosius subuenire. Dum tãquam nihil habentes, & omnia possidentes volũt penuriã pati, abundant Pauperibus, sibi egent, & aliorũ in se egestatẽ assumunt, vt ex indigentia liberali, liberalius ministrent hospitibus, &c. Cum igitur dilecti filij Magister, & Fratres HoE spitalis S. Eulaliæ Barcinoñ. Ordinis S. Augustini, in quo pro redimendis Captiuis, de manibus Paganorum, diuino vacant obsequio, ad hoc totis viribus elaborant; vt vndiq; confluentium egenorum pariter, & egrotãtium necessitatibus se exponant; monemus vniuersitatẽ vestrã, & exhortamur in Domino, & in remissionẽ vobis iniungimus peccatorũ; quatenus, vt cooperatores sitis operum pietatis. Accedentes ad vos eorum Nuncios benigne recipere, & honeste tractare curetis; eis grata subsidia, & pias elemosynas conferentes. Vt quod Pauperibus contuleritis, per manus eorum in terris, vobis per manus Pauperum Thesaurizetis in cęlis, &c. Et in hac bulla confirmat bullam Innocentij Papæ IV. ad nostri Ordinis fauorem concessam, sub datum Anagniæ 2. nonas Septemb. an. 1. 1255.

Ca-

Caput XXVII. In quo agitur de magno decore, & incremento, quod noster Ordo suscepit, ex præfatarum bullarum publicatione. Et qualiter duo Redemptores martyrio coronantur. Alexander IIII. qui Ordinem nostrum iterum fauoribus prosequitur, obijt, & Vrbanus IIII. creatur.

1255. AGISTER Ordinis, hoc eodem Anno 1255. ex prædictis Alexandri Papæ bullis plurima transumpta fieri iussit in forma auctentica; quæ cum essent in tota Hispania, Gallia, Italia, & in alijs Christiani orbis partibus publicata, & Populis miserias, calamitates, carceres, & a fide apostatandi pericula, quæ afflicti Captiui in misera Maurorum seruitute patiebantur, nostri Concionatores, & Prædicatores patefacerent, recreuit fama hæc in vniuersa terra. Plurimi dicebant; Religio hæc magna est, & mirificis a sede Apostolica gratijs, & fauoribus illustratur, quorum si participes esse, & sub protectione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ manere volumus, benefaciamus ei. Vnde breui tempore infinita dona, & munera, a Christi fidelibus, ex diuersis mundi partibus, Conuentui Barcinonę transmissa sunt; quibus copiosissimæ potuerunt fieri Redemptiones. Alij admirandum, & excelsum Redemptionis opus speculantes, & qualiter multi fratres nostri Redemptores (vt Concionatores referebant, & Apostolicæ literæ dicebant) pro Captiuorum liberatione se mancipabant, & multi libenter mortem sustinebant; moriamur (dicebant) cum illis, vt fratres nostros Captiuos liberemus. Vnde quamplurimi Hispani, Galli, Itali, & ex alijs longinquis regionibus Barcinonam venientes, societatem nostram petebant. Alij suis amicis, vicinis, & Parentibus dicebant; hos fratres, & eorum nuntios in domibus nostris charitatiue hospitari, eisq; benefecere debemus, par pari referentes, quia ipsi in domibus suis, Peregrinos cuiuscunq. nationis, pauperes, & aduenas, per sua loca transeuntes, summo amore amplectuntur, & erga eos omne charitatis genus exercent. Quid ergo dicemus de locorum ordinarijs, Clericis; & Parrochis, qui iam aut virtutis amore, aut formidine pœnę, Apostolicas literas venerantes, Fratres, & Nuntios nostros beneuolis oculis intuebantur, & blande recipiebant, ac Parrochianos suos, ad Ecclesias suas, vt nostras audirent Conciones, illiciebant, & attrahebant. Sed qui his omnibus apparuit, nostræ Religionis studiosior, fuit Archiepiscopus Auxitaneñ. cui nomen erat Hispanus, qui non solum præcepit Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & Ecclesiarũ Prælatis, per suam Prouinciam constitutis, vt nos charitatiue reciperent, & præfatas Indulgentias, & gratias publicari curarent, & facerent; sed eos exhortatur, vt nostris fratribus, vel Nuntijs literas cum competentibus Indulgentijs, quas Episcopi concedere possunt, largiri debeant. Et sua Illustrissima dominatio, vt alijs exemplum præberet, largas nostro Ordini elemosynas fecit. Et omnibus Christi fidelibus suæ Prouinciæ, & iurisdictionis, qui nostris fratribus Elemosynas transmisissent, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentijs relaxat. Sub datum apud montem Pessulanum S. Pauli An. Domini 1256.

1256. Generalis Magister, Generalia Comitia Ilerdæ celebrauit, vbi vt bonum pastorem decet, oues Pasquæ suæ, & subditos suos ad charitatis opera feruenter excitabat, & quã astricti essent ad orandum pro Domino Papa plurimis rationibus probabat, qui tot fauoribus, & gratijs nostrum illustrauerat Ordinem; vnde ingens pecuniarum numerus, & quotidianę abundanter recipiebantur elemosynæ. Non vt eas (dicebat) magnificis extruendis domibus impendamus, sed vt Captiuos Christianos eis redimamus, & hospitalitatem sectemur; quam exercere debemus in domibus nostris. Hæc est enim Angelorum amica, humilitatis corona, charitatis soror, & hospitalitatis officio, ad Christi cognitionem venimus. Discite filij mei sine discretione hospitalitatem exhibere, ne forte, cui monasteria clauseritis, & cui humanitatem negaueritis, ipse sit Deus, vel Angelus; nam Abraham Deum, & Lot Angelos hospitio recepit. Hæc quæ a Christi fidelibus accipimus bona, & dona, non vt retineamus, sed vt eis benefaciamus, largita sunt. In quorum distributione propter Deum, talem habebimus mercedem, qualem ipsi habent Peregrini peregrinando. Nam æquales fiunt, qui propter Deum refrigerant, & qui propter Deum laborant. Merces ex hoc magna est nimis, quia qui pauperem Peregrinum recipit, non solũ recipit Christum hospitem, qui de se loquens ait, hospes fui; sed eundem dominum Debitorem habebit,

bit, qui pro vno centum, & vitam æternam promittit. Vobis igitur fratribus, & filijs meis, qui hospitalitatem, Redemptionem, & charitatis opera exercetis, ex parte Dei annuncio; quod bona, & non mala morte moriemini. Nam bene faciendo, multos habebitis intercessores, qui pro vobis orabunt, & videtur impossibile, præces multorum non exaudiri.

Eodem Ann. 1257. fuerunt electi ad Redẽptionis opus Fr. Ferdinandus de Portu Hilari Hispanus, ex Partibus Castellę & Fr. Eleuterius de Platea Gallus, ex Prouincia Narbonensi, quam linguam ocam appellant. Hi Sancti Viri, omnia ad munus suũ debite explendũ secum asportantes, ex Christiano litore exierunt, nauigationem ad Algarię Ciuitatem, quæ est in Africa surripientes, sed antequam essent in media via, in Piratarum Sarracenorum manus inciderunt; qui super Sanctos Redẽptores impetum magnum fecerunt. Et in primis eos spoliarunt, & denudarunt, quo non contenti, in opprobrium dulcissimi nominis Iesu, quod Sancti Viri sæpe inuocabant, in eo salutem animæ spectantes, atq; in dedecus S. R. E. cuius veram fidem profitebantur, eos crudeliter occiderunt. Fr. Ferdinandum de Portu Hilari in nauis Antenna suspensum tenentes, sagittis plurimis confixerunt; & Fr. Eleutheriũ de Pletea, ad maiorem crudelitatem, inhumanum socij sui martyrium, & horrendum spectaculum respicere, ligatum coegerunt; & post eius mortem ad eiusdem nauis malum ligarunt, & flagellarunt; qui demq; gladio transuerberatus martyrij palmam meruit obtinere. Hunc Captiuis Christianis suam libertatem expectantibus, infœlicem finem, sed Redemptoribus fœlicem, habuit hoc anno redemptio. Ex Codicibus vetustis Barcinonæ. 1257.

B

His, & alijs immanitatibus, & in nostros Redemptores detestabili sęuitia, quę ad suæ Sanctitatis aures deuenerunt, dolorem maximum summus Pontifex suscepit, quod fratribus suis Cardinalibus, non sine interno animi mœrore significauit; & hac de causa aliam bullam non minus fauorabilem, nostro Ordini concessit, tenoris sequentis.

C

Particeps mercedis efficitur, qui bonorum operum se constituit largitorem; & vbi maiores sunt necessitates, ibi maiora suffragari debent ministeria; quia magna necessitas, magnũ requirit auxilium. Cum igitur Magister, & Fratres Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, Sanctæ Eulaliæ, Barcin. diœcesis, Ordinis S. Augustini, pro redemptione Fratrum nostrorũ Captiuorum, totis viribus elaborent, transeundo ad partes vltra marinas, pro afflictis, & Captiuis Christianis, in manibus Inimicorum fidei Christianę captis, ac detentis: & cum dicti fratres, pro dictis Captiuis redimendis, corpora sua mortis periculo subijcere non vereantur; videntes dictos Captiuos, duris, & diuersis tormẽtis afflictos, & cruciatos. Et cum pro prædictis Captiuis Pauperibus redimendis, qui a Paganis Captiuantur (altissimo permittente) continue totis viribus elaborant; attendentes itaq;, quod ad ea exercenda propter diuersarum onera expensarum, propriæ non suppetant facultates, & ad id opus tam pium, & laudabile peragendum, Elemosynæ fidelium sint plurimum opportunæ; vniuersitatem vestram (loquitur cum omnibus Ecclesiæ Prælatis Eclesiasticis) per Apostolica scripta monemus, districte Præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus cum fratres dicti Ordinis, B. Mariæ de Mercede, aut eorum Nuncij ad vos accesserint, & ab eis fueritis requisiti, literas vestras Conuocatorias gratiosas, fauorabiles, & benignas, pro petendis a fidelibus Elemosynis ad sustentationem præmissorum liberaliter concedatis. Prædictos Fratres, & eorum Nuncios in Ecclesijs, & locis vestris benigne recipiatis, & a vestris subditis recipi, & audiri faciatis, & eisdem secundum statum, & honestatem ipsorum, necessaria ministretis, quia ipsi libenter ad eorum domos omnes recipiunt venientes, prout in multis probauimus, & experientia manifestat. Et omnes & singulos Parrochianos vestros canonice moneatis, ostiatim, & nominatim conuocando, & nominando sub pœna Apostolica omnibus diebus, & horis, quibus per dictos Fratres, & eorum Nuncios fueritis requisiti, vt ad Ecclesiam veniant, præsens mandatum Apostolicum audituri personaliter, &c. Et multa alia in hac bulla, quæ perlonga est continentur. Et denique vere Pœnitentibus, & Confessis, seu qui infra annum erunt in statu gratiæ Pœnitentes, & Confessi, singulis diebus pro qualibet elemosyna, vnum annum, & quadraginta dies de iniunctis sibi Pœnitentijs, misericorditer relaxat. Et facit omnes nostros benefactores participes in dedicatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & in peregrinatione

D

E

terræ Sanctæ. Sacerdotibus vero religiosis, aut secularibus, qui ad exemplum aliorum, hoc opus adiuuauerint, quicquid in diuino officio, & horis Canonicis dicere omiserint, per gratiam Spiritus sancti misericorditer relaxat. Et alia concedit circa facultatem dispensandi, & absoluendi, & confessarium eligendi. Et inhibet sub pœna Canonica, ne quis Fratribus, vel Nuncijs nostris, præsens Apostolicum mandatum secum asportantibus in aliquo iniuriari præsumat. Villas, aut Castra, seu Ecclesias, in quibus fractio, seu iniuriatio facta fuerit, aut mandatum Apostolicum fuerit impeditum, seu perturbatum quo quomodo, aut bona nostra detenta, præter nostrã voluntatẽ, Ecclesiastico supponit interdicto. Et illi qui quoquomodo laborauerint, pro cõmodo, & vtilitate huius sancti, & pij operis, vult summus Põtifex q̃d sit cũ eis pax, & benedictio Dñi nostri Iesu Christi, & propter hoc recipiãt in hoc mũdo corporibus meritũ, & aĩabus vitã æternã. Et in oĩbus sacrificijs, & missis, quæ Deo propitio fiunt, & celebrant in toto Põtificatu Romæ, & in membris eius, omnes benefactores huius Sanctæ Redemptionis fieri vult participes, & consortes in æternum. Sub datum Perusiæ 5. nonas Maij sui Pontif. an. 4. In eadem Ciuitate hãc
1258. bullam Alex. IV. expediuit in qua huius Pontificis Patruus Gregorius IX. nostrum Ordinem confirmauit.

Restat modo, quod benignus lector tacita secũ cogitatione perpẽdat, verba bullæ huius, & quantus fuerit summi Pontificis erga Ordinem nostrum amor, qui viribus, & posse Ordinem ab inimicis defendit, benefactoribus præmia, & gratias promittit. Et hoc summus iste Pontifex, qui æqua lance in omnibus motibus, dictis, & factis currebat, non ad importunas Regum, & Principum, &c. Instantias & preces, pro nobis intercedẽtium, sed proprio motu impulsus, eximijs charitatis operibus, quæ in ordine nostro fiebant, de quibus (vt Pontifex ait) periculum fecerat, & vera esse probauerat.

Considero ego in illo florenti nostri Ordinis exordio domos nostras esse, ad instar domorum Virginis Mariæ de monte Clauso, & de Guadalupo, & aliarum per orbem, in quibus hospites, & aduenæ, charitatiue recipiebantur, & tractabantur, & Infirmi curabantur Quibus charitatis operibus, si Religio nostra cõtinuo, & incessanter incubuisset, & operã nauasset, domus nostræ proculdubio ditiores, & Principaliores essent; nã radix omniũ bonorũ etiam temporaliũ charitas est. Et semper habet vnde det, cui plenũ est pectus charitatis.
S. Aug. vt Diuus Augustin. & in alio loco in charitate Pauper fit diues, & sine charitate omnis diues est Pauper. Hæc est actio rectitudinis, glutinum animarum, societas fidelium, actio non
S. Aug. fracta, nutriens concordiam, seruans composita, coniungens dissociata, dirigens praua,
S. Greg. virtutes perfectionis suæ munimine solidans mors criminum, virtus pugnantium, con-
Cassiod. cordia mentium, & societas electorum. Hæc est pluuia virtutum sub qua beata voluntas
Ex Sanctis, germinat, & operatio sancta fructificat. Hæc est patiens in aduersis, temperata in prosperis humilitate potens, afflictione lætissima, & Inimicis beneuola. Hæc est anima literarum, virtus prophetæ, Sacramentorum salus, scientiæ stabilimentum. fidei fructus, diuitiæ pauperum, & vita morientium. Hæc (vt Diuus Bernardus) est bona Mater, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. In cuius laudibus Hugo Victorinus concludit dicẽdo, nescio si quid maius in laude tua dicere possum; quam vt Deum de cœlo traheres, & hominem de terra ad cœlum eleuares, magna virtus tua, quæ Deum humiliasti, & hominem exaltasti. Sed in cordibus fidelium refrigescente hac, de qua tot dicuntur, & in sacra pagina enarrantur præconia, eximia charitatis virtute, elemosynisque deficientibus, oportuit Fratres nostros (ommissis alijs charitatis operibus,) nostro principali instituto, ad quod ex muneris proprij debito astricti eramus, ex professo incumbere, Captiuos scilicet Redimere, quod continuo in Ordine nostro exercetur, & alia charitatis opera in se includit, longe superat, & vincit. Vnde nondum Patres nostri Ordinis, qui nos præcesserunt, elemosynas, legata, & alia bona receperant, & iam de eis disponere, & in quo Regno, seu Prouincia Redemptio fieri deberet, excogitabant, nihil curando de domibus magnificis extruendis, aut hospitio, aut infirmaria sustentandis, cum hæc charitatis opera (quæ solent sine periculo in Christianorum ditionibus, & terris securis exerceri) sint alijs Ordinibus, & Religionibus debita. Nobis autem propium est, extra Patrias nostras, in Saracenorum, & Infidelium terris, cum euidenti periculo, Christianos redimere.

Hoc An. 1259. celebrata sunt Perpiniani, Comitia Generalia, in q̃bus inter alia Patres de-
1259. creuerunt; quod solẽniter in toto Ordine celebraretur festiuitas S. Eulaliæ, Virg. & Mart. Bar-

A Barcinonensis. pridie idus Februarij, duodecima mensis. Sed præter hoc Fratres Conuentuales domus Barcinonensis,& Regij Palatij, in vigilia huius Sanctę ieiunare deberent. Quod ieiunium in alijs totius Ordinis Monasterijs teneretur, in vigilia Titularis proprię Ecclesiæ. Fine ad laudem Dei Capitulo imposito, Magister Ordinis plures Redẽptionis Procuratores, ad oẽs Christiani orbis partes cũ auctenticis pręfatę Alex. Papę Bullæ trãsumptis, destinauit. Sed cũ Religiosi nõ sufficerent, Personas seculares, honestas, & bonæ famæ cũ scuto Ordinis ad eũdẽ effectum misit. Eisq; imposuit; vt ante oculos suos honorem Dei, Religionis honestatem, & decorem, ac Captiuorum commodum, & vtilitatem haberent; nihilq; dicerẽt, aut facerent, quo seculares Personæ, & Benefactores scandalizarenrur.

Floruit per hęc tempora, Dominus Fr. Petrus de Valentia Episcopus, ex nostro Ordine assumptus; qui Ecclesiã nostri Ordinis Toleti fundauit, eamq; postea, mirifice auxit,& ampliſicauit Dominus Didacus Tenorius Archiepiscopus Toletanus An. Domini 1380. in qua fuit sepultus, Dominus Inicus Stuniga filius Caroli Regis Nauarrę, vt refert Petrus de Alcozer in sua generali Histor. Toleti. 1260.

B

Petrus Alcozer auctor.

Eodem Anno 1260. fuit Tarraconæ Capit. Generale celebratum. In quo inter alia, decreuerunt Patres; quod in recipiendis ad Ordinem monialibus, quas Tertiarias, seu vulgariter Beatas vocant, maximam commendatores adhiberent diligentiam. In primis quod tales moniales, nullo modo essent coniugatæ, vel seruæ, sed liberæ. Quod essent laudabilibus moribus, & fama præditæ. Quod sine mendicitate vitam degere possent. Et denique quod antequam ad nostri Ordinis habitum admitterentur, deberent suum condere testamentum,& taliter illud ordinare, quod a parentibus, cognatis,& affinibus pręfatarum monialium, vel ab alijs Personis, nullum damnũ vllo tempore Ordo noster recipere posset. 1260.

Hoc Anno 1261. octauo Cal. Iunij dum Sanctissimus Alex. Papa IV. inter Venetos, & Genuenses, paci componendę est intentus; magno totius orbis, & nostri specialiter Ordinis mœrore Viterbij obijt,& in Cathedrali Ecclesia Sancti Laurẽtij sepultus est. Vacauit Romana sedes menses tres,& totidem dies. Et post ingentes de Papatu excitatas cõtentiones; pręter omnem humanam spem fuit Iacobus Panthaleo, Patriarcha Hierosolymitanus, summus Pontifex acclamatus, qui Vrbanus IV. appellari voluit. Sedit annos tres, mensem vnum,& dies quatuor. Hic Pontifex plura priuilegia, gratias, & fauores nostro Ordini concessit, vt affirmat Natalis Magister Gauer. Quod & colligitur ex bulla Clementis Papæ IV. sui successoris. Sed literas Apostolicas Vrbani IV. post exactam diligentiam inuenire non potuimus. 1261.

C

Magister Gauer.

Caput XXVIII. Commendator Barcinonæ quasdam nobiles, & honestas fœminas ad Ordinem, seu ad habitum Religionis nostræ recipit. Post obitum Vrbani IIII. eligitur Clemens IIII. cuius integritas laudatur, & Generalis Magister Bassus Sancte, & Religiose obijt.

D EODEM Anno Magister Ordinis, cũ suo socio, Fr. Petro Valesso Italo Ienuẽsi;& Fr. Bernardus de S. Romano cũ Cõmendatore Mõtis Pessulani Fr. Iacobo a S. Laurentio, Redẽptores; Valentiã se cõtulerunt,& post fęstiuitatem Paschatis, licentia,& saluo cõductu, seu publica fide obtentis a Rege Iacobo, ad diuersas Vandaliæ partes suos direxerũt gressus. Magister Ordinis ex Murtię Regno 213. redemit Captiuos, eosq. perfectę libertati restituit. Fr. vero Bernardus de S. Romano, ex granatæ regno 199. liberauit Christianos, quos Fr. Iacobo socio consignauit. Ipse vero ad confirmandos Fratres suos, in Infideliũ partibus remansit. 1261.

Liberat. 213.

Liberat. 199.

E Diuulgata per orbem, nostri Regis Iacobi strenuitate, potentia,& quot suæ ditioni, & dominio regna adiunxerat; Reges Christiani affinitatem cum eo atq; amicitiam inire ex optabant, præsertim Galliæ,& Siciliæ Reges. Vnde ad pręces, & instantiam, Manfreddi Regis Sicilię, Rex noster Iacobus destinauit in Italiam Dominum Ferdinandum Sanchez, qui matrimonium inter Dominum Petrum nostri Regis filium, & Dominam Constantiã præfati Manfreddi filiam ratum haberet.

Hoc eodem An. 1261. Fr. Bernardus de Corbaria Barcinonę Prior, plures deuotas fęminas nostrum institutum, & regulam, profiteri optantes, ad Religionis habitum pręce-

M 2 den-

dentibus illis (quas diximus) conditionibus, admisit. Inter quas, tres nobiles fœminæ A
Barcinonæ Ciues, seculi vanitates, & pompam fugientes, habitum Virginis Mariæ in assumptione eiusdem Virginis susceperunt. Hæ fuerunt Eulalia Pins, Elisabeth Berti, & Maria Recosens. Quæ post susceptum nostri Ordinis habitum, tanta sanctimonia, & alijs virtutibus profecerunt, vt ab eis in hac etiam vita aliqua miracula facta circũferantur. Quo autem anno obierint, scire non potui; ideo de eis sermonem facio in hoc anno quando mundo valde dixerunt. Ex Codicibus Barcinonæ vetustis.

1262. Hoc Anno 1262. in Ciuitate Clarimontis, magno apparatu magnaq; maiestate, nuptiæ factæ sunt, & matrimonium celebratum, inter Philippum S. Ludouici Galliæ Regis filium, & Dominam Elisabeth nostri Regis Iacobi filiam. Et eodem anno apud Montem Pessulanum fuit matrimonium magnificentia incredibili celebratum, inter Dominum Petrum filium (vt diximus) nostri Regis Iacobi, & Constantiam dicti Manfreddi filiam. Deinde die sanctorum Viti, & Modesti, atque Crescentiæ 15. Iunij, Rex noster Iacobus, B
magna Principum ex Galliæ, Aragoniæ, Castellæ, & alijs regnis, comitatus caterua, sacrosancto Missę Sacrificio in nostro Conuentu interfuit, cui nonnulla magni valoris dona, & elemosynas donari pręcepit.

Generalis Magister Bassus, Fr. Bernardi de Sancto Romano in potestate Saracenorum degentis, licet non detenti, bene tamen Fratrum suorum Captiuorum amoris vinculis, innodati, & ligati, non immemor factus, magnam, & ingentem ei pecuniarum summam trãsmisit, quibus Fr. Bernardus ex Captiuis in maiori periculo constitutis duos, & ducentos
Liberat. 202. redemit Captiuos.

1263. Hoc An. 1263. celebratum est Cæsaraguslæ Generale Capitulum, in quo (inter alia) Patres decreuerunt, ad oẽm vanitatem, & secularis vitæ innanem ostentationem, de medio tollendam, a statu religioso valde alienam, (quia ex nostris fratribus præsertim ęquitibus laicis, plurimi reperiebantur nobilissimi) quod nullus frater, cuiuscunq; conditionis esset, C
aut quacũq; nobilitate præditus, sigillo proprio suæ seculari prosapiæ debito vti auderet, sed omnia monasteria propria haberent sigilla, quę respectiue fratribus Cõuentualibus suorum monasteriorum deseruirent.

Eodem Anno, Fr. Isidorus Velasquez, nobili genere natus, ex Prouincia Castellę Redẽptor, a Magistro Ordinis deputatus, & Fr. Gulielmus de Altauilla Gallus, socius eius, (obtenta licentia a nostro Rege Iacobo, Cæsaraguslæ commorante,) iter suum surripuerunt, in Societate Fratris Petri Ibagnez, Magistri Ordinis Militaris Calatrauæ, Castellam, & Vandaliam versus, & a Rege Alphonso, cognomento sapiente, nostri Regis Iacobi genero, & ab alijs principibus, & magnatibus, ingentia dona, & magnas elemosynas, pro tam
Liberat. 208. sancto opere susceperunt. His & alijs adminiculis, ex Granatæ Regno, ducentos, & octo Redemerunt Captiuos, eosque ad eandem Castellam, secum adduxerunt, & libertati donarunt.

1264. Hoc Anno 1264. voluit noster Serenissimus Rex, quod in eadem Ciuitate Cæsaraguslæ, Comitia Generalia haberentur, expensas omnes Capituli, liberali, & generosa manu D
ipse Rex impendens. In quo Capitulo fuit propositum, quod multi Captiui Christiani; a nostris Redemptoribus liberati, tangentes Christianorum ditiones, & terras, ad patrias suas adeundi, & charos suos inuisendi desiderio inflammati, nullo alio habito respectu, aut spectato tempore, suos conductores, liberatores, & Redemptores, a quibus liberationis beneficium acceperant, deserebant; in euidens dãnum, & detrimentum Redemptionis, & Redemptorum. Quia apud seculares Personas, elemosynas erogantes, & Benefactores, nõ clare constabat, quot, & quanti Christiani Captiui, suis elemosynis, perfectæ libertati essẽt donati. Ob id Patres definitores, ad decorem, & splendorem nostri Ordinis, & Patrum Redemptorum cautelam, statuerunt; quod ipsi Redemptores, suos Captiuos liberatos, antequam de finibus Infidelium discederent, iuramento astringerent, & ad iurandum compellerent, ne infra certum tempus eis assignãdum, sine Generalis Magistri, aut Redemptorum suorum expressa licentia inscriptis discederent. Quo durante termino, ad humilitatis, & liberationis indicium, & ad differentiam aliorum secularium, barbas deponere, & sibi ipsis capitis capillos radere debeant. Et insuper per aliquot dies, hospitibus, & infirmis, in nostris monasterijs deseruire teneantur. Et deniq; omnes ante discessum maculas culparum efficaci, & forti Sacramenti Pœnitentiæ Sapone, ab anima auferant, & Sacro E
sancto Eucharistiæ cybo reficiantur; & tunc, & non antea ad propria mittantur.

1264. Hoc Anno 1264. sexto nonas Octob. die Iobis, Sanctissimus Vrbanus Papa IIII. suũ extre-

A extremum clausit diem. Qui vt refert Alphonsus Chacon in vita eius, Ecclesiam S. Adriani, quam noster Ordo Romæ possidet restaurauit. Haud scio auctores, qui Romanorum Pontificum vitas, & successiones scripserunt aduertisse, quod nos aduertimus. Videlicet, quod Clementi Summo Pontifici eius nominis tertio, successerũt immediate, Cœlestinus III. Innocentius III. Honorius III & Cœlestino IV. immediate successerunt Innocentius IV. Alexander IV. Vrbanus IV. cui Vrbano IV. successit Clemens similiter IV. creatus Perusiæ, nonis Februarij huius Anni 1265. qui prius vocabatur Guido Grossus, natione Gallus, Episcopus Sabinensis, qui erat absens in Legatione Angliæ; vir sanctimonia, prudentia, & literis præditus. 1265.

Hoc Anno 1265. die Annunciationis Virginis Mariæ 25. Martij, Fr. Bernardus de Corbaria, Barcinonę Prior, habitum dedit, cuidam honestę, & nobili fœminæ, cui nomen 1265.
B erat Maria, de qua suo loco sermonem faciemus.

Clemens Papa IV. suorum Prædecessorum vestigia sequendo, multa priuilegia, & gratias, ad supplicationem Generalis Magistri concessit, in fauorem benefactorum nostri Ordinis in cuius bullæ Proęmio, multis laudibus, ex Sacræ scripturæ locis, nostrum Ordinem eiusque laudabile, & diuinum Institutum, plurimùm commendat. Deinde concedit, his qui de suis bonis Elemosynas nostris fratribus contulerint, quod possint eligere, Confessorem idoneum, qui auctoritate Apostolica, dictos benefactores, corde contritos, & ore confessos, ab omnibus peccatis suis absoluat semel in vita, & in mortis articulo, quoties fuerint contriti. Quæ elemosyna si pro animabus Patris, & Matris fuerit oblata, sanctitas sua relaxat omnem pœnam, quam post lucem eius seculi, pro peccatis purgandis paterentur. Sub datum Viterbij nonis Augusti sui Pontif. an. 1.

C Hoc An. 1266. celebratum est Generale Capitulum Cæsaraguslæ, in quo inter alia Patres decreuerunt, quod nullo modo, Fratres nostri non realiter professi, ad suscipiendos Ordines præsentarentur. Quia nonnulli seculares Clerici, in minoribus ordinibus constituti, cum propter suam paupertatem, ad sacros Ordines promoueri non possent, togam nostri Ordinis induti, cum non essent veri nouitij, aut nouitij ante expressam professionẽ, acceptis testimonialibus literis ab aliquibus commendatoribus quadam inicia pietate motis, ab Episcopis ad titulum Religionis nostræ promouebantur, & Ordinibus condecorati ad seculum redibant. De quo dolo, & fraude, ordinarij locorum, certiores facti, grauissime Generali Magistro sunt conquesti. Cui dolosæ, & fraudolentę ordinum susceptioni, volẽtes Patres obiare, decreuerunt sub grauissimis pœnis, ne deinceps Monasteriorum nostrorum Superiores Clericos seculares, ac si essent nostri Ordinis Fratres, aut Fratres nouitios, ante solemnem professionem ordinandos, & promouendos præsentare auderent. 1266.

D Hoc eodem anno, duo memoratu digna, in fauorem, & decorem nostri Regis Iacobi acciderunt. Primum quod ipsemet Rex sua strenuitate, Hudielem Saracenum, Regni Murtiæ Regem superauit, & fugauit, eiusq; regnum Domino Alphonso cognomento Sapienti, suo genero consignauit, & dedit. Alterum fuit, quod Tartarorum Rex potentissimus, certior factus de insignibus, & famosissimis victorijs, & strenuitate, quæ per orbem de Rege nostro prædicabantur, suum ad eum magna maiestate, & pompa Oratorem destinauit, offerens ei magnas copias, & subsidia, pro adeptione terræ sanctæ, ea apposita conditione, quod Rex ipse Iacobus, bello, & exercitui adesset, & pręesset. Sciebat enim Tartarus Rex, solam Regis nostri inuictissimi præsentiam, aduersarijs, & Inimicis timorem, & fugam; suis vero militibus animi robur, fortitudinem, victoriam, simul & honorem daturam.

Clemens Papa IV. ad supplicationem Generalis Magistri, omnia bona nostra, quæ
E tunc possidebamus, & quę in futurum nostrum Ordinem possidere cõtigerit sub B. Petri, & sua protectione suscepit. Sub datum hoc Anno 1267. tertio idus Ianuarij in Ciuitate Viterbij, per manum Magistri Michaelis de Tholosa, S. R. E. Vice Cancellarij. Quæ bulla 1267.
perlonga, & valde fauorabilis est, eamq. subscripserunt Summus Pontifex, & Cardinales sequentes. Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Simon Baltinerius Petauinus, Tituli Sancti Siluestri, & Martini in montibus Prior Presbyterorum. Ancherus Panthaleo, Trecensis Gallus, ex fratre nepos Vrbani Papæ IV. Guido Tituli S. Laurentij in Lucina, Presbyter Cardinalis. Gulielmus de Brayo, Remensis Gallus, Presbyter Cardinalis Sancti Marci. Octo de Castro Rodulphi, Bituricensis Gallus, Episcopus Tusculanus. Fr. Ioannes Grangioya, Burgundus Gallus, Ordinis Cisterciensis, Episcopus Portuensis, & S.

Ruf-

Rufinæ, Henricus Gallus, vtriusq; iuris doctor, Episcopus Ostiensis, & Belitrensis. Ricardus Anibaldensis de Molaria Romanus, Diaconus Cardin. Sancti Angeli in foro piscium. Octauianus Vgbaldinus Florentinus, Sanctæ Mariæ inuiolata Diaconus Cardin. Ioannes Caietanus Vrsinus Romanus, Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Diac. Cardin. Iacobus Sabellus Romanus. S. Mariç in Cosmedin Diaconus Card. Gottifreddus de Alatio Hernicus, B. Georgij ad vellum aureum Diac. Cardin. Vbertus Senensis Sancti Eusthachij Diaconus Cardinalis. A

Idem Pontifex Clemens IV. in fine huius anni nonis scilicet Nouembris, in eadem ciuitate Viterbij concessit, aliam bullam, non minus fauorabilem. in cuius narratiua grauibus verbis nostrum ordinem commendat, & mirifice munus, & Redemptionis institutum laudat. Et ob id Benefactoribus nostris Contritis, & Confessis, remittit septimam partem suorum peccatorum. Et quod nostri Nuntij accedentes ad publicandas nostras Indulgentias benigne recipiantur; in eorumq; aduentu Ecclesiæ, etiam interdictæ aperiantur. Et quod benefactores si eos mori contigerit, & Ecclesiæ ad quas pertinent, fuerint interdictæ, possint, & debeant in eis sepelliri, & deniq; confirmat, & de nouo concedit, quæ Innocentius IV. & Vrbanus IV. sui prædecessores, nostro ordini concesserant. B

1268. Hoc anno 1268. celebratum est Barcinonæ Cap. generale. Ad quod venit ingens Patrum vocem habentium multitudo. Videlicet ex Principatu Cathaloniæ Commendator Gerundæ, Commendator Perpiniani, Commendator Tarraconæ, Commedator Sanctæ Mariæ de Pratis diœcesis Tarraconen. Commendator Sanctæ Eulaliæ extra muros Villæ Franchæ, Commendator Ilerdensis, Commendator Tortosensis, Commendator Sancti Thomæ eiusdem Ciuitatis, Commendator Sancti Bartholomei Castellonis Ampuriarum, Commedator vici seu Vich. Commendator montis Albi, Commendator Maioricarum. Ex Regno Aragoniæ Commendator Sanctæ Mariæ de olueto seu de oliuar, Commendator Cæsaraugustæ, Commendator Sanctæ Mariæ de Sarrion, Commendator Calatatubij, Cōmendator Oscę, Vicarius Sanctæ Mariæ Montis Floretti, Commendator Sanctę Mariæ de Monte extra muros Cæsaraugustæ, Commendator Darochæ. Ex regno Valentiæ Commendator Sanctæ Mariæ de Podio, Commendator Valētiæ Commendator Villæ Daniæ, Commendator Sanctę Mariæ de Riuo Arganorū, Commendator Sancti Dominici Valentiæ. Ex Gallia Commendator Narbonæ, Commendator Montis Pessulani, Commendator Tolosæ, Commendator Castri de Altaripa, Commendator extra muros eiusdem Castri de Altaripa, Commendator Carcassonæ. Ex regnis Castellæ, & Bæticæ Commendator Sanctæ Eulaliæ Ispalensis, Commendator Sanctæ Eulaliæ Cordubensis, Commendator Conchensis, & similiter nonnulli dictarum domorum Procuratores. Quibus Capitulariter Cōgregatis, Generalis Magister Senectute valde oppressus, erat enim Octogenario maior, desiderans reliquum vitæ suæ tempus, in diuinis laudibus conterere, & animæ suæ consulere, sponte, libere, & expresse magistratui renuncians, & cædens, dedit eis liberam, & plenam facultatem, nouum magistrum eligendi. At Definitores ne tanto Pastore, & Prælato, destituti, & orbati manerēt, huiusmodi Cæssioni suum consensum prębere renuerunt. Tanta enim erat Generalis Magistri Sanctimonia, in regimine prudentia, erga ordinis incrementum ardens Zelus, & erga Principes, & magnates tanta pollebat auctoritate; vt Principaliores Religionis Patres, & ipsimet electores, quos dominandi auiditas, & ad magistratum ascendēdi cupiditas, facillimo negotio senis magistri votis, & desiderio ad assentiendū adducere poterat, maluerint bono Religionis regimini, & statui, ac vtilitati cōmuni consulere, quam proprio desiderio satisfacere. C C

Hoc eodem anno 1268. tertio Calen. Decembris, non sine sanctitatis opinione, Viterbij obijt, Clemens Papa Quartus, cuius sanctitatem, Religionem, & integritatem, vt Superiores nostri ordinis imitentur, & sciant, quomodo dignitates, & beneficia ordinis distribuere debeant; Quomodoq; erga suos consanguineos, & propinquos se gerere debeant; placuit mihi huius pontificis epistolam inserere, quam Petrus Michael Hispanus diligenter extraxit, ex peruetusto libro Sacristię Monasterij Barcinonensis, ordinis S. Dominici, quæ concordat cum suo originali, quod extat in Bibliotheca Vaticana, tenoris sequentis. Clemens Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro Grosso de sancto Ægidio, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Multis de nostra promotione gaudentibus nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur. Et idcirco quod alijs gaudium, nobis metum subministrat, & fletum. Sane vt scias, qualiter his auditis, debeas, te habere, scire te volumus; quod humilior solito debes esse. Neque enim quod nos vehementer humiliat, E

debet

A debet nostros extollere; maxime cum honos huius seculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus. Neq; ad nos te, neque ad fratrem tuum, vel ex alijs nostris, aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratus, si secus venire præsumeret, oportet redire confusum. Sed neque in tuæ sororis nuptijs gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos habere propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis simplicius desponsaueris, in tercentum libris Turonensibus tibi proponimus subuenire, & si altiora quæsiueris, nec a nobis denarium speres vnum, & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi, & matri solummodo notum esse. Illud etiam scias quod nullum nullamq; de sanguine nostro, sub nostræ sublimitatis obtentu inflare volumus, sed tã Mobiliam, quàm Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici Clericatu. Sybillam visita, & dic ei, quod locum non mutet, sed remaneat apud Sussam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem obseruet; & preces nobis pro aliquo
B non præsumat assumere, nam ei pro quo fierent, essent inutiles, & ipsi qui rogauerit damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerentur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem, & fratres. Non scribimus tibi, nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub Piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis vtuntur. Dat. Perusiæ in fœsto sanctarum Perpetuæ, & Fœlicitatis. Quam epistolam re ipsa præstauit, & bona Ecclesiastica ita accurate dispensauit, vt plus Deo quam cognationi tribueret. Fuit tamen in Pauperes, ægenos, & Captiuos summe liberalis, vt narratur in vita eius.

Fr. Gulielmus de Basso, secundus Ordinis Magister, multis ægregie factis clarissimus, Ordinem sibi commissum plurimis Monasterijs amplificauit, innumerabilibus redditibus, domibus, terris, vineis, oliuetis, possessionibus, molendinis, cum aquarum decursibus, nemoribus, Pratis, Viuagijs, Pasquis, & alijs pertinentijs honorifice, & magnifice ditauit,
C & auxit. Apostolicis gratijs, & regalibus priuilegijs insigniuit. Plures Redemptiones personaliter perfecit. Ingentem Captiuorum Christianorum redemit numerum. Multoties pro eorum liberatione, euidenti se mortis periculo exposuit. Plurima & præclara, quæ non sine longissimo sermone enarrari nequeunt fecit in vita sua. Ob quę meritò inter illustres nostri Ordinis viros numeratur. Rexit Religionem summa pace per annos decem, & nouem, & postquam per annos quinquaginta laudabiliter in religione vixerat; Barcinonæ sumptis deuotissime Ecclesiæ sacramentis, ex hac mortali vita, hoc Anno 1269. 1269.
sanctitatis ordore de se relicto, discessit, & ad cœlestem migrauit, qui iure optimo a nostris scriptoribus inter Beatos collocatur. Tempore sui magistratus liberati, & perfectę liberationi restituti sunt 951. Christi fideles. Liberat. 951.

Caput XXIX. De electione, vita, & morte B. Fr. Bernardi de Sancto Romano tertij Generalis Magistri. De Martyrio Fr. Gulielmi de Sagiano Redemptoris, & electione Gregorij Papæ Decimi.

D POST obitum S. viri, & Generalis Magistri Fr. Gulielmi de Basso, Fr. Bernardus de Corbaria, qui suo tempore Commendator Barcinonæ appellabatur, cœpit deinde Prior nominari. Quod nomen vsque in præsentem diem, eius domus Superiores ordinarij retinent. Aliarum verò domorum Prælati, ob regimen & in memoriam fratrum ęquitum laicorum Commendatores semper appellati sunt. Prior igitur Barcinonæ suis Patentibus literis, omnes domorum Superiores Commendatores, & earum Procuratores, qui de iure Constitutionum, tunc Capitulis interesse debebant, de obitu Generalis Magistri certiores
E fecit. Eosque ad nouam successoris electionem Barcinonæ faciendam citauit, & conuocauit; qui venire non tardarunt. Et omnes simul cum fratribus Conuentualibus Monasterij Barcinonæ (qui etiam in electione Magistri vocem habebant) in tertium Ordinis Magistrum elegerunt, Commendatorem Cętabis, seu Xatiuæ Fr. Bernardum de S. Romano ęquitem laicum genere nobilissimum, sed moribus nobiliorem, virum sanè pium, & eo munere dignum. Qui Commendatoribus Tarraconæ, Podij, Valentiæ, & Cæsaraugustæ Comitatus ab Episcopo Barcinonæ Summi Pontificis vices habente confirmationem suæ

suæ electionis humiliter petijt, & gratanter obtinuit. A

1270. Hoc Ann. 1270. Fr. Gulielmus de Sagiano Italus obtenta anno præterito licentia a nostro Rege Iacobo Valentiæ commoranti ad redemptionis munus exercendum proficiscendi, ex Marsiliæ portu prospero vento discessit, & Algariam veniens continuò cœpit de Captiuorum liberatione in maiori periculo constitutorum tractare. Sed coram Saraceno Rege fuit accusatus, quod esset Sancti Ludouici Regis Galliæ explorator. Ob id iussu Regis Tyranni fuit lapidatus, & in opprobrium Sanctissimi nominis Iesu, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro cuius confessione mori lætanter inter lapidum ictus palam fatebatur, patibulo suspensus est. Et deniq; in ardentem rogum ne eius remaneret memoria, missus, sed scriptus est in libro vitæ in æternum. Ex Codicibus peruetustis Barcinonæ membraneis, qui ob vetustatem, & nonnullarum literarum defectum vix legi poterant, in quibus Fratrum nostrorum aliquæ famosæ Redemptiones, & eorum Martyria memorabantur. B

1271. In principio huius Ann. 1271. Magister Ordinis vnà cum Priore Barcinonæ Ordinē visitauit. Ille in temporalibus, hic vero in spiritualibus. Visitatione completa, Comitia Generalia Barcinonæ habita sunt, in quibus Magister Patribus proposuit, se visitationis munere durante in diuersis cœnobijs varias, ac diuersas ceremonias, & ordinationes vidisse, quæ confusionem parere videbantur, ob idq; reformatione aliqua esse opus. Vt qui sub vna S. Augustini regula, & eodem de redimendis Captiuis instituto, eademq; votorum professione viuebant, etiam in constitutionibus, & ceremonijs vniformes essent. Vt vel sic hęc exterior, & apparens consuetudinum, & morum vniformitas, esset veræ charitatis, & in cordibus vnitatis seruandæ representatiua, & expressiua. Quod vt debitum sortiretur effectum, colligendi in vnum dictas constitutiones easq. emendandi, & Capitulo referendi, fuit a toto Capitulo cura demandata tribus discretis, & Religiosis viris Fr. Petro de Amerio natione Gallo, Fr. Arnaldo de Liniberio Gotholano, & Fr. Petro formica ex Prouincijs, & regnis Castellæ, & Bœthicæ. Qui accurate & diligenter omnes Constitutiones a principio Ordinis vsque ad hæc tempora factas, & in diuersis Capitulis ordinatas collegerunt in vnum. Et similiter varias Monasteriorum ceremonias, & consuetudines, easq; adinuicem inter se sæpe conferentes, vt eas Capitulo informa referendi proponerent, ordinarunt. C

His temporibus propter Cardinalium de Romano Pontifice creando dissentionem, & Comitiorum protractionem, quam plurimis damnis, & incommodis Christiana Respublica affecta erat. Sed Deus omnipotens, qui discordes sedat, & contrarias voluntates concordat, a quo recta consilia, & iusta sunt opera, dedit pacem in diebus illis, Cardinalibus electoribus. Et quos Philippus Franciæ, & Carolus Neapolis Reges, Viterbium (vbi tunc erat Romana Curia) venientes viribus, & posse componere, & adunare non potuerunt, sed rebus infectis discesserunt; eorum corda Deus illuminans concordes reddidit, qui pro- D

1271. pria desideria commodo vniuersali postponentes Cal. Septemb. huius Anni 1271. Romanum Pontificem proclamarunt Archidiaconum Laodicensem Thealdum, Ciuem Placentinum, qui nec erat Cardinalis, nec Sacerdos, nec præsens, erat enim in Siria opportunum tempus, Hierosolymam peregrinandi expectans. Qui suæ electionis decretum a legatis quos collegium miserat, in Palestina suscipiens, Gregorius X. appellari voluit; vir sanctitate præditus, & disciplinarum doctrina insignitus.

Magister Ordinis tanta prudentia Ordinem regebat, vt omnibus esset in admiratione in eo Iustitia, & misericordia, æqualitas, & beneuolentia mirifice micabant, & resplendebant, ita vt timeretur a malis, & coleretur simulq; a bonis diligeretur. Delicta cuiusdā Fratris, qui falso titulo vagans elemosynas quærebat, non conuitijs, aut iniurijs, sed rationibus arguit, & castigauit, ac in bonum mutauit, ita vt emendatus plurimis laudibus magistri misericordiam prædicare non cessaret. Domum Xatiuæ, quę sua ad magistratum assumptione vacauit, & alias Ordinis commēdas suo breui tempore vacantes benemeritis, & eo munere dignis contulit. Sacrę Theologię, aut Philosophię operam non dedit, sed spirituales libros legere continuò solebat, & non parum Historiarum lectione oblectabatur. Vnde indies virtutibus proficiebat, & rerum humanarum, & gestorum antiquorum notitiam non mediocrem habebat. Quæ omnia in dicendo efficacem, in respondendo promptum, in discernendo solidum, & mundo celebrem reddebant. Et non solum ob suam vrbanitatem, & beneuolentiam, & reliquas virtutes, erat apud Christianos Principes, & plebem in Hispanię regnis honorabilis; sed apud Barbaras gentes, nationes, & Saracenos E

nos

A nostanti extimabatur, vt plurimi ex eis, verborum eius suauitate attracti, & rationibus cõuicti ad fidem nostram sint conuersi. At tanto viro & bono Pastore dignus non erat Ordo. Spectabat enim in eius discreto, & prudenti regimine magnum incrementum suscepturus. Vnde in se de se gloriabatur. Sed breui tempore tantæ lætitiæ acerbissimus dolor successit. Incidit enim in initio huius Anni 1272. in grauem morbum, quo licet anxie conflictaretur, & in lectulo iaceret, animæ suæ fratrumque suorũ paci, & quieti erat semper intentus. Omnes Fratres ex quacunque parte ad Barcinonæ cęnobium pro suis negotijs accedentes benigno, & blando sermone ęgrotus recipiebat, & consolabatur. Omnia necessaria eis, vt citius ad sua Monasteria vnde venerant, reuerti possent, per secretarium, & socium ministrabat. Sed præsentiens morbum quo laborabat esse lęthalẽ, magno, & interno dolore, Ecclesiæ Sacramenta suscepit de manu Fr. Petri Formica, qui sæpe in die, eius confessionem audiebat. Postea benedicens filios suos, dixit eis; diligite alterutrũ, 1272.
B pacem seruate, constitutiones varias, vt vnusquisq; sciat, quid seruare, & tenere debeat emendate. Et breuissimo interuallo, febris continuæ vi superatus, animam efflauit, quam Angeli (vt piè credimus) susceperunt. Fuit Barcinonæ sepultus in nostro Oratorio, cum magna sanctitatis fama, & sic meritò inter Beatos nostri Ordinis enumeratur. Tempore sui magistratus nulli Christiani sunt liberati, quia Redemptor Fr. Gulielmus (vt vidimus) martyrio fuit coronatus, & Redemptionis bona sublata.

Cap. XXX. De electione quarti Magistri Fr. Petri Amerio, de obitu S. Raymundi, S. Bernardi de Corbaria, S. Sanctij, Gregor. X. Innocentij V. & Adriani V.

C VITA Generali Magistro functo, eiusq; exequijs, Catholico, & religioso more, magno nobiliũ, & ciuium Comitatu interueniente, celebratis; Barcinonæ Prior Fr. Bernardus de Corbaria, & Vicarius Generalis Magistratu Ordinis vacante; suas ad omnes Capituli Generalis Electores citatorias, & cõuocatorias misit epistolas, qui Barcinonę Capitulariter cõgregati, in Ordinis magistrũ hoc An. 1272. elegerunt, sanctũ prudentẽ, & Religiosissimũ Virum Fr. Petrũ Amerio. Qui eodẽ anno Cal. Maij volens B. Bernardi de Sãcto Romano sui immediate Prędecessoris iussa adimplere, fratrib' suis Capitulariter Barcinonę cõgregatis, Vernaculo Gotholano antiquo in hęc latinitati donata prorupit verba. Cũ Deus Pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, misisset in hunc mundũ, filium suũ vnigenitũ, propter suã nimiã charitatem,
D qua nos dilexit, vt genus humanũ visitaret quod erat in hac lacrymarũ valle, quasi detentũ, & Captiuum sub diaboli, & inferni potestate; & visitando liberaret suos amicos, eosque duceret in gloriam suam, vnde Angeli mali propter superbiã suam effecti diaboli, eiecti sunt; decreuit propter ineffabilẽ suã pietatem, hanc nostrã Religionẽ appellatã B. Marię de Mercede Redẽptionis Captiuorũ S. Eulaliæ Barcinonę; per nostrũ primum Patrẽ Fr. Petrũ Nolasco fundare. Cuius fundatoris virtus, intellectus conatus, & labor atq; finis cõsistunt, & cõsistere debẽt in fide Iesu Christi in spe saluationis, & in vera charitate Dñi nostri, & proximi, Christum imitãdo, qui accipiẽs carnẽ humanã ex purissima Virgine Maria mortuus est pro nobis, vt nos a potestate diaboli liberaret. Sic bonũ Magistrũ, & vos Fratres meos qui professionem in hoc Ordine nostro emisistis, tamquam verę obedientię filios lęto animo semper paratos esse oportet, & decet ad animas vestras (si opus fuerit) pro fratribus nostris Ca-
E ptiuis ponendas, sicut suam pro nobis Dominus posuit; vt in die iudicij, ad dexteram eius collocati audire mereamini; venite benedicti Patris mei, accipite Regnum, vobis a constitutione mundi paratum, quia in carcere eram, &c. Quæ omnia charitatis opera, vt in vna simul exercerent religione, nr̃um instituit Ordinẽ; in quo p Dei gratiã, oĩa hęc opera resplendent. Igitur vt indies hæc nr̃a Sancta religio augeatur, (visitatis Ordinis nostri domibus, & maturè Prædecessorum nostrorum, ac Generalium Capitulorum cõstitutionibus, ac diuersis Monasteriorum cęremonijs consideratis, & pensatis, accedente similiter vestro vnanimi voto, vobisque assentientibus, quibus eas sæpe contulimus, & examinandas proposuimus, aliquibus earum in totum deletis, quas pro temporum varietate cassare consonum

esse censuimus, alijs emendatis, & in meliorem formam redactis, & denique nonnullis A
circa formam in Capitulis Generalibus tenendam de nouo additis) has constitutiones in vnum collectas, & ad debitum modum redactas vobis de nouo proponimus, & publice legi facimus, vestrum expectantes consensum. Quas post solemnem publicationem omnes Definitores (nemine discrepante) approbarunt. Sub datum Barcinonæ
1272. prima die Maij eiusdem Anni 1272.

Summus Pontifex Gregorius Decimus, (vt ait Magister Gauer) confirmauit omnia nostri Ordinis priuilegia, gratias, & indulgentias, quas sui Prædecessores nostro Ordini concesserant, & in specie de non soluendis decimis, de libera mortuorum in nostris Ecclesijs sepultura; fecitque quandam constitutionem de Generalis Magistri electione. Sub datum apud vrbem veterem, vndecimo Calend. Iunij sui Pontificatus
1273. Anno 2.

Fr. Arnaldus Liniberius, bonus, & sanctus Vir, Redemptor deputatus cum suo socio B
Fratre Petro de Haro ex Castellę Prouincia, pro munere suo explendo, contulit se Marrochium; vbi tum spirituali, tum corporali afflictorum Captiuorum saluti ardenter se dedit. Inuenit enim plures Christianos de Barbarorum inhumanitate sibi conquerentes, & dicentes; per tot annos in Captiuitatis infimo, & miserrimo statu positi, crudelitatem Saracenorum sustinuimus, tempus iam esset, quod tu nostri misertus, iuxta professionem tuam, & institutum tuum, de hoc miseriarum profundo lacu, nos liberares, & eriperes. Si autem pecuniæ quas tecum asportasti, pro omnium liberatione, non sufficiunt, consonum est, vt eos libertati dones, & de hac infœlicitate educas, qui per plures annos in Captiuitate extiterunt. Non enim fas est, quod nouissimi, qui nondum Captiuitatis miserias degustarunt, fiant primi, & præferantur nobis, qui sub Inimicorum potestate consenuimus, sicut superioribus annis quidam Redemptores fecerunt, (nobis spretis) alios iuniores redimendo. Quos pater blando, & suaui sermone C
consolabatur, & ad patientiam, tolerantiam, & perseuerantiam hortabatur, & animabat. Isti Saraceni (dicebat eis) sunt Dei nostri, quem vos vestris peccatis offendistis executores, & diuinæ iustitiæ, & iniuriæ vltores, quos vos patienter sustinendo, & laudem Domini perficiendo, proculdubio destruetis, & videbitis cęlos Dei, opera digitorum eius, quæ pro nobis fundauit. Credite mihi filij, quod tunc Dominus memor est vestri, & vos visitat, quando per hos Inimicos suos, vltores, & executores castigari vos permittit. Nam iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde; & redi-
Psal. 33. met animas vestras, si speratis in eo. Dominus noster Iesus Christus discipulos, & Apo-
Matth. 10. stolos suos, quos mirifice, & summo amore diligebat, tormenta pati sustinuit, eosque sicut oues in medio luporum misit, quod fecit ad vtilitatem ipsorum. Beati igitur vos, qui corripimini a Deo, si in tribulationibus vestris patientiam habebitis, nam
Iudit. 8. per has tribulationes probati, amici Dei efficiemini. O vos filij mei, qui per plures D
annos (vt asseritis) in hac Captiuitate iacuistis, attendite quod ex vobis pendent animæ Captiuorum, qui paucis abhinc diebus seruituti mancipati sunt. Nam quemadmodum in hoc infœlici statu patientiâ famis, & frigoris, & rerum omnium inopiam in vobis ipsis videbunt, sic ad vestrum exemplum eis propositum, Captiuitatem sustinebunt, & sperabunt in Deo. Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt. Reputate ergo peccatis vestris hæc ipsa supplicia, & tormenta minora esse. Et flagella quibus corripimini, ad emendationem, & non ad perditionem vestram euenire credatis. De vestra igitur redemptione agere, in nomine Domini incipiamus. Eos tamen qui hac vice redimi non potuerint, summis præcibus rogo, ne deficiant, sed fidem Catholicam retineant, secus enim perpetrando, corona, merces, beneficium, fructus, & præmium pro certaminibus, & laboribus hucusque toleratis, vobis meritò debita, inania reddentur. Tolle inquit Bernardus perseuerantiam, nec obsequium E
mercedem habebit, neque beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. In quocunque igitur euentu, siue Captiui, siue liberi, perseuerate in vestra Sancta vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine; cum patientia tolerantes, si quis vos cædit, & in duriorem Captiuitatem redigit. Nam hanc Captiuitatis cum perseuerantia vitam, idem Bernardus in sermo. bonam putat. Mala (inquit) pati, & bona facere, & sic perseuerare vsque ad mortem, bona est vita. Et in alio loco Patientes, & tribulatos ne deficiant monet, & ad perseuerentiam inuitat; Quæ est vnica

filia

A filia summi Regis, finis virtutum, earum consumatio, totius boni reportorium, vigor virium nutrix ad meritum, mediatrix ad premium, soror patientiæ, Constantiæ filia; amica pacis, amiciarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum, sine qua nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. His sanctis admonitionibus consulatus est miseros Captiuos; ex quibus delegit, & redemit centum & quinquaginta sex quos Ispalim incolumes duxit, & perfectæ libertati donauit, sub initio huius Anni 1274. *Liarrat. 156.* 1274.

Per hæc tempora mæsta erat nimis, nostra sacra Religio, duobus permagnis orbata luminaribus. Luminare maius fuit Sanctus Raymundus de Penia forti, nostri Ordinis constitutor, Magister, & verus pater, Regis nostri Iacobi Confessarius. Qui obijt hoc Anno 1275. in suo Monasterio Sanctæ Catharinæ Ciuitatis Barcinonæ in Epiphania Domini, quod non vacare misterio proculdubio credo. Nam sicut ea die, tres Re- 1275.
B ges Magi, qui sapientes interpretantur, de longinquo venientes in Ciuitatem Bethelem, Christum Dominum natum, procidentes adorauerunt, & in cunabulis venerati sunt; sic hodie diuino beneplacito ad venerandum, & cohonestandum diem obitus Sancti Raymundi, qui natalis dies dicitur, ad Ciuitatem Barcinonæ tres Reges Magi, idest sapientes venerunt. Alphonsus Castellæ Rex, Imperator electus, cognomento sapiens, Sanctius filius eius, regni hæres, & noster deuotissimus Iacobus Aragoniæ Rex. Qui corpus Sancti Raymundi in feretro venerati sunt, & suis humeris ad tumulum asportare meruerunt. Hoc igitur sole & luminari mansit hodie noster Ordo, immo mundus orbatus, & cœlum ditatum. Hoc luminare maius solebat suæ splendidissimæ doctrinæ radijs nostrum emispherium illuminare, & herrorum atque hæresum tene-
C bras fugare, & expellere. Sed hodie circulo, & suæ sanctæ vitæ cursu, spatio centum annorum expleto (tot vixit annos) abscondit se, & ascendit in cœlum, vnde venerat, vbi pro nobis filijs suis intercedere dignetur. Aliud luminare minus fuit S. Bernardus de Corbaria, seu Curbaria, similiter Gotholanus Barcinonensis, qui in regimine Conuentus Barcinonæ per annos 22. perdurauit, magno semper Sanctitatis splendore, plurimisque illustratus miraculis. Mirabilia magna fecit in vita sua, per quæ plures lucratus est animas. Literas non didicit, diuina tamen radiatus gratia, cœestique calore, & feruore accensus suis sanctis, & efficacissimis verbis, quos alloquebatur illuminabat, & a malo, & peccati tenebris declinabat. Vnde vitæ suæ exemplo, & diuinis colloquijs plures vtriusque sexus personæ, ex diuersis orbis partibus sæculum, & patrias suas relinquentes, & deferentes nostris legibus, & institutis (iuxta nostram viuendi formam) se vinciebant. Hoc igitur luminare, & nostri Ordinis iubar suo
D splendore, & sanctitatis fama non solum Hispanos, & propinquos, & sed exteras nationes, & longinquas illustrauit, & effecit, quod plures Galli, Itali, & Angli nostram Religionem profiterentur. Non defuerunt nobilissimæ fœminæ, quibus Ordo noster, noua Domini plantatio dedit in illo sæculo suauissimum sanctitatis odorem. Et post quam ista Bernardi fructifera arbor, & nardus redolens, sua graui & pingui radice suo odore per plures annos regionem nostram repleuerat, hoc Anno 1275. excisa est de terra, anima vero beata fuit in cœlo sata, vbi nunquam marcescet. Corpus Sancti Bernardi de Curbaria plurimorum laborum, & disciplinarum maceratione, & annorum pondere, & grauitate curuatum, tortum, & inflexum Principes Barcinonæ innumerabili populi frequentia sub humeris suis deferentes, terræ visceribus mandarunt, & condiderunt. Vbi vsque in præsentem diem sanctitatis fama, & miraculis illustratur, & integrum respicitur. Nostri primi patres, qui totis suis viribus Redemptionis operi in- 1275.
E cumbebant, & nihil de sanctorum suorum canonizatione curabant, illud sanctum corpus sine speciali tumulo, terræ mandarunt, cum solo titulo nomen, cognomen, & officium exprimente, & ostendente; scilicet quod illud corpus erat Beati Bernardi de Curbaria tertij Barcinonæ Prioris. Sed non sine admirando modo ab hinc quinquaginta plus minusue annis in die Epiphaniæ Domini (quo obijsse Sanct. Raymundum diximus) integrum repertum est, cum præfata subscriptione, & Titulo, habitu nostri Ordinis indutum. In cuius inuentionis die, tota ciuitas commota est, stupore plena & deuotione repleta, illud sanctum cadauer post tot annorum curricula integrum respiciendo. Quod cum sapientissimo, & Catholico Regi nostro Philippo, eius nominis secundo ostenderetur (dum in eodem nostro Conuentu, vt solent Reges,

1275. & Principes, Barcinonæ moram trahentes, cum sua regali familia morabatur;) admiratus est Rex, & præ nimia deuotione petijt a Priore aliquam huius Sancti viri reliquiam sibi dari. Et genuflexus, & suis oculis lacrymosis de manu Prioris digitum annularem dexteræ manus B. Bernardi de Corbaria accepit. Quam cum alijs reliquijs eius monasterij magna deuotione, & veneratione secum in castellam asportauit. Corpus huius Sancti viri (vt audio) conditum est modo in Capella S. Eligij Societatis Aurificum, & miraculis corruscat. A

Secuta huius S. viri morte, Generalis Magister Fr. Petrus Amerio quatuor definitores duos scilicet Clericos, & duos Laicos ad nouam Prioris electionem cõuocauit, & ex eorum vnanimi consensu in quartum Priorem eius domus prefatum Fr. Arnaldum Liniberium, Religiosum scientia, & prudentia præditum elegit.

Sed iam consonum esset, vt infœlicitates nostræ, & infortunia cessarent (Religione nr̃a tantis orbata Parentibus) sed in peius ruentibus, nostro sacro Ordini satis mæsto, calamitates magnæ recreuerunt, & miseriæ magnę, & amaræ valde dolorem, & cruciatum auxerunt, subsecuto hoc & immediate sequenti anno aliorum duorum Protectorum occasu. Hęc fuit mors Domini Sanctij Archiepiscopi Toletani, & eius Patris Regis nostri Iacobi. Iã audiuimus, ad annum 1235. Regem nostrum Iacobum, matrimonium secundò contraxisse cum Domina Violante (quam alij scriptores diuerso nomine appellant) fœmina sanctissima, pulchra nimis, & pia valde; ex qua nobilissimam genuit prolem, Petrum, Iacobum, & Sanctium. Duo primi, regna temporalia Patris inter se diuiserunt. Sanctius vero minor ad cęlestis, & æterni regni gloriam, & possessionem aspirans, seculi vanitates, & Regna terrena contempsit. Quo non contentus ad maiorem perfectionem, & in maius propter amorem Dei humilitatis signum, togam nostri Ordinis induere voluit, & professionẽ emisit. Quod grauissimi doctores affirmant, estq; Regni Toletani traditio, & publica vox, & fama, quæ vsq; in præsentem diem perseuerat. Quod profectò mirandum non est, si Ordinis nostri excellentiam attendamus. Ordo enim recenter a potentissimo Rege diuinitus fundatus filios ex prosapia regia, & ex illustrissimo genere alumnos petebat. Decebat quippe Religionem Regiam a Rege dignissimo fundatam, eiusdem fundatoris progenie, & regio sanguine fore plantandam, & honorandam. Ex hoc infero quod Dominus Sãctius honores, & mundi regna fugiens, poterat meritò gloriari, quod Religiosus mercenarius effectus, haberet in cœlo non Reginam Violantem, sed Angelorum Reginam Matrem & fundatricem sui Ordinis semper viuentem, & regnantem; & in terris Patrem regem potentissimum sui similiter Ordinis fundatorem. Et sicut Frater Sanctius posset Iacobum Regem duplici causa Patrem appellare, videlicet vt genitorẽ, & vt sui Ordinis fundatorem; sic etiam Iacobus duplici titulo Fratrem Sanctium, filium nominare poterat; tum ratione naturalis generationis, tum etiam spiritualis fundationis. Ob id Iacobus Rex præ cęteris filijs Fr. Sanctium diligebat; & similiter ob suas singulares, & admirandas virtutes, quibus erat condecoratus. Cuius corporis dotes, & naturalia dona si attendere volumus, & historias legimus, inueniemus quod erat Patri suo valde similis, facie pulchra nimis, & tam venusta, & gestu graui, vt ad honestam voluptatem, obseruantiam, & reuerentiam aduersus eum conspicientes traheret, & afficeret omnes. Sub parentum obedientia, tanto ad literas, & bonas artes conatu incubuit, vt vnum temporis momentum (cuius iactura etiam minima, maxima est) sine studio, aut inaniter effluere non permitteret. Orationi mentali simul & vocali, qui in Deum, & Matrem eius erat valde pius, vacare solebat frequenter. Toto tempore vitæ suæ hilari vultu, & facie beneuola ad pauperes, & ægenos manus suas libenter extendit. Non personaliter (Patre Iacobo negante, & Ordine nostro renuente,) sed ex suis bonis a Patre rege, etiam intra Ordinem sibi assignatis, ingentem Captiuorum numerum redemit. His & alijs charitatis operibus intentum, & præoccupatum Toletanæ Ecclesiæ summus Pontifex Præsulem, & Pastorem elegit. In cuius regimine (licet valde iuuenis esset) mirabilia magna operatus est. Primæ & sollemni Missæ, quam die Natalis Domini Ann. 1268. in sua Toletana Ecclesia decantauit, voluit Pater eius Iacobus adesse. Interfuerunt etiam Alphonsus cognomento sapiens Castellæ Rex, noui Sacerdotis leuir cum sua vxore, Sanctij sorore, Ferdinandus etiam Castellæ Princeps, & immensa aliorum Principum, & Procerum multitudo. Sacrificio missæ peracto pater Iacobus coram principali altaris ministro genuflexus, quem genuerat, non iam filium, sed Patrem appellat, eiusq; tenendo, & deosculando manus multum deflet. Ac si auspicaretur manus illas

san-

A sanctissimas fore indebite,& crudeliter a Mauris secandas. Et flendi vix posito fine, petijt a filio, vt deinceps in missæ sacrificio, & in suis orationibus, quibus multum fidebat, præces ad Dominum pro terræ Sanctæ recuperatione, & pro Maurorum ab Hispania expulsione funderet. Et in die Circumcisionis anni immediate sequentis audita sui charissimi filij missa ad Aragoniæ regnum lætus reuersus est. Successit deinde quod Alphonsus Castellæ Rex, qui adhuc Imperij Romani sine suo studio, & diligentia ab aliquibus Electoribus sibi collati insigna, & nomen retinebat, pro eiusdem imperij Coronatione, & pacifica possessione ad Lugdunense Concilium, vt summum Pontificem alloqueretur, adire vellet; ob id regna sua quotidianis Maurorum vicinorũ incursionibus infestata, Sanctio strenuissimo Principi,& Præsuli de Religione Catholica benemerito inter alios defendenda, & tuenda commendauit,& ad Concilium accessit. De cuius Alphonsi Regis ab Hispania discessu, Iacobus Albeniuzephus potentissimus Marrochij Rex certior factus, auxilio, & fauore Mahomathi 1257.

B Granatæ Regis (qui contra fidem, & fœdus Alphonso Regi data, præfatum Mauritanum Regem ad expeditionem, & ad armorum societatem inuitauerat) in Hispaniam venit, & Ispalensem agrum inuasit. Et adminiculo Granatæ Regis, atq; Malacitani, & Guidixensis Regulorum præsidio roboratus, suis incursionibus plurima damna,& occisiones ĩ Christianos effecit. Quibus Toletanus Præsul tristitia, & dolore affectus pro muneris sibi traditi debito plures Toletanos, Madritenses, & ex Caraca, & Bora equites, & milites in vnum aggregauit, & magnis itineribus in Bæthicam oppressam se personaliter conferre volens, sic eis locutus est. O vos strenuissimi Duces, & fortissimi milites animas vestras ab odio,& omni mala voluntate liberate. Non inter vos discordiæ nominentur. Corda vestra medio spirituali pœnitentiæ remedio mundate; quia vt ait S. Aug. in Psal. 31. sicut a conscientia mala bene sperari non potest, sic nec victoria. Et miles delictorum onere grauis, & oppressus, ad bellum inhabilis, & formidolosus redditur. Est enim vt ait Chrisost. in Psal. 50. pec- S. Aug. S. Chrisost. S. Bernard.

C cati conscientia, mater formidinis. Ex hoc deducit S. Bernardus de Consid. ad Eugenium, quod anima munda fortis redditur ad pugnam; fortitudo (inquit) tua, sit fidelis conscientiæ fiducia. Bellum iustum suscipimus, quia patriam tuemur, infirmos defendimus, & a latronibus socios liberamus, & contra crucis Inimicos, qui Fratres nostros in Bæthica occiderunt,& suis incursionibus cõtra pacis fędera cum Dño meo Rege inita, multa damna in regione Christiana perpetrarunt, pugnamus. Et ad nouos milites conuersus dicebat eis, o vos tyrones, qui militiam non exercuistis, cuncta primordia, vt ait Cassiod. pauida sunt, sed deinde exercitio labor fertur, & vulnus contemnitur. Non vos (quæso) trium aut quatuor Regulorum,& hostium turma deterreat, non Maurorum certantium insolẽtia, & multitudo; non victoriarum,& crudelitatum ipsorum, qui circumfertur rumor, non terribilis pugnantium, & vociferantium conflictus, vobis timorem incutiant, nam formidolosi, & pauidi pusillanimitatis suæ gladio ad sinistram cadunt, & confossi iacent. Et quia vincere Cassiod. lib. 1. Epist. 39. Sall. lib. 6.

D non est in nostra potestate, & anceps est omne certamen, quicquid acciderit nobis, Deo offeramus,& magnis itineribus ad Bęthicam oppressam nos conferamus. Et in via per specialem Nuncium Domino Lupo de Haro strenuissimo Duci necessitatem vrgentem,& in mora periculum significauit, eiq; imposuit, vt quam primum cum ingenti, quam posset classi ad se veniret. Sed accidit, quod in via non longe ab oppido, quod Agriturrim appellant, per suos exploratores accepisset, Regum Saracenorum exercitum magna fecisse damna, pluresq; vtriusq; sexus omnisq; ætatis Christianos cum magna pecudis multitudine duxisse Captiuos. Quo Archiep. fidei Christianæ zelo accensus,& super Captiuos præsertim pueros maxime miseratus, non expectato pręfato Domino Lupo (quem expectare debebat) suos paucos milites iterum confortauit, & ad pugnam incitauit. Et paterni spiritus ardore, licet non fœlicitate plenus, Inimicos suos ad pugnam prouocauit, & aggressus est eos. Sed immensæ Maurorũ multitudini, & militibus in re militari valde strenuis, ac tot incur-

E sionibus,& rapinis expertis, victoriosis, & exultantibus, Christiani milites resistere non valuerunt,& sic terga verterunt; (Sancto Antistite solo relicto.) Quem Mauri Granatenses comprehenderunt. Et peracta omnino pugna, dux & locum tenens Regis Mauritani, & Marrochii, Archiepiscopũ sibi dari debere ex eo probabat, quod ipsemet nõ rapinæ,& prædæ se dederat, (sicut viles milites facere solent) sed vincendi auidus Christianorũ exercitum fuerat insecutus eosq; vicerat, ac fugauerat; at Granatenses milites nihil aliud fecerant, quàm spolia belli sine labore, & sine periculo surripere, & Inimicos Christianos a se strenuitate sola, & fortitudine sua superatos Captiuare, & denudare. Quo Granatenses ira commoti arma aduersus Marrocitanos sumpserunt; & inter hos, & illos dimicatum est, ac

non-

nonnulli ex vtraque parte illa die ceciderunt. Vnde tam huius diuini Antistitis, & prædæ possessores Granatenses, quam Prætensores Mauritani in euidenti versabantur discrimine, ac mortis periculo, & bellum de nouo inchoabatur, fas enim non erat, tantum Virum vno solo prælio fore vincendum. Et sic amici, & fœderati, qui icto fœdere in societatem coiuerant, iam fœdifragi, & perfidi effecti nihil aliud quam Sanctum Archiepiscopum præ manibus habere, & surripere: aut iam habitum, & possessum, non perdere procurabant. Ipse vero tanquam Agnus inter Lupos non aperiens os suum corde puro Ecclesiam suam, & Ordinem nostrum Domino Deo, eiusque Sanctissimæ Matri oculis ad cęlum eleuatis commendabat. Sed quidam Saracenus, Malacitanus Regulus, magnæ inter eos auctoritatis Vir, cui nomen erat Atarius sua Sacrilega manu, & acuto ense Archiepiscopum Regis filium vnico ictu transuerberare non erubuit dicendo. Expedit nobis, vt vnus homo moriatur, ne tanti pereant. Non permittat (inquit) Deus, vt pro vnius canis capite tot Marrocitani, & Granatenses Principes, & nobiles nostræ Sanctæ legis sectatores, amicitiæ vinculis coniuncti ad inuicem se perimant. Arma quæso deponite, & tantisper requiescite viresque reassumite, quia est in ianuis lupus ille famosus, qui degente nostra sæpe triumphauit. Et timeo ne victoriam fœliciter partam his vestris dissentionibus inquinetis, & deturpetis. Et dicendi fine imposito, Sancti Præsulis iam occisi, & super sanguinem suum in terra iacentis caput amputauit; & similiter manum, in qua erant inextimabilis pretij annuli pontificales. Quæ venerandæ reliquiæ simul cum corpore multo auro redemptæ, Toletum delatæ, in regali Sacello, Archiepiscopali, & regali honore collocatæ, & humatæ sunt. De hoc Sanctissimo viro omnes fere auctores Hispani, & plures externi agunt, quos in medium adducere generaret fastidium in re satis nota, sed quod in ancipiti, & ambiguo esse posset, esset an ante quam ad Archiepiscopatum ascenderet, fuisset nostri Ordinis Religiosus. Sed nonnulli nostri Ordinis auctores hoc constanter affirmant: præsertim Reuerendissimus Episcopus Fr. Melchior Rodriguez acri ingenio vir, in sua Agricultura animæ. Et in re antiqua sufficit illa quam a principio vitæ huius Sancti posuimus Toletana traditio cui fides adhibenda est.

1276. Hoc Anno 1276. Gregorius Papa X. in vrbe Aretij animam Deo reddidit Idibus Ianuarij cuius vita fuit laudabilis, mors prætiosa, & post mortem miraculis illustris. Post cuius obitum duodecim Cardinales, qui Pontificis funeri adfuerunt, conclaue ingressi, in Gregorij successorem tertio decimo Cal. Februarij doctissimum Fr. Petrum Tarentasensem, natione Gallum, Prouincia Burgundum, religione Dominicanum, Episcopum Ostiensem elegerunt, qui Innocentius V. appellari voluit: hic Pontifex in Petri Sede tantum sedit menses quinque & dies duos, obijt enim Romæ decimo Calen. Iulij. Vacauit Romana Sedes dies 19. Nam decem Cardinales, qui Romæ remanserant de vnanimi consensu in summum Pontificem elegerunt quarto idus Iulij Othonem fliscum Ligurem, patria Genuensem, qui Adrianus Quintus vociferari voluit. Sed ante quam consecraretur, & coronaretur, ex hac vita migrauit Viterbij mense sequenti duodecimo Cal. Septembris. Vacauit Sedes Romana dies vigintiquinq; Sed infra breuissimum, & angustissimum Adriani Papæ Quinti Pontificatum mortuus est ille magnus, & potentissimus Dominus, & Rex noster Iacobus die 27. Iulij, de quo aliqua insequenti Capitulo dicemus.

Caput XXXI. Iacobus Rex noster laudatur, & religiose obijt. Ioan. Papa XX. creatur, cui post menses octo defuncto, Nicolaus III. succedit, & ambo plurima bona nostro Ordini concesserunt.

E Regis nostri Iacobi prodigiosa natiuitate, de admiranda nominis impositione de educatione de periculis in infantia, de eius strenuitate, & quomodo valeares insulas, Valentiæ, & Murtiæ regna, & alias plures ciuitates, & loca acquisiuerit, & de eius vxoribus diffuse agunt Hispani auctores, & nos aliqua tetigimus. Superest modo, ante quam religiosam mortem eius narremus, alia in medium adducere quæ eum celebrem per vniuersum orbem reddiderunt. Fuit certe Iacobus fœlicitate gloriosissimus, potuitque vere Augustus appellari, multa enim dominia lucro fidei attulit. Non ad bella pergebat, quin prius sacrum missæ sacrificium, attente & deuote audi-

audiret, & tunc in Ecclesia, fœlicem belli euentum, Deo, eiusque gloriosissimæ Matri, ac Sanctis commendabat. Rediens victoriosus de Castris, templa prius quam aulam pro gratiarum actione petebat, & innumerabilia, (vt diximus) in Virginis Mariæ honorem erigi iussit templa. His sanctis actionibus, & diuinis adminiculis, & sua magna, & naturali prudentia, ac militari in ordinandis aciebus arte, suaq; erga milites, & erga Inimicos suos victos benignitate, & suauitate cum nullo hoste congressus est, quem non vicerit, & contriuerit, & ad pedes suos humiliatum non traxerit. Trigesiès cum Mauris signa contulit, secundo semper prælìorum euentu, vnde Debelatoris cognomen meritò tulit. De quibus insignibus victorijs non sicut victores inaniter gloriabatur, aut intumescens de tanta regnorum, insularum, & dominiorum ampliatione superbiens sibi honorem, sed soli Deo dari dicebat. Vnde post victoriam hæc de ore suo exibant verba, non propter nostra merita, & fortitudinem nostram, sed propter Saracenorum demerita, & infidelitatem
B vicimus eos. Fuit fidelis, & cum omnibus veram, & non fictam seruauit fidem, Ciuitatem Murtiæ, & viginti, & octo regni eius fortissimas villas mænibus vallatas, quas a Mauris non sine proprio vitæ discrimine, ingentiq; labore eripuerat, Alphonso Castellæ regi tradidit. Fuit erga milites summe liberalis, & cunctos sui temporis Principes animi magnitudine, & magnificentiæ splendore superauit. Fuit ad instar Petri Patris sui Romanæ Ecclesiæ, & summis Pontificibus filius valde obediens, vnde a Gregorio X. vocatus ad Lugdunense Concilium personaliter adire cum esset senex, non distulit. At misericordia eius, super omnia opera eius; non solum erga Captiuos, & Pauperes, viduas, & Pupillos, verum etiam erga Infirmos, & aues. Circa quam virtutem plurima ab scriptoribus circumferuntur, & adducuntur exempla. Sed breuitatis causa, duo solum breuiter narrabo. Primum fit erga Dominum Bernadum Guliel. quem Mauri in obsidione Burrianæ grauiter sagitta in crure percusserunt. Quod cum regi denuntiaretur, accessit ad eum, & maxime
C dolens, & non expectato Chirurgo, ad pedes Bernardi Rex genuflexus summa pietate, & compassione pedetentim ex crure sagittam euulsit, & suis proprijs manibus vulnus lauit, ac circumligauit. Alterum fuit circa hirundinem auem notissimam, quæ sub initium veris, ad nos transuolare solet. Accidit quod intentorio regis, seu portatili tabernaculo quod contra æstum, & iniuriam cœli, ac temporis inclementiam collocari in exercitu solet, hæc garrula Auis nidum suum faceret; sed cum Regi Burrianam transgredi volenti fuisset hoc a seruis denuntiatum, præcepit ipse ne suum tentorium a loco dimoueretur, dicens seruis suis; sinite hanc auiculam, quæ nobis satis credidit, & in nobis suam fiduciam collocauit nidificare, & nullus eam sub nostrę indignationis incursu offendere audeat. Et exinde Rex discedens speciales tentorio adhibuit, & reliquit Custodes; quibus imposuit, ne inde discederent, donec Hirundo pullis, & filijs suis bene iam nutritis, & alitis qui volare possent, in locum suum vnde venerat, reuerteretur. O bone, & misericors Rex, qui
D curam singularem de hirundine, & pullis eius habuisti, dignus es, & mereris, vt Rex Regum, & dominus dominantium misereatur tui, & filiorum tuorum. Quoties te prouidam hirundinem, de cœlo Patria tua nobis datam ad Hispaniam sub initium veris, & pueritiæ tuæ, intentorio supremi Regis nidificantem, non in domibus, & sub fortibus tectis, sed in periculis, & laboriosis belli exercitijs, & in Castris, nullam habentem requiem, sed in solo cœli Creatore spem, & fiduciam habentem, voluerunt serui Saraceni te de medio tollere, imò eorum acutis sagittis te nō semel percutientibus, mors ipsa, & grauissimi morbi te vita priuare conabantur. Sed Rex Regum ad tuam custodiam adhibuit custodes, Angelos suos quibus mandauit, vt custodirent te in omnibus vijs tuis, & non a te discederent, donec pulli, & filij tui Petrus, & Iacobus euolare possent. Et ad hoc sicut Regis Ezechielis vitam tuam elongauit, & super dies tuos plures adiecit annos, vt filios tuos ad euolandum
E iam idoneos, videres. Hoc igitur anno reuersus es in cœlum Patriam tuam vnde venisti, & ad quam fuisti creatus. Rex igitur senectute confectus, & continuis belli laboribus, & erumnis afflictus, in morbum incidit; & (peritis corporis accedentibus medicis) voluit quod animæ accederet medicus, cui plures spirituales ægritudines intimo cordis dolore aperuit, & manifestauit. Et pro deuotione, quam ad Cistercienſem Ordinem (qui tunc sanctitate florebat, gerebat, regalia vestimenta omnino deposuit, & humilem, & deuotum eius Ordinis habitum accepit, & induit, ea spe, & animo, vt in populeti cœnobio professionem solemnem emitteret, & reliquum vitæ suæ spatium vsque ad mortem infra illius Monasterij Claustrum consummeret. Sed in via prope castrum quod Algeziram vocant, grauius ægrotans; Valentiam fuit delatus; vbi suscepit deuote, & sana mente Ec-

clesiæ

1276. clesiæ Sacramenta, & die 27. Iulij huius Ann. 1276. ad cœlum euolauit. Post cuius mortem ad Petrum primogenitum in regno Aragoniæ, & in Principatu Cathaloniæ successorem translata est nostri Ordinis Protectio; & omnes eius successores vsque ad Philippum III. nunc fœliciter regnantem, sunt nostræ Sacræ Religionis Patres, & Patroni, & nos, eos vt dominos, Patres, & Patronos habere, & venerari debemus, quod nostro Ordini in magnum cædit decus, & honorem. A

Pro quo aliqua breuiter repetendo notare oportet. In primis dico quod Rex noster Iacobus die S. Laurentij Ann. 1218 postquam Berengarius de Palatiolo habitum militare primo nostro Patri Petro Nolasco imposuit, conuersus ad Barcinonæ Deputatos, seu Iuratos, ac Consiliarios dixit eis (*tened cuenta de aqui adelante deste frayle*) ac si diceret; huius Fratris nostri, & huius Ordinis nostri vos, & successores vestros, Procuratores, Tutores, ac defensores Constituo, & deputo. Quæ verba in Cathaloniæ Principatu, ita ad vnguem Iurati Barcinonæ executioni demandare, & defendere solent, ac si essent leges, & statuta illa, quæ (*fueros*) vocant, & non aliter neque alio modo. Vnde Principatus ille præfata Regis verba memoria retinens, semperq; ante oculos habens, pro nostri Ordinis defensione, & in eius fauorem, nullis etiam magnis expensis parcendo, ac laboribus, & periculis se exponendo, hac nostra ætate ad Curiam Romanam specialem Oratorem destinauit, de cuius euentu, & de alijs scitu dignis suo loco plura dicemus. Ex quo colligo quod ad exemplar Principatus Cathaloniæ, & Regni Aragoniæ, omnes Proreges, Gubernatores, & Procuratores Regnorum & dominiorum Regis Hispaniæ, Regis nostri Iacobi successorum tenentur, nos virtute Præfatorum verborum defendere, & protegere. Et similiter Fratres, & Nuncij nostri Ordinis (quando se obtulerit occasio, & necessitas expostulauerit) ad eos confugere, & eorum auxilium, & fauorem implorare debent. Sed quia non omnes Capiũt verba ista, solent Reges ad maiorem abundantiam, suas fauorabiles, & gratiosas concedere chartas, ad Proreges, & Gubernatores directas, quibus nostri Ordinis defensionẽ sub grauibus pœnis imponunt. Infero etiam quam magna sint Regis nostri Iacobi, & successorum eius in Ordine nostro non dico officia, sed merita, quibus nostris debilibus viribus gratiam vix referre possumus. Ipse enim Rex nostri ordinis fundator, quasi prouida hirundo nos in suo nido, & regio Palatio per annos quatuordecim nutriuit, vsque dum volare possemus. Magnis Thesauris, diuitijs, & possessionibus, ac donis, quæ in redimendis Captiuis ex magna parte consumpsimus, Ordinem nostrum ditauit, & regium effecit. Ex quo deduco Religionem nostram tàm in capite, quam in membris, Religionem regiam appellari debere. Nam si aliquod Cœnobium fundatum a Rege, fundationis iure regium appellari solet, & debet, ergo Ordo noster a Rege fundatus, vbiq; terrarum regius appellari debet. In cuius rei signum in omnibus nostri Ordinis Prioratibus, Monasterijs, Collegijs & Grangijs, arma, seu insignia Regis Hispaniæ, vt Regis Iacobi hæredis apponere solemus, & debemus, et in loco patenti supra Ecclesiarum Portas, & Monasteriorum Ianuas ea collocamus. Infero vltimo omnes Reges, & Principes, & nostri Regis Iacobi veri hæredes, ad quos per veram successionem expectat, seu in futurum expectare poterit Aragoniæ regnum, esse de iure obligatos ad nos defendendum, benigne tractandum, & vt filios habendum; quia in ipsa Regni Aragoniæ, & Principatus Cathaloniæ hæreditate noster Ordo cum omnibus pertinentijs, & bonis suis eiusq; protectio, & defensio includitur. Quod attente Reges considerantes ore pleno se esse nostri Ordinis Protectores passim affirmant, & plurimis fauoribus nostrum Ordinem prosecuti sunt, vt sæpe in hac nostra Chronica ostendemus. Agunt de Rege nostro Iacobo, Zurita in multis locis suorum Annalium. Fr. Petrus marsilius a Zurita citatus Bernardin. Gomez Miedes in historia regis nostri Iacobi. Ioannes Mariana de rebus Hisp. lib. 4. cap. 2. Lucius Marineus de rebus Hispaniæ lib. 10. cap. 5. Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniæ in vita Henrici primi, & multi alij. B C D E

Hier. Zurita. Fr. Petrus Marsilius. Bernardinus Gomez. Mariana. Luc. Marian. Franc. Tarapha.

Transactis a morte Adriani Papæ V. diebus 25. fuit in summum Pontif. electus idibus Septembris 1276. Ioan. Petrus Episcopus Cardinalis Tusculanus, natione Hispanus, Prouincia Lusitanus, & Patria Olysipponensis, qui præter morem suorum Prædecessorum nomen proprium retinens, Ioannes Vigesimus appellari voluit.

Aliqui Superiores nostri Ordinis, vt famosas facerent Redemptiones, & maiorem Captiuorum redimerent copiã, suis Patentibus literis interpositis renũtiauerunt Clericis Personis, & Laicis ad vitam, quibusdam ad non modicum tempus, & alijs perpetuo concesserunt Decimas, terras, possessiones, vineas, molendina, nemora, redditus, iurisdictiones, &

alia

A alia plurima bona ad domum nostram Barcinonæ spectantia. Quorum Clericorum, & Secularium aliqui ad maius robur, & firmitatem, ne noster Conuentus aliquo tempore proclamare posset, literas Apostolicas Confirmationis, a sede Apostolica impetrauerant, in grauissimam dicti Conuentus læsionem. Ob id summus Pontifex Ioannes præcepit Archiepiscopo Tarraconensi, vt ea omnia quæ de bonis ad nostram dictam domum spectantibus per dictas Concessiones inueniret illicite distracta, (non obstantibus supradictis Apostolicis confirmationis literis) studeret ad ius, & proprietatem nostræ dictæ domus legitime reuocare; contradictores per ecclesiasticas censuras compescendo omni appellatione postposita. Et similiter testes, qui fuerint nominati si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, (appellatione cessante) ad veritatem dicendam compellendo. Sub datum Viterbij Cal. Octobr. ann. 1. 1276.

B In Generali Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. celebrato inter alia fuit Decretum ob recuperationem terræ Sanctæ ab Inimicis occupatæ, quod deputarentur decimæ omnium prouentuum Ecclesiasticarum rerum, subsidio eiusdem terræ Sanctæ. At Ioannes Papa XX. attendendo nostros Fratres pro redimendis Captiuis in potestate Inimicorum detentis totaliter se exponere; concessit, quod de prouentibus nostris decimam prædictam soluere minime tenerentur, neque ad id compelli possent. Sub datum Viterbij 15. Cal. Nouembr. sui Pontif. an. 1.

Dominus Petrus Aragonum Rex filius nostri fundatoris, hoc eodem Anno 1276. die 16. Nouembris Coronatus est in Regem, in Ecclesia maiori Sancti Saluatoris Cæsaragustæ. 1276.

Idem Pontifex Ioannes XX. ad fauorẽ nostri Conuentus Barcinonæ aliã bullã concessit similem bullæ quam anno præterito concesserat, & direxerat Archiepiscopo Tarraconensi, 1277.
C hanc vero dirigit Episcopo Gerundensi. Sub datum Viterbij 15. Cal. Aprilis an. 1.

Hic summus Pontifex in Petri Sede tantũ sedit menses octo, & dies octo, nã in eadẽ Ciuitate Viterbij quadã die dormiẽs, fuit ruina cubiculi, qđ ipse extrui fecerat, infeliciter oppressus, & inter lapides lignaq; moribundus repertus. Et susceptis Ecclesiæ Sacramentis animã suo reddidit Creatori. Fuit doctissimus Vir, & vulgariter Petrus Hispanus appellat'. Decursis mensibus sex, & diebus quatuor post Ioan. Papę obitũ, Cardinales, qui inter se erãt valde discordes, conuenientes in vnum sua suffragia dederunt die S. Catharinæ Virg. & Martyris Ioanni Caietano Vrsino, Diacono Cardinali S. Nicolai in Carcere Tulliano, Archipresbytero S. Petri, natione Italo, & patria Romano, qui Nicolaus III. appellari voluit.

Hoc An. 1277. Magister Generalis cũ duobus socijs ex Granatę regno 112. redemit Captiuos; & eos socijs consignãdo, ipse pro alijs redimẽdis, & in fidei perseuerãtia cõfortandis in euidẽti mortis discrimine apud Barbaros remanere elegit. Vbi sępe a Mauris illusus, ignominiose tractatus, colaphis cęsus, & ab eorum Pueris in publicis vijs, & plateis lapidatus est. Vnde fuit necesse (ne in eorũ potestate periret) quod Mahomatus Mirus Almuzleminus Granatæ Rex humano potius respectu, ac mundano prætextu, quam pietate commotus, præciperet sub grauibus pęnis, ne Redemptor Christianus etiam in minimo lęderetur. Ea apposita conditione; quod ipse inter suos Christianos tantum versaretur, & nihil de Maurorum conuersione curaret, neque per interpositas Personas circa hanc rem vllum verbum faceret. 1277. *Liberati* 112.
D

Cum Fr. Arnaldus Liniberius Barcinonæ Prior in grauem incidisset morbũ, quo per plures menses laborauisset; ob id generalis Magister ne sua absentia, & Prioris ægritudine Ordo in suo regimine detrimentum aliquod pateretur, suas vices commisit discreto Viro Fr. Iusto de S. Petro, natione Gallo, filio Conuentus Perpiniani, dans ei in mandatis, vt Ordinem visitaret sub die 17. Iunij 1278. 1278.

E Nicolaus Papa III. concedit omnibus, & singulis, qui de bonis suis a Deo sibi collatis, eleemosynam pro redimenis Captiuis nostro Ordini contulerint, dummodo corde contriti, & ore confessi fuerint, quod possint eligere idoneum confessorem, qui auctoritate Apostolica eos absoluat ab omnibus peccatis suis, semel in vita, & in mortis articulo. Concedit ẽt quod si aliqs præfatã elemosynã nostro contulerit Ordini pro aĩabus Patris, & Matris penã quã post lucem eius seculi pro peccatis purgãdis decedens mereretur, sanctitas sua in Dño confidens, vult esse remissam. Sub datum Viterbij nonas Augusti sui Põtif. an. 1.

Idem summus Pontifex confirmat omnia, quæ sui Prędecessores nostro Ordini concesserunt. Sub datum Viterbij Cal. Septembr. sui Pontif. an. 1.

O Hic

Hic Summus Pontifex cum sua Romana Curia nunquam ab Italia discessit, & ob id nulla debet adhiberi fides plurimis copijs,& transsumptis,etiam in forma auctentica, sub nomine huius Nicolai Papæ III. datis Auenioni; ad quam Galliæ Ciuitatem nunquam hic Pontifex peruenit, vt videri potest in vita, & gestis eius, ab omnibus Auctoribus (nemine dempto) scriptis, & notatis. Ex quo infero præfata transsumpta non fuisse fideliter a suo originali extracta, fuisseque commissum errorem in Pontificis nomine, ponendo, & nominando Nicolaum III. pro alio Papa Nicolao, qui Auenioni cum sua Romana Curia aliquando sedit. A

Cap. XXXII. De Natiuitate, & vita, S. Raymundi nonnati S. R. E. Cardin. Et qualiter Nicolaus Papa III. Suriani obijt.

1279. LICET sequendo Magistrum Zumel, & cum eo communem sententiam S. Raymundum (de quo in præsentiarum est nobis sermo,) sub primo Generali Magistro collocare, & de eo agere deberemus; nihilominus tamen quia non omnia, quæ de ipso in forma auctentica dici solent (dum hęc nostra Chronica Typis mandabatur) præ manibus habebamus; & ab Hispania, & a Curia Romana, plurima propediem expectabamus,quæ per gratiam Dei,& meorum Superiorum benignitatem (maiori ex parte, licet non omnia iuxta desideriū nostrum) his diebus elapsis Notariorum, & Testium testimonio comprobata recepimus; vsque ad hunc præsentem annum tractationem, & eius narrationem distulimus; quod nō displicebit aliquibus, qui forsan, non sine fundamento affirmant S. Raymundum fuisse natum sub Pontificatu Nicolai Papæ III. anno sui Pontificatus secundo. B C

Est igitur in Principatu Cathaloniæ Plaga quædam celebris, seu plurimorum oppidorum spatium, & tractus, quem vulgariter (Sagarra) appellant. Cuius temporales Domini fuerunt tunc Cardonæ Comites, deinde Abbates Solsonæ, & nunc Episcopi Solsonæ. Huius Regionis Caput est Ceruera Villa satis cognita. Inter oppida huius Tractus non infimum occupat locum Porteli oppidum, quantitate paruum, sed meritis, & dignitate magnum, quod tantum Virum prodere, & nutrire, ac in lucem mundo edere meruit. In hoc igitur oppido ex honestis Parentibus natus est Raymundus, Cuius pater fuit Agricola cognominatus Surrons, quod genus, seu progenies post tot secula multifariam mutatum est. Sed modo descendentes ex legitima successione, & ex tali progenie per lineam rectam Segers communiter appellantur. Nomen Matris eius, sicut neque Patris, scriptores non exprimunt. Mater igitur cum grauida esset plusquam antea deuotissimè Ecclesiæ Sacramenta frequentare solebat. Et nouem decursis mensibus, sentiens dolem partus, sua Confessario speciali contritione, & deuotione peccata aperuit, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, viuifico cibo refici voluit. die sequenti de mense Decembris, grauissimis doloribus fuit oppressa,& iam(licet sensibus integris) laborare in extremis incipiebat, & in mortis agonia posita erat. Tunc quidam vicinus charitatis ardore accensus, comparuit coram Raymundo Folc eiusdem oppidi, & Regionis Domino, & Comiti, moram Porteli trahenti, denuncians ei euidens periculum, in quo præfata fœmina subdita sua versabatur. Qui miseratione commotus suos peritos Medicos, & Solertes Chirurgos misit ad eam inuisendam, vt nullis expensis parcendo, omnem possibilem adhiberent, & excogitarent curam, & solertiam, vt a periculo liberaretur. Accedunt Medici, & Chirurgi simulq; obstetrices,& eam prę nimio dolore,& angustia in vltimo vitæ termino constitutam videntes, extremam vnctionem ei illico dari iubent. Et cum deinde paulatim lumen oculorum amitteret,& commedere,bibere, & aliquid alimentorum, aut medicinæ sumere minime valeret; & plurima applicata remedia iuxta ipsorum artes, & experientiam, nihil in ea proficerent, fuit ab eis derelicta. Et inter eos vnanimiter decretum, finem corporalibus remedijs fore imponendum, ne infans D E

fans

A fans in ventre Matris inclusus, periclitaretur. Quia licet infantuli extra maternum vterum nulla pars appareret, eius tamen mater (quæ adhuc sano intellectu, & integris sensibus præter visum vtebatur) motum inclusi pueri, & eum viuum esse sentiebat, & dicebat. Et similiter auribus suis medicorum consilium audierat, & qualiter ab eis esset derelicta, & non sine animi sui turbatione sententiam de ventre suo, post mortem suam secando ab eis prolatam perfecte senserat. Tunc fœmina fidelis, & deuota ad Dominum in medio dolorum, & angustiarum conuersa, dicebat. Per Crucem, & passionem tuam suscipe quæso animam meam in locum saluationis; & meas angustias in peccatorum meorum remissionem admitte. Et tibi Dei Matri in cœlo modo triumphanti, quæ sine dolore filium tuum peperisti, sed in ara Crucis inter duos latrones pendentem dolorosa respexisti, meum hodie tibi filium commendo, & a periculo, in quo versatur, libera eum. Et ad infantulum sic loquebatur; o viscera mea, o cordis 1279
B mei charissime fili, dolorum fili, meæ causa mortis, sed tibi libenter parco, quia innocens es tu, & culpa non est in te, ego sola peccaui, & pœnas luo. Te videre, te amplecti, te lactare, ad sinum meum admouere, ad gremium recipere, tibi loqui, & deseruire non merui. Sed quis poterit voluntati diuinæ resistere qua omnia viuunt, mouentur, & sunt. Tu igitur fili mi paulisper insiste, & viuet anima tua. Quod si secus feceris, proculdubio morieris, meumque augebis agonem. Et eris causa quod anima tua eggressa de corpore tuo intret in corpus meum, & de vno corpore meo, duæ foras exeant animæ, anima tua, & anima mea. Et tunc corpus meum, quod per nouem menses, fuit tibi habitaculum proprium, domus tua, & venter fidelis, erit (quando ad sepulchrum, & Ecclesiam feratur) ferettrum, & tumulus. Obedientiam igitur fili mi præsta Matri tuæ, & paululum immorare, donec anima mea,
C quæ iam est in ianuis, egrediatur foras, & vadat ad locum a Deo deputatum. Et tunc videbis lucem seculi, & per vniuersum mundum dicetur, quod fui Mater non pariens, & tu filius nonnatus. Quæ vel similia verba vir eius, Sorores, propinqui, & vicini, qui aderant audientes, in lacrymas soluti, planctum magnum fecerunt. Quorum gemitus, & vlulatus augebantur, ægrota fœmina loquelam perdente, neque nutibus respondente, & legitimo omnium sensuum suorum officio destituta. Tunc Chirurgi instrumenta sua, quibus in similibus angustijs vti solent, in promptu, & præ manibus habentes, nihil aliud quam animæ a corpore separationem, & eggressum expectabant. Qua eggressa, continuo corpus magna dexteritate secuerunt, & latus inciderunt, & per incisionem factam, viuum infantulum, & incolumem extraxerunt. Qua insolita, & nona natiuitate, & præter consuetudinem inusitato ortu stupefacti sunt omnes, præsertim Raymundus Folc loci, & Regionis Dominus, qui statim accedens,
D & videns puerum, recenter in lucem editum, auspicato dixit; Puer hic magnus proculdubio erit, & meo iubeo appellari nomine, & propter euentum, & successum nonnatus cognominetur, sitque (dum ei fuerit vita comes) sub nostra protectione. Sub tali igitur patrocinio, & bona educatione, ac sub honesti Magistri disciplina, ad literarum studium Solerter incubuit, & multum profecit. Erat hic Puer in Virginem Mariam valde pius, & ob id Fratres nostros, eiusdem gloriosissimæ Matris filios mirificè diligebat, & percolebat. Vnde tempore intermissionis ab studio, & quoties per tempus sibi licebat, ad Ecclesiam Sancti Nicolai nostri Ordinis parum distantem se conferebat; in eaque plures horas orando consumebat. Et cum Fratre firminio Caldes eius domus Commendatore, Fratre equite laico nobilissimo, ex oppido Sanctæ Fidei tribus milliaribus a dicto Conuentu distante, viro valde bono, & deuoto magnam necessitudinem habuit. A quo instanter habitum petijt, sed Commendator ne Comi-
E tibus de Sagarra displiceret, Raymundi precibus acquiescere noluit. Permisit tamen ei, vt (secularibus vestibus retentis) in monasterio, commoraretur, vt vel sic eius spiritum probaret, & periculum faceret, an ex Deo, nec ne Religionem ingredi vellet. Per quatuor annos mansit hoc modo in eo monasterio summa charitate, & humilitate Fratribus deseruiendo. Et cum bonus iuuenis illorum Religiosorum vitæ rationem contemplaretur, & vniformitatem in moribus, ac summam adinuicem pacem attenderet (præcedente prius Dei genitricis reuelatione, & apparisione, ei vt habitum nostrę Religionis summeret pręcipientis, ac sui etiam naturalis Domini Comitis Raymundi expresso consensu) habitum Religionis ab eodē Commendatore suscepit, & post solemnē professionem, cùm literarum cognitione, & scientia esset pręstans de Magistri Generalis licentia ad

1279. omnes Sacros Ordines fuit promotus. Presbyter ordinatus, & charitatis ardore accensus, iuxta suum institutum non semel nec bis, sed sæpe famosas Redemptiones perfecit. Sed liceat mihi narrare, quod accidit ei in Ciuitate Tuneti, vbi ingentem Captiuorum Christianorum quos liberauerat numerum, suo socio consignando, voluit ibi pro aliorum Captiuorum consolatione, & Maurorum Conuersione moram trahere. Vbi non cessabat quotidie Mauris verbum Dei prædicare, quorum crudelitatem, & nimiam in afflictos Christianos feritatem, & impietatem attendens, Spiritu sancto illustratus sicut alter Oled, Propheta Domini Saracenis dicebat. Ecce iratus est Dominus ad Cœlum pertingit vestra crudelitas; in Seruos, & Ancillas subiecistis Christianos Romanæ Ecclesiæ filios. Audite consilium meum, credite in Christum, in quo est vera salus, & vera fides. Reducite Captiuos vestros, quia magnus furor Domini imminet vobis. Mementote Oled Prophetæ, ad cuius prædicationem Principes filiorum Ephraym, & bellatores exercitus, Deum timentes, apprehenderunt Captiuos, & cum vestissent eos, qui nudi erant, & calceassent, & refecissent cibo, & potu, vnxissentque propter laborem, & adhibuissent eis curam, & non valentes ambulare quia erant in becillo corpore, imposuerunt eos in iumentis, & adduxerunt eos Iericо, Ciuitatem Palmarum, ad Fratres suos. Hæc vos similiter facite, vel ad minus cum vestris Captiuis mitius agite, vsque dum pretium Redemptionis ex Hispania veniat. Et non me, qui vos rogo, & viam veritatis doceo, dum vilem, & humilem Christi seruum cernitis, contemnendum putetis; nam non ad inanem gloriam (absit a me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,) sed ad gloriam Dei, & ad conuersionem vestram dico vobis; quod prius quam me formaret Dominus, & antequam exirem de vulua, & in ipso ventre Matris meæ, recordatus est Dominus mei, & in me fecit magna, qui potens est, vt vobis annunciarem viam salutis, & vestræ falsæ sectæ errores manifestarem. Quoties me vt essem Christi Tuba, reputabam indignum, & dicebam Domino; ecce nescio loqui, quia puer & ignarus sum. Et dixit Dominus ad me, noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuersa, quæ mandauero tibi loqueris. Ne timeas a facie Saracenorum, quia tecum ego sum, vt eruam te. Hæc & similia verba tanto spiritus feruore dicebat, & tot sectam illorum rationibus efficacibus falsam esse probabat, vt plures Mauri ad nostram fidem conuersi, Christum publice fateri non formidarent. Quo Tuneti Regulus indignatus, S. Raymundum angusto, & fœtidissimo carceri mancipari iussit. Vbi per plures dies fame, & siti maceratus est. Deinde plurimis examinatis Testibus regium Consilium, Capitis sanctum virum condemnauit. Quam mortis pœnam Rex auidus, & auarus, ne commertium cum Christianis, & ex eis lucrum perderet, executioni demandari renuit. Consiliarijs tamen imposuit, vt præter vltimum mortis supplicium alia quacunque pœna blasphemiæ debita Christianum Redemptorem plecterent, & statim liberum in Hispaniam reuerti permitterent. Ob id in eodem carcere fuit crudeliter flagellis cæsus, & alapis ignominiose percussus. Sed quia in tormentis verba, pro quibus cruciabatur, repetere non formidabat, & Christum Redemptorem, eiusque Sanctissimam Matrem, ac Sanctum Nicolaum in suum auxilium inuocabat, os prius suis immundissimis, & sacrilegis manibus obturarunt, deinde labia eius terebrarunt, ac perforarunt, & repagulo ferreo occludi fecerunt, ne blasphemias (vt ipsi dicebant) in ipsorum legem proferret. Sed omnipotens Deus, & Dominus fortis super omnes Deos, qui suo brachio excelso vectes ferreos confregit, & Leonum, & Draconum capita comminuere solet, sanauit, & liberauit eum. Et ad miraculi ostensionem, dilatauit os eius, & impleuit eum spiritu sapientiæ. Nam qui prius vno ore tantum Gentibus, & Populis laudem Domini annunciabat, iam per foramina labiorum quasi per plura dilatata ora Canticum nouum Domino decantabat. Et continuo (cunctis videntibus) ligamina ferrea ceciderunt, & loquebatur recte mirabilia Domini. Quo euidenti miraculo plures Infideles ad veram fidem conuersi sunt. Alias celebres fecit Redemptiones, & vberrimos suis prædicationibus in diuersis Hispaniæ, & Africæ partibus habitis, verbum Domini seminando fructus produxit. Sed cum post aliquot annos in Cathaloniam reuerteretur, Dominus Raymundus Folc Comes, obtinuit a Magistro Ordinis, vt sibi ob suam consolationem, S. Raymundus concederetur, essetque sui Primogeniti Magister. In quo munere exercendo discipulum docebat Deum magis timere, & mandata eius custodire, quam humanam cognitionem, &

secu-

2. Paral. c. 28

A B C D E

A seculi intelligentiam, & alias scientias tenere. Cui per singulos dies dicere solebat; fili mi si vis scire, prius debes te noscere, si vis sapiens euadere, time Deum, nam initium sapientię est timor Domini. Honora taliter Parentes, quod semper præponatur Deus. Si necessitas venerit, vt amor tuorum Parentum comparetur amori Dei, ita vt non possit vtrunque seruari, tunc odium in tuos, & pietas in Deum seruanda est. Ne nimium tibi placeat, & te extollat illustris tuæ Progeniei cogitatio, & te Comitum de Cardona esse vnicum hæredem, nam vt ait Sanctus Bernardus magnum delictum est, si in acceptis donis gloriam vsurpare vellis, vide quid dicat Ambrosius, quod magis mores commendant statum, quam status mores. Et cum alijs iuuenibus sic te conuersari oportet, vt bono tuo exemplo ad meliora eos prouoces, & ex tuis ipsi exterioribus moribus compositiones interiores extiment, tuoque Sancto consortio delectentur. Docebat etiam eum, in suo gestu, motu, & incessu verecundiam tenere. 1279. S. Aug. S. Hieronỹ. S. Bernard. S. Ambr.

B Quod in suo gressu in quo solet esse species auctoritatis, & grauitatis pondus, ac tranquillitatis vestigium, omnem fugeret affectionem, & mundanum studium, sed in eo puritas, & simplicitas inuenirentur, & resplenderent. Quod non multum rideret, quia vox confusa lætitiæ immoderata hilaritate insultationem denuntiat. Quibus Sanctis admonitionibus, & salutaribus documentis puer in spirituali vita, (ac si esset Religiosus) multum profecit. Quo Comes Pater deuinctus, & obligatus remanens, dedit operam, vt noster Frater Raymundus, & sui filij Primogeniti Magister a Summo Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem promoueretur. Quo honore insignitus nullam sanè magnificentiam, aut sumptuosi apparatus rationem habere voluit, sed humilitatem religiosam, & Constitutiones, ac Ordinis ceremonias retinuit, & parum superuixit. Quod autem Sanctus Raymundus nonnatus fuerit S. R. E. Cardinalis expresse affirmant nostri Ordinis auctores, & etiam externi, vt Bolaterranus in suis Commen-

C tarijs vrbanis libr. 2. Arnaldus Vuion in ligno vitæ. Carolus Tapia de Religiosis rebus Alphonsus Chacon in vita Gregorij IX prope finem, & alij. Claruit in vita, & in morte, & post mortem euidentissimis miraculis, vt alio loco dicemus.

Hoc Anno 1280. Fr. Iustus de Sancto Petro Vicarius Generalis nostri Ordinis, celebrauit Capit. Generale Valentiæ. In quo de omnium Definitorum voto fuit statutum, quod nullus Frater, qui non esset Redemptor (quacunque fungeretur dignitate) sine speciali Generalis Magistri licentia in scriptis, aut Capituli Generalis, quod singulis annis celebrabatur, auderet Saracenorum terras ingredi, neque Mauris prædicare. Multi enim Fratres etiam idiotæ, & qui nunquam literas didicerant, fidei ardore, & martyrium suscipiendi desiderio accensi, nulla Superiorum petita licentia vl- 1280.

D tra mare profecti, disputantes cum Mauris ab eis occidebantur, (nullis Captiuis redemptis.) Ob id Capit. Generale hoc anno celebratum decreuit, quod in Redemptores eligerentur Religiosi Fratres sufficienter edocti, quibus imponeretur, vt sobrietatem, continentiam, & modestiam seruarent, nullumque moribus suis offenderent.

Eodem Anno vndecimo Calend. Septembris Suriani non procul a Viterbo Nicolaus Papa III. animam reddidit suo Creatori. Vacauit Romana sedes menses sex.

Cap. XXXIII. In quo laudatur monialis Ispalensis. Describitur vita S. Mariæ Socors. Creatur Martinus IIII. Et agitur de Sancta Collagia.

E MVNERI, & Instituto nostro de redimendis Captiuis, opposita aliquo modo videbatur, Monialium cura; quam aliæ Religionis deassumere solent libenter. Nam nostri Fratres in illo florenti Religionis exordio, tàm Superiores, quàm subditi, erant fere omnes itinerantes atque viatores. Nam semper in elemosynis procurandis, & Captiuis redimendis multi ex eis erant occupati, & irretiti; qui vero in domibus manebant hospitum solerti curæ, & infirmis curandis operam nauabant. Vnde suis humeris Monialium regimen, & onus imponere desugiebant, & recusabant. Quam curam vsque in præsentem diem post tot annorum curricula (licet Ordo noster sit valde extensus, & in nouo orbe plures habeat Prouincias, pluriesque ad monialium Monasteria de nouo erigenda, aut iam erecta ad earum regimen suscipiendum inuitaretur, & aduocaretur) admittere, & amplecti

1280. plecti noster Ordo viriliter, & constanti animo renuit. Sed iustissimis de causis administrationem, imo erectionem monasterij Assumptionis Virginis Mariæ Ciuitatis Ispalensis admisimus. In quo in Monialibus apprimè florent sanctimonia magna, summa in singulari paupertas, omnium rerum temporalium, & secularium contemptus, in loquendo cum personis extraneis etiam parentibus prohibitio incredibilis. In eis respicitur misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu vili, & abiecto, patientia in tribulatione, feruor inertiam exsuscitans, humilitas superbiam confundens, & patientia iracundiam extinguens. Suo sancto exemplo, & sanctitatis rumore plures illustrissimas Virgines etiam ex alienis Regnis, & longinquis regionibus (quod meis oculis vidi) ad se adduxerunt, & quotidie trahunt, quæ illud Cœnobium celebre per orbē reddunt. Sed quòd Superiores nostri Ordinis, & earum confessarios in stuporem deuenire facit, est earum prompta obedientia, quæ non solum pigritiam increpat, sed præcipientes ædificat. Alacri enim animi motu, spontaneo vigore, & largiori voluntate paratas se omnes exhibent ante mandatum. At post mandatum non procrastinando, non attendendo quale sit quod præcipitur, sed solùm præcipientis vocem audientes, capitis summissione, & deuotione, statim lætantes præceptum adimplent. Quam obedientiam esse victimis præferendam, magisq; Deo placere quàm quodcunque sacrificium, Dominus noster ostendere voluit, manifesto miraculo, quod Reuerendissimus Episcopus Magister Rodriguez refert in sua Agricultura animæ Tract. 3. cap. 13. De quadam Moniali eiusdem Monasterij Ispalensis, cui nomen erat Soror Antonia de Assumptione, quæ in seculo dicebatur Domina Theresa de Rojas, & Aguilar nobilissima fœmina, & illustri sanguine nata. Hæc igitur Monialis in extremo vitæ collocata, dum candelam accensam benedictam in manibus tenet, & ad Crucifixum conuersa, attente orat, sine strepitu Creatori suo cum quo loquebatur spiritum, & animam restituit; quod Moniales plurimæ, quæ aderant non aduerterunt; quia remansit post spiritus emissionem sicut antea apertis oculis ad imaginem Crucifixi defixis, ita vt omnes astantes non esse mortuam pro comperto haberent. Sed cum nullus in ea remaneret halitus, neque in arterijs esset motus, totumque corpus frigidum esset, collacrymari Moniales cęperunt, & sanctum illud cadauer de more lauerunt, & ad sepulturam aptarunt. Sed cum nulla vi oculos eius claudere valerent, & simplicibus Monialibus indecorum videretur, si illud cadauer (præter vsitatum modum) oculis detectis timorem incutientibus ad sepeliendum asportaretur, quid facerent ignorabant, ac confusæ, & perturbatæ erant omnes, & iam faciem eius ne ea deformitas appareret, velare volebant. At earum Commendataria, seu Abbatissa, magna fide ad cadauer conuersa, dixit ei. Soror Antonia in nomine Dñi nostri Iesu Christi, qui cæcorum aperit oculos, vt viuentes videant, & laudent Deum, tibi, quæ dum eras in humanis in obedientiæ voto inter cęteras mirificè refulsisti, modò mortuæ præcipio, vt oculos tuos claudas vsque ad diem iudicij. Sed o mirabile dictu, nondum superior, finem proferendi præceptum fecerat, & iam cadauer illud (cunctis videntibus) oculos clauserat; qui deinde in uim, & perfectæ obedientiæ signum aperiri amplius non potuerunt. Vsq; quò illi oculi carnei in die iudicij uideant Saluatorem nostrum. Sed quia de mense Decembris 1616. dum hæc nostra Chronica Typis mandabatur, ex ditissima, & superabundante Bibliotheca nostri admodum Reuerendi Patris perdocti Magistri, celeberrimi Concionatoris, & inculpatæ vitæ Viri Fr. Stephani de Muniera Excellentissimi Domini Proregis Siciliç Confessarij, duos pro sua in me benignitate libros habere merui, a Reuerendiss. Dño Guimeran Episcopo de Xacca editos, vnum videlicet de historia nostri Ordinis, & alterum de Fundatricibus præfati monasterij Ispalensis; vitam & gesta tàm huius Monialis Sororis Antoniç, quàm aliarum, quæ in eo cœnobio floruerunt suis loco, & tempore collocare curabo. Pro nunc dicere sufficiat, quod hoc vnum pro mille noster Ordo habet Cœnobium (licet aliud seu alia paris perfectionis ab hinc paucis annis sint cœnobia erecta.) Antiquitus tamen solum licebat Superioribus Monasteriorum aliquas fœminas seculum fugientes ad Ordinis habitum, beneficia, gratias, & Indulgētias recipere; cum illis conditionibus, quas superius retulimus; quas Hispani vulgariter Beatas, & Itali Moniales domesticas appellant. Inter has fuit abhinc quindecim annis (vt supra diximus) Beata Maria Socors, seu de subsidio a B. Bernardo de Corbaria ad Religionem admissa. Quæ tamquam flos vernans, & condidissimum lilium, fauus distilans, fragransq; cedrus dedit suauitatem odoris. Fuit Barcinonæ nobilibus orta parentibus, & non sine diuino misterio, Mariç in Baptismo sortita est nomen, quæ cum religiosa effecta, miseris, & afflictis subsidium præstare sępe soleret, ei Ciues Barcinonæ de subsidio, seu Socors cogno-

A cognomen imposuerunt. Quod ab effectu, quem causat, vsque in pręsentem diem meritò retinet. Et licet secundum logicos, nominum impositio sit ad placitum, & soleant Parentes Infantibus suis ad nutum, & beneplacitum nomina imponere; ipsa tamen nomina cum sint rerum notæ, & indicatiua signa, proprietatibus rerum quadrare debent. Ideo consonum erit, gesta, & opera huius Sanctæ Virginis, quibus in uita floruit, in medium adducere, vt vel sic, ex ipsis mundus agnoscat, nomen & cognomen propriè, & peculiari modo sibi meritò uindicasse. Hæc igitur Sancta Virgo a teneris annisq; carnem suam ieiunijs, orationibus, vigilijs, & disciplinis domabat; Verbum Dei frequenter audiebat; auditum retinebat; retentum executioni demandabat. Quadam die (diuina inspirante gratia) associata Matre, & Sorore ad nostrum Barcinonæ Oratorium a quo domus sua parum distabat, se Virgo contulit; ibique audiuit S. Bernardum de Corbaria feruentissimis verbis loquentem de regno Dei, de rerum humanarum contemptu, de Captiuorum Christianorum misera

B seruitute, de charitate erga Infirmos, & peregrinos præstanda, & quantùm hæc opera essent placita Deo. Quibus adeò fuit concitata, vt ex ea hora propter amorem Dei, animo decerneret, omnibus, quæ possidebat liberè renunciare. Et noctu diuq; cogitabat, quomodo virginitate sua seruata, & honestatis decore custodito, posset in his sanctis operibus se exercere. Erat enim prudens, ac timorata, & plus Deo non displicere, quam indigentibus fauere studebat. Insuper erat fœmina prouida, & cauta, & sciebat, & agnoscebat sui fœminei sexus fragilitatem, & quod fœminæ, quæ sunt a natura piæ, difficili negotio oblatis occasionibus victrices euadunt. Et quod quanto magis honestæ, & bonæ sunt, eo amplius fugere debent non solum peccata, & peccandi occasionem, sed etiam euitare, ne viri eas alloquendo, vel cum eis familiariter conuersando Deum offendant in corde suo. Ob id quod a teneris annis concupierat, vsque ad 35. ætatis suæ annum (data opera) differre studuit. Interim sub parentum suorum dominio, & tutela existens, Deo quotidie assidua oratione

C loquebatur. Suis vigilijs hostem humani generis ad malum continuo vigilantem, lõgè abire faciebat. Pauperum, & Infirmorum, ac Peregrinorum miserijs, ita in corde suo compatiebatur, vt de suis bonis esurientes reficeret, sitientes refrigesceret, in carcere positos liberaret, Infirmos curari, ac aduenas hospitari mandaret. Vnde magnam rei familiaris partẽ in his Sanctis operibus, specialiter in redimendis Captiuis larga, & ingenua manu erogauit. Vtroque parente orbata cępit tunc ardentius, suę, & proximorum saluti incumbere. Et vt opera, quæ Deo auxiliante facere intendebat, essent maioris meriti, & ad ea exequenda spiritualibus auxilijs, & adminiculis iuuaretur, voluit qđ superioribus annis concupierat operecomplere, & Religionis voto se astringere in Ordine nostro, qui circa charitatis opera mirificè versatur. Et sic anno Domini 1265. die 25. Martij in S. Bernardi de Corbaria manibus eam professionem emisit, quam Moniales Beatæ, seu tertij Ordinis facere solent. Post emissam professionem omnia bona sua ad pedes sui Prioris posuit; & solùm sibi reti-

D nuit vnam paruam domum, & nonnullos tenues redditus, quibus sine mendicitate, vitam honeste degere posset. Religiosa effecta plures quotidie attente, & deuote missas audiebat. Ter in hebdomada Sacro Eucharistię cibo animam suam recreabat; sed frequentius peccata sua proprio Ordinis Confessario aperiebat. Horas Canonicas in Oratorio nostro singulis diebus audiebat. Domi suę per plures horas orationi mentali nocturno tempore vacabat. In qua oratione pro omnibus indigentibus, & tribulatis maxime Captiuis Dominum orabat. Vnde sępe diuinitus per suum Angelum Custodem sciebat Fratrum nostrorum Redemptorum, & miserorum Captiuorum, ac aliorum nauigantium naues esse a Pyratis, & Saracenis oppressas, & in euidenti periculo constitutas. Tunc velociter ab oratione surgens, ad nostrum Monasterium festina adibat, & periculum, in quo Christiani versabant, Patribus significabat, vt pro ea necessitate Dominum orarent. Quo non contenta, ad ma-

E ris litus se cõferebat, & muniens se signo Crucis, super aquas ambulabat, & ad naues afflictas, & periclitãtes accedebat. Cuius iucundissimo aduẽtu, aut venti cõtrarij (ipsa in nomine Dei pręcipiente) obediebant ei, & mare tranquillum reddebatur, aut Pyratę inimici a facie eius fugiebant. Qua admiranda victoria, & glorioso Triumpho ad Ecclesiam nostram reuersa pro beneficijs acceptis gratias Deo, eiusque gloriosissimę Matri immmortales agebat. Vnde sępe in huius admirandi subsidij signum, fimbrię vestimenti, & habitus eius, seu extremitates, madentes, stillantes, & guttatim fluentes respiciebantur. Meritò igitur Sancta Maria de subsidio appellata est, quia fuit maris Ductrix, & stella miseris succurrendo, & a periculis liberando. Multorum in vita, & post mortem extitit miraculorũ operatrix, quę Cœ-

1280.

ci videndo, claudi ambulando, Surdi audiendo, Demoniaci perfecte liberati, & infirmi pristinæ sanitati restituti experti sunt. Subsecuto igitur hoc anno eius fœlicissimo de hoc mundo ad cælestem patriam transitu, continuo fratres nostri, in humeris suis illud sanctum corpus de domo sua ad nostram ecclesiam detulerunt (tota ciuitate commota,) illudq; deposuerunt in vna arca lignea. Sed tempore Domini Petri Aragonũ Regis eius nominis quarti, & Reginæ Mariæ coniugis eius, admirando modo repertum est, (nonnullis ea die interuenientibus signis. Cuius rei caussa hi domini Reges, magna deuotione, & reuerentia illud venerari cœperunt.) Quorum iussu (vt per traditionem fertur) quædam pulcherrima arca magnis expensis (vt potentes Reges decebat) fabricata est, vt in ea decentius, & in magnificentiori reponeretur loco. Quæ licet longior, latior, & maior esset, quam antiqua arca, numquam potuit illud sanctum capere corpus. Vnde fuit necesse, quod ad propriam arcam a fratribus factam deferretur, & restitueretur, vbi integrum, & habitu nostri ordinis indutum ad hæc vsq; tempora respicitur. Deinde (ecclesia extructa) fratres nostri magna solemnitate illud collocauerunt in sua propria arca inclusum super duos leones qui sunt in facello S. Catherinæ Virg. & Mart. Sed die sequenti in primo sacristiæ loco arca reperta est. Et ibi remansit vsquequo repertum est corpus S. Bernardi de Corbaria, qui hanc virginem ad ordinem traxit. Tunc hæc duo corpora fuerunt honorificè collocata in capella, quæ dicitur de doloribus, corpus Patris, & magistri in Parte dextera, filiæ vero, & discipulæ in parte sinistra. Solent nauigantes in maris periculis constituti, eius sanctæ Virginis auxilium implorare. Cuius intercessione, & meritis plures liberati sunt. Ob id in ecclesijs nostri ordinis depingitur habens in manu dextera nauiculam subleuatam; quasi insinuare volens, quod in manu eius, est super aquas maris potestas, & imperium; & de procelloso & indignabundo mari afflictos, & periclitantes nauigantes mirabiliter eripuerit. Tu ergo virgo beata, quæ in terris mirabilia magna facere solebas; modo in cælesti patria triumphans, pro nobis filijs tuis in hoc tempestuoso, & turbato huius mundi mari fluctuantibus, & contrariarium cogitationum, & tentationum fluctibus hinc inde agitatis intercedere non dedigneris. De hac sancta Virgine agunt nostri ordinis scriptores præsertim magister Zumel, & Dominus Melchior Rodriguez Episcopus in locis sæpe citatis.

Nicolao Papa Tertio communi luce priuato Cardinales ad eligendum successorem congregati in ciuitate Viterbij in duas factiones se diuiserunt. Italorum factio Vrsinos magna auctoritate præstantes viros Italum Cardinalem eligere conabatur; sed altera factio, vt Carolo Siciliæ Regi roganti, procuranti, & promittenti opus gratum faceret, Cardinalem natione Gallum eligere totis suis viribus intendebat. Hac de causa comitia ad sex menses sunt delata. Sed demq; sicut Domino placuit, pars Gallorum præualuit, quæ 8. Calend. Maij
1281. huius anni 1281. in Summum Pontificem eligit, Simonem de Bria natione Gallum, Cardinalem S. Ciciliæ, qui ab omnibus fuit pacifice receptus, & Martinus Quartus appellari voluit. Sedit quatuor annos, vnum mensem, & dies 7. Nulla (quod ego sciam) nostro ordini concessit priuilegia; nam toto sui Pontificatus tempore, cum Domino Petro Aragonum Rege, a quo noster ordo pendebat, controuersiam grauissimam habuit, eo quod præfatum Carolum Siciliæ Regem Rex Aragonum a Regno fugauerat, & illud regnum de Siculorum manibus receperat, & subiugauerat.

Prefatus Dominus Petrus Aragonum Rex nostri ordinis protector, priuilegia a suo patre nobis, & Religioni nostræ concessa, auctoritate sua confirmauit. Sub datum Valentiæ quar-
1281. to Calend. Martij 1281.

Magna erga Defunctos, & mortuos, præsertim Patrem, & matrem ex hac mortali vita decedentes in tota Hispania viguit pietas, & amor. Pro quibus filij, & hęredes peculiaria, & alijs forsan nationibus incredibilia amoris signa ostendunt. In primis pro eis multũ orant, ieiunant, stationes frequentant, indulgentias acquirunt, elemosynas in magna quantitate pro celebratione missarum in altaribus priuilegiatis largiuntur, bullas defunctorum sumũt, non paucas elemosynas pro eis, pauperibus erogant, cæcis & visu priuatis vt psalmos pænitentiales, & responsoria pro mortuis recitent charitatiua & quotidiana subsidia porrigunt, & sacerdotibus ad missas celebrandas etiam aliunde & ex circunuicinis locis, inuitatis, & rogatis lauta & splendida, ac liberalia conuiuia in domibus suis facere solent. Ob hanc igitur deuotionem, ingentem pecuniarum summam nostri fratres, & Redemptionis procuratores in Hispania collegerunt, & coadunarunt, postquam fuit publicata bulla illa sanctissimi Domini nostri Nicolai Papæ III. conferentis, & concedentis omnibus, & singulis, qui pro paren-

A parentibus suis defunctis quandam elemosynæ quantitatem ad Redemptionis opus, erogarent, quod tales Parentes discedentes, essent liberi ab omni pęna, quam post lucem eius sęculi pro peccatis, & culpis purgandis pati mererentur. Tunc Fr. Iustus de S. Petro Redemptores in capitulis deputatos ad suum munus explendum excitauit. Fr. Dionysius de Sancto Martino pro Prouincia Cathaloniæ Redemptor, ex Tuneti regno 216. redemit Captiuos. *Liberati 216*

Eodē tēpore Fr. Fulgentius de Quęsada Sacerdos pro Castella Redemptor, Marrochiū se cōtulit, vbi statim ad eum miseri Captiui accesserunt, suam libertatem summis præcibus rogantes. Quibus benignus Redemptor respondit; ad hoc ex Hispania missus sum, vt liberem vos, & educam Captiuitatem vestram. Insuper ante oculos vobis propono, quod summus ille Pontifex, pijssimus pater, & bonus pastor in Petri sede collocatus, nostrum Ordinem fauoribus, & gratijs prosequi volens, animarum defunctorum in Purgatorio deten-
B tarum, & Captiuitatis vestræ, misericorditer recordatus est; ordinando quod vna, & eadem elemosyna a Christi fidelibus nostro Ordini porrecta, duos admirabiles produceret effectus; primum ad fauorem mortuorum Parentum; alterum verò in vestræ liberationis commodum, & sic in vobis orandi pro sua Beatitudine, & pro Benefactoribus vestris duplex remanet obligatio. Et ducentos, & quatuor, qui tunc in eo miserabili statu iacebant, soluta pecunia Dominis suis a se liberatos, ad pollicendum adstrinxit eos, ne Christianorum terras tāgentes sine expressa licentia discederent. Vos (inquit) Fratres mei modò redempti scire debetis, qualiter Benefactoribus vestris, quorum subsidijs, & elemosynis liberati estis, satisfacere debemus; vt ipsi videant, & Populus Christianus agnoscat, quomodo sincerè, & fideliter per nostras manus pecuniæ redemptionis impendantur. Nos igitur Ductores vestros, qui vos de tanto periculo, & grauissimis tormentis eripuimus, in viam pacis grato animo sequimini. Ne sitis, quæsumus, liberatoribus vestris ingrati, sed eorum sequi debetis *Liberati 204*
C vestigia. Secus perpetrando, & ante tempus fugiendo in abominabilem, & obscuram ingratitudinis foueam inciditis, & Deum optimum maximum offenditis. Nam ingratitudo est inimica animæ, indignationis prouocatrix, beneficiorum exinanitio, hostis gratiæ, meritorum exterminatio, & beneficiorum perditio. Ne igitur vrenti ingrati animi vento, pietatis fontem, siccum, & aridum reddatis. Ne hoc detestabili, & pestilenti vitio, Gratiæ riuos, & misericordiæ flumina impediatis, & retardetis. His & alijs verbis Christiani Captiui commoti, per magnam Castellæ partem Patres Redemptores Sequi, & Comitari voluerunt. Imo in ciuitatibus, & locis, quā transibant Christi fidelibus significabant, & diffundebant Captiuitatis miserias, & magnoperè Ordinem nostrum commendabant. Ob id Religio nostra plurimis donis, & elemosynis locupletata, nonnulla valoris munera Mahomato Miralmuzleminio Granatæ Regi destinauit, & Generali Magistro ibi detento ingentem pecuniarum copiam transmisit. His bonis subsidijs, & medijs famosissima in eo Re-
D gno potuit fieri Redemptio. Nam hoc anno 1282. Generalis Magister seipsum, & ex omni sexu, ætate, & natione 268. liberauit Captiuos; & ad suum Barcinonæ Monasterium gloriosus reuersus est. *1282. Liberati 268*

Generalis Magister, vigilantissimus Pastor nullam sumens requiem, Capitulum Generale, in oppido Podij Regni Valentiæ celebrare voluit. In quo de Definitorum voto statuit, quod constitutiones Barcinonæ de anno 1272. Correctæ, emendatæ, & approbatæ diligenter, & adunguem, in toto Ordine obseruarentur. Et quod pœnę in eisdem contra Trāsgressores contentæ, sine remissione ad malorum terrorem, & formidinem infligerentur. Et quod deinceps nouas constitutiones multiplicare, & addere sine vrgentissima caussa, Capitula Generalia, vel prouincialia non deberent.

Quot spirituales filias habuit S. Bernardus de Corbaria, tot sorores habuit S. Maria de
E Socors. Sed inter eas maxime emicuit, & effulsit S. Collagia, Gotholana virgo, patria Barcinonensis, humilibus, sed honestis orta parentibus. Anno ætatis suæ 21. mundanis rebus vale dicens, de præfati Prioris manibus habitum nostri Ordinis suscepit; & ad Ordinis gratias, & beneficia fuit recepta. Virginitatem suam perpetuò Domino consecrauit. Meditationis sanctæ, & mentalis orationis studium ita familiare habuit, vt sæpe totam noctem ante Crucifixi imaginem genuflexa insomnem ducere soleret. Hoc sanctum exercitium, erat Dæmoni graue supplicium, & forte flagellum. Vnde, vt Sanctam Virginem impediret, & ab orationis feruore retardaret, quadā die ad eam in Ecclesia nostra orantem Inimicus generis humani vetullæ vicinæ suæ alijs Comitatæ fœminis formam accipiens, accessit, & dixit ei. O filia mea, quid hic agis? Quare a tenera ætate te torquere,

& affligere incipis? Longa tibi restat via. Quando ego tua florenti iuuentute fruebar, A
non sic certè faciebam, sed medium, & modum in rebus tenebam, & vt iuuenis sapiebam. Tunc licet a plurimis amatoribus molestarer, & amarer, pulchriorem, & ex eis ditiorem elegi. Quo viuente dies transegi bonos, & post eius mortem diues pro senectute mea remansi. Vnde ego quæ pauperrima fui iuuenis, modò senex multa possideo bona. Quibus honorabilem vitam dego, & plures pauperibus elemosynas largior, quibus iuuentutis meę ignorantias redimo; & hilarem vitam ducendo senectutem videre potui. Tu vero filia mea, quæ pulchra nimis es, & valde pauper, quare quæso mæstam vitam viuere eligis, cum posses, & deberes iucundam habere? Ex quo te cognoui, nigra bile plurimum te abundare sum experta. Vnde facillimo negotio (si tibi non consulis) in vecordiam incides; & tunc inter virgines fatuas enumeraberis. Et sic tuos gressus festinanter in stultitiam dirigendo, meos non videbis dies, & ad meam senectutem non peruenies, & (quod peius est) Deum grauiter offendes. Honestos viros, & castas fœminas (si castitatem seruare vis) hisce oculis vidi, orationi vacantes, sed non totam noctem, & partem diei (vt nunciatum est mihi de te) in oratione consumantes. Meis igitur verbis, & experientiæ adhibe filia fidem. B
Te ergò admoneo, vt diebus festiuis, tu, quę pauper es, vnum tantum audias sacrū. Et gratius Deo, & tibi, ac proximis tuis vtilius facies opus, si ex labore manuum tuarum manducares, & quod superesset pro indigentijs, & necessitatibus tuis, ac pauperibus adiuuandis, in crastinum seruares, vt prouidæ, & prudentes virgines facere solent. Cognouit ancilla Christi, quod hęc esset manifesta Dęmonis tentatio; & sic vetulam paruipendens, feruentius, & ardentius quam antea orationi vacabat. Sed ecce dum orat, & tentationem Christi in deserto meditatur, eleuata est supra se, & nihil perpendens, rapta est, ne Dęmonis malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum. Sine malitia consumpta, in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illam de medio iniquitatis. Tunc Dęmon detecta, & cognita fraude sua, confusus recessit. Et virgo deinde ad se conuersa, pro Dęmonis fuga, & victoria adepta, gratias Deo egit, & experta est, quomodo oratio in charitate Dei facta, fit Dęmonum fuga; & sic eam cunctis diebus vitæ suæ mirificè dilexit. Et sciens nostri Ordinis firmum, & solidum fundamentum, & primum lapidem esse charitatem; annum trigesimum attingens in charitatis operibus licitis, & honestis (quod illud sine malitia sæculum decebat) se exercuit. In quibus multum profecit; nam omne quod de cibo subtrahere poterat, & elemosynas quas ostiatim petebat, Ianitori nostri Monasterij, vt eas pauperibus, Infirmis, & peregrinis erogaret, quotidie largiebatur. Et tantus erat in Ciuitate Sāctitatis eius rumor, & fama, vt magnates, & Cōciues plurima dona, & ingentes elemosynas ad eius domū transmitterent, vt p manus S. Collagiæ pauperibus distribuerētur. In hoc Sancto exercitio, & charitatis opere, summa laude per annos sex se exercuit, & anima eius placita Deo, educta est hoc anno de medio iniquitatis, fuitq; ad requiem trāslata sempiternā. De hac S. Virgine nr̄i Ordinis Moniali, agūt oēs scriptores nr̄i, & breuiter Magister Zumel, & Ep̄us Rodriguez locis citatis.

Sapie. 4.

C

D

Cap. XXXIIII. De martyrio S. Petri Camini. De nonnullorum Pontificum, & Regum obitu. De plurimis Apostolicis literis Ordini nostro concessis, & de obitu Prioris Barcinonæ.

1282. OMINVS Petrus Aragonum Rex filius Iacobi nostri Ordinis fundatoris vocatus a Siculis hoc Ann. 1282. Panormi coronatus solēnissima pōpa, magnoq; iubilo Rex acclamat⁹ est. Deide 2. Octob. eiusdē anni, Regali ceremonia, & sub palio regio, a Messanēsibus in suā ciuitatē fuit admissus. Quæ oīa summo Pōtifici Martino IV magnoperè displicuerūt. Ob id die 9. Nouēbris eiusdē anni cū fratrū suorū Cardinalium, & aliorū Prelatorū assistētia, & magna populi multitudine pręsente, præfatū Regē Petrū, suosq; sequaces, & cōplices excommunicationis sententia ligauit. Sub datum Monte Flasconæ die, & anno quibus supra. Hac de causa (vt diximus) noster Ordo ab hoc Pontifice nulla obtinuit priuilegia. E

1283. Hoc An. 1283. Fr. Fulgētius de Lara ex Castella, Vir sanè pius, ac religiosus, & Fr. Martinus de Agreda ex Cathalonia Redēptores; ex ciuitatibus Saracenorū Regi Bęthicæ subiectis
Liberati 129 129 redemerunt Captiuos. Et dum Redemptionis exercent munus, nō paucos pPessi sunt labores. Nam prope Meridā in Grassatorum inciderunt manus, qui eos spoliauerunt. Sed

Regis

A Regis Granatæ ſuperuenientibus militibus, prædam latrones compulſi reliquerunt, & ſe in fugam dederunt.

Regina Conſtantia Domini Petri Aragonum Regis vxor, iuſſu viri Siciliam petitura, ingentes elemoſynas Generali Magiſtro pro redimendis Captiuis largita eſt, petens ab eo, vt in Ordine noſtro pro viro ſuo in magno vitæ diſcrimine conſtituto, & pro ſua proſpera nauigatione, præces, & orationes ad Dominum fieri iuberet. Quæ die 22. Aprilis eiuſdem Anni 1283. Meſſanam cũ ſuo filio Iacobo peruenit. Cuius aduentus fuit valde opportunus, & neceſſarius, ne (Petro Marito abſente, ad ſingulare certamen cum Carolo Gallorũ Rege profecto,) poſſet aliquo modo fides Siculorum nutare.

Generalis Magiſter menſe Maij eiuſdem anni celebrauit Ilerdę Cap. Generale. In quo oĩbus definitoribus, & Domorũ Superioribus impoſuit, vt cõtinuã orõnem pro vrgenti neceſſitate teneri conarent̃. Inſuper præceptũ eſt, ne aliq̃s Cõmendator, ẽt de Epiſcopi licentia,
B ad redimendũ eat, aut aliquod ſubſidiũ tranſmittat pro redimendo vno, vel pluribus Captiuis. Sed ſit neceſſaria Magiſtri Generalis expreſſa facultas. Cui Capitulum impoſuit, ne abſq; vrgentiſſima, & grauiſſima cauſa huiuſmodi facultates cõcederet, niſi tãtũ Redẽptoribus a Capitulis ſuis, electis, & deputatis. Et occaſio huiuſmodi prohibitionis fuit, quęrela Patribus porrecta cõtra quoſdã domorũ Superiores, & Fratres, qui hoc anno quaſdã particulares Redemptiones fecerant; ſola ab Epiſcopis obtenta licentia, cum poſſent de facili, ad Magiſtrum Ordinis habere recurſum.

Commendator Cæſaraguſtanus de licentia Domini Petri eiuſdem Ciuitatis Præſulis, per manus Fratris Laurentij de Pratis, ſeptem redemit Captiuos Chriſtianos. *Liberati 7*

Iaubertus Epiſcopus Valentinus dedit facultatem Cõmendatori Podij, ſeu perpetuo Vicario nonnullas elemoſynas tranſmittendi, pro redẽptione quorundam Chriſtianorum Valentinorum, in poteſtate Maurorũ detentorũ; quorum parentes de bonis ſuis pro liberatio-
C ne filiorum, & cognatorum ſubſidia aliqua in præfati Commendatoris poteſtate depoſuerant; quibus adminiculis redempti ſunt nouem Chriſtiani. *Liberati 9.*

Commendator Gerundæ de licentia expreſſa Domini Berengarij eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, elemoſynis per eam Diœceſim collectis, quinq; liberauit Chriſti fideles. *Liberati 5*

Dominus Bernardus Archiepiſcopus Tarraconę facultatẽ, & elemoſynas dedit, q̃bus Cõmẽdator Tarraconẽſis ſex potuit liberare Captiuos. Similiter Dñs Arnaldus Dertuſenſis, & *Liberati 6* Dñs Iacobus oſcenſis, & alij alibi Epiſcopi, & Prçlati huiuſmodi facultates, particulares redemptiones faciendi noſtris Fratribus dederant, in maximum detrimentum, & Ordinis vilipẽdium; dum Commendatores (contemptis Superioribus ſuis) ad Epiſcopos accedunt. In eodem Capitulo fuit in Redemptorem electus Fr. Petrus Camini, de quo agere incipio.

Religioſiſſimus Fr. Petrus Camini natione Gallus ab Angelorũ Regina p̃monitus habitũ noſtri Ordinis ſuſcepit. Religioſus effectus ĩ via Domini mirabiliter profecit. Ieiunijs, & ab-
D ſtinentijs carnem ſpiritui ſubiecit. Frequens eius exercitium, fuit rerũ diuinarũ meditatio, & feruens oratio, in qua plures horas nullo interpoſito interuallo perſtitiſſe noſtrę hiſtoriæ referunt. Et cum in oratione paſſionẽ Dñi noſtri Ieſu Chriſti meditaret̃, & Martyrũ Victorias, ac Redẽptorũ ſpoliationes, carcerationes, & occiſiones ad memoriã reuocaret, ob amorẽ Dei, ad Fratrũ ſuorũ imitationẽ, pro afflictis Captiuis animã ſuã ponere exoptabat. Hac de cauſa libẽti aĩo munus Redẽptionis ſibi a Capitulo iniũctũ ſuſcepit, & hoc An. 1284. in 1284. vnã Gotholanę nationis nauiculã aſcẽdit. Sed dũ Tunetũ (ſaluo cõductu obtẽto) adire fęſtinat, ĩ Ligures, ſeu Genuẽſes incidit Pyratas, q̃ ea tẽpeſtate potẽtes erãt, & mari dominabant̃. Hi igit̃ Genuẽſes rogati, & vocati nauigationẽ ſuã Hiſpaniã verſus tẽdebãt, ad fauorem Alphõſi Caſtellę Regis, cõtra filiũ ſuũ Sanctiũ. Sed in his nauibus, & Triremibus Genuẽſes milites alias Barbaras, & Infideles nationes valde crudeles, & inhumanas ſecũ adducebant. In
E iſtorũ igit̃ Pyratarũ, & Infideliũ manus S. Vir incidit, q ĩ vindictã Gotholanę Gẽtis, & Hiſpanię Citerioris, (a qua ſępe fuerãt vexati) ipſos nautas, & nauigãtes trucidarũt, & eorũ bona ſurripuerũt. Sãctũ vero Fr. Petrũ Camini natione Gallũ, bonis sãctę redẽptionis ſpoliarũt, & nihil de Perſona curãtes, eũ liberũ abire p̃miſerũt. Sed Infideles Barbari eorũ amici, & Chriſti Inimici in rabiẽ, & vilipẽdiũ Romanæ Eccleſię, & Crucis Sãctæ quã Redẽptor ĩ pectore geſtabat; foſſam in agro fecerũt, in qua S. Virũ veſtibus oĩbus denudatũ, & vſq. ad mediũ corporis ſepultũ, & ſeptũ, a tergo fortiter manibus ligatũ, arundinibus acuminatis punctim percutiebant. In quo in audito martyrio, Chriſti miles conſtanti, & forti animo animam ſuam puro corde Domino Commendabat, & pro Captiuis orabat. Sed q̃ dum ſic orat lacrymoſis oculis cęlum reſpiciebat, Tyranni crudeles ne tali aſpectu eos ad compationẽ cõmoueret, &

P 2 ne

ne cœlum videret, super supplicia, supplicia crudeliora addentes, oculos eius eruerunt. A
Quo non contenti vsque ad auroram ad maiorem inhumanitatem, vitam eius, arundinum ictibus, & puncturis protraxerunt, & produxerunt. Sed aduentante iā aurora Tyranni, & Carnifices torquendo, & malefaciendo defessi, vitæ eius finem imponere decernentes, caput eius acuto ense amputarunt. Et sine meritò, & absq; miraculo effecerunt, quòd ille homo cæcus, subito videret clare, perfecte, & facie ad faciem cęlos apertos, & gloriam Dei.
Petrus Cixar De hoc Sanctissimo Viro agunt nostri Ordinis scriptores, præsertim Fr. Petrus Cixar Commendator Cæsaraugustanus doctor grauissimus, & historiographus veridicus.

Hoc eodem Anno in Ciuitate Ispalensi patria mea obijt Alphonsus Rex Castellæ, eius nominis decimus cognomento sapiens; cui successit filius eius Sanctius quartus, non de iure, sed vi, & de facto. Nam regnum attinebat ad Alphonsum dela Cerda, qui erat nepos pręfati Alphonsi Regis, hoc anno defuncti, legitimo matrimonio natus, ex Ferdinando Principe, primogenito dicti Alphonsi Decimi. B

Commendatores Monasteriorum Ispalis, & Cordubæ, (quorum nomina Codices antiqui non exprimunt) hoc Anno 1285. a Capitulo Prouinciali Redemptores deputati, ingentes asportantes pecunias, in Africam profecti, ex regno Marrochij ducentos, & quindecim Christianos redemerunt, fauore, & industria cuiusdam nobilissimi Hispani, domini Alphonsi de Gusman, qui apud Barbaros in magna erat æstimatione, & pretio.

1285. (beside "qui non exprimunt")
Liberati 215

Martinus Papa IIII. (quem alij non quartum, sed secundum appellant) lenta febri sensim vexatus 4. Cal. Aprilis huius Anni 1285. Sanctissimè obijt, plurimis post mortem miraculis illustratus. Quo defuncto Cardinales Perusij remanentes in summum Pontificem elegerunt 4. nonas Aprilis Iacobum Sabellum Patria Romanum, Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin; qui Honorius IIII. appellari voluit. Sedit annos duos, & totidem dies. Nihil boni Ordini nostro fecit (quod ego sciam.) C

1285. (beside "sim vexatus")

Eodem Anno męsta erat nimis, lugubriq; superinduta veste, principalior Europæ pars, subsecuto trium potentissimorum, & Christianorum Regum obitu; scilicet Caroli Neapolitani, Fogiæ in Apulia decedentis, & Caroli Gallorum Regis Perpiniani defuncti, & deniq; Petri Aragonum Regis huius nominis tertij, nostri Ordinis Protectoris; cuius mors in Hispania, & in tota Sicilia multis fuit lacrymis deplorata. Reliquit quatuor filios, & duas filias, Alphonsum natu maiorem, qui Patri in Aragonum regno successit; & Iacobum Sicilię Regem, Federicum, qui in Sicilia etiam regnauit, & Petrum, qui vitam priuatam sine regimine duxit, Elisabetham Portugalliæ reginam, & Violantem, quæ nupsit Roberto Regi Neapolis.

Præfati Redemptores, & Commendatores Ispalis, & Cordubæ, (de quibus nuper egimus,) ducentes suos iam redemptos Christianos, plurimas in Vandalia collegerunt, & receperunt elemosynas, & omnes tàm Ecclesiastici, quàm seculares Principes quà transibant, opus laudabant, Redemptores fauoribus afficiebant, & Captiuos reficiebant, & induebant. Sed generosa manus, benignitas, & charitas Reuerendissimi Domini Paschasij Episcopi Cordubensis maximè resplenduit, qui speciales Personas deputauit, quæ Redemptorem per vrbem comitarentur, & suo nomine, Christi fideles ad porrigendas elemosynas hortarentur. Insuper bullas nostri Ordinis, quas Commendator eius Ciuitatis secum asportabat, legere, & perlegere voluit. Et attente considerans summorum Pontificum pręsertim Alexandri IV. erga Ordinem nostrum speciales fauores, & peculiares gratias, indulta, & priuilegia, ea omnia vt nota essent omnibus hominibus, in auctenticam formam transsumi fecit, & plurima transsumpta expediri mandauit. Sub datum Cordubæ die 1. Se-
1286. ptembris huius Anni 1286. Quo non contentus suas fauorabiles, & commendatitias literas Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & suæ Diœcesis Rectoribus misit, vt Redemptionis operi pro viribus fauerent. Et vt præberet exemplum, & Populum suum signo efficaci doceret, in die fęsto Decollationis S. Ioan. Baptistæ in Ecclesia maiori Cordubę solemnia celebrando, fecit dictas Alexandri Papæ bullas publice coram se legi. Et cum peruentum est ad illum locum, & ad illa summi Pontificis imperatiua verba (*facite elemosynam;*) legenti bullas silentium imposuit. Et aperiens os suum, breuem ad populum circa elemosynæ commendationem, & nostri Ordinis institutum, habuit concionem. Et vt bonus Pastor, & magnificus Prælatus fecit, & docuit, & ante omnes, prius ipse largam erogauit elemosynam. Quo eximio, & optimo exemplo Parrochiani Commoti suas similiter elemosynas libenter fecerunt. Deinde post hanc ceremoniā, Redemptorē in pace dimisit, eiq; præfata transsumpta, & cōmendationis literas consignauit, vt per totā Diœcesim publicarentur.

Per

A Per hęc eadem tempora, Prouincia Cathaloniæ, sui instituti non oblita, ad munus Redemptionis deputauit Religiosissimum Virum Fr. Arnaldum Rusygnoli, qui post ingentes labores, discrimina & maris pericula, ex Tuneti regno 128. Christianos redemit, eosque Barcinonam deduxit, & perfectæ libertati restituit. Liberati 128

Honorius Papa IV. Inculpabilis vitæ, & Christianæ Religionis mirificus cultor, Romæ obijt 3. nonas Aprilis huius Anni 1287. vacauit Romana Sedes menses decem, & dies 18.

Eodem Anno Fr. Iacobus Larensis ex Castella, & Fr. Leander Nebrisensis ex Vandalia Redemptores ingentibus elemosynis, ac donis anno præterito aggregatis, & receptis ex Granatæ regno 180 Christi fideles redemerunt. 1287. Liberati 180

Defuncto Honorio Papa IIII. Cardinales Romæ Congregati acerrimarum contétionum occasione, & ęstiui caloris causa, noui Pontificis electionem vsque ad octauum diem Calend. Martij protraxerunt. Quo die in summum Pontificem elegerunt Fr. Hieronymum Asculanum Pilenum, quondam Ordinis minorum Generalem, qui Nicolaus Papa IV. appellari voluit. B

Hic summus Pontifex in minoribus Constitutus, nostrum Ordinem, & eius Institutum condecorare solebat; & semper memoria retinebat famosas Redemptiones, quas proprijs oculis per Fratres nostros in Hispania fieri, viderat, dum Generalis Minister sui Ordinis, & Gregorij Papæ X. Apostolicus Legatus pacem inter Reges Hispaniæ componit. Ob id modò summus Pontifex creatus, & Nicolai III. imitator effectus, in cuius gratiam, & memoriam eo quod ab eo fuerat Cardinalis creatus, Nicolai IV. nomen assumpserat, voluit sui prædecessoris Nicolai III. bullam, ad nostrum fauorem, & Redemptionis vtilitatem, cōcessam, videlicet de liberatione aĩarũ Patris, & Matris, ampliare, & extendere ad spiritualē Benefactorum salutem; ordinando, quod si de peccatis suis corde cōtriti, & ore confessi fuerint, confessor electus possit eos ab omnibus peccatis suis semel in vita, & in mortis articulo absoluere. Cuius Bullæ narratiuam, quia valde fauorabilis est hic inserere decreui; quæ est tenoris sequentis. Cum Magister Generalis, & Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Christianorum pro redimendis Captiuis de manibus Saracenorũ, in agro militantis Ecclesiæ laborent quotidie; ponendo corpora sua in periculo mortis; & cum sint propter paupertatem gentium in magna indigentia constituti; ideo postulant magnum auxilium; quia sine magno adiutorio, non possunt dictos Captiuos de manibus Saracenorum liberare. Ergo iustum est, & ex debito vnusquisq; tenetur, in hac pia elemosyna subuenire. Quoniam nos volumus per istam elemosynam, res Ecclesiasticas alienare. Et non solum bona temporalia, & spiritualia, sed etiam Personas proprias (si necesse fuerit.) Quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Quia magna necessitas magnum requirit auxilium. Et vbi sunt maiores necessitates, ibi maiora suffragia debent ministrari, &cæt. Sub datum Viterbij nonas Augusti sui Pontific. anno primo. C 1288. D

Fr. Emanuel Alburqueq; Eques laicus, nobilissimus nostri Ordinis Frater, Vallisoleti natus, genere, & prosapia Lusitanus, Redemptor deputatus, Marrochium cum suo socio ad opus suum explendum, profectus est. Et coram Iuzepho in illis partibus Rege comparuit eiq; præsentauit ex parte Ordinis nonnulla munera, ac Regis Sanctij valde fauorabiles literas, in quibus Catholicus Rex nobilem Redemptoris personam Mauro Regi commendabat, suumque consanguineum esse affirmabat. Ob id Frater noster Emanuel gratiam, & fauorem in oculis Iuzephi Mauritani Regis adinuenit, & a misera Captiuitate 126. Captiuos Christianos redemit. Quos hoc Anno 1289. Incolumes in Hispaniam reduxit. 1289. Liberati 126

Fr. Arnaldus Limbertius Barcinonæ Prior. Vir sanè eo munere dignus, tanta illi comitas, & tanta erga omnes etiam Mauros fuit ei beneuolentia, & gratiositas, vt omnes eum maximè percolerent. Per annos quindecim summa laude eam primam nostri Ordinis domum fructuose rexit. Sed deniq; virtutibus plenus, & sanctis operibus clarus, bona opinione de se relicta, migrauit ad Dominum, qui fecit eum. E

Post ob tum Prioris Barcinonæ Magister Ordinis Conuocauit Definitores ad nouam Prioris electionē, de quorum vnanimi consensu, in Priorem elegit Fr. Gulielmum de Isona virum prudentem sui Ordinis valde studiosum, qui multa bona non solum Barcinonæ, sed etiam in alijs Ordinis Cœnobijs fecit. Vixit in Prioratu vsque ad annum 1302.

Alphonsus Aragonum Rex nostri Ordinis Protector nouo Barcinonæ Priori plures elemosynas pro fabrica, & pro Ecclesiæ cultu, & Sacristiæ ornatu, qui erat valde liberalis, & magnanimus ingenua manu erogauit. Sed dona, & munera, quæ pro redimendis Christi fi- 1290.

delibus

delibus hoc anno largitus est, fuerunt in magno numero, & valore. A

1291. Hoc Anno 1291. Magister Ordinis Capitulum Generale celebrauit Ilerdæ, quarto nonas Maij. Vbi fuit decretum, quod nullus Commendator fratribus suis posset licentiam Ordines Sacros recipiendi concedere; Sed ad solum Barcinonæ Priorem eam dandi munus attineret. Possent tamen Commendatores, & Vicarij perpetui, subditis suis professis, largiri licentias, quibus ad primam tonsuram, & quatuor Ordines minores promoueri valerēt.

Alphonsus Aragonum Rex, eius nominis secundus, Vir valde bonus, & rectus, cui duo cognomina castitatis, & liberalitatis fuerunt meritò sibi imposita, in ipso iuuentutis flore Barcinonę obijt, anno suæ ętatis vigesimo septimo, & anno Domini 1291. Cui in Aragoniæ regno successit, Frater eius Iacobus Siciliæ Rex, & ob id Fridericus Frater Minor, Rex in regno Siciliæ acclamatus est.

Nicolaus Papa IV. postquàm Generali prohibitione (ad euitanda plurima damna, & scandala, quæ veris pauperibus euenire poterant) præceperat, ne Religiones, & aliæ Ecclesię elemosynas peterent; dat specialem facultatem nostro Ordini, vtpotè eximio redemptionis operi intendenti, quascunq; elemosynas liberè, & sine impedimento petendi. Sub datum apud Vrbem veterem idibus Iunij sui Pontificatus an. 4. B

1291. Idem Pontifex in alia bulla, exhortatur omnes in Domino, & in remissionem peccatorum iniungit omnibus Christi fidelibus, quatenus de bonis suis a Deo collatis, pias ad hoc redemptionis opus, elemosynas erogent. Et benefactoribus vnum annum, & quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs misericorditer relaxat. Sub datum apud Vrbem veterem idibus Iulij sui Pontif. an. 4.

Deinde cum ex parte nostri Generalis Magistri fuisset suæ sanctitati conquestio exhibita, quod nonnulli operarij ad fabricas Secularium Ecclesiarum deputati, partem elemosynarum quas nostri Fratres, vel Nuntij nostri pro redimendis Captiuis colligebant, indebite exigere, & extorquere non verebantur; summus Pontifex Nicolaus suas Apostolicas literas dirigendo vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Rectoribus in hæc prorupit verba. Non possumus non turbari, cum aliqui corde peruersi, elemosynas, quas idem Prior, & Fratres, vel eorum Nuntij pro redemptione Captiuorum acquirunt, eis malitiosè surripiunt, vel defraudant. Quod districte inhibemus, &c. Sub datum apud vrbem veterem 12. Cal. Augusti anno sui Pontif. 4. C

Eodem anno, & mense sequenti idem Pontifex ad supplicationem Generalis Magistri attendens nostros Fratres (vt ipse ait) se ipsos, & bona omnia, quæ habent, pro liberatione Christianorum, studio solicito, ac libenter erogasse, dignum reputauit, pecunias, terras, possessiones, & alia bona, quæ generaliter pro huiusmodi redemptione facienda, a Christi fidelibus relinquntur, (etiam si nulla de religione nostra fieret mentio) Generali Magistro, & Fratribus nostris fore exhibenda, & tradenda. (Exceptis illis bonis, quæ particulariter nominatis, & expressis personis in Captiuitate detentis, dimissa esse noscuntur.) Et vt suæ Sanctitatis sana intentio debitum sortiatur effectum, deputat in Iudicem conseruatorem, Cæsaraugustanum Antistitem. Cui præcipit stricte, vt per se, vel alium, seu alios faciat supradicta adimpleri; Compellendo monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita omnes, & quoscunque dictorum bonorum detentores. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, si in literis Apostolicis non fiat de huiusmodi indulto plena, & expressa mentio Neq; obstante similiter quacunq; Indulgentia Sedis Apostolicæ cuiuscunque tenoris existat; quæ non possit impedire, vel differre pręsentium literarum effectum; nisi fiat specialis mentio de verbo ad verbum de hoc toto tenore. Sub datum apud Vrbem Veterem nonis Augusti sui Pontif. an 4. D

Idem Pontifex eodem mense, & anno ad supplicationem Generalis Magistri omnes nostras Ecclesias, & domos cum terris suis, vineis, possessionibus, pratis, nemoribus, molendinis, vsuagijs, pasquis, & alijs quibuscunq; bonis, quæ noster Ordo, tunc iustè, & canonicè possidebat, aut in futurum Concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis adipisci contigerit, quorū maiora, & principaliora in hac bulla, (quæ perlonga est) proprijs vocabulis, & nominibus exprimuntur, & nominantur sub B. Petri, & sua Apostolica protectione suscipit. Concedit etiam quod noualium nostrorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colimus, seu de animalium nostrorum nutrimentis nullus a nobis Decimas exigere, vel extorquere pręsumat. Quod liceat nobis Clericos, vel Laicos a sęculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque E

con-

A contradictione aliqua retinere. Et quod quando interdictum in aliqua terra fuerit, liceat nobis (clausis ianuis, Personis interdictis, vel excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce) officia diuina celebrare, (dû modò nostri Fratres caussam interdicto nō dederit.) Quod nullus infra Parrochiæ nostræ fines sine assensu Diœcesani Episcopi, & nostro, Capellam, seu Oratoriū de nouo extruere audeat, (saluis semper priuilegijs Romanorum Pontificum.) Nouas etiam, atq; indebitas exactiones ab Archiepisc. Episcopis, & ab alijs Ecclesiasticis, seu Secularibus personis exigi prohibet. Quod nullus obsistat deuotioni, vel extremæ voluntati illorum, qui in nostris Ecclesijs sepelliri deliberauerint. Quod infra clausuram locorum, seu Grangiarum nostri Ordinis, nullus hominem temerè capere, seu violentiam exercere audeat. Omnes immunitates, & libertates a suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus; neque non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel ab alijs fidelibus nostro Ordini rationabiliter indultas auctoritate Apostolica confirmat, & multa alia concedit. Sub datum vt supra. Hanc amplissimam bullam subsignarunt Sanctissimus Nicolaus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ioann. Cioletti Gallus Presbyt. Card. S. Ciciliæ, Prior Cardinalium Presbyterorum. Frater Mattheus de Aquasparta Tudertinæ Diœcesis Vmber, qui fuit duodecimus Minister Generalis Fratrum Minorum, Presbyter Card. S. Laurentij in Damaso. Et Frater Hugo de Billiomo Aluernus Diœcesis Claramontanæ, Gallus, Ordinis Prædicatorum, Presbyter Card. S. Sabinæ in qua Ecclesia iacet modo Sepultus. Petrus Peregrossus Mediolanensis Presbyter Card. S. Marci. Frater Latinus Malabranca Romanus Ordinis Prædicatorum, Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus. Gerardus Blancus Parmensis, Episcopus Sabinus. (Hunc Cardinalem nōnulla transsumpta etiam in forma auctentica, ad me ex Hispania transmissa, Bernardum Blancum appellant per errorem, & in curiam; constat enim (hoc summo Pontifice viuente) nullum Cardinalem fuisse nominatum Bernardum, pręter Episcopum Cardinalem Prænestinum, qui de mense Iunij in legatione Sicula iam obierat. Mattheus Rubeus Vrsinus Romanus, Diaconus Cardin. S. Mariæ in Porticu, qui erat Prior Diaconorum. Iacobus Columna Diaco. Card. S. Mariæ in Vialata. Benedictus Caietanus Diaco. Card. S. Nicolai ĩ Carcere Tulliano. Neapoleo Vrsinus Romanus de Monteiordano, Diac. Card. S. Adriani. Sub datum apud vrbem veterem die 22. Augusti.

Hanc bullam Generalis Magister fecit publicari in omnibus ciuitatibus, & locis Hispanię, & alibi. Quæ cum deuenisset, fuissetque consignata Commendatori Nostri Conuentus Valentiæ, lætatus est valde. Et statim comparuit coram Domino Petro Gamir officiali Generali; a quo petijt, vt in authenticam formam ex præfata bulla, aliqua transsumpta fieri iuberet. Qui Commendatoris petitioni acquiescens, petita transsumpta, & copias fieri iussit, tertio nonas Nouembris eiusdem Anni 1291. Pręsentibus Guhelmo de Vernet- 1291

D to, & Nicolao de Podio, publicis Notarijs dictæ Ciuitatis Valentiæ. Qua Generalis Magistri Solertia, & diligentia, ingentes noster Ordo aggregauit pecuniarum summas.

Sanctissimus Nicolaus Papa IIII. obijt hoc Anno 1292. pridie nonas Aprilis in Vrbe Romana. Cuius corpus fuit in Ecclesia S. Mariæ Maioris sepultum. Vacauit Romana Sedes annos duos, menses tres, & dies duos. 1292.

Cap. XXXV. Qualiter duo Redemptores a Pyratis spoliantur, alij duo martyrio coronantur. Cælestinus Papa V. creatur. Cui Papatu se abdicanti succedit Bonifac. VIII. lis Barcinonæ terminatur, & Quartus Magister Sanctè obijt.

E PROCVRATORES Redemptionis ingentem elemosynarum, & donorū copiam, ac etiam legatorum in vniuersa Hispania, Gallia, & alijs Christiani orbis partibus collegerunt. Quæ Redemptoribus deputatis fuerunt consignata, vt cum Dei benedictione sua munera explerent. Frater Ægidius Marcus, & Fr. Isidorus Martinez pro Castella, & Bæthica Redemptores in partibus Vandaliæ de Maurorum manibus 113. Christianos redemerunt, & perfectæ libertati donarunt. *Liberati 113*

Non sic fœliciter, & fructuosè Redemptores Galli (quorum nomina antiquæ historiæ nō exprimunt.) Tunetum quippe adeuntes, a Mauris Pyratis spoliati, nudi, & viui relicti sunt. Quo Nuncio noster Ordo maximo mœrore affectus est, non tam pro pecuniarum amissione,

fione, & illata in Redemptores iniuria, fed pro euidenti, in quo Chriſtiani Captiui verſa- A
bantur periculo. Acerbiſſimus igitur Nuncius eius euentus excruciauit afflictos Captiuos, qui propediem ſuam liberationem expectabant, & de vicino Redemptorum aduentu læti erant. Pro quorum conſolatione, & vt eos in veræ fidei conſtantia, & perſeuerantia ſolidarent, & bonæ ſpei plenos redderent, miſſi ſunt duo Redemptores, Fr. Antonius Valetius natione Ligur, & Fr. Matthias Marcus Tholoſanus cum nõnullis bonis, & paucis pecunijs, quæ præ manibus (iuxta temporis anguſtiam) haberi potuerunt, ea intentione, vt quamprimùm ad eos ſummo ſtudio collectæ per Monaſteria pecuniæ tranſmitterentur. Nauigationem igitur ſurripuerunt; & cogitantes aliò ire, ad Tuneti Ciuitatem peruenerunt. Vbi Chriſtianos afflictos conſolatorijs verbis recrearunt, & refocillarũt. Quod Mauri egrè ferentes, & Redemptores noſtros ſine mercibus, & paucis pecunijs inuentos, quod eſſent exploratores, & ad explorandum miſſi, crediderunt. Et nulla alia, quam ea ſua falſa cogitatione præcedente, eos mortis reos iudicarunt, & condemnarunt. Fratrem Antoniũ Va- B
letium ætate Grandeuũ Puerorum poteſtati tradiderunt; qui dũ ſuis debilibus viribus martyrium differunt, & elongant, tormenta, & cruciatus in martyre augent. Non enim vna vel altera percuſſione, ſed innumerabilibus lapidum ictibus ab immenſo Puerorum numero inflictis, martyrium hic Sanctus Chriſti miles conſumauit. Fratrem Vero Matthiam Marcum prius fuſtibus crudeles miniſtri diuerberarunt; deinde extra ciuitatem delatus, inhumaniter ex alto monte fuit præcipitatus. Ex vetuſtis Barcinonæ codicibus, & nonnullis noſtri ordinis auctoribus. (licet aliqui credant non Tuneti, ſed alibi eos fuiſſe paſſos.)

1294. Cardinales numero vndecim, pro nouo, & Nicolai IIII. ſucceſſore creando Peruſiam profecti, neq. precibus, neq. minis in aliquo ex eis ipſis Cardinali conuenire volebant; quia vnuſquiſq; Cathedra diui Petri dignus reputabatur, in eaq. ſedere appetebat, & ſic alteri cedere, aut ſuffragari viribus, & poſſe recuſabat. Et ob id vſq. ad nonas Iunij huius anni 1294 ſua Comitia diſtulerunt. Quo die omnes Cardinales (nemine dempto) ſua ſuffragia dederunt Petro de Murone, Viro ſanctiſſimo, vitam eremiticam cum ſocijs ſuis in eremo extra C
hominum commertium agenti. Cuius Sanctitatis rumor totam Italiam repleuerat. Ad quem cum ſuæ creationis nuntius fuiſſet delatus, triſtatus eſt valde, & quid faceret neſciebat. Si hanc dignitatem (dicebat) meis viribus imparem amplector, & admitto, atq. infinitarum animarum curam, & ſolicitudinem meis debilibus humeris impono, ſolitariam vitam, & cęleſtem, qua ſoli Deo ſeruire, & animæ meæ, ac paucorum ſociorum ſaluti vacare ſoleo penitus relinquo. Si autem electionem de me factam (nihil me cogitante, & pro me, nemine procurante) aſpernor, ſpiritus ſancti vocationi, qui me ad ſummum Apoſtolatum ſola gratia ſua vocare dignatus eſt, reſiſtere videor. Sed tandem precibus multorum Principum præſertim Caroli Regis, & latini Malabranca Cardinalis digniſſimi, electioni cõ ſenſit, & vitam eremiticam cum magno ſui animi dolore reliquit, & Cœleſtinus V. appellari voluit. Sed poſtquam Eccleſiam Dei rexerat menſibus quinque, & diebus ſeptem, voluit Neapoli publicum habere conſiſtorium. In quo motus (vt ipſe dicebat) ex legitimis D
cauſſis, & vt præteritę conſolationis vitæ poſſet reparare quietem, ſpontè, & liberè Papatui ceſſit, & huic ſupremæ in terris dignitati renunciauit, dans Cardinalibus liberam facultatem, vt nouum elegerent Pontificem, (magno humilitatis, & ſanctitatis de ſe exemplo relicto.) Sed Deus omnipotens, qui humilia reſpicit, & exaltat humiles, exaltauit illum etiam in terris. Nam poſt paucos annos a Clemente Papa V. in Sanctorum Confeſſorum numero fuit ſolemniſsimè, ſub nomine Sancti Petri de Murone repoſitus. Hic Summus Pontifex nulla priuilegia, aut gratias (quod ego ſciam) Ordini noſtro conceſſit.

1294. Poſt Cœleſtini V. ceſſionem, & renunciationem fuit ad ſummum Pontificatum aſſumptus Neapoli 9. Cal. Ianuarij 1294. Benedictus Caietanus Anagninus, Cardinalis Sanctorum Silueſtri, & Martini in montibus, qui Bonifacius octauus appellari voluit. Sedit annos 8. menſes 9. & dies 28. obijt in Palatio Vaticano 4. idus Octobr. an. 1303, & in Ec- E
cleſia S. Petri ſepulchro marmoreo humatus. Cuius corpus in Pontificatu Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli V. integrum fuiſſe repertum cum annulo, mitra, & pontificalibus veſti-
1295. bus, & indumentis, communiter ferebatur, vt cito videbimus.

Hoc Anno 1295. 7. Cal. Maij Toleti diſceſſit Sanctius Caſtellæ Rex eius nominis IV. cui ſucceſſit eius filius Ferdinandus IV. Sed hic aduertere oportet Sanctium Regem plurima priuilegia noſtro Ordini conceſſiſſe, quæ in authentica forma haberi non potuerunt. Fit tamen de eis expreſſa mentio, in priuilegijs a Ferdinando eius filio, ad fauorem noſtri Ordinis conceſſis.

Eo

A Eodem Anno Fr. Dionysius Ronæus Gallus, & Fr. Vincentius Pradensis Gotholanus Redemptores electi, ex Sardiniæ regno redemerunt 97. Christi fideles, in quo redemptionis munere plurimos perpessi sunt labores, & euidentia mortis pericula. Nam Saraceni eius Regni putantes eos fuisse a Rege nostro Iacobo ad explorandum missos, carceribus mancipari iusserunt, & morte dignos iudicarunt. Sed veritate explorata, & detecta cum præfatis Captiuis eos liberos abire in Hispaniam permiserunt. Liberati 97.

Magna lis orta erat inter Fr. Guilelmum de Issona Barcinonæ Priorem, & Magistrum Petrum Michaelem, bona eius monasterij occupantem, & fratribus inuitis retinentem. Et licet præfatus Prior ad ecclesiasticas, & seculares personas contra dictum magistrum Michaelem, recursum haberet, sententiam fauorabilem obtinere non potuit, quia aduersarius diuitijs affluebat, & gratia apud Iudices valebat. Obid hoc anno Prior ad curiam Romanam specialem Procuratorem destinauit. 1296.

B Ne deinceps nos, sicut multi nostri Ordinis Fratres in errore versemur, aliosque in errorem incidere faciamus; hic aduertere voluimus; inter Romanos Pontifices, qui Bonifacij nomen sumpserunt, fuisse Bonifacium VIII. primum Pontificem, qui nostro Ordinis bullas concessit. Vnde transsumpta, & copiæ bullarum etiam in forma autentica sub nomine Bonifacij Quarti, & Bonifacij Quinti notabilem, & intolerabilem continent errorem in numero Pontificis. Nam Bonifacius Papa IIII. cæpit ecclesiam Dei regere anno Domini 606. & Bonifacius Quintus anno Domini 617. per quamplures annos, antequam noster ordo institueretur. Ex quo infero præfata transsumpta fuisse non Bonifacij Quarti, neque Bonifacij Quinti, sed Bonifacij Octaui, aut noni. Ob id benignus lector non superfluum aut inane iudicabit, quod in hac nostra Chronica ad maiorem eius fidelitatem, & veritatem, mentionem faciamus de Summorum Pontificum creationibus, & Regum successionibus, & sublimationibus.

C Bonifacius Papa Octauus ad supplicationem Generalis Magistri præcipit omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & alijs ecclesiarum Prælatis in vniuerso constitutis, ad instar Innocentij Quarti, & aliorum prædecessorum suorum; quod suis subditis sub pæna officij, & beneficij iniungant, vt fratres nostros prædicare, & elemosynas quærere pro redemptionis opere, sine aliqua contradictione permittant.

Mandat etiam sanctitas sua, quod quando fratres nostri, apud dictos Prælatos ecclesiasticos, quærimoniam deposuerint, videlicet quod hæredes seu curatores dare, & exhibere contradicunt bona, & legata, quæ a suis Parrochianis in testamento fuerant nostro Ordini relicta; Tunc si ita esse constiterit, debeant ipsi ecclesiarum superiores dictos hæredes vel curatores districtius compellere ad soluenda, quæ ordini nostro fuerint in testamento relicta, (omni malitiosa dilatione, & appellatione cessante. Sub datum apud vrbem veterem

D idibus Octobris ann. sui Pontif. tertio.

Magnam apud Summum Pontificem, noster Rex Iacobus eius nominis secundus, gratiam adinuenerat. Cui sua sanctitas inuestituram Regni Sardiniæ, & Corsicæ, quæ à Mauris possidebantur concessit. Et ad preces per suum regium oratorem porrectas, bullam valde fauorabilem nostro Ordini concessit. In qua multis scripturæ sacræ locis monet, & hortatur omnes Christi fideles, ad erogandas elemosynas pro liberandis Captiuis. Et omnes huius sancti operis benefactores, qui annuatim miseris Captiuis subuenerint, septimam partem pœnitentiæ iniunctæ relaxat. Et statuit, quod nostris confratribus, (si eos mori contigerit) ecclesiastica sepultura non negetur, in ecclesijs interdictis. Et quod fratribus, & nuntijs nostris, in ciuitates, Castella, & loca interdicta ad colligendas elemosynas missis, in eorum iucundo aduentu ecclesiæ aperiantur. Sub datum apud vrbem veterem 13. Calen. nouembris an. sui Pontif. tertio. 1297.

E Præfatus Petrus Michael Gotholanus hoc anno 1298. rogatus, & sæpe instatus a Barcinonæ Priore, vt amicabiliter bona ablata restitueret nostro Monasterio, voluit contra Deum, contra ius, & suam propriam conscientiam indebite retinere. Vnde Procurator a Priore missus coram sanctissimo comparuit, eique quærelam contra dictum detentorem porrexit; ad cuius supplicantis instantiam, bullam amplam, & valde fauorabilem Iudices conseruatores contra præfatum Michaelem deputando, concessit. Sub datum Romæ in palatio Lateranensi, Calend. Ianuarij Sui Pontificatus anno Quarto. 1298

Idem Summus Pontifex Bonifacius VIII. Concessit hoc anno 1299. aliam bullam tenoris sequentis. Dilectis filijs Magistro, & fratribus domus Sanctæ Mariæ Barcino- 1299.

cinonensis de Misericordia Captiuorum, Ordinis Sancti Augustini, salutem, & Aposto- A
licam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum in quo sub communi vita degitis, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis (præstante domino) poteritis adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Sub datum Laterani nonis Martij Pontif. nostri anno quinto.

Reuerendus in Christo Pater, & Dominus Fr. Bernardus bonæ memoriæ Barcinonæ Episcopus, in lite superioribus annis mota, inter Rectorem Parrochialis ecclesiæ Sancti Iusti ex vna parte; & priorem, & fratres nostri Conuentus eiusdem Ciuitatis ex alia, deputauerat, & creauerat Iudicem delegatum Dominum Raymundum Amilij Barcinonæ Canonicum, qui tulit sententiam intolerabilem, & iniustam aduersantem, B
& repugnantem operi Redemptionis; contra immunitatem, honestatem, decorem, & vtilitatem eius monasterij: immo expresse contra summorum Pontificum bullas. A qua sententia Barcinonæ Prior appellauit. Et cum tunc quàm plurimis, & grauibus Ordinis negotijs esset occupatus; ne ex hoc, damnum suo Monasterio euenire posset; ad prosequendam litem, & appellationem deputauit in suum Procuratorem, solertem, & diligentem virum Fratr. Berengarium Martini, nostri Ordinis professum. Sed quia durante appellatione plurima ex vna, & altera parte sequebantur damna, & mala; decreuerunt partes, aliquod salutare adhibere remedium. Et sic Berengarius de Castelletto Rector Sancti Iusti, & Fr. Guilelmus de Issona, seu eius Procurator amicabiliter in Iudicem Arbitrum, Arbitratorem, laudatorem, & amicabilem compositorem deputarunt Reuerendissimum Dominum Pontium de Gualua Dei gratia Episcopum electum Ecclesiæ Barcinonæ, in eum compromittentes sub pœna 1000. C
Solidorum de stando iuri, & quicquid iudicatum fuerit, exequendo, & soluendo. Episcopus igitur ambarum partium iuribus auditis, & diligenter examinatis, dixit, voluit, ordinauit, sententialiter definiuit, & ordinando decreuit, quod perpetuis futuris temporibus Prior, & fratres nostri dicti monasterij teneantur singulis annis soluere Rectori sancti Iusti quadringentorum Solidorum summam, tribus solutionibus, quibus dictus Rector sit contentus, & nihil aliud petere possit. Et Prior, & fratres quacumque alia solutione, & pensione liberi, & franchi pœnitus remaneant. Quam sententiam subscripserunt, & confirmarunt, Episcopus Barcinonæ. Venerab. Dom. D
Hugo de Cardona Archidiaconus Barcinonæ, & Patronus dictæ ecclesiæ sancti Iusti. Marcus de sancta Eugenia Barcinonæ Sacrista. Guilelmus de villa noua, Bernardus de Sarriano, Magister Arnaldus de Turre, Magister Guilelmus de Collelis, Bernardus de Sancto Eugenio, Humbertus de Cauro, Iacobus de Cauro, Iacobus de Olorda, Petrus de Pulcrouissu, Berengarius de Lancia, Delmatius de Marimundo, Berengarius de Nogaria, Berengarius de Bocegarijs, Guilelmus de Tarapha, Arnaldus de Castillone, Petrus Raymundi, Raymundus Borelli, Guilelmus de Podiatis, omnes dictæ ecclesiæ Canonici. Quam sententiam similiter subscripserunt Rector sancti Iusti, & Prior nostri Conuentus Fr. Guilelmus de Issona, Fr. Berengarius Martini, Fr. Guilelmus Geraldi, Fr. Petrus de Pratis, Frater Dominicus Petrus, Fr. Iacobus de Monte molino, &c.
1300. Sub datum Barcinonæ 4. Calen. Martij an. Domini 1300.

Liberati 187 Eodem anno 1300. Fr. Dominicus de sancto Petro, & Fr. Petrus de Alos, Vicarius perpetuus Podij Redemptores, ex Africæ partibus liberarunt 187. Captiuos Christianos, quos (Dei fauente gratia) Barcinonam adduxerunt, & perfectæ libertati donarunt. E

1301. Pacta Barcinonæ anno præterito illa amicabili pace, vnione, & compositione inter Rectorem sancti Iusti, & Priorem nostri Monasterij; facta est hoc anno 1301. in Monasterio Podij Valentiæ illa magna dissolutio, & separatio; ex qua in toto ordine ortæ sunt grauissimæ lites, rixæ, & plurimæ controuersiæ, de quibus suo loco dicemus. Vocamus dissolutionem, & separationem, mortem sanctissimi viri Generalis Magistri Fr. Petri Amerio, ipsi tamen laudabilem, amicabilem, & conformem disiunctionem. Voluit enim libenter (Vocante Deo) ad diuinam se conformare voluntatem. O beata anima quæ iure optimo Rector sancti Iusti dici potes, anima iusti, sedes sapientiæ, quæ vt recta a Deo, rectè carnem tuã rexisti, & domuisti, cũ qua in hac vita corruptibili militiam, rixam, & lites habuisti; sed modo in requie sempiterna collocata, speras in corpore, & in carne tua videre Deũ in beatitudine consum-

A consummata. Fuit hic quartus magister, valde immo in omnibus similis nostro Patriarchæ Petro Nolasco. Noster primus pater antequam transiret de hoc mundo ad patrem, & in fine vitæ suæ, voluit amicabiliter litem inter suum monasterium Barcinonæ, & Rectorem sancti iusti terminari, & finiri; idem magister Amerio voluit & procurauit; iam morti proximus. Primus magister fuit natione Gallus, Gallus & iste. Ille Petrus nomine; hic etiam vocabatur Petrus. Ille ordinem fundauit, & confirmari procurauit; iste totum ordinem reformauit, renouauit, constitutionibus vallauit, & plurimis Apostolicis bullis, & regalibus priuilegijs ditauit. Ille sanctissimè Ordinis regimen per annos 31. laudabiliter tenuit; hic per totidem annos ordinem sanctè, & prudenter gubernauit vt communis tenet opinio; quod affirmare non audeo. Ingentes in Saracenorum potestate perpessus est labores; & plures Redemptiones personaliter perfecit; (licet scriptores nostri non exprimant, vbi fuerit detentus, præter detentionem quam Granatæ
B passus est, neque minus omnes redemptiones, quas operatus est distinctè sed confuse enarrent. Pluries ordinem sine monasteriorum grauamine, & sine expensis visitauit, & reformauit, & ad verum religionis candorem redegit. His sanctis operibus, & longa ætate confectus, & propter assiduos labores orando, carnem suam disciplinis, & ieiunijs domando, & ægrotis ac aduenis personaliter inseruiendo, sarcinam corporis sui incuruatam, & faciem squalidam gestabat, & difficiliter sine baculo deambulare poterat. De eo antiquæ historiæ, & vetusti codices multa memoria digna testantur. Et inter alia eximia in oratione virtus eius maximè commendatur. Quadam die in vltramarinas partes cum suo socio ad redimendum cum proficisceretur, nauicula in qua vehebatur contrarijs ventis, & impetuosis procellis hinc inde agitata periclitabatur, mergique incipiebat. Vnde nautæ grauissimè afflicti conclamabant, & se Domino Deo, & Virgini Mariæ commendabant, & de appropinquante morte magno timore affecti ad virum Dei
C conuersi dicebant ei, ora pro nobis Pater, quia omnes perimus. Qui genuflexus (vt potuit) gratia Dei, sua feruenti oratione mare domuit, fluctus sedauit, tranquillitatem reddidit, & omnes lætitia repleuit. Qui in Hispaniam reuersi suis conciuibus Gotholanis quæ proprijs viderant oculis narrauerunt, & ex ea hora vsque ad mortem, & post mortem vt sanctus ab omnibus venerabatur. Die xi. S. Barnabæ Apostoli huius anni 1301. 1301.
in choro sacrum audiuit, & hora competenti Refectorio ad mensæ benedictionem interfuit, sed antequàm sumeret cibum, capitis dolore laborare cępit; vnde ieiunus ad cubiculum suum fuit delatus. Die sequenti duodecima Iunij, lenta febri corporis vires cum sanctus vir deficere præsentiret, & mortis horã appropinquare agnosceret, sacramenta Ecclesiæ instanter petijt, & deuotissimè suscepit. Et die sequenti sanctitatis odore de se relicto animam efflauit, quam (vt piè credimus) Angeli susceperunt. Tempore huius magistri valde Ordo noster fuit dilatatus in Gallia, Cathalonia, Aragonia, Castella, &
D Vandalia. Sua industria fundata fuerunt monasteria de lorca, Toleti, Vallisoleti, Genień, Burgeń, Domus de medina del campo, Domus Minoricæ in Balearibus insulis, & in eisdem insulis domus Sanctæ Mariæ de Podio, Domus Pauperum in Castro de Malauilla Rottherień diœcesis; & multa alia quæ breuitatis caussa omissa facimus. De hoc sancto magistro agunt nostri Ordinis scriptores, & inter beatos eum collocant, pręsertim magister Reuerendissimus Zumel, & magister Guimeran Episcopus de Xacca. Tempore sui magistratus in plurimis redemptionibus de potestate Inimicorum nostrorum liberati sunt 2369. Captiui Christiani. liberat. 1369

Cap. XXXVI. de Fratre Petro Formica, Quinto Generali Magistro, & de primo schismate Ordinis.

E

NONNVLLI nostri Ordinis auctores in historijs suis circa annos Generalatus Quarti Magistri inaduertenter errorem commiserunt, omnes tamen conueniunt in anno, quo fuit electus, & in annorum duratione asserentes; quod fuerit ad magistratum assumptus anno Domini 1272. & quod ordinem rexerit per annos triginta vnum. Dissentiunt tamen in fine idest in anno quo obierit,

nam aliqui eorum affirmant, non hoc anno 1301. Sed anno sequenti 1302. animam egisse; hac solum (meo videri) occasione ducti, quod tunc, & non hoc anno, erat trigesimus primus sui Generalatus annus. Sed nos nihil curantes, an sit trigesimus, vel trigesimus primus sui Generalatus annus, cõstantissime tenemus hoc anno 1301. Quartum magistrum obijsse; Quod manifeste ex sequentibus patebit, & ex auctenticis instrumentis, ac ex vita B Petri Formica Quinti Generalis magistri, quam modo narrare incipimus. A

1301.

Defuncto sancto viro Amerio Fr. Guilelmus de Issona Barcinonæ Prior, & Vicarius Generalis (magistratu vacante) ad nouam magistri electionem Barcinonæ faciendam, omnes electores côuocauit. At Fr. Petrus de Alos perpetuus Vicarius Podij regni Valentiæ, sanguine illustris, literarum scientia præstans, sed calidus, & astutus homo, suis etiam literis, & verbis electores Valentiæ, Castellæ, & Vandaliæ atraxit, detinuit, & impediuit, ne vlterius progrederentur, & ne prioris Barcinonæ iussa explerent. Et inter alia dicebat; ipsum Priorem contra laudabilem ordinis consuetudinem, vsque in eam diem seruatam, totis suis viribus intentasse, & procurasse, vt ad generalatus dignitatem ipse Prior, aut alius frater clericus, & sacerdos sibi amicus assumeretur. Quod facillimo negotio euenire, & contingere posset (eodem priore in capitulo prędidẽte.) Nostros igitur (dicebat) oculos aperiamus; ius & partem nostram defendamus. Non permittamus, quod fratres nostri clerici auferant a nobis magistratum, quem pacifice per annos 83. possedimus, & summa pace, & sanctè reximus. Sufficit eis prioratus Barcinonæ ad perniciem nostram in ordine introductus. Attendite, & videte quod si modò, non viriliter eis resistimus, & clericum fratrem assumi permittimus, Pulchritudo, splendor, decor, & nobilitas nostri ordinis, quibus semper floruit proculdubio decident, & peribunt. Clerico enim fratre ordinem gubernante, officia, dignitates, & commendas (nostris equitibus exclusis,) suis distribuet clericis. Quo dato (quod Deus auertat) non personæ nobiles, & illustri genere natæ, Sed ignobiles, & ex plebe ordinem nostrum ingredientur, quæ dominentur nobis. Imitamini (quæso) Illustrissimos, & nobilissimos Templariorum, Hospitalariorum, sancti Iacobi, Calatrauę, Alcantarię, & aliorum militares ordines; qui habentes pro instituto, & munere suo, vias, maria, ciuitates, & Christianorum loca, & terras a Pyratis, & a grassatoribus defendere, & tueri; seq; continuò corporeis laboribus exponere, suas dignitates, & officia fratribus clericis non conferunt; Sed paucos sacerdotes habent, pro missarum celebratione, & sacramentorum administratione. Sic noster ordo, (cuius munus principale est, Captiuos redimere, nauigare, ad vltra marinas partes transire, elemosynas petere,) vno vel altero sacerdote pro vna quaque domo, (qui spiritualia nobis præbeat) debet esse contentus. Non igitur fratres mei (si tranquillitatem, pacem, & ordinis splendorem cupitis) sinatis, & facultatem faciatis, quod ordinis magistratu clerici fratres potiantur. Hæc & similia verba Vicarius perpetuus Podij suis fratribus equitibus dicebat. At clericis, & sacerdotibus separatim aduocatis loquendo, plurimum de bona ęstimatione, & Prioris fama detrahere conabatur; vocando eum, hominem superbum, dignitatum amatorem, qui suo Prioratu non contentus, ad supremam ordinis dignitatem ascendere conabatur. Similiter eum appellat litigiosum, in litibus frequenter versatum; qui pro re etiam minima, non sine magnis expensis ordinem commouebat, & perturbabat. Propter has rationes, & manifestam Prioris violentiam & vim ac intentionem non bonam, licere vocalibus, & electoribus inferebat, non Barcinonæ, sed alibi vbi esset locus liber, & tutus sua comitia celebrare; vt vel sic electio non esset coacta, neque ad Prioris nutum, magnam cum Episcopo Barcinonæ necessitudinem habentis. Et sic pro celebrationis, & noui Generalis electionis loco obtulit electoribus domum suam S. Mariæ de Podio, quæ alijs commodior, & capacior erat. Placuit hic sermo multis electoribus, qui ibi remanere voluerunt. Alij vero Deum timentes, & iussis Prioris (vt fas erat) parere volentes, Barcinonam profecti, quæ Vicarius Podij, & sequaces eius parabant, & moliebantur Fratri Guilelmo de Issona Priori, & ordinis Vicario Generali retulerunt. Qui hoc nuntio tristatus est valde. Et vt tot malis in principio obstaret, duos honestos, & prudentes viros Fr. Dominicũ Periz ex Valentia, & Fr. Petrum Formica ex Castella oriundos, suos commissarios, & Procuratores ad Podij oppidum destinauit, cum patentibus literis, sua manu subscriptis sub datum Barcinonæ die
1301. 19. Septembris an. 1301. Fratri Petro de Alos directis. Quem hortabatur, ne in sua domo, electionem fieri permitteret, nec fauorem, auxilium, aut cõsilium electoribus daret. Et quod ipse cum electoribus ibi congregatis ad locum per suos Commissarios aut per alterum ipsorum eligendum, quibus insolidum suas vices committebat, accedere festinaret. In euentu tamen inobedientiæ Vicarium, & omnes electores non parentes grauissimis pœnis, &

censu-

A censuris innodabat. Quas literas Fr. Petrus Formica vnus ex commissarijs Vicario Podij præsentauit. Ipse vero monitis, & iussis eius acquiescere nolens, ad Summum Pontificem appellauit. Vt patet ex instrumento confecto per Bernardum de Vellachio publicum Valentiæ notarium, sub datum die 29. eiusdem mensis, & anni. (Stante igitur dicta appellatione) electores quorum maior pars erat fratrum equitum laicorum congregari in sua ecclesia permisit, ad nouam electionem faciendam. Cui electioni ipse Vicarius, vtpote eius domus superior, & Prælatus ordinarius præfuit. Et per vota secreta fuit eadem die sancti Michaelis electus Fr. Arnaldus Amer eques laicus. Quod videntes Commissarij, & Procuratores Prioris Barcinonæ, statim ab oppido Podij discesserunt, & Barcinonam venientes, id Priori significarunt. Qui præuidens ordinis diuisionē, & scandala, quæ oriri poterant, ingenti mœstitia fuit repletus, eo quod suo tempore primum in ordine schisma suscitaretur. Sed nolens animo cadere, cum electoribus, qui aderant, quorum maior pars erat fratrum clericorum ad verum magistrum & Prælatum eligendū, capitulum celebrare voluit, & pro celebrationis die decimā octauam octob. præfixit. Interim admonuit, & exorauit omnes, vt pro fęlici capituli directione orarent, & sacerdotes missas celebrarent. Hac igitur die media nocte ad matutinas horas (vt demore) surrexerunt omnes. Quibus deuote, attente, & solemniter decantatis, iterum Prior in principio orationis mentalis vrgentem, & præsentem necessitatem electoribus imposuit. Oratione finita, & facto signo a Prælato, (exclusis prius vocem non habētibus) electores sederunt. Tunc prior clara, & intelligibili voce constitutiones ordinis legi iussit, vt vnusquisque sciret, quid agere, quid tenere, & quid fugere deberet. Deinde in hæc prorupit verba. Patres, & Fratres in Christo dilectissimi ad laudem Dei, qui vos, & me audit, nosque omnes stricte iudicaturus est; & non ad inanem gloriam, coram vobis affirmare possum, supremā ordinis dignitatē pro me, aut pro aliquo mihi amico minime procurasse, sicut

C ipsi scitis. Prioratum similiter meis viribus imparem, non meo studio, aut industria, sed sola electione, & benignitate vestra sine meis meritis administrandum suscepi. Sed Prior effectus bona ordinis, & præcipuè huius domus (cuius cura specialiter est mihi demandata) tutari, defendere, & coram Iudicibus comparere, non mihi vitio ascribendum est. Legum & constitutionum nostrarum obseruantiam diligere, & exequi dignum, & iustum est. In illis cauetur, (vacante ordinis magistratu,) ad priorē pertinere, electores pro noua magistri electione conuocare, sicut feci; & Capitulo præesse, sicut modo facio; in quo, meo fungens iure, nemini præiudicium facio. Si autem concupiuerim, & eius mei desiderij signa aliqua foras emiserim, Quod ad magistratum Religiosus, clericus assumeretur, & ex hoc (vt audio) murmurationes forsan sint inter vos; hoc meum desiderium, & hanc voluntatem, intra cogitationum vestrarum arcana iustè iudicate; sine passione expendite, & absque affectione propria examinate. Quod si feceritis, inuenietis animi mei sententiam, vestræ non aduersari

D libertati, neq; vestræ liberæ eligendi facultati obstaculum ponere. Eligite ergò quem malueritis, siue clericum siue laicum. Solùm timete Deum, paci, & Religionis honori, ac Captiuorum commodo consulite. Vobis ante oculos propono, quod fratrem sacerdotem ad Generalatum assumi, non est contra nostras constitutiones, quas (data opera) coram vobis legi, & recitari volui. Insuper doleo vehementer quod nostrum ordinem, & eius institutum velint aliqui, militaribus Templariorum, hierosolymitanorum, & aliorum ordinibus comparare; cum ab eis valde differat. Nam licet noster ordo regius, & militaris sit, eius tamen essentiale, & intrinsecum ac proprium munus est, captiuos redimere. Et obid oportet fratres Redemptores esse sacerdotes, qui afflictorum Captiuorum cōfessiones audiant, & a peccatorum nexibus soluant. Similiter Redemptores non indoctos, sed scientia pręstantes, qui malitiosis infidelium argumentis, & falsis dogmatibus respondere sciant, eosque conuincere valeant, esse oportet. Procuratores similiter, & Redēptionis nuntios, maximè congruit

E esse verbi Dei Cōcionatores, qui in ciuitatibus, & locis competentem, & doctam ad populū ex sacræ scripturæ locis, & sanctorum patrum sententijs concionem habere, & Captiuorum miserias significare sciant. Quæ omnia ipsemet Generalis magister, qui suorum subditorum regula, & norma debet esse, ad inferiorum exemplum exequi tenetur. His & alijs prudenter dictis ad electionem deuentum est. Et regulatis, ac scrutatis fideliter electorum votis, fuit eadem die S. Lucæ Euangelistæ huius anni 1301. In magistrum electus sanctus, & innocens vir Fr. Petrus Formica ex regnis Castellæ aut Vandaliæ oriundus, in sacerdotali dignitate constitutus, exemplaris, & inculpatæ vitæ, ab infantia timens Deum. Quem Prior & definitores blanda, & amabili conditione præditum agnoscentes, ad tollendum in ordine schisma, & diuisionem, ac ad fratrum laicorum animos ad veram obedientiam, & pacem aliciendos 1301.

ciendos valde idoneum,& opportunum fore iudicarunt. Qui post electionem suam (vt bonum pastorem decet) cæpit suis iucundissimis literis Fr. Arnaldum Amer suum competitorem, & Vicarium Podij, ac alios fratres inobedientes ad suam obedientiam inuitare. Quæ nihil profuerunt. Imo quidam frater laicus ex prouincia Castellæ Procurator Fratris Arnaldi, cui nomen erat Frater Raymundus Destoles, de electione Barcinonæ facta, ad suam Beatitudinem appellauit. Stante hac appellatione, ordo in duas factiones,& partes diuisus est. Nam monasteria Valentiæ Castellæ,& Vandaliæ vt plurimum Fratris Arnaldi Amer partes sequebantur,& ei obtemperabant; fratres vero Aragones, Gottolani, & Galli Magistro Generali Formica adherebant,& ambo Generales magistri ordinis appellabantur, & subscribebantur,& quæ veri Generales facere solent faciebant;& vnus quis monasteria sibi subiecta visitabat. Sed Fratri Arnaldo conuentum Cordubæ visitanti, denunciatum est, nonnullos fratres etiam equites laicos suę factionis ab obedientia sua defecisse,& Generali magistro Formica adhesisse. Hac de causa in curiam Romanam ad prosequendam appellationem contra magistrum Formica destinare voluit suum specialem Procuratorem præfatum Fr. Raymundum Destoles cum fauorabilibus Prælatorum,& Principum literis. Qui nullis itineris molestijs, aut niuis frigorisq; laboribus, neq; maris periculis,& procellis parcendo, ad
1302. Romanam curiam iter arripuit. Quò peruenit die 10. Martij huius anni 1302. & statim commendationis literas, quibus erant directè distribuit, & sanctissimo Bonifacio Papæ VIII. memoriale prorexit. In quo supplicabat; quatenus sanctitas sua dignaretur, huiusmodi causæ cognitionem committere in partibus alicui prælato Hispano; & signanter ob aliquas caussas quas in supplicatione adducebat, Archiepiscopum Toletanum vel eius ecclesiæ Archidiaconum, aut Episcopum Giennen, vel Corduben exprimebat, & sibi in iudicem concedi petebat. At Procurator generalis ordinis se ex aduerso opposuit huiusmodi supplicationi; & instanter a sua Beatitudine contendit, (ne iura sua, Hispaniæ Regum, & Principum fauoribus perirent, sed magis ac magis innotescerent) quatenus ad se hanc caussam aduocaret, vel alicui Cardinali in curia Romana committeret. Cuius iustis supplicationibus sanctissimus inclinatus, eam remisit Fratri Gentili de Monte Floris, natione Italo Pisano, ordinis sancti Francisci, eximio Theologo S. R. E. Præsbitero Cardinali Tituli sanctorum Siluestri,& Martini in montibus magnæ auctoritatis viro; qui ad lites componendas,& cōstitutiones condendas, ad easque interpretandas, & declarandas ab ipsa natura natus videbatur. Huic dignissimo Cardinali Summus Pontifex prudentissime hanc litem remisit, vt patienter partes audiret, ac se bene informaret,& suæ sanctitati omnia referret; vt videri potest in instrumento publico in actibus Benedicti Bartheideuim publica,& Apostolica auctoritate Notarij die prima Aprilis huius anni 1302.
1302.

Sed dum hæc in Romana curia agebantur, ecce sanctæ memoriæ Fr. Petrus Formica, dignissimus ordinis quintus magister, senex vanerandus, antequàm electionis suæ confirmationem reciperet, ex hac mortali vita ad æternam migrauit. Cuius mors vniuersos suæ factionis fratres tristissimos omninò, & mærore magno repleuit. Fuit enim dum vixit valde pius, & homo iustissimus, æqua semper lance incedens, ambulans sine quærela. Hic Rectus magister ad sancti Augustini regulæ puritatem,& obseruantiam, ordinis constitutiones nuper editas, suis suauibus verbis, ac sanctis operibus,& exemplari vita suos trahere subditos mirifice conabatur. Fuit feruens Redemptor, pluresque redemit Captiuos, & Septuagenario maior, bono odore de se relicto obijt hoc anno 1302. die 25. Martij in festo Annuntiationis Gloriosæ Virginis Mariæ, quam ipse toto tempore vitæ suæ, speciali cultu, & deuotione coluit.

Hunc sanctum virum omnes nostri ordinis scriptores inter viros illustres, & Beatos collocant. Sed aliqui in generalium magistrorum cathalogo reponere nolunt, eo quod Apostolicæ confirmationis beneficium non obtinuerit. Nos tamen attendentes, hunc bonum magistrum fuisse in capitulo rite, & recte congregato, ab electoribus canonice cōuocatis electum, quinto eum loco collocamus. Cuius tempore nulla redemptio facta est.

Episcopus Vrgelensis videns in ordine nostro has rixas,& controuersias, cępit,& ipse fratres nostros vexare,& molestare; impediendo quod Procuratores Redemptionis (contra summorum Pontificum bullas ad fauorem nostri Ordinis concessas) elemosynas non procurarent. Imo (nescio quo iure qua ve motus causa) commendatorem Domus nostræ de Agramonte, in nonnullis debere sibi esse subiectum pro viribus prætendebat,& conabatur. At commendator præfatus recursum habuit ad Summum Pontificem Bonifacium VIII. qui Episcopi Procuratorem, & commendatorem de Agramonte, & eorum iura ad satietatem

A tem audiuit. Et denique auctoritate Apostolica declarauit, præcepit, & ordinauit Commẽdatorem prędictum, & eius Procuratorem Redemptionis, ac fratres nostros nullo modo debere esse Episcopo subiectos; & sic eos ab omnimoda Episcopi Vrgelensis iurisdictione liberauit. Sub datum apud S. Lateranum quinto idus Aprilis anno sui Pontif. octauo.

Cap. XXXVII. De Sexto Generali Magistro Fr. Arnaldo Amer, & eius obitu, infra cuius Magistratum Bonifacius VIII. & Benedictus Vndecimus communi luce priuantur, & Clemens Quintus eligitur. Ac duo Priores Barcinonæ fato concedunt.

B

POST obitum sancti viri Fr. Petri Formica cępit Fr. Arnaldus Amer sine competitore caput erigere, reassumere vires, & fratrum suorum laicorum ex Regnis Valentiæ, Castellæ, & Vandaliæ, auxilio, & fauore totum ordinem suppeditare, & fratres aliorum Regnorum ad suam obedientiam compellere. At Barcinonæ Prior, (qui adhuc erat Fr. Guilelmus de Issona) omnes electores, commendatores, & alios fratres ex iure constitutionum vocem in Capitulo generali habentes, ad noui Magistri Generalis electionem decimaquinta die mensis Iunij huius anni 1302. Barcinonæ faciendam conuocauit. Qua die plurimi electores clerici, & aliqui equites laici congregati, per viam compromissi, elegerunt in Ordinis Magistrum, Fr. Raymundum Alberti, virum prudentem sacerdotem, sanctimonia præditum; de quo in secun- 1302.
C do libro agemus. Hanc electionem Bonifacius Papa VIII. confirmauit 15. Calend. Octobris eiusdem anni. Sed postea sine personæ infamia, & nota, fuit annullata, & irritata.

Subsecuta huiusmodi electione, & confirmatione in persona fratris Sacerdotis facta, præfatus Fr. Raymundus stoles Procurator fratris Arnaldi Amer, iterum appellauit ad sanctissimum, affirmando electionem factam in persona fratris clerici, esse inualidam, & confirmationem obtentam fuisse subreptitiam, (cælata, & occultata rei veritate;) & ob id infirmari debere.

Dum hæc Romæ agebantur, Religiosissimus vir Fr. Guilelmus de Issona Prior Barcinonæ (qui bona plurima in dicto conuentu, & ordine fecerat) sanctitatis odore de se relicto, Barcinonæ obijt hoc anno 1302. vt nonnulli affirmant. Et sic Prioratum rexit annos 1302.
duodecim, & non decem. Fuit in demortui Prioris locum electus Fr. Dominicus sancti Pe-
D tri, seu Periz, Sextus Barcinonæ prior, & hic erat Sacerdos.

Sed reuertamur ad Fr. Raymũdũ de Stoles qui pro suo principali, multũ in Romana curia insudauit, & per plures dies procurauit, quod huiusmodi caussa in partibus Hispaniæ, alicui Prelato remitteretur. Sed eam sanctissimus Bonifacius remisit pręfato D. Fratri Gentili Cardinali, vt partes audiret, seq; informaret, & suæ sanctitati referret, vt patet ex instrumento confecto die 9. Iunij huius anni 1303. in actibus Ioannis de ciuitate Castelli auctoritate 1303.
almæ vrbis publici Notarij.

Interim Fr. Arnaldus Amer totis suis viribus procurabat vniuersum ordinem pacificè regere, & iam nonnulla Aragoniæ monasteria suæ iurisdictioni subiecerat. His fœliciter factis, se in Castellam contulit; vbi a Principibus, & nobilibus honorificè, & per benignè fuit tractatus, & honestatus; quem Ferdinandus Rex Castellæ, eius nominis quartus plurimis fauoribus prosecutus est, & in sui fauorem Summo Pontifici literas misit. Ad cuius sup-
E plices preces, & instantiam Summus Pontifex dedit facultatem Fratri Arnaldi Amer contra ordinis fratres, ei non parentes, ad tollendam (vt sua sanctitas dicebat) licentiosam quorundam fratrum vitam, & liberam vagandi facultatem. Et quod non obstante quacunque appellatione posset libere fratres corrigere, & castigare. Et ob hanc caussam sua interlocutoria sententia præcepit Fratri Arnaldo Amer vt totum Ordinem in temporalibus gubernaret. In quibus Summi Pontificis literis nulla datur facultas Fr. Raymundo Alberto, neque eum Priorem generalem appellabat aut creat; quod si faceret (vt nonnulli nostri Ordinis scriptores affirmant) diuisionem, & non concordiam in ordine causaret, inter duos Priores. Quia Fr. Dominicus sancti Petri erat vere Barcinonæ Prior in spiritualibus. Cuius Prioratus perdurauit vsque ad annum 1307. Post cuius mortem, (& non antea) fuit immediatè

diatè in Priorem electus Fr. Raymundus Alberti. Quod Magister Gauer manifestè affirmat, A
1303. & constat ex autenticis scripturis. Hoc eodem anno 1303. quinto idus Octobris Romæ obijt Bonifacius Papa Octauus. In cuius locum post decem dies, de vnanimi Cardinalium consensu electus est Fr. Nicolaus Bocasius ex vico, Bartholomęi Taurisij Venetiarum Ordinis Sancti Dominici, qui dici voluit Benedictus decimus dictus vndecimus.

1304. Fr. Arnaldus Amer Magister totius Ordinis iam confirmatus, celebrauit Capitulum generale in Monasterio Sanctæ Mariæ de Podio Valentiæ in fęsto Sanctæ Crucis mensis Maij huius anni 1304. In quo inter alia decreuit ex voto Fratris Michaelis Dara (qui ad Capitulum generale venerat ex Catalonia, & vices gerebat Fr. Dominici sancti Petri Barcinonæ Prioris absentis,) & ex voto Fr. Petri de Alos, & Fr. Dominici de sancta Cruce Fr. Guilelmi de Cacarrera, & Fr. Petri de Tona, & aliorum definitorum; quod nullus commendator, aut eius Præsidens, neque alius Frater cuiuscumque conditionis, aut dignitatis honore esset insignitus sub pæna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad alia officia per quinquennium B posset sine licentia Magistri recipere ad habitum Fratres Apostatas, & fugitiuos. Et præter hoc pręfatus Generalis Magister, & definitores voluerunt, & statuerũt, quod transgressores huiusmodi statuti, & Decreti, habitu Ordinis expoliati in publico refectorio comederẽt, & biberent panem, & aquam per dies decem. Et denique declararunt omnia contra hanc constitutionem perpetrata, nullius esse roboris vel momenti.

Hoc anno 1304. nonis Iulij Summus Pontifex Benedictus miraculis illustris, migrauit ad Dominum, postquam sederat menses octo, & dies sex.

Liberati 109. Commendatores de Lorca, & Gieneñ Redemptores deputati, redemerunt ex Vandaliæ partibus, infideli Regi subiectis 109. Christi fideles, eosque incolumes perfectæ libertati donarunt.

1305. Post longam Sedis Romanæ vacationem, Cardinales Perusiæ commorantes, ad nouam Pontificis creationem congregati, qui in duas factiones erant diuisi, tandem conuenerunt C in vnum, & extra Cardinalium collegium elegerunt Episcopum Burdegalensem, natione Gallum, ex prouincia Aquitaniæ, nomine Bertrandum, qui Clemens Quintus appellari voluit. Fuit electus hoc anno 1305. nonis Iunij. Sedit in Petri Sede annos octo, menses, decem, dies 16.

Hic Summus Pontifex monens omnes Christi fideles, vt sint cooperatores operis redemptionis, & pietatis, & quod Fratres nostros benigne recipere, & honestè tractare curent; concedit his, qui de suis facultatibus nostro Ordini subuenerint, & in Fraternitatẽ nr̃am statuerint se collegas, Indulgentiam septimæ partis iniunctæ pęnitentiæ. Et addit in eadem bulla in maximum nostri Ordinis decorem, & commodum, ac in benefactorum non modicum spirituale lucrum: Videlicet, quod verè pænitentes, & confessi, si fratribus, vel nuncijs nostris Cibaria aut potum dederint, sint ab omnibus peccatis suis immunes, & absoluti. Et ad instar suorum prædecessorum præcipit, quod si operi Redemptionis aliquid relinquatur D (Testatore per quem fieri debeat Redemptio non exprimente) tunc huiusmodi legatum ab hæredibus, nostro Ordini tradi debeat. Sub datum Lugduni 15. Calend. Nouembris anno primo.

Liberati 223. Magister Ordinis Fr. Arnaldus Amer, vir potens, & magnanimus, sui instituti non immemor magnam pecuniarum summam ex Principum largitione, & Christi fidelium elemosynis collectam, sibi consignari fecit; & cum suo socio Fratre Dominico de sancta Cruce in Bæthicam profectus est. Vbi ex Granatæ Regno 223. redemit captiuos. Quæ Redemptio per Caput, & Ordinis Magistrum operata, maximo fuit, nostræ sacræ Religioni, decori, & non parum vtilitatis, ipsimet Redemptionis muneri attulisse testatur. Nam Ferdinandus Rex, & alij magnates plurima dona, & munera, nostro contulerunt Ordini.

1306. Anno sequenti 1306. Fr. Iacobus Gallus vulgariter dictus Narbonensis, filius conuentus Barcinonæ, sanctimonia insignis, & literis condecoratus, uehementer desiderabat facultatem ad Redemptionem proficiscendi, obtinere, quę propter Ordinis lites sibi fuit denegata. Sed tandem hoc anno eam, & plures pecunias obtinuit, & in vnam gotholanam nauem ascendit; quæ ventorum vi agitata, ad ciuitatis Bonæ litus, Redemptorem asportauit. Ex qua ciuitate, & alijs infidelium terris centum, & octo redemit Captiuos. In qua redemptione plurimos perpessus est labores, prædicando, nudis pedibus in asperis Africæ partibus incendo, Captiuos Christianos confortando, & cum Barbaris conuersando. Sed gratia diuina fustultus, incolumis cum suis Christianis liberatis Barcinonam reuersus est.

Liberat. 108.

Hoc

A Hoc anno 1307. Barcinonę obijt discretus, & pacificus vir Fr. Dominicus sancti Petri, seu Periz, Sacerdos, eius monasterij Prior. Cui successit eodem anno sanctus vir Fr. Raymundus Alberti; de quo mentionem fecimus, & in sequentibus Capitulis nonnulla de eo dicemus. De cuius sanctitate, bona conuersatione, literarum præstantia, prudentia, & laudabilibus moribus, atque virtutibus multi multa dicunt. Sed humilitatem eius plurimis pręconijs scriptores prędicare non cessant. Se enim ad ordinis officia indignum reputabat. Et sic coactus, & inuitus grauissimorũ Patrum clericorũ vrgentissimas caussas adducẽtium, precibus interuenientibus, Prioratum Barcinonæ acceptauit, illumque laudabiliter per annos decem rexit. At fratres clerici (Priore inscio) magistratum ordinis pænes se ipsos, & non pænes laicos risidere procurantes, ad Romanam curiam Procuratorem destinarunt. Accessit igitur, & coram sanctissimo Clemente Papa Quinto comparuit, memorialeq; porrexit, in quo efficacissimas rationes in medium adducebat, ex quibus inferebat, non pauca inconuenientia sequi, si magister ordinis laicus, in fratres clericos, & B sacerdotes iurisdictionem, & dominium exerceret. Quod memoriale sua sanctitas remisit Reuerendissimo D. Guilelmo Arcusati Burdegalensi, Vasconi Gallo, Suæ Sanctitatis affini, pręsbytero Cardinali sanctæ Pudentianæ, vt se informaret, & referret; quia Fr. Gentilis Cardinalis absens erat a Romana curia. Comparuerunt igitur coram Cardinali sanctæ Pudentianæ procuratores Magistri Ordinis Amer, & Prioris Barcinonæ, quos sua Reuerendissima Dominatio patienter audire non potuit, quia totius orbis negotia grauissima, & magni momenti, quibus Cardinalis erat sumersus, caussæ huiusmodi cognitionem per plures dies distulerunt. Interim Generalis Magister Fr. Arnaldus Amer in grauissimum incidit morbum. cuius ui indies crescente, sancta Ecclesiæ Sacramenta deuote suscepit, & non post multos dies in suo Podij cænobio religiose obijt. Tempore huius sexti magistri de infidelium potestate liberati sunt 440. Christi fideles. *Liberati 440*

C

Cap. XXXVIII. de septimo, & vltimo Generali Magistro laico. De Martyrio Fr. Petri de S. Hermano. De lite inter Magistrum, & Priorem, & qualiter Ferdinandus IIII. Castellæ Rex priuilegium magni momenti ordini concessit.

POST obitum Generalis Magistri Amer, Fratres equites laici non expectantes conuocationem Prioris Barcinonæ, ad quem (vt sæpe diximus) electores conuocandi, vtpote (magistratu vacante) Vicarium Generalẽ, munus attinebat; ne ab eorum manibus Generalatus auffugeret, continuò in vnum congregati, prefertim fratres ex prouincia Castellæ, in ordinis magistrum elege- D runt Religiosissimum, & bonum virum Fr. Arnaldum Rosinyoli. In cuius electione, cum non fuisset constitutionis forma seruata, ad sanctissimum nomine Prioris appellatum est, qui iam de hac re erat ad satietatẽ informatus. Ob id ad sedandas lites, & ad controuersias ab statu religioso valde alienas, de medio tollendas, suo diplomate statuit, & decreuit; quod Fr. Arnaldus Rosinyoli officio Magistri Generalis in temporalibus tantum fungeretur; Prior vero Barcinonæ Fr Raymundus Alberti in spiritualibus totum ordinem regeret. Mortuo tamen Arnaldo Rosinyoli, & deinceps perpetuis futuris temporibus, vnus solus Magister Generalis eligeretur, qui necessario esset frater clericus; cui omnimoda, & totalis tàm spiritualis quàm temporalis iurisdictio incumberet. Sub datum Pistanis 2. idus Februarij anno 1308. Domini 1308. sui Pontif. 3.

Fr. Petrus de sancto Hermano Sacerdos Redẽptor pro Prouincijs Franciæ, Cathaloniæ, E & Aragoniæ, vir valde honestus, bonis moribus imbutus, scientia præstans, & linguârum dono non carens, cum suo socio Fr. Simone Fernandez equite laico, antequam Granatam quò adibant, peruenirent; Montem Regalem petere voluerunt. Vbi Ferdinandus Castellæ Rex plurimis elemosynis, donis, & fauoribus eos ditauit, & rogauit eos, vt tãtisper expectarent, donec quibusdã magni momẽti rebus, finem, & vltimã manum imponeret. Volebat.n. Rex confirmationẽ Priuilegiorũ ordinis in amplissima forma, quã socius Redẽptoris petebat de suorum Consiliariorum voto, ad maiorem maiestatem, & splendorem concedere, & ordinem per vniuersum illustrem reddere. Sed cum Christianorum Captiuorum Redẽptio, & liberatio feruidos Redẽptores multùm solicitaret, & nõ inuitos traheret, venia humiliter

R peti-

Liberati 200 petita, Granatã solerter peruenire eos oportuit. Ex qua Ciuitate, & circumuicinis locis 200. A
Christi fideles redemerunt. Quos sacerdos Redemptor socio suo consignans, in Saracenorum terris Christianos confortando, eorum confessiones audiendo, & in necessitatibus suis aliquantulum eos adiuuando, remanere voluit. Et dum ibi moram trahit, nonnullos Saracenos ad fidem nostram conuertit. Quæ omnia Mahomades Albenazarus, Granatæ Rex, vir prudens, & sagax ac bonę indolis Princeps, patienter simulabat, & Redemptorem publicè cohonostabat. Deinde Fr. Petrus de sancto Hermano vt Christianos in alijs eius regni locis Captiuos degentes, consolatorijs verbis recreare, & media confessione a Peccatorum nexibus liberare, ac a Dæmonis misera seruitute redimere posset, obtenta a Rege Granatæ publica fide, seu saluo conductu, sub prętextu, & colore Christianos redimendi, illa circumuicina perlustrauit loca, & multum profecit. Tandem Almeriam peruenit, vbi Alborrabes barbarus, & tyrannus Princeps eam Ciuitatem, & alia loca occupando, tyrannice regnabat. Qui Redemptorem suspicatus, quod ad explorandum, esset a Christianis Regibus aut B
a Granatę Rege missus, comprehendi iussit, & carceri obscuro mancipari præcepit. Post aliquot dies e fœtido carcere eductus, sagittarijs traditus est. Qui extra Ciuitatem in fidei Chatholicæ ignominiam, quam confiteri palam non cessabat, crudelissimis, & inhumanis sagittarum ictibus occisus est. De cuius martirio agunt nonnulli nostri ordinis scriptores, & de eo similiter fit mentio in antiquis Barcinonæ codicibus.

Hic aduertere oportet, ꝙ sicut vacãte magistratu, & generalatu ordinis, Prior Barcinonæ, in noui Generalis electione præsidebat; sic vacante Prioratu Barcinonæ Generalis Magister electioni noui Prioris pręesse debebat. Vnde aliqui inferebãt, æqualẽ esse amborũ potestatẽ. Nã ambo ordinẽ visitabant, magister in tẽporalibus, & Prior in spiritualibus. Æqualiter duo
1310. definitores erãt clerici, & duo laici. Ex quo cępit in ordine oriri cõfusio, & hoc an. 1310. nouę inter hos, & illos grauissimæ subortæ sunt quęstiones, rixæ, & nõ paucæ difficultates; ad quę & circa quę vniuscuiusq; iurisdictio, & potestas se extẽderet. Vnde subditi fratres tã equites, C
quàm clerici in necessitatibus, & occurrentibus causis, modo ad Magistrũ, modò ad Priorem pro libito recursũ habebant. Et inferior ille ad Pręlatũ, & superiorẽ accedebat, quẽ sibi magis beneuolũ, & benignũ receptorem, & iudicẽ fore iudicabat. Obid multi boni fratres, (relicto magistro) Prioris auxiliũ implorabant; cuius sanæ menti, prudentiæ, benignitati, & scientiæ plurimũ fidebant. Quo indignatus magister, & sequaces eius, Procuratorẽ in Galliã, vbi tũc erat Romana curia destinare, & mittere decreuerunt; vt sanctissimus circa ortã de nouo difficultatẽ, suã declarationẽ, & decisionẽ dare dignaretur. Et similiter ad effectũ vt sua Sãctitas decerneret, quis eorũ capitulis pręesse, quis (vacantibus cõmendis) domos de nouis cõmendatoribus prouidere, quis errantes fratres clericos, & laicos corrigere, & emendare, & quis Redemptores deputare deberet. At Prior Barcinonæ, diuersæ erat sententiæ, dicebat enim; si propter me hęc tempestas orta est, iuri cedo meo, ne tot litibus, pecuniæ, quæ in captiuorũ redemptionem, & in alia pia charitatis opera fructuosè, & iustè impendi possunt, inutiliter D
pereant, & inaniter cõsumantur; & Sũmus Pontifex ne huiusmodi controuersijs, & cõtinuijs differentijs molestia afficiatur. Oẽs igitur nostris viribus conemur, vt ad sedandas lites, & ad cõfusionẽ tollendã Magister ordinis, & sequaces eius pro bono pacis, & Religionis honore, ac Redẽptionis vtilitate, amicabiliter cõuenire velint, suumq; prębebant cõsensũ, vt tàm ab eis, quàm a nobis Iudex arbitrer deputetur cũ mutuo authoramento de parendo, & stãdo Iudicis cõformiter electi, & deputati deffinitiuæ sentẽtiæ. Quod sanctũ, & salutare cõsiliũ partes amplexæ sunt. Et quia ea tẽpestate cõciliũ prouinciale celebrabatur Tarraconæ, cũ plurimorũ, & doctissimorũ Pręlatorũ, & Patrũ magnæ auctoritatis pręsẽtia, & assistẽtia; voluerũt partes, & cõuenerunt, quod pro rei grauitate, hęc iurisdictionis, & differentiæ lis, ab aliquo Iudice, quẽ Patres cõcilij deputarent, terminari deberet. Accesserunt igitur ambarũ partium Procuratores Tarraconã, & cõcilio supplicarunt, quatenus dignaretur super hac lite suã declarationẽ, decisionẽ, & sententiam dare. Placuit patribus iustis supplicantiũ votis annuere. E
Et sic ea causa a toto concilio fuit commissa dominis Guilelmo Arciepiscopo Tarraconensi, & Fr. Raymundo Episcopo Valentino. Qui sæpe auditis Magistri, & Prioris Procuratorum iuribus, & allegationibus alatis; quæ esset sua sententia, & quid in hac re sentirent, concilio pleno retulerunt. Et obid Patres ibi congregati, assignarunt formam, & modum super vniuscuiusque iurisdictione, & potestate, vt vel sic confusio de medio toleretur, & pax in or-
1311. dine sequeretur. Sub datum Tarraconæ 18. Martij ann. Domini 1311.

Præfatum nuper narratum Fr. Petri de Sancto Hermano gloriosum martyrium, qui pro catholicæ fidei defensione, & pro fratribus suis fuit Almeriæ ab impijs sagittarijs, suis volantibus

A tibus sagittis confixus, Hispaniam repleuit omnem. Et magis quam antea incepit ordo æstimari, & a Regibus, & magnatibus magni fieri, præsertim a Ferdinando Castellæ Rege, qui duo priuilegia honorificētissima, & nostro Ordini valde vtilia, hoc, & sequenti anno concedere voluit. Primū priuilegiū est tenoris sequentis (nonnullis verbis causa breuitatis dēptis)

Ferdinandus Dei gratia Castellæ, Toleti, legionis, Galitiæ, Ispalis, Cordubæ, murtiæ, Iaennis, Algarbij Rex; Molinæ Dominus, &c. Omnibus Consiliarijs, Iuratis, Ducibus, alijs Administratoribus, gubernatoribus, & iustitiæ exequutoribus, &c. Cū munus (inquit) huius ordinis sāctæ Eulaliæ sit Captiuos redimere, curam, & administrationem hospitalium habere, horas & diuinum officium decantare, preces ad Deum pro me & animabus Regum Progenitorum, & Parentum meorum, & pro benefactoribus eius ordinis viuis atque defunctis fundere; qđ manifeste apparet in Sūmorum Pontificū, & Regum progenitorū meorum bullis, & priuilegijs: & quia mihi similiter constat, elemosynas quas dicti fratres, vel eorū B Nuntij recipiunt fideliter, & sincere impēdi in Dei, & meo obsequio, in redimēdis Captiuis, & hospitalibus sustentandis, quod dicto Ordini honorificū est, & non modicū Christiano orbi parit commodum, & emolumentum fert magnum: Ideo volumus, & permittimus, quod dicti fratres, vel eorum nuntij libere elemosynas quærere, & petere valeant in omnibus nostris Regnis, & Dominijs tàm intra, quàm extra ciuitates, Castella, villas, Loca, &c. Quos nullo modo, Procuratores elemosynarum vltra mare, Cruciatæ, sanctæ Trinitatis, vel cuius cunque alterius pij operis impedire aut perturbare audeant. Si autem a Christi fidelibus, huic ordini sanctæ Eulaliæ, vel redimendis Captiuis aliquid relinquatur; volumus quod integrè, & sincerè dictis fratribus vel eorum nuntijs consignetur. Et amplioribus fauoribus dictum ordinem prosequi volentes, omnia bona, & legata, a bonis, & deuotis vtriusque sexus Personis, in suis vltimis voluntatibus relicta, si non sint expressa, neque personæ, quibus dari debeant, ea omnia integraliter huic ordini pro redimendis Captiuis dari, & tradi volumus, C & præcipimus. Qui testamenta condiderint, si in eis non fuerint memores Redemptionis Captiuorum; præcipimus quod hæredes vel exequutores testamenti tantam elemosynam huic operi præbeant, quanti æstimandum venit maius legatum pro alijs pijs operibus in dictis Testamentis expressum. Quod possint dicti fratres vel eorum nuntij cum capsis elemosynas libere petere; & in ecclesijs arcas in quibus Christi fideles elemosynas immittant, sine contradictione ponere. Et vobis Consiliarijs nostris, Iuratis, &c. vel vestrum cuilibet stricte præcipimus, quod quotiescumque accesserint ad vos prædicti fratres vel eorum nuntij, & fueritis requisiti, detis operam, & cum effectu faciatis quod hæredes, exequutores, Notarij, aut publici scribæ sub pœna suorum officiorum exhibeant testamenta omnia, vt vel sic, quod ad dictum ordinem spectat, patefiat; & præfatis fratribus, vel eorum nuntijs consignari cum effectu, & omni postposita mora, (vt dictum est) mandetis. Quod si aliquis abintestato ex hac mortali vita discesserit, quintam partē bonorum eius, quæ ad nos attine-D bat, subito huic ordini ad Redemptionis opus gratiose dari procuretis. Insuper si aliqui fuerint reperti, qui sine licētia in scriptis, vel cum falsis fabricatis literis elemosynas petant, sub nomine, & titulo huius Religionis, eorum personas carceri mancipetis, bona vero vel elemosynas in ipsorum potestate repertas fratribus vel eorum nuntijs huius Ordinis similiter consignetis. Item quia nonnulli vagabundi fingunt se fuisse aliquando in potestate Saracenorum detentos, & Captiuos, vt hac falsitate, & falso titulo quærant, & extorqueant elemosynas, in maximum detrimentum miserorum Captiuorum, qui verè, & realiter in afflicta, & misera infidelium potestate detinentur, vobis præcipimus, quod ab his vagabundis bona omnia in eorum potestate inuenta auferatis, & huic ordini sanctæ Eulaliæ tradatis. Eorum vero vagabundorum barbas radatis, & capillos capitum radicitùs extirpetis, & radatis. Insuper quod quotiescumq; dicti fratres, vel eorū nuntij ad loca vestra accesserint, & vobis ostenderint hoc nostrum priuilegium, vel eius auctenticum transumptum, eos benigne recipere, E & bene hospitari debeatis, & vestros vtriusq; sexus subditos in vnum congregari pręcipiatis, vt audiant opprobria, vexationes, & miserias quas miseri Captiui patiuntur. Et denique confirmamus omnia, & singula quæ nostri Prædecessores huic Ordini concesserunt. Si autem aliquis contra hoc nostrum priuilegium, aliquid attentare pręsumpserit, præcipimus scribis, & publicis notarijs, quod hos sic delinquentes citent, vt coram nobis vbicumq; nostra regia resederit curia, infra quindecim dierum spatium cōparere teneātur, & huiusmodi citationis fidem auctenticā in publica forma dicti Notarij, ad nos trāsmittant, vt quicquid de iure fieri debeat, executioni demandetur. Et derogamus oīa, & singula priuilegia, hucusq; concessa, & data contra hanc nostrā voluntatem, quæ irrita & inania esse volumus. Datū Burgis die 27

1311. Febr. an. Dñi 1311. cum sigillo plumbeo pendenti. Quod priuilegiũ de mandato regio scribi A
fecit Garsias Fernandez; & ad maius robur, & firmitatẽ se subscripserunt Ioannes Sanchez, Didacus Garsias, Ioannes Guillen, Alphonsus Sanchez, Ioannes Ioannes Alphonsus.

Circa hoc priuilegium multa obseruatione digna ad nostri ordinis decorem, & fauorem, possent hic describi, & adnotari, quæ vt ad alia historiæ nr̃æ magis cõuenientia trãseamus, omissa facere volumus. Sed circa illa verba de falsis quæstoribus, & vagabundis in hoc priuilegio contenta, immorari aliquantulum oportet, occasione cuiusdã scripturæ antiquissimæ idiomatæ Hispano vetustissimo exaratæ, quæ superioribus annis in vno nostræ Prouinciæ Castellæ monasterio, reperta fuit. In ea igitur narrabatur, quod tanta erat illo fęlici sæculo, fidelium vtriusq; sexus, pręsertim fęminei erga afflictos captiuos pietas, & charitas, quod plurimæ deuotæ fęminæ, si pręmanibus aurum, argentum, aut nummos habere nõ poterant, ab auribus suis ipsæmet inaures euelebant, & ornatum colli, & brachij, & gemmas quibus exornatæ, & gẽmatæ incedere solent, impatienter deponentes, cuicumq; prętereunti Redẽptionis nuntio, aut se captiuum fuisse dicenti, generosa & larga manu erogabant. Deinde fratres nostros, vel nuntios Redemptionis ad ipsarum Ianuas accedentes, misericordiæ ianuas clausas reperientes, molestos, & importunos, eos fęminæ vocabant, eo quod acceptis iam elemosynis, & muneribus non essent contenti, sed ita cito, iterum reuertebantur. Et sic fratres nostri confusi, & à suo desiderio defraudati, atq; vacui discedebant, & Redẽptionis opus cum euidente miserorum Captiuorum detrimento retardabatur. Ob eam causam ad quærelam, & instantiam continuam monasteriorum Prouinciæ Castellæ Serenissimus Ferdinandus Rex salutare in pręsenti priuilegio adhibuit remedium. B

Generalis magister commendatoribus, & domorum superioribus imposuit, vt ad elemosynas procurandas, religiosas personas, honestas, & sufficienter edoctas destinarent; vel ipsosmet Redemptores pręteritos, qui vt testes oculati significare scirent afflictiones, tormenta, Captiuorum Cruciatus, & infęlicem captiuitatis statũ. Personas etiam mitterent, quæ sine molestia, & sine scandalo fideles populos ad subsidia porrigenda inducerent, & excitarent. C
Sed quia magnam Europæ partem circuire erat necesse, & fratres nostri, doctæq; personæ pro tot Prouincijs, & Regnis sufficere non poterant, superiores cogebantur in nuntios Redẽptionis assumere, nonnullos literarum sacrarum cognitione carentes. Sed quia tales idiotæ personæ poterãt facilimo negotio, suis verbis populos offendere, & molestia afficere, pręfatus Magister ordinis cum interuentu Definitorum quãdam orationem, seu verborum formã, breuẽ, compendiosam, & prudentẽ, a nuntijs nostris seruandã, & vbiq; locorũ tenendã cõposuit; in cuius fine (si bene memini) ad ecclesiasticas; & regulares personas, & ad Christi fideles admonitio cõtinebatur, vt propter amorem Dei, & per viscera misericordiæ Dei nostri, missas celebrarent, & pręces effunderent pro miseris Captiuis, vt in amaritudine, in qua morantur fidem catholicã retineant, & a vinculis liberari possint. Quod consultè satis a magistro, & Definitoribus statutum est. Nam sicut sacrosanctum missæ sacrificium, & oratio, si D
pro animabus defunctorum offerantur, suffragantur eis, & eas recreare, adiuuare, & liberare solent; sic oratio, & missa quæ est nuncius fidelis, quæ mandatum peragit, & penetrat vbi caro nõ peruenit, si pro Captiuis offeratur, qui in maiori periculo, quã animæ purgatorij versantur, eos recreabit, & adiuuabit. Facit ad rem quod refert leontius in vita sãcti Ioannis elemosynarij, de quodã Captiuo apud Persas pro quo parentes eius mortuũ esse credentes, orationem faciebant, & ter in anno missam pro anima illius offerri curabant. Sed post quatuor annos cum esset a Captiuitate liberatus patribus suis gratias egit, & retulit eis, se per eos tres dies singulis annis, a vinculis exolui solitũ. Hoc forsan legentes, aut de hoc notitiam habentes nostræ sacræ Religionis superiores ordinarunt, quod singulis diebus in missis cõuentualibus, quæ cantari solent, debeant sacerdotes, ad illam collectam quæ incipit. *Et famulos tuos Papam*, orare publice pro miserorum Captiuorum liberatione.

Leontius.

E

Cap. XXXIX. in quo Ferdinandus Castellæ Rex magnis ẽt fauoribus nostrũ Ordinem prosequitur, & Gienni obijt, cui succedit filius Alphonsus. xi. Nuntij Redemptionis spoliantur. Duo Redemptores martirio coronantur, & alij duo a Mauris occiduntur.

DOminus Ferdinandus Castellæ Rex magnis etiam fauoribus nostrũ prosequitur ordinem in quodã priuilegio tenoris sequentis (aliquibus demptis ne fastidiũ inseramus.) Dignus est hic ordo, vt a nobis magnopere honoretur; quia Rex sanctius meus Pater, & ego fideli, & vero testimonio accepimus, fratres huius ordinis

A ordinis sanctę Eulaliæ elemosynas, quas petunt, & recipiunt in Dei seruitio, & meo, & in redimendis Captiuis, & in fabricandis, & extruendis hospitalibus, in quibus plurimi pauperes, & indigentes personæ aluntur, sustentantur, & patienter tolerantur, ne in vijs deficiant, fideliter, & sincerè impendere. Et cum ad aures nostras deuenerit, quod bona in testamento, & in vltima voluntate pro redimendis Captiuis relicta, hæredes, seu exesecutores cōsignare præfato ordini recusant. quo ad vsq; constitisset, eisq; fuisset notum, dictos Captiuos vere, & realiter, & cum effectu libertati perfectæ esse donatos; pręcipimus eis, vt requisiti, teneantur dicta bona sine dilatione, & sine mora (nō expectato alio dilationis tempore) fratribus sāctę Eulaliæ, vel eorum nuntijs cōsignare. Similiter quia accidere solet, quod aliqui in suo testamento relinquant nunnulla legata pro redimendis Captiuis ad arbitrium executorum dicti testamenti, quæ bona dicti executores ad suum libitum alijs quæstoribus vltra mare dare so-
B lēt; hoc deinceps fieri expresse prohibemus, ordinando, quod dicta legata pręfatis fratribus sanctę Eulaliæ, vel eorum nuntijs consignentur. Et ad maiorem dicti ordinis excellentiam, & decorem ordinamus, quod nullus Iudex, vel iustitiæ executor, quacumq; pręrogatiua, vel dignitate fungatur, possit extrahere homines, qui se ad monasteria, & domus eius ordinis, timore mortis, vel alia causa cōfugiunt, neq; eos intra nouem passus, idest per nouem pedum extensionem, cōfugientes ad dicta loca capere valeat; (nisi essent Proditores, publici fures, aut grassatores;) neq; similiter eos extrahere valeat, a qbuscūq; dicti ordinis domibus, (etiāsi, in eis ecclesiæ nō sint fabricatæ.) Quod fratres vel nuntij dicti Ordinis non teneantur soluere ex suis bonis, aut ex elemosynis, quas pro redimendis Captiuis acquirunt gabbellas, datia, aut impositiones, neq; dictæ elemosinæ, neque animalia, neq; bona eorum possint à viarum custodibus sequestrari, vel in alieno deposito quacūq; de causa collocari, neque fratres dicti
C Ordinis, vel eorum nuntij quando eos flumina trāsire contigerit, compellantur, ad soluendum portitoribus, qui eos cymba traijciunt, Portorium, quam nolam, seu vulgariter flete vocant. Et denique sint a quacumque solutione, & impositione immunes, & liberi. Sub datum Vallisoleti die 7. Iunij 1312. 1312.

Deinde non post multos dies Ferdinandus Rex Gienni obijt, cui successit filius eius Alphonsus vndecimus, qui tredecim non dum compleuerat menses.

Ex pręfatis Regis Ferdinandi priuilegijs, plurima facta transumpta, & per ciuitates, & loca Castellæ, & Bęthicæ publicata, plurimùm Redēptionis operi profuerunt, & sic ingentes elemosynæ, legata, & dona haberi potuerunt, quę fratri Alphonso del Rio Castellę Redemptori consignata sunt. Redemptor igitur accepus pecunijs, & commendationis literis, cum duobus socijs Granatam profectus est, & corā Ismaele Quinto Granatæ Rege, & Farrachenij filio comparuit, apud quem gratiam, & desideratum fauorem adinuenit. Nam Rex Re-
D demptori liberam negotiandi, & in toto suo dominio opus redemptionis exercendi facultatem concessit. His fauorabilibus initijs, ex ciuitate Granatæ, & nōnullis eius regni locis 258. *Liberati 258*
Christianos Captiuos redemit. Et licet plures redimendi, neq; in Redemptore animus, neq; pęcuniæ deessent, vltra progredi non est ausus, eo quod rumor belli ferebatur, & audiebatur, & tēpore belli infideles Saraceni fidem datam facillimo negotio frangere solent. Ob id cum suis redemptis Captiuis diuino suffultus auxilio, a Granatæ regno, omni postposita mora festinus discessit hoc anno 1313. 1313.

Duas hoc, & proximè præterito anno Fr. Raymundus Alberti Barcinonæ prior redemptiones perfecit, quibus 200. Christianos ex Africæ partibus redemit. Vbi ingentes pertulit *Liberati 200*
labores, & euidentia mortis discrimina, sed de omnibus his ad nostri ordinis decorem, & commodum liberauit eum Dominus.

Procuratores, & nuntij sanctæ redemptionis Prouinciæ Castellæ, summa solertia, & ma-
E ximo animi affectu acquirendis, & procurandis elemosynis incumbebant, & bullas apostolicas, & regia priuilegia publicantes, ingentes elemosynas aggregauerant. Sed dum nonnulli ex eis prope ciuitatem Abulæ ex itinere fatigati requiem sumunt, a grassatoribus, & latronibus, omnibus Redemptionis bonis spoliantur. Rege enim Alphonso in puerili ætate constituto, latrocinia plurima, cædes vbiq; & omnium scelerum licentia excitabantur, & tot insolentijs euertēdis, & malis tolendis Regium Consilium, & Regni Procuratores idoneis viribus carebant. Et sic Redēptio quæ hoc anno 1314. fieri debeat, suū non est sortita effectum. 1314.

Huiusmodi infortunium, Religionis amatores, & sui instituti zelatores męrore maximo affecit, pręsertim fratrem Ioannem de Zorroza, & Fr. Ioannem de Huete, qui de licentia suorum superiorum Procuratores, & Redemptores deputati, suis concionibus, & industria nunnullas elemosinas collegerunt. Sed dum reliqui Redemptionis Nuntij, & Procuratores,

in alijs locis elemosinas procurant, ipsi Redemptores Granatam petierunt. Quos Ismael A maurus Rex honorificè suscepit,& munus Redemptionis exercendi, ac cum Saracenis mercatoribus libere negotiandi, in amplissima forma facultatem eis concessit. Ob id ex terris Ismaeli Regi pacifice subiectis, Redemptores Christiani, qui iam etiam nouas merces, & alias
Liberati 120 pecunias a superioribus receperant, redemerunt, & liberare potuerunt 120. Christianos Captiuos; quos Religiosæ viro fratri Isidoro Diaz, vt eos perfectæ libertati donaret, consignantes, in Ciuitatem Biatiæ abierunt. Vbi spiritualem fratrum suorum Captiuorum salutē, & animæ liberationē sitientes, morti corporali se exponere non timuerunt. Cęperunt igitur spirituales medici Christianis infirmis eorumq; langoribus praua cum mauris cōuersatione infectis,& corruptis suauiter mederi,& opportuna, quibus valde indigebant, conferre remedia. Insuper in publicis vijs, & plateis verbum Dei prędicare,& Saracenorum conuersioni operam nauare non timuerunt viri Dei. Sed dum sacrosancti Euangelij veritatem gentibus annunciant, non potuerunt non Mahomettanam sectam plures simul vxores, & alios abominabiles,& detestabiles errores permittentem, exprobrare,& falsam esse ostendere. Quo ciuitatis regulus indignatus, carceri obscuro eos tradi iussit. Post aliquot dies quendam Saracenum valde senem, discipulum Cadi, idest magni Saracenorum sacerdotis, in sua secta peritum misit ad eos, vt a proposito Redemptores dimoueret, ac operam daret, vt verba quæ in suam sectam publice dixerant, palam reuocarent. Quo nihil operante, nudi & ligati ad stipites flagellati sunt. Sed cum in flagellatione Chatolicam Fidem confiterentur, & Prophetæ falso detraherent, morti inhumanæ adiudicati sunt. Publicata mortis sententia nōnulli fortes iuuenes, magna,& immensa puerorum comitati caterua, ad Iudicem iratum accesserunt, & dixerunt ei. Domine Rex da,& concede nobis hos rabidos canes, qui suo venenoso morsu, rabie pleno, nostram sanctam legem lædere,& dilaniare non cessant. Quod si feceris, ipsi canes impunè non abibunt, & reliqui Christiani scient deinceps, quomodo in terra nostra ambulare, loqui,& negotiari eos oporteat. Quorum pessimo,& detestabili desiderio iniquus C Iudex, & crudelis Tyrannus satisfacere voluit. Itaque iuuenes & pueri super viros Dei potestatem habentes, arundines, fustes,& fundas quæsierunt,& in magna quantitate citò inuenerunt; quia eorum cognati,& amici, imo ipsi parentes hoc armorum genere,& leui armatura cognatos,& filios suos, vt de sanctis martyribus vindictam sumerent, magno iubilo,& lætitia muniebant,& ad pugnam incitabant. Eductos igitur de carcere, iustitiæ seu potius iniustitiæ ministri sanctos Redemptores Pueris tradiderunt, qui puncturis, pugnis, ictibus, & alapis per vias, & plateas ciuitatis eos torquebant,& cruciabant. Quod supplicij genus viri, & fœminæ, quà transibant, iniurijs, conuitijs,& contumelijs augebant,& accrescebant. Quę D patienter pro amore Dei, fratres Redemptores sustinebant. Sed cum præ nimio tormento, eorum defficientibus viribus, amplius ambulare non possent, crudeles iuuenes, & importuni pueri calcibus suis, & pedum percussionibus eos pessundabant, & ad ambulandum compellebant. Et cum extra ciuitatem essent tracti, Funditores ad reliquos conuersi dixerunt eis; arundines, & fustes deponite, a labore quiescite,& nostros respicite ictus. Tunc cœperunt fundis suis in sanctos semimortuos lapides iactare; & strictim nimia saxorum inmensitate corpora eorum obruerunt, & operuerunt; animæ vero Deo æternaliter fruituræ, ad cælestem patriam euolarunt. De his marytibus agunt nostri ordinis scriptores antiqui, & nouissimè Reuerēdissimus Magister Rodriguez Episcopus Rosensis in sua aiæ Agricultura.

1314. Eodem anno 1314. duodecimo Calend. Maij Clemens Papa Quintus in Rocamaula qui est vicus Prouinciæ Narbonensis super flumen Rhodanum obijt. Vacauit Romana sedes per plures menses. E

Fr. Guilelmus Giraldi honestæ,& amabilis conuersationis, nostri Ordinis Sacerdos Redemptor electus, in ciuitatem Algariæ profectus est. Vbi libere Religionem Christianam prædicauit. Et a nemine iniuriam passus, Deo protegente, cœpit fratres suos pretio dato
Liberati 120 redimere. Et cum 120. liberaret, & eos socio consignaret, voluit ibi pro quorundam Captiuorum consolatione remanere, husquequo Barcinonæ Prior (cum quo erat maximis amicitiæ vinculis coniunctus) pecunias Redemptionis Galliæ, Cathaloniæ, & Aragoniæ, quas propediem expectabat, ad se transmitteret; & plures cum eis Christianos liberaret.

In fine huius anni vult quidam nostri ordinis auctor, & scriptor modernus Redemptores fratres Iacobum, & Adulphum a Magistro Generali Tunetum missos, in regressu, & ad Cathaloniam reditu, a Pyratis Saracenis fuisse in medio mari captos, & in Africam ductos, ibique occisos.

A *Cap. XXXX. de vita, & gestis sancti Petri Armengau, pro honore Dei, & fratribus suis suspensi. Ioann. 22. creatur. Fratres laici de retinendo magistratu consilium habent, sed morte septimi Generalis Magistri, eorum regimen omnino cessat.*

VT inuenire possem quo S. Petrus Armengau seu Armengol obierit anno, magnam per plures dies solertiam adhibui. Et licet post exactam diligentiam plurima scitu digna de vita, & gestis eius in grauibus auctoribus repererim; diem tamen obitus reperire non valui. Solum in codicibus vetustis Barcinonæ, lingua antiqua Gotholana scriptis adnotatum inueni, quod iste sanctus Redemptor, floruerit tempore vltimi Magistri laici, & primi magistri clerici. Ob id, vt cum B honore statum, regimen, & magistratum fratrum laicorum sepelliam, & claudam, & narratione tanti viri primum librum finiam, in hoc vltimo Capitulo vitam eius collocare volo.

Fuit Armengol natione Gotholanus, nobilissimo sanguine natus, ex Excellentissimo Vrgelitanorum Comitum genere, & regia prosapia ortus. In tenera ætate ab Alberto Patre, piè educatus est; ita vt adolescens cum admirabili, & singulari pietate Christianam religionem coleret. At verò cum alijs nobilibus, inhonestisque iuuenibus versando, paulatim cœpit terrena amare, & cęlestia despicere. Et qui naturæ bonis, ac donis, & fortunæ diuitijs affatim affluebat, adeò sæculi huius se vanitatibus mancipauit, vt iam non cum sibi similibus, & nobilibus, sed cum his, qui viam iniquitatis insequebantur, noctu diuque conuersando, tempus inutiliter, & damnosè cōsummeret. Corporalibus viribus fuit adeò robustus, & fortis, vt nullus cum eo etiam ætate maior, luctari auderet; nam omnes secum luctantes in terra deijcere expeditè, & sine labore solebat. Lanistas, & gladiaturā exercentes, & viros stre-C nuitate pditos (etiā de alienis regionibus vocatos) domi suæ familiares habebat. Hac de caussa cum dulcissimæ vitæ, quam ab incunabulis degustauerat, saluberrimo caruisset cibo, & fructu, & terrenum mandisset; quantò corpus illo temporali, & carnali victu vescebatur, tantò anima misera tenuis, & debilis reddebatur. Quæ debilitas, & infirmitas bonos eius inuasit mores, & spirituales ab eo abstulit vires; ita vt in viam salutis, vno non posset præ nimia debilitate ambulare passu. Iam ecclesias frequentare, spiritualia suauiaque sanctorum virorum colloquia audire, elemosynas facere, & alia Christianæ religionis, & pietatis opera exercere abhorrebat. In ludis tamen, & venationum apparatu pecunias affatim profundebat, eique mirum in modum, delectationem, & voluptatem venatio afferebat. Quadam igitur die, cum venatoribus suis feras indagando, vnam permagnam fugientem, cui alius etiam nobilissimus Dominus insidiabatur, ferā, circumuenit, & peremit. Ex quo insidiator D ira incensus, cœpit Armengolem contumelia, & conuitijs afficere. Multum (dicebat) a veris nobilibus, qualem te iactare soles, abest, alieno artificio, & labore, ac solertia non tua, gloriā ex venatione quærere. Ego solus, & non alius feram inueni, eam cum famulis, & venatoribus meis insequebar; & eam, quæ præ nimia lassitudine auffugere amplius non valebat, tu (me pręsente) occidere non erubuisti. Sed non impunè abibis; nam mortem iniustè in feram non tuam, illatam, modò tibi iustè inferam. Quibus dictis gladium suum stringendo, Armengolem ad singulare certamen, magno impetu furibundum ad se venientem aggressus est. Et proculdubio ambo, aut alter eorum si a socijs hinc inde non prępedirentur, mortem occubuissent. Non tamen propter hoc Armengolis animus pacari, aut quiescere potuit. Imo ex ea hora, vt de aduersario vindictam sumeret, loca plana, & campestria, extra vrbes, & oppida magna perditorum hominum Comitatus caterua, (factus illorum dux, & caput) cursitare cępit; & homicidia plurima, & rapinæ non paucæ (Duce permittente) in E ea regione fiebant. Quæ cum ad Iacobum Secundum Aragonum Regem deuenirent, Patrem Albertum, ad se venire iussit, dixitque ei. Multa mala audio de filio tuo, quod scilicet prædonibus, & latronibus comitatus plurima scelera perpetrare quotidie non cessat: quæ tota terra præ eorum magnitudine, iam substinere non valet. Doleo vehementer, quia sanguis noster est, & quod (ipso iubente aut permittente) socij eius ex insidijs adoriātur viatoribus, eosque spolient. Tibi igitur impono (iuxta mei muneris debitum) vt quamprimum operam naues, & omnem solertiam adhibeas, vt præmanibus filium tuum, & socios eius habere possim; alioquin pęnam eis meritò debitam, tu proculdubio lues, & domum tuam desolabo. Quod licet iniucundum, & molestum sit mihi valde, nolo in hac re sanguini, immò filio proprio parcere. Quibus verbis pater nimis mæstus remansit, & præ doloris magnitudine

tudine

tudine vllum verbum regi respondere non valuit: Sed domum reuersus, famulos, & omnia A ad itinerandū necessaria, sibi præparari iussit, & summo mane viam arripuit. Sed sicut Domino placuit, ieiunus paululùm ante meridiem in ipso solis ardore filium Armengolem ex improuiso obuium habuit in quadam semita ita, arcta vt aufugere, aut a Patris facie se abscōdere minime valeret. Tunc sicut cera ante solem ardentem liquescere, & ferrum ante ignem molescere solet, sic filius oculis suis lacrymosis humilis, & corde compunctus desiliuit ab equo; & genuflexus in terra misericordiam, & veniam toto animi pectore a Patre petijt, Dixitque ei. Pater mi confiteor coram Deo, & omnibus viuentibus me ambulando per loca arida, & per vias non bonas sicut ouem sine Ductore grauiter errasse, immo sicut lupum rapacem multa mala in terra perpetrasse, & alios errare fecisse. Grauissime in Deum peccaui, & te bone pater multùm offendi, sed vestrum est veniam pręstare petenti. Pauco ab hinc tempore insolitum delictorum meorum per singulas horas in anima mea dolorem sentio, & obid faciem tuam videre vehementer exoptabam. Vnde hanc oblatam ex tempore opportunitatem cęlitus esse datam minime hęsito. Iam antè actæ vitæ meæ tędęt animam meam. B Multa damna me fecisse, & plurima crimina socios iniquitatis sub vmbra alarum mearum comisisse ingenue, & vere confiteor; quibus malis satis facere nequeo; nisi quod superest vitæ, & breuem vitæ meæ cursum in aliqua religione consummem. In qua (Deo auxiliante) conabor, vt extrema cum primis, & teneris annis contexantur, & similiter dabo operam, vt quæ egero, & dixero, tuis sanctis, & paternis admonitionibus, quæ in domo tua didici (quorum non sum omnino oblitus) correspondeant. Et quia in hoc misero statu sanguinem proximi mei ardenter sitiui, & vindictam summere appetiui, & procuraui, & contra charitatem multa scelera, & delicta commisi, & committi a socijs permisi; operam nauabo, vt reliquum vitæ meę in charitatis operibus persoluam. Et quia iuxta hoc meum propositum facit ad rē Religio sanctæ Eulaliæ, quæ tota charitate ardet, & in pijs operibus se exercet, ad Fr. Raymundum Alberti nostrum cognatum, (quem Barcinonæ Priorem esse relatum est mihi) a te bone pater petita venia, adire decerno; a quo pro remedio animæ meæ habitum eius religionis petam. C Omnibus igitur quæ iure hęreditario ad me attinere poterant, (licet ob scelera mea, & in te Patrem meum inobedientiam, sim omnibus indignus,) ex nunc libenter renuncio; & ægenum ac pauperem esse eligo, vt animam meam lucrifaciam. Quæ patri non displicuerunt, vt vel sic Regis indignati animum, placidum facere, & tranquillum reddere posset. Et conuersus ad filium, quem antea obliquo, & tortuoso oculo respexerat, magnum lacrymarum fontem effundens, benedixit ei, & dixit. Da fili mi operam, vt animam tuam saluam facias, & restaures vniuersa, & de te semper audiam bene. Obtenta igitur Armengol a Patre licentia Barcinonam profectus, a S. Raymundo Alberti habitum petijt, & suscepit, ann. Domini 1307. Et tantopere in religione profecit, vt inter nostri Ordinis sanctitate decoratos viros si non primum, meritò secundum (dempto fundatore) obtinuerit locum. Fuit valde humilis, & abiectus, & se ad sacerdotij dignitatem indignum reputans, noluit per plures annos ad Pręsbyteratum promoueri, sed a suo superiore coactus, sacerdotio D insignitus est. Præsbyter ordinatus tanta deuotione, & lacrymarum effusione missam quotidie celebrabat, vt quem alij insignissimi, & verbi Dei feruentissimi concionatores suis concionibus fructum facere solent, populum ad deuotionem, & ad lacrymas incitando, eum Armengol inter celebrandum præstabat. Videres tunc circunstantes ac si eis Christus Crucifixus aut nudus, & flagellatus ostenderetur, lacrymas, & singultus cum fletu emittentes. Quid dicam de eius feruentissima erga Christianos Captiuos charitate? Quoties ad Saracenorum partes vltra mare pro eorum liberatione accessit, & quot Redemptiones perfecit; de quibus nostrorum scriptorum incuria parum scriptum reperimus. Sed non est silentio prętereundum, quod in ciuitate Bugiæ accidit ei. Quatuordecim nostri Ordinis fratres inter sacerdotes, & equites laicos, quorum Dux erat Fr. Petrus Armengol (factus modò Redemptorum, & Religiosorum ductor, qui fuit aliquando grassatorum, & perditorum hominum seductor, & caput) ad opus redemptionis profecti sunt; & ad ciuitatem Algariæ per- E uenerunt, vbi verbum Dei seminare, & Captiuorum liberationem procurare cœperunt. Ingentem breuiter ex ea Ciuitate, & ex alijs locis Christianorum numerum liberarunt, vide-

Liberati 346. licet 346. quos vni Redemptori in sortem electo ad Cathaloniam asportandos consignarunt. Quo viri Dei non contenti Captiuos omnes (si fieri posset) a misera seruitute eripere intentantes, pro eorum liberatione, & consolatione ibi remanere voluerunt; vt Religio nostra de tantis Redemptoribus inter infideles degentibus, solicita, & anxia, ipsorum miserta, maiorem quàm antea in aggregandis, & trasmittendis pecunijs solertiam, & curā adhiberet.

Transa-

A Transactis igitur aliquibus diebus Magister Ordinis destinauit in Africam Religiosum, & honestum virum Fr. Claudium Tonellis natione Gallum cum plurimis bonis, & elemosynis, quibus Redemptores 180 redemerunt Christianos. Frater vero Armengol cum nonnullis bonis, & pecunijs sibi assignatis ad ciuitatem Bugiæ profectus est. Et in eam ingressus de fratrum suorum Captiuorum liberatione (nulla interposita mora) agere cœpit; & sic pecunia enumerata 119. redemit Captiuos, & pro alijs decem, & octo pueris quos in euidenti periculo versari respiciebat, ibi remanere voluit, certo ad soluẽdum pretio assignato, & solutionis die expresso, sub carceris, & alijs ad mauri Reguli arbitrium pænis, ad instantiam venditorum, si in aliquo deficeret, infligendis. Quos pueros cum alijs iam redemptis socio consignauit vt eos in Hispaniam incolumes duceret, & Generali Magistro, & Barcinonæ Priori pręsentaret, cum instrumenti, & pactionis copia, qualiter pro illis pueris in pignus Redemptor remanebat. Quod fecit non tam pro sua liberatione, quam pro Re-
B ligionis honestate, & decore vt Mauri Redemptoribus crederent, & fidem pręstarent. Non defuit impigro Magistro, & Solerti Priori (literis acceptis) cura magna, nam ante tempus deputatum pecunias sufficientes transportandas Religioso viro (quem nonnulli Fr. Guilelmum Florentinum fuisse credunt) consignarunt, & tradiderunt. Sed earum lator non inueniens nauigandi opportunitatem, moram insolitam, & importunam, sed ad ostentionem miraculi valde commodam, & a Deo ordinatam in Hispania per plures dies traxit. Deinde nauigandi occasione oblata, nauigium ascendit, & similiter (Deo permittente) Africanum litus tenere non potuit, quia contrarius ventus pluuiam magnam, & post eam marinas tempestates exitauit, & commouit. Sed dum ex irato, & perturbato tranquillum, & placidum mare redditur, reuertamur Bugiam vbi S. Armengolem contrarijs, & africanis maurorum ventis hinc inde agitatum reperiemus. Et licet aquæ multæ tribulationis intrauerunt vsque ad animam eius, & aliæ ascenderunt vsque ad fauces vt suf-
C focarent eum, non preualuerunt neque potuerunt extinguere charitatem illus. Domini igitur illorum puerorum, pro quibus S. Redemptor detinebatur, grauem ad Regulum Bugiæ detulerunt quærelam, asserentes Fr. Armengolem esse fędifragum, hominem perfidum, iniustum, mendacem, & alienorum bonorum raptorem. Bona (inquiunt) nostra, in quibus lucrum nostrum repositum est sunt nostri Captiui, hæc est nostra merces, qua huic peruerso homini fidem adhibentes, spoliati modo, & exuti manemus. Expectabamus (iuxta conuentionem instrumento, & grauibus pœnis firmatam) quod mense elapso, pecunias quibus nundinari possemus, reciperemus, & a nostro desiderio, & lucro defraudati sumus. Tunc Rex, Consilij Regij Consiliarijs huiusmodi caussam remisit, qui ante omnia debitorem ad instantiam maurorum creditorum carceri mancipari iusserunt. In quo vir sanctus causam suam Domino commendare, & pro Captiuis orare non cessabat, in suum auxilium Reginam Angelorum, Afflictorum consolatricem inuocando. Sed dum S. orat,
D & in carcere vigilat, vigiles erant ad malum sui importuni actores, increduli creditores, & falsi accusatores. Nam attendentes huiusmodi caussam indies differri, iterum ad Regium Consilium accesserunt, & quò maxime potuerunt Consiliarijs ferociter instarunt, & ab eis sententiam mortis contra suum debitorem (iuxta pęnam in conuentione appositam) contenderunt. Quibus senior Consiliarius respondit, talem mortis pænam non esse sicut ipsi affirmabant in pactione expressam. Sufficiat nunc (dicebat) debitorem vestrum in carceribus detineri, a quibus si non prius soluat, minime liberabitur. Non licet ad libitum, & desiderium vestrum subsecuta horrenda in eum morte regium tantorum præstantissimorum virorum consilium sordibus iniustitiæ, & infamiæ macula notari. Nec similiter fas est, huiusmodi instituti hominibus (quos Redemptores vocant) timorem incutiendo, nostræ reipublicæ commodum, & lucrum quod singulis annis ipsorum aduentus, & cum eis commertium asportare solet, pro vestra vindicta amittere. Insuper hos Redemptores (si
E veritatem fari liceat) nunquam in fraude fuisse repertos, notum est nobis; bene tamen aliquos pro suæ sectæ defensione, & nostræ sanctæ legis irrisione iuste puniuimus. Modo vero iste homo vestrum debitorẽ se esse fatetur, debitum non negat, non igitur debet ob pecuniæ debitæ solutionem parùm dilatatam morti, & vltimo supplicio traddi. Nam huiusmodi dilatio, non malitiæ, in homine qui se voluntarie pro liberatione gentis suæ in pignus obtulit, ascribi debet, sed temporis iniuriæ, & nauigationi aduersæ magis attribui conuenit. Habete igitur patientiam, & debitum reddetur vobis; nam homines isti in terris suis, plurimis abundant diuitijs, & interim debitor vester in carcere detentus auffugere non valet. Quo creditores magis indignati, & nihil de pecunijs curantes, solum vt vlcisci, & vindictam re petere

Liberati 180

Liberati 137

petere possent, in peius ruentes, adduxerunt testes qui dicerent, eum esse exploratorem, & Mahumetani instituti irrisorem. Quibus appositis criminibus, morte ignominiosa fore multandum Consilium decreuit. Quæ cum esset sancto viro denunciata, conuersus Armengol ad Dominum dicebat. Non mortem, quæ mihi paratur, pati, meis demeritis, & culpis commissis millies debitam sustinere recuso, sed quod supplex exoro est, vt hęc mors mea cedat ad gloriam Dei, & in meorum criminum remissionem, ac fratrum Captiuorum spirituale commodum. Cui sic oranti, gloriosissima Virgo Maria apparere dignata est, quæ famulum Dei consolabatur, dicens ei. Nihil dubites fili, confide in filio meo, non morieris modò, sed viues, & narrabis opera Domini. Nihil proficiet inimus in te, & filius iniquitatis non nocebit tibi. His, & alijs consolatorijs verbis dictis euanuit ab oculis eius. Tunc accesserunt iustitiæ ministri, & tortores, & extra ciuitatem suspenderunt eum. Transactis vero tribus diebus Redemptor ille, quem in medio mari in periculo constitutum, & periclitantē reliquimus, diuina gratia adiutus, & liberatus, Buggiæ litus applicuit. Et continuò crudelitatem nudiustertius factam audiens, conturbatus valde, planctum magnum amarè fecit; & non erat qui eum a lacrymis continere posset. accessit ad regulum, & grauem de suis Consiliarijs detulit quærelam, sic dicens. A B

Quando Religio nostra per tot annos, quibus in his Africæ partibus versatur, promissis non stetit, aut fidem datam fefellit? Nonne probastis, & periculum fecistis nostros fratres Redemptores, quæ semel polliciti sunt, verè, & sincerè persoluisse. Quare ergo virum iustum, & innoxium, regali prosapia natum, & virtutibus præditum condemnastis, & morti traddidistis? Cui Rex respondit, ne putes socium tuum à Consilio meo pro solutionis dilatione (quæ sufficiens non erat;) sed ob eius temerariam (in legem nostram) blasfemiam, & ob alia grauissima crimina, de quibus fuit conuictus, secundum legem nostram iuste fuisse suspensum. Qua vos similiter pęna si quod ipse commisit, perpetrasse constiterit, procul dubio plectemini. A mea ergo discedite præsentia, & de hac re nullum amplius fiat verbum, si dulcem in patriam vestram reditum diligitis. Videntes igitur Redemptor, & socij eius, quod nihil proficerent, corpus, S. Armengol suspensum sibi dari a Rege petierunt, & obtinuerunt. Obtenta facultate fratres nostri plurimis alijs Christianis, & Saracenis comitati, ad patibuli locum profecti sunt. Et respicientes a longe sanctum virum laqueo suspensum, & nostri Ordinis habitu indutum, vocibus in altum sublatis, suspiria magna, & gemitus emittebant. Sed statim tristitia eorum conuersa est in gaudium, nam in patibulo positus, ac si esset in suggesto, alta, & intelligibili voce astantibus prædicabat, & fidem Romanam, pro qua mori paratus erat, veram esse ostendebat. Et ad fratres, & amicos conuersus, dicebat eis. Consolamini, consolamini, & nolite timere, lætamini in Domino, oculos abstergite, modum lugendi facite, quia viuus sum ego, & viuit in me anima mea. Non communi luce fruor, quia in Tyranno torquendi, & suspendendi prompta defuerit voluntas, aut in me moriendi, & patiendi animus non extiterit. Fuit certe quidem pro fratribus meis animam ponendi, parata, & expedita voluntas. Et crudeles Tyranni, & inhumani Tortores, vt suam ostenderent rabiem, quid amplius facere poterant, quam laqueo hoc me suspendere, & per triduum, me suspensum tenere? Sed placuit altissimo ad suæ misericordiæ, & omnipotentiæ ostensionem, & pro multorum salute mittere ad me suam gloriosissimam matrem, singularem nostri Ordinis Patronam, & in tribulationibus adiutricem, quæ hodiæ est dies tertia, quod me incolumem seruauit, & suum adminiculum porrexit, ne funis iste mihi noceret. Extimescentibus Mauris, & nonnullis ex eis ad fidem conuersis, & alijs dubitantibus, & multis id arte Dæmonis factum affirmantibus, & non credere volentibus, quod qui in patibulo ita disertè eloquebatur, esset homo ille, quem ipsi in eodem loco suspensum, & mortuum reliquerant, sed quod Dæmon per os eius loqueretur; fratres nostri demirati, & lætitia simul, & gaudio incredibili elati, ad patibuli locum accedentes, seu ad arborem (vt alij volunt) ex qua pendebat, deposuerunt eum, sanum, & saluum. Qui ad laudem Dei superuixit annis decem (faciei colore mutato, & capite inclinato). In cuius posteriori parte colli, seu ceruice clarum, & euidens funis signum respiciebatur. Multis in vita, & post mortem claruit miraculis, & prophetiæ dono non caruit. Nam multa concionando prædixit; & die qua a Buggiæ portu discessit, conuersus ad Ciuitatem, dixit cunctis qui aderant audientibus. Per hanc portam per tuam incrudelitatem, & in Christianos impietatem desolaberis, & ipsi Christiani tibi dominabuntur. Quod fuit adimpletum tempore Caroli Quinti Imperatoris, & Hispaniæ Regis, qui in eodem loco in quo iste sanctus fuit suspensus, suum collocauit exercitum, & ex C D E

eodem

A eodem loco Ciuitatem expugnauit. Cum hæc igitur mortis admiranda præseruatio in Ciuitate diuulgaretur, accessit rumor ad aures Reguli, qui licet Barbarus, & infidelis Fratres nostros quacumque solutione, & debito esse liberos declarauit, & ordinauit, quod Mauris Puerorum Dominis ad quorum instantiam S. Armengol fuerat suspensus, Fratres nostri nihil soluere deberent. Quo stante decreto Fratres nostri redimere potuerunt alios viginti sex Christianos, quos in Chataloniam cum Sancto Petro Armengol incolumes duxerunt. *Liberati 26.*

Deinde Sanctus Petrus Armengol se contulit ad suum monasterium Sanctæ Mariæ quod vulgariter appellant (delos prados de la guardia de mon blanc.) Quò ex diuersis mundi partibus plurimi deuotionis gratia, vt sanarentur a langoribus suis, alij verò nimia curiositate ducti tendebant, vt viderent hominem (qui trium dierum spatio fuerat suspensus) superuiuentem. De sanctitate huius famosissimi, & perfectissimi Redemptoris, Iesu B Christi Domini nostri imitatoris, agunt omnes nostri scriptores, vt Magister Zumel, Magister Torrez Episcopus Medaurensis, Prouincialis Zurita, Magister Brondo, & Magister Rodriguez Episcopus Rosensis in sua animæ agricultura, & similiter auctores externi, vt Raphael Volaterranus in suis commentarijs vrbanis loco sæpe a me citato, & alij.

Prior Barcinonæ non immemor Fratris Guilelmi Giraldi in Africa commorantis ad eũ pecunias transmisit, quibus bonus Redemptor 97. redemit Captiuos, quos secum in Cathaloniam incolumes asportauit. *Liberati 97.*

Post longam Romanæ Sedis vacationem, tandem Cardinales ad instantiam Philippi Comitis Pictauiensis, qui postea fuit ad regale Franciæ fastigium assumptus, se in Monasterio Prædicatorum ciuitatis Lugduni recludentes, in Summum Pontificem elegerunt 7. Idus Augusti 1316. Iacobum Ossam natione Gallum Episcopum Cardinalem Portuensem. Qui Ioannes 21. dictus 22. voluit appellari. Sedit in Petri Sede ann. 18. men- 1316.
C ses tres, & dies 28.

Fratres nostri equites laici præcipue ex Castellæ Prouincia, maximo afficiebantur dolore, attendentes iuxta Apostolicas literas Clementis Papæ Quinti, se esse (post septimi generalis mortem valde senis) Dominio, & magistratu Ordinis in perpetuum priuandos. Ob id qui inter eos maiori pollebant auctoritate, & nobilitate, Vallisoleti congregati, hoc negotium euentilare, & tractare voluerunt. Et senior in medio eorum surgens, sic dicebat. Quid Fratres mei facimus? Quomodo (quæso) hoc opprobrium sustinere poterimus? quid mali egimus, quod scelus, quam atrocitatem, quodve flagitium perpetrauimus, vt sic crudeliter nobiscum agatur, & ignominiose a generalatu, qui pænes nos per plures laudabiliter perdurauit annos, repulsam modò in nostris temporibus mereamur? Patres nostri Clericos fratres, qui breui dominarentur nobis admittentes, errauerunt valde.
D Nonne sufficiebat eis, pro missis celebrandis, & sacris ministrandis, aliquos extra claustrum Cappellanos habere; (cum monialium curam noster Ordo non habeat) singulos scilicet pro singulis domibus, qui nobis tantum sacra darent, & nihil aliud facerent. Ipsi Patres nostri inaduertenter in hunc maximum lapsi sunt errorem, & nos hanc modo ignominiam patimur. Quid inter gentes dicetur; quid inter extraneos de nobis narrabitur? quid quando ad eorum aures hoc nostrum accedat exitium, iudicabunt? Nos omnes a Maximo vsque ad minimum reos, & sceleribus plenos, ac pusilli animi qui iura nostra dicere, & tutari nesciuimus, proculdubio habebunt. Dolendum est certè, quod a Clemente Papa Quinto Fratres, & equites Templarij propter grauissima scelera quibus accusati fuerunt (siue vera, siue falsa, Deus scit) extincti fuerint; & nos qui nihil mali egimus, religiose, & exemplariter viximus, cum iniquis reputemur, & Generalatu suprema ordinis dignitate, in ęternum ab eodem Clemente Papa priuemur, & vt inepti, & ad honores
E inutiles habeamur. Iudicate igitur vos, & vnusquisque vestrum tacita cogitatione perpendat, si hoc dedecus, & ignominiam patienter tolerare debemus. Sed qui inter eos audacior, & nimis elatus, nimiumque sibi placens, fuit Fr. Pontius Banis, nobilissimo genere natus, ex Prouincia Castellæ, magna apud magnates pollens auctoritate, qui dixit eis. Non est cur timeamus, nihil mali egimus, Redemptionis munus, quod est institutum, & munus nostrum, semper ad laudem Dei, & Romanæ Ecclesiæ honorem, laudabiliter, & aprime vsque in præsentem diem, exercuimus. Animos confirmate vestros, quancumque timoris vmbram longe abstergite, me pro defensione omnium libenter offero, & curiam Romanam petere promitto, & ibi Apostolicas literas ad fauorem fratrum cleri corum, a Romano Pontifice iam mortuo expeditas subretitias esse ostendam, easq;

infrin-

infringi, & infirmari conabor, & iura nostra clara, pro viribus defendam, antequam A
Generalis Magister ex hac communi luce discedat. Placuit hic sermo omnibus astantibus.
Et obtentis magnatum, & Principum commendatitijs literis, ad maiorem cautelam, &
rei honestatem voluit prius pro negotijs suæ Prouinciæ licentiam ad curiam Romanam
1317. accedendi, a Magistro petere, & ob id Valentiam Calendis Maij 1317. veniens Magistrum ordinis in lectulo suo lethali morbo oppressum reperit. Quem contristare, & suis
negotijs molestia afficere noluit. Sed indies vi morbi crescente, & corporis viribus deficientibus, sumptis deuote Ecclesiæ Sacramentis, die inuentionis sanctæ Crucis animam B
egit. Cuius morte cessauit equitum fratrum laicorum nostri Ordinis regimen. Quod
per nonaginta nouem perdurauerat annos, & fuit vsque in præsentem diem translatum
ad clericos. Et licet inter septem Magistros laicos enumeretur Magister Formica
Sacerdos, hoc non inconuenit, quia parum vixit, & adhuc pænes fratres laicos
Generalatus Apostolica auctoritate residebat. Sed post mortem huius septimi Magistri Fr. Arnaldi de Rosyniol fuit eorum regimen omnino C
extinctum, eisque perpetuum positum silentium. Tempore
huius Generalis Magistri seu potius intra narrationem sui
generalatus, & vitæ eius, constat ordinem nostrum e Maurorum manibus liberasse 1664. Christi
fideles.

Liberati 1664.

AD LAVDEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

In cuius hebdomada Sancta 1617. Hic Liber Primus expletus est.



INCIPIT LIBER SECVNDVS.

XXXX. CONTINENS CAPITA. IN QVO agitur de Magistris Generalibus Clericis perpetuis.

Cap. I. De primo Generali Magistro Clerico, & de primo Priore Conuentuali, & qualiter Fratribus laicis perpetuum imponitur silentium.

A CVM ad aures Pr. Raymundi Alberti Prioris Barcinonæ deueniret, Fr. Arnaldum de Rosinyoli Generalem Magistrum obijsse Valentiæ, iuxta muneris sui debitum, quatuor Generalis Capituli definitores statim citauit, & conuocauit; qui erant Frater Dominicus de Othgæy, & Fr. Gundisaluus de Terol clerici, Fr. Andreas de Pediola, & Fr. Michael de Calataiubio laici. Quibus in vnum Congregatis proposuit, ad nouam Magistri Generalis electionem faciendam, fore necesse monasterium, in quo comitia haberentur, & celebraren-
B tur deputare, & eligere, sicque eorum sententiam scire, & sequi habebat in animo. Qui definitores cogitantes magnum Priori præstare obsequium, illiq; morem gerere, si Barcinonense Cœnobium, & Prioris patriam eligerent; nullibi commodius, quam Barcinonæ, Capitulum Generale celebrari, & electionem fieri debere, vnanimes responderunt. At

Prior qui valde humilis, & sapiens erat, non sic (inquit) fiat, non patriam nostram in qua A
nati sumus, non prioratum quem actualiter regimus, assignare expedit, ne electorum volũtatem tollere; eisq; ansam conquærendi, & nouas in Ordine lites, ac rixas suscitandi occasionem præbere videamur. Sed (si vobis placet, vestroq; accedente consensu) in eadẽ Valẽtiæ domo, vbi obijt Magister, & plurimi sunt Congregati electores, nostra ad laudẽ Dei Comitia celebremus. Quod electores laudarunt, ac Prioris sanctimoniam, & prudentiam commendarunt. Tunc Prior suis conuocatorijs literis omnes totius Ordinis electores ad Capitulum Generale electionis, Valentiæ celebrandum citauit, diem præfigendo eis decimam
1 3 1 7. mensis Iulij 1317 Qua die missa Spiritus sancti solemniter decantata & omnibus Capitulũ ingressis, & capitulariter Congregatis, fecit Prior bullam Clementis Papæ V. de Clerico, & non Laico in Magistrum Generalem eligendo, coram omnibus legi, qui erant centum, & nonaginta quinq; electores vocem habẽtes, enumeratis inter eos aliquibus Procuratoribus, qui pro suis principalibus legitime impeditis vocem habuerunt: Quod tunc licebat; modo vero constitutionibus reformationis salubriter sancitum est, ne præsentes pro absentibus, & e contra suffragari debeant; vt dictione 2. Cap. 3. de electoribus Magistri Generalis. B
Deinde in scrutatores fuerunt deputati tres discreti, & prudentes viri Sacerdotali dignitate condecorati, videlicet Fr. Dominicus de Othgæi Tarraconæ Commendator, Fr. Gundisaluus de Terol, & Fr. Ioannes de Vadello cum præsentia honesti, & honorãdi Viri Bonauenij de bono iure publici auctoritate regia notarij. His sic dispositis, Prior electores admonuit, vt sine strepitu, Deum ante oculos habẽtes, in eligẽdo Magistro procederẽt. Illũ ergo (dicebat) in pastorem, & totius Ordinis Magistrũ eligite, quem vos in minoribus officijs bonũ esse probastis. Non debet ad maiorẽ eligi dignitatẽ, qui minora officia regere nesciuit.
Ambros. Nã vt ait Ambrosius, nauis illi committi nõ debet, qui remum tenere nõ nouit. Nam omnia quæ in prælatis inferioribus, in mẽbris, & in corpore requiruntur, necesse est reperiantur in capite. Multi inter vos docti, plurimi in regimine per plures annos cum bono odore probati, & discreti, ac eruditi multi reperiuntur. Rectum igitur in eligendo Superiore teneamus iudicium, si fructum salutiferum, & bonum opus nobis comparare optamus. Ne (quæso) Patres, & Fratres mei, imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur eruditis. C
Quibus dictis tres Sacerdotes, vt quẽ mallẽt, eligerẽt, eis proposuit, multũ cõmendando Fr. Ioannẽ de Clarecatto, Virũ Sanctũ, & Innocentẽ, orationibus, ieiunijs, & vigilijs continuò intentũ, quadragesimalibus cibis per vniuersum anni circulũ (exceptis paucis diebus) ieiunantem, summa prudentia, & eximia charitate nonnullas religionis domos, & alia officia, ac munera sibi iniuncta regentem, & exercentem. At Electores Clerici, & pauci Laici in tres partes fuerunt diuisi. Nam centum, & quatuordecim canonicè elegerunt præfatum Barcinonæ Priorem Fr. Raymundum Albertum, insignem in Decretis doctorem, vt ipse solus (iuxta Apostolicas literas) toti Ordini in spiritualibus, & tẽporalibus pręesset; quinq; vero vocales sua suffragia dederũt Fr. Dominico de Othgæi, vni de scrutatoribus sacerdotali honore insignito; & quatuor electores nominarunt præfatũ Fr. Ioannẽ de Clarecatto. Quæ plures electores laici anteq̃ fierẽt, suspicãtes, & a longe prospicientes, ac Apostolicas literas Clemẽtis Papæ V. parui pendentes, Capitulo Generali, & eius actibus adhęrere, & suũ cõsensum præbere renuerunt. Imò septuaginta electores equites (& non septuaginta duo, vt nonnulli affirmant, & non rectè cõputum faciunt) adhuc regere, & gubernare Ordinẽ viriliter nitẽtes (vt cõstat ex instrumento auctentico confecto per præfatũ notariũ Bonaueniũ de bono iure D
1 3 1 7. 4. idus Iulij huius An. 1317.) attẽdẽtes electores in Capitulo Generali cõgregatos, maiori ex parte, esse Sacerdotes, oẽsq; ad creandũ & sacerdotẽ eligendũ valde esse propẽsos, vt sua absentia, & repugnãtia electionẽ faciendã inualidã, & inanẽ redderent, discesserũt, & adesse noluerũt. Hi electores laici seorsùm in vnũ cõgrati duos Procuratores elegerũt videlicet Fr. Põtiũ de Banis, & Fr. Berẽgariũ de Hostalęsio, quos ad Capitulũ Generale destinarũt requirẽtes, & affirmãtes se nullo modo Fratris Clerici electioni cõsentire velle Quibus nõ obstãtibus Capitulũ (vt vidimus) ad electionẽ processit, & Priorẽ tãto suffragiorũ numero elegit. Cui Procuratores a Fratribus equitibus missi obediẽtiã pręstare noluerũt. Imò ad sanctissimũ appellãtes, ad locũ vbi erãt Cõgregati Fratres laici redierũt. Et oẽs septuaginta sua Comitia cõtra Generalẽ electũ celebrãtes schisma & diuisionẽ in Ordine causare voluerũt, & vnanimes elegerũt Fr. Berẽgariu de Hostalesio, vnũ de duobus Procuratoribus nobilissima ꝓsapia natũ, bonisq. & laudabilibus moribus imbutũ. Postquã electionẽ, Procuratores Magistri Clerici, & Fratris laici, Aueniõnẽ vbi erat Curia Romana abierũt, & corã sãctissimo Dño nr̃o Ioanne xxij. Cõparuerũt; qui eã cãm examinãdã, & attente cõsiderãdã nõnullis Cardinalibus cõmisit. Deinde E

de

A de ex voto Fratrum suorum Cardinalium ambas electiones cassauit. Primam electionem Fr. Raymundi Alberti inualidam esse voluit, eo quod septuaginta electoribus discedentibus, & renuentibus fuerit facta; & electionem fratris laici inanem similiter declarauit, vtpote factam contra sui immediatè Prædecessoris Apostolicas literas, præcipientis ne Fr. Laicus in Magistrum totius Ordinis eligeretur. Quæ omnia sua sanctitas sine personarum electarum infamiæ nota, fieri, & intelligi voluit. Post huiusmodi decretum, & postquàm has electiones nullius esse momenti, nulliusque roboris esse declarauerat; ne nostra Religio vero Pastore destituta maneret, motu proprio, & ex certa scientia in Magistrum Ordinis in spiritualibus, & temporalibus nominauit præfatum Frat. Raymundum Albertum. Sub datum Auenioni 15. Calend. Decembris eiusdem Anni 1317. 1317.
Et sic hoc anno cessauit (vt dictum est) Fratrum Laicorum equitum regimen, & eorum vires defecerunt maiori ex parte; licet iterum Ordinem molestare intentauerint,
B quod in suam maiorem, & totalem cessit perniciem (vt citò videbimus.)

Cum (Fratre Raymundo Alberto ad supremam Ordinis dignitatem Apostolica auctoritate assumpto) Barcinonæ Prioratus vacaret, voluit ipse Magister pro re graui Comitia Generalia celebrare, in quibus ex Definitorum, & electorum voto declarauit, quod perpetuis futuris temporibus Superior domus Barcinonæ, non Prior Generalis sicut anteà, sed Prior Barcinonæ tantum diceretur; Cui eius domus tantum spirituale, & temporale regimen competeret, & non ad alias domos se extenderet; quia per Apostolicas literas vniuersalis, totalis, & omnimoda Religionis iurisdictio spiritualis, & temporalis ad vnam solam personam pertinebat. Insuper declarauit quod Prior Barcinonæ per vota secreta Fratrum Conuentualium eius Monasterij ad vitam eligeretur. Quem sic electum Magister Ordinis ad suum nutum, & libitum amouere minime posset. Et sic Magister Fratres Conuentuales Barcinonæ, Capitulariter
C congregari fecit; ex quorum voto in Priorem elegit Fr. Gulielmm Giraldum Sacerdotem Virum Sanctum, & laudabilibus moribus imbutum, qui fuit octauus Barcinonæ Superior, sed primus Conuentualis Prior a Conuentualibus Fratribus electus.

Summus Pontifex Ioannes XXII. ad supplicationem Commendatoris, & Fratrum domus nostri Ordinis Ciuitatis Tholosæ concessit bullam tenoris sequentis. Dilectis filijs præceptori, & Fratribus domus Sanctæ Mariæ Tholosaneñ mercedis Captiuorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis precibus fauorem beneuolum impertiri, ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias Indulgentias, vobis, & domui vestræ concessas, nec non libertates
D sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus, rationabiliter vobis, & domui vestræ prædictæ indultas, sicut ea iustè, & pacificè obtinetis, &c. auctoritate Apostolica confirmamus. Datum Auenioni sexto Calen. Februarij 1318.
anno secundo.

Fratres equites Laici se nobilitate præditos, & alijs plurimis naturalibus, & acquisitis donis, & bonis condecoratos contemplantes, ægrè ferebant, & patienter tolerare non poterant, quod Summus Pontifex Ioannes XXII. Apostolicis Diui Petri clauibus ad Magistratum sibi ianuam clausisset, & quod amplius ingredi non potuissent, eorumque memoria infœliciter perisset. Et sic fauoribus, & potentia quibus affatim abundabant, Apostolicas literas reuocare contendentes, Auenionem destinarunt præfatum Fr. Pontium de Banis, qui coram sanctissimo comparuit, humiliter supplicans, vt Fratrum laicorum iura, & nouas allegationes audire de speciali gratia dignaretur.
E Quem Summus Pontifex æquo animo videre non potuit, eumque inauditum, & quasi odiosum dimisit. Sed cum iterum in via, ad sanctissimi pedes prouolutus, supplicationem porrigeret, eam Pontifex ad Dominum Arnaldum de via Caturcensem Diaconum Cardinalem Sancti Eustachij, ipsius Papæ sororis filium, Virum valde doctum, & in iudiciali caussarum genere valde versatum remisit. Qui post quam partes litigantes ad satietatem audierat, quid sentiret, & quæ esset sua sententia, in Consistorio, suæ Beatitudini retulit. Ex cuius voto Summus Pontifex confirmauit de verbo ad verbum bullam Clementis Papæ Quinti ad fauorem fratrum Clericorum concessam. Et similiter confirmauit electionem Fratris Raymundi Alberti supplendo omnes, & quoscun-

que defectus si qui in ea commissi fuerunt, pręcipiendo expresse, vt sine contradictione a totius Ordinis Fratribus quacunq; dignitate præditis siue Clericis, siue Laicis obedientia ei, vt legitimo, & vniuersali Religionis Prælato in spiritualibus, & temporalibus præstaretur. Et deniq; sub grauibus pęnis electoribus iniunxit, vt perpetuis futuris temporibus Clericum fratrem, & non laicum eligerent, cum clausulis efficacissimis, & decretò irritanti. Sub datum Auenione nonas Iunij sui Pontificatus 2. A

Cap. II. In quo Generalis Magister Epistolam locorum Ordinarijs scripsit, quæ plurimum profecit. Prior Barcinonæ obijt, & nouus eligitur. Iacobo Aragoniæ Regi defuncto succedit filius Alphonsus.

1318. MAGISTER Generalis Comitia Generalia habuit Barcinonæ, in quibus decreuit, quod deinceps Generalia Capitula in fęstiuitate Penthecostes celebrarentur. Sub datum Barcinonę 5. nonas Maij. Quod decretum vsque in præsentem diem seruatum est. Fratres tamen laici sua Capitula celebrare solebant in fœstiuitate inuentionis sanctissimæ Crucis. B

Magna erat Generalis Magistri Fr. Raymundi Alberti erga afflictos, & ęgentes compassio, & misericordia; de quorum spirituali, & corporali salute non solū in minoribus constitutus, sed etiam magistratus honore condecoratus anxius semper, & solicitus valde erat. Suis diuinis colloquijs, & concionibus, ac pane verbi esurientes reficiebat; Sapientiæ potu Sitientes refrigerabat, errantes, & ab ecclesia alienos suis efficacissimis rationibus, & subtilissimis argumentis uictos ad verū Romanū ouile reuocabat. Innocentes, & derelictos protegebat, tribulatione oppressis subueniebat, Infirmos curari summa solertia faciebat, & eos quotidiana visitatione recreabat; sed erga miseros Captiuos misericordiā eius, omnes mirabantur. Memoria enim retinens cruciatus, angustias, & tormenta, quę afflictos Christi fideles in Saracenorū potestate detentos, suis proprijs pati oculis viderat, eorum misero statu cōmotus, cū in initio sui magistratus, grauibus Ordinis esset negotijs irretitus, & Captiuos personaliter redimere, & adiuuare non posset, scripsit hoc Anno 1319. locorum ordinarijs, & Christi fidelibus quandam Epistolam tenoris sequentis. C

1319.

Raymūdus Alberti humilis Generalis Magister S. Eulaliæ Barcinonæ Redēptionis Captiuorū, condolens interitu, & miseria, ac a fide apostatādi periculo, in quibus miseri Captiui in Saracenorū potestate versantur, Reuerēdis ī Christo Patribus, Archiepiscopis, Episcopis, & venerabilibus Viris, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, prępositis, Archipresbyteris, ac vniuersis Christi fidelibus tàm Clericjs, quàm Laicis æternam salutē pręcatur. Cum a cęlesti sponso, &c. Deinde clamore valido ait; condolete patres, & fratres mei, condoleat districtio vestra auxilij obliuione, & Sanctę Christianitatis detrimento. Videte qualiter sub dolore fidei nostrę, ac pudore Religio B. Augustini, prædicatio baptismatis, prędicatio fidei, in partibus vltra mare, & alia alibi Sancta exercitia suffocantur. Audite ergo clamorem domini dicentis; qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Ad laudem, & gloriam illius, & ad amorem consequendum, ac æterna possidendum, qui nos sic consolatur dicens; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Assumite ergo galeam pro galea, clypeum pro clypeo, pro Crucifixo Crucifixum, vicem pro vice reddētes, vt possitis cum alijs Martyribus clamare, & dicere, vindica Domine sanguinem nostrū, qui affusus est. Quę sunt expressa Generalis Magistri Fr. Raymundi Alberti verba. D E

In hac sua Epistola Summatim recitat omnes Indulgentias, quas Benefactoribus concesserunt Alexander Papa IIII. Vrbanus, & Innocentius, & alij quindecim Summi Pontifices. Et deniq; in fine suarum literarum recipit omnes Benefactores nostri Ordinis, & Captiuorum, ad beneficia Ordinis; & facit eos participes, & consortes in missis in matutinis, & in omnibus horis diei, in ieiunijs, abstinentijs, macerationibus, disciplinis, vigilijs, in afflictionibus, & laboribus, & mortis discrimine pro Captiuorum redemptione, & in omnibus alijs bonis quæ fiunt, & de cætero fient in vniuerso nostro Ordine. Sub datum Barcinonæ
1319. hoc Anno 1319.

Hu-

A Huiusmodi Generalis Magistri literæ cum Summorum Pontificum Bullarum transsumptis, locorum ordinarijs, & Prælatis præsentatę, ac coram populo Christiano recitatæ, & lectæ vberrimos produxerunt fructus, & ex eis magnum operi Redemptionis secutum est iuuamen, & incrementum. Quarum literarum non congruitatem, & verborum elegantiam, sed eximium Magistri Generalis Alberti Zelum, ac Summorum Pontificum gratias speciales, & magnos fauores cum officialis Generalis Auxitaneñ Diœcesis tacita secum Cogitatione perpenderet, ac contemplaretur, mandauit sub excommunicationis pœna omnibus, & singulis per Prouinciam Auxitaneñ Rectoribus Constitutis, quod per Fratres, seu Nuntios nostri Ordinis requisiti, faciant conuenire omnes Parrochianos, & Parrochianas suas ætatem habentes, pro vtilitate præsentis negotij ad diem, & horam, & locum, quem & quam harum literarum lator ipsis assignauerit, in loco scilicet idoneo, & honesto, eosque monere debeant verbo pariter, & exemplo, ac B citare, & conuocare teneantur ad conueniēdum, & veniendum, vt audiant ibi verbum Dei, & mandatum Apostolicum, ac generalis officialis expressam voluntatem, simulq; Captiuorum Christianorum miserias, & euidentia pericula. Si autem aliquis Clericus, vel Laicus huic mandato contumax extiterit, aut rebellis indignationem suæ Sanctitatis, & Diœcesani se nouerit incursurum. Et quod in aliquo delinquentes, & inobedientes debeant citari coram Domino officiali ad respondendum. Sub datum Auxitañ die Mercurij Sanctæ Cicilię huius Ann. 1320. 1320.

Eodem anno aliæ præfatarum Generalis Magistri literarum copiæ, fuerunt ad alios Hispaniæ prælatos, & ordinarios transmissæ, quæ magnum nostro Ordini attulerunt commodum, & non modicam Redemptionis operi asportarunt vtilitatem. Dominus Guilelmus Gerundensis Episcopus Benigne satis recepit Fratres nostros, & iuxta Apostoli-C cas bullas, & earum tenores, petendi in sua iurisdictione facultatem amplam gratiose concessit. Imò ad maiorem suæ charitatis, & ad Romanum Pontificem summissionis, & obedientiæ ostentionem ipsemet Episcopus in die fęsto ad populum concionem habuit, ad hunc effectum citatum, vocatum, & Congregatum, in qua concione maximopere nostrum Ordinem, & eius Institutum Commendauit. Quod similiter alij Episcopi per se, vel per alias personas idoneas ad hoc deputatas fecerunt. Fr. Raymundus Vrgelensis Episcopus inter alios magna amoris signa ostendit, & exhibuit, qui Fratres nostros, elemosynas petentes Comitari voluit, Subditos suos verbo, & exemplo ad larga subsidia porrigenda magnopere hortando, & animando. Petrus Episcopus Tyrasonensis, & Berengarius Dertusensis, & alij Domini Episcopi, & Prælati mirificè Redemptionis operi, & Instituto opem tulerunt, quia tanta erat Magistri Generalis Fr. Raymundi Alberti sanctitatis fama, & diffusus per orbem rumor, vt Diœcesani, & eorum officiales, pre-D ces eius, & supplicationes, ac si essent alicuius Apostoli præcepta executioni demandarent. Vnde his magnis adminiculis, & auxilijs famosæ fieri potuerunt Redemptiones, sed temporis iniuria, & scriptorum nostrorum incuria paucas reperimus annotatas. 1321.

Hoc anno 1321. Duo Cathaloniæ Redemptores videlicet Frater Iacobus de Solerio filius Conuentus Barcinonæ, & Frater Iacobus de Baga ex Conuentu Tarraconensi, se contulerunt ad vltra marinas partes, videlicet Bonam, Tunetum, & ad alias Africę partes. Vnde redemerunt enumerata pecunia 189. Christi fideles eosque Barcinonam fœliciter cum Dei auxilio incolumes asportarunt. *Liber. 189.*

Generalis Magister vigilia Penthecostes eiusdem anni Comitia Generalia Barcinonæ celebrauit; In quibus Patres ad augendam, & propagandam Religionem decreuerunt; Quod si aliquis Frater de licentia suorum Superiorum de nouo fundauerit aliquod monaste-E rium, debeat esse eiusdem monasterij a se fundati perpetuus Commendator, & verus Prælatus. A quo inuitus amoueri non possit, nisi ob delicta grauia, de quibus fuerit conuictus, & de iure ab officio, & regimine repulsam mereatur.

Patres Prouinciæ Franciæ sui Sancti instituti non immemores, plurimas congregarunt pecunias, auxilio, fauore, & benignitate ordinariorum, qui eos in suis Diœcesibus blande, & charitatiuè recipiebant, eisque ad fauorem, & vtilitatem Redemptionis Captiuorum omne hilari fronte præstabant adminiculum. Quibus bonis subsidijs Frater Dionysius de Tona, & Frater Iacobus Balessius Redemptores electi, obtinentes etiam a Domino Carolo cognomento pulchro Gallorum Rege Christianissimo fauorabiles,

biles, & magni momenti literas vndecima Augusti ex Masilliæ portu discesserunt, & A
fœlici nauigatione, Algariæ quò ibant ciuitatem tenuerunt. Et à Ciuitatis Regulo honeste, & blande fuerunt recepti, vt hac via cum præfato Rege Carolo, recenter ad Galliæ regnum assumpto amicitiam inire posset. Ob id sine impedimento suum
Liberat. 215. munus explere potuerunt, & ducentos, & quindecim Christianos, ex eo regno liberarunt.

Literæ etiam Generalis Magistri, & bullarũ transsumpta in Regnis Castellæ, & Bœthicæ fuerunt ordinarijs locorum ostensa, & Christi fidelibus publicata, quæ valde profuerunt, & plures Redemptiones Fratres nostri facere potuerunt. Sed in primis se offert illa famosa Redemptio, quam codices antiqui a Fratre Claudio in Marrocij regno fuisse operatam te-
Liberat. 236. stantur. Qui in illis partibus ducentos & trigintasex vtriusq; sexus Christianos redemit, eosque mense Martij huius anni incolumes Ispalim duxit.

Fr. Gulielmus Petri de Godiuo Gallus Tholosanus ex Baiona, Religiosus Prædica-
torum Theologus famosus Cardinalis, & Episcopus Sabinensis ob deuotionem ad Sanctum Raymundum de Penaforti nostrum ordinem mirificè diligebat, & fauoribus prosequebatur; ad cuius forsan instantiam Superioribus annis Sanctissimus Pontifex concessit illam bullam pro nostro monasterio Tholosano, quam ad annum 1318. collocauimus. Hic igitur Dominus Cardinalis quandiu Tholosæ moram trahebat, sæpe in nostra Ecclesia missas celebrare, & audire solebat, & pro sua benignitate, & humanitate cum Commendatore, & Fratribus in refectorio manducare non dedignabatur. B

In Hispaniam Cardinalis missus nostram Religionẽ eiusq; institutum pro viribus defendit, sublimauit, & adiuuit; ac Redemptorum Fratrum fidelitatem, charitatem, & solertiam quà transibat prædicabat, & commendabat. Ob id plurimi locorum Ordinarij, & Prælati operi Redemptionis magnopere opitulabantur. Sed inter eos resplenduit Dominus Ioannes Archiepiscopus Toletanus, qui ingentem pecuniarum summam ex cruciata redactam suæque fidei, & dispositioni commissam nostro Ordini pro Redimendis Captiuis, & ægenis subleuandis consignauit. C

Sciebat enim hic Dominus Archiepiscopus, quàm sincere, & fideliter omnia bona, quæ Fratres nostri recipere, & præ manibus habere poterant, in his charitatis, & pietatis operibus, impendebant, & insumebant. Hæc igitur bona, elemosynæ, & legata Fratri Ioanni de Sancta Cruce, & Fratri Ægidio Ispalensi Redemptoribus tradita sunt. Et non post multos dies Granatam pro suo explendo munere profecti sunt Redemptores, quam vndique perturbatam, confusam, & commotam (subsecuta infœlici Regis Ismaelis ob suorum coniurationem cæde) inuenientes, dum ciuium commotæ mentes mitigantur, & discordiæ sedantur Algeziram, & alia loca petierunt, &
Liberat. 267. nonnullos Christianos redemerunt. Deinde Granatam reuersi, fauore Saraceni Prætoris, Viri prudentissimi, vltimam manum suo sancto muneri posuerunt, sicque pri- D
1323. mis Christianis iam liberatis enumeratis, ducentos sexaginta septem redemerunt hoc Anno 1323.

Frater Gulielmus Giraldi Barcinonæ Prior fuit Vir Sanctissimus, & sui instituti studiosissimus, ac Prioratus Barcinonæ mirificus zelator. Auxit illum in spiritualibus, & temporalibus, ac plurimis redditibus locupletauit, vt videri potest in antiquis Barcinonæ scripturis. Sed ex quodam auctentico instrumento manifeste patet, quod ipse dum Prioris fungebatur munere, & officio, emit in Franco clodio ad vtilitatem sui Monasterij quandam Morabetinorum Summam in platea Boriæ.

Et multa alia fecit, & dixit memoria ęterna digna, quę historię nostri Ordinis testantur, & celebrant, & summis laudibus a doctissimo Magistro Fratre Natali Gauer hic bonus Vir Commendatur. Sunt nonnulli, qui eum miracula fecisse ferunt, eum- E
que inter Beatos nostri Ordinis collocant. Igitur exequijs eius, magna Ciuium Barcinonę pompa, & religioso more celebratis, statim Fratres Conuentuales eius Monasterij
1324. pro noua Prioris electione facienda Capitulariter Congregati, summa pace, & magna concordia in Priorem elegerunt hoc Anno 1324. Venerabilem patrem, Fratrem Berengarium Cantul, Sacerdotem, in Sacra Theologia insignem Magistrum, de quo suo loco agemus.

1325. Magister Generalis Fr. Raymundus Albertus hoc Anno 1325. Barcinonę Comitia

Ge-

A generalia celebrauit, in qbus inter alia quodā statutū adinueni tenoris sequētis. Quoniā glo-
riosissima Virgo Maria, Dei Mater, fuit vera nostri sacri Ordinis fundatrix, eāq; nr̄am patro-
nā, & Protectricē agnoscimus, dignū, & iustū est, vt ipsam specialibus obsequijs, & reuerētijs
prosequamur. Ideo Fr. Raymundus Alberti Magister Ordinis de Mercede Captiuorū, & Fr.
Berēgarius Cantul Prior Barcinonę, & alij definitores huius pręsentis Capituli inuiolabiliter
ordinamus, præcipimus, & mādamus, qđ in quacunq; nostri Ordinis Ecclesia (et si alicui Sā-
cto sit specialiter dicata, sitq; alicuius sancti, vel Sanctæ Titularis) si in tali nostra Ecclesia,
non est extructa capella, vel ad minus aliquod altare in honorē gloriosissimę Virginis Marię
de nouo extrui volumus, & præcipimus, in qua vel in quo omni die Sabati per annum missa
Virginis Mariæ cantetur.

Redemptores huius Anni 1326. pro Monasterijs Aragoniæ, & Cathaloniæ liberarunt 1326.
B ex Ciuitate Algarię, & alijs Africę partibus 118. Christi fideles, eosq; vnus Redēptor in Hi-
spaniam asportauit altero in pignus remanente; quorum nomina non exprimūtur. Sed in qua *Liber.* 118.
dam scriptura vetusta adnotatum inueni, sanctissimum Virū Fr. Petrum Armengol (qui vnā
cum S. Raymundo Nonnato fuerat, anno Domini 1314. post electionē Prioris in Redēpto-
rem deputatus) hoc anno suum munus laudabiliter expleuisse.

Magister Generalis celebrauit in domo nostri Ordinis Acrimontis 3. nonas Iunij an. 1327 1327.
Capitulum Generale. In quo inter alia fuit ex voto omnium Definitorum statutū, & decre-
tum Constitutiones illas lingua latina a Generali Magistro iam compositas, & ordinatas, &
in vnū collectas, (quas nunc seruamus,) in toto Ordine obseruari, & haberi debere. Quas Ma
gister sua auctoritate confirmauit, & cōfirmando præcepit (vt memorię mandarētur,) quod
in omnibus Religionis nostræ Monasterijs frequenter legerentur, videlicet ad minus semel
in qualibet hebdomada in Capitulo, vel in refectorio. Insuper propter fratrum scrupulosas
conscientias Magister Generalis, & Definitores decreuerunt, quod hæ constitutiones
C non obligarent ad culpam, sed tantum ad pœnam. Has Constitutiones antiquas tempo-
rum varietate alterare, mutare, emendare, addere, & nonnullas demere iuxta indigentiam,
& occurrentem necessitatem fuisse necesse in Capitulis Generalibus religio nostra iu-
dicauit.

Eodem anno pridie Calen. Nouemb. Barcinonæ obijt Iacobus Aragonum Rex eius no- 1327.
minis secundus, quem populi, & subditi sui mirificè diligebant, sed Siculorum fidelitas, &
erga eum eximius amor ab Auctoribus maximis præconijs commendatur. Cum enim (pa-
ce inter hunc Iacobum Regem, & Carolum Socerum inita) Siculorum legatos venientes
Iacobus monuisset, vt Bonifacio Papæ VIII. ac Carolo Neapolis regi natione Gallo pare-
rent; ipsi legati diu lacrymabundi vix respondere poterant. Tandem post magnos fletus (vt
ait Marineus Siculus de rebus Hispaniæ libro xj.) eorum quidam Vir non indoctus ad Re- *Marineus*
D gem conuersus sic allocutus est. Iacobe Rex permultos populos a suis Principibus, & Do- *Siculus.*
minis defecisse multis in locis legimus, & oculi nostri sæpe viderunt, sed a suo Rege populos
fuisse desertos, nec vidimus quidem vnquam, nec audiuimus. Quapropter erit quidem no-
stra magis, quàm aliorum miseratio, magisq; deploranda calamitas. Tua siquidem spe,
patrocinioque destituti, quid omnes Siculi populi facere debeant, te non ignorare credi-
mus. Qui quodcunq; mortis genus, & omnes cruciatus perferrent potius, quam Gallis
seruire queant, & cuiuscunque vel barbari quidem Principis imperium libentius patientur,
quam Gallorum mores, & iugum seruitutis vno die tolerare velint. Quorum fletu, &
verbis commotus, ite (inquit,) boni Viri ad domos vestras vbi Frater meus Federicus Li-
berius quam ego, opem ferre, & consulere poterit. Quo responso accepto cum magnis mę-
stitiæ signis (quæ auctores describunt) in Siciliam reuersi sunt. Deinde plurima damna,
& naualia bella subsecuta sunt. Post quæ Federicus nostri Iacobi Frater (inuitis Gallis)
E Siciliam retinuit, & Iacobus Barcinonæ hoc anno obijt ætatis suæ sexagesimo sexto an-
no. Cui successit Alphonsus filius abdicato Iacobo filio primogenito, eo quod recusaue-
rat expeditionem Sardiniæ contra Sardos rebellantes, & ad Pisanos deficientes, ac etiā quia
Hierosolymitani Ordinis Religionem ingressus, & deinde montesani Ordinis Magister ele-
ctus, Regnorum successionem contempserat.

Generalis Magister Fr. Raymundus Albertus plurima in diuersis Ordinis nostri Cœ-
nobijs Capitula Generalia celebrauit, quæ in nostris scriptoribus adnotata non sunt.
Quod ex parte colligi potest, ex Capitulo, hoc anno 1328. celebrato, in quo hæc expres- 1328.
sa continentur verba. Quia in Capitulo Generali Toleti celebrato fuit carceris pœ-
na ad certos tunc casus expressos astrista, & ad quædam tantum delicta, ne de faci-

ne de facili Superiores carceribus suos subditos maniciparent, statuimus, & ordinamus A
modò, ex Definitorum nostrorum voto, quod talis carceris pœna extendatur ad alios casus, & ad alia delicta. Videlicet quod ea pœna puniri debeant latrones notorij, bullę, uel sigilli, uel monetę falsarij, enormes percussores, & falsi criminis impositores, de quo To-
1329. leti Capitulo à nostris auctoribus nulla fit mentio.

Hoc Anno 1329. Fuit Capitulum Generale Barcinonæ celebratum. In quo Generalis Magister, & Fratres definitores statuerunt; quod qui vno anno fuerit in Definitorem Capituli Generalis, vel Prouincialis electus, non possit sequenti immediatè anno, ad idem officium eligi.

Cap. III. De obitu Sancti Viri Fratris Raymundi Alberti, cui successit Fr. Berengarius Cantul. Agitur de translatione corporis Beati Raymundi Alberti, & de morte Sancti Raymundi Nonnati. Obijt Summus Pontifex Ioan. XXII. eique succedit Benedictus XI. dictus duodecimus.

MVLTA nostri Ordinis Scriptores de Sancti Raymundi Alberti vita, & ge- B
stis eius, morte Sancta, ac insignibus miraculis enarrant; vt Reuerendissimus Magister Zumel, Dominus Rodriguez Episcopus Rosensis, Magister Natalis Gauer in duobus suæ Historiæ locis inter Generales Magistros, & Barcinonæ Priores, & multi alij. Sed Reuerendissimus Dominus Fr. Philippus Guimeran Episcopus de Xacca diffuse agit de eo in Historia nostri Ordinis parte tertia Cap. 2. diuidens narrationem eius in sex Paragraphos. In primo agit de natiuitate eius, & quomodo in bonis moribus imbuendus nostro Ordini fuerit traditus. In secundo de optimo a teneris annis eius pueri specimine, quo quid de se esset spectandum, cœpit declarare. In tertio de susceptione nostri Ordinis habitus, & in Religionem ingressu, & de admiranda contra Dæmonem victoria. In quarto de singularibus eius virtutibus, mortificatione, & Sacræ Scripturæ lectione. In quinto de professione, & in C
Religione progressu, & ad Magistratus assumptione. Et denique in vltimo de Sancta morte eius. Nos vero breuitate solita præfatos Auctores sequendo, nõnulla de eo dicere incipiamus. Fuit Barcinonæ S. Raymundus clarissimis Parentibus natus, plurimorum bonorum possessoribus, qui legitimam prolem, & hæredem quo carebant, per intercessionem Virginis Mariæ continuis orationibus, & summis precibus Domino supplicando exposcebant. Vnanimi consensu Deo eiusq; gloriosissimæ Matri vouerunt primum filium cultui diuino se consecraturos. Quorum supplicum preces misericors Deus aures suæ benignitatis inclinans, filium diu desideratum eis dare dignatus est. Cui Parentes Raymundi Alberti nomen imposuerunt. Et tanti beneficij memores, Infantulum, vt Deo deseruiret Beato Bernardo de Corbaria Barcinonæ Priori tradiderunt. A teneris annis sub tanti Magistri disciplina, sanctimonia, & pietate egregie institutus est. Sed cum Pater eius filium D
magni ingenij, & optimæ indolis signa plurima præseferentem contemplaretur, a doctissimo in iure pontificio viro, vt ad eam facultatem incumberet, eiusque imitatione in eisdem studijs, quibus magister excellebat, proficeret, imbuendum, & erudiendum discipulum Magistro dedit. Sub cuius disciplina, & in qua facultate adeò profecit, totque fecit progressus, vt doctoratus laurea semper virente, suæ ætatis anno vigesimo primo non dum expleto, meritò & summo honore fuerit redimitus. Hoc studiorum suorum præmio condecoratum Parentes, & cognati respicientes, voti Deo, & promissionis factæ obliuiosi effecti, vt uxorem duxeret, inter se tractarunt. Nunquam tamen Iuuenis a seruandę castitatis proposito, quo a teneris annis fuerat firmatus (etiã si blanditiæ, preces, & Parentum iussa accederent) recedere voluit; sed intrèpide, & constanter abnuit. Denique parentibus, & E
amicis eum continuo molestare non cessantibus, Raymundus Albertus vanitatibus sæculi eiusq; pompis vale dicens consanguineis inuitis, bona quæ præ manibus habere potuit, Pauperibus distribuens, Ordinem nostrum ingressus est, & professionem emisit. In quo sanctissime, & sine reprehensione vsque ad mortem vixit. Meruit (vt vidimus) ad omnes supremas Ordinis dignitates inuitus ascendere. In quarum regimine, & in omnibus vitæ suę motibus, plurimæ in eo resplenduerunt virtutes. Emicuit in eo animarum suorum subditorum zelus, omnes vt salui fierent desiderans. Erga miseros Captiuos eximius charitatis

fer-

A seruor. Erga hospites, Aduenas, & Peregrinos ad imitationem sui boni Magistri, Prioris Fratris Bernardi de Corbaria summa liberalitas, & benignitas. In Infirmos solicitudo magna, & admirabilis vigilantia. In suis dictis, & Concionibus in Africa, & in alijs Infidelium partibus, habitis, ignitus & efficax conuersionis affectus, & liber dicendi modus. Fulsit in eo insigne humilitatis exemplum, qua omnia sua egregia facinora, & stupenda, ac magna opera condiebantur. Maximum suæ Religionis augmentum, & incrementum (eo duce) visum est; nam in constitutionibus in vnum colligendis, in ordinationibus salutaribus condendis, in consilijs præbendis, & in assidua Capitulorum celebratione, solertia eximia, & singularis semper in eo apparuit prudentia. quid de assiduæ orationis eius deuotione, & mentis eleuatione? Quid de mirabili suorum morum disciplina? Quid dicam de nimia, & senili in suis dictis, & factis maturitate? De stupenda, & admiranda in extirpandis vitijs, & dęmonum fuga, fortitudine? Quoties (vt historiæ nostræ, & præal-
B legati auctores referunt) dæmones generis humani hostes, & bonorum insidiatores, post eius carnis mortificationem, ante & post humilem orationem superuenientes in eumque atrociter insurgentes, signo crucis superauit, & fugauit. Sed victoriam, quam reportauit de dæmone in pulcherrimæ fœminæ forma apparente, eius fallaciam, & astutiam agnoscendo, plurimis præconijs scriptores nostri commendant. Sui corporis rigidus, & durissimus semper extitit castigator, dura illud domans disciplina. Fuit abstinentia adeò parcus, vt quæ sunt naturæ sustentationi, ne succumbat, necessaria, a socio rogatus, etiam in decrepita ætate sua, & senectute confectus vix sumere vellet. His abstinentijs, & macerationibus attenuatus, meritis, & annis plenus, cœpit Valentiæ læthaliter ægrotare. Et sumptis deuote, & integris sensibus Ecclesiæ Sanctæ Sacramentis obijt hoc Anno 1330. decimo quarto Calen. Decembris; sui magistratus anno ter- 1330.
C tio decimo. Eius corpus non fuit humatum, & terræ mandatum, sed in deposito, & in speciali loco depositum, vsque quo ad Monasterium Virginis Mariæ de Podio transferretur, vt (postea dicemus.) Tempore huius Sancti Magistri ex diuersis Saracenorum partibus liberati sunt, & perfectæ libertati restituti 1125. Christi Liber. 1125.
fideles.

Subsecuto Generalis Magistri obitu, Magistratu Ordinalis vacante, Frater Berengarius Cantul Barcinonæ Prior, Vicarius Generalis effectus, Definitores, & electores ad nouam Magistri electionem Barcinonæ faciendam suis patentibus literis conuocauit, & venire iussit. Cuius præcepto omnes parentes, Barcinonam peruenerunt; vbi Capitulariter Congregati, eundem Vicarium Generalem Capituli Præsidentem, summa concordia, & magna pace in Generalem totius Ordinis Magistrum in spiritualibus, & temporalibus crearunt.

D Deinde fuit necesse ob eam Magistri noui electionem, de legitimo, & ordinario Prælato, ac Priore Monasterium Barcinonæ prouidere. Hac de caussa Fratres Conuentuales Capitulariter Congregati, summa etiam pace in Priorem elegerunt Fr. Dominicum Othgey Sacerdotem, Virum valde bonum.

Generalis Magister ardentissimo omnes miseros Captiuos Christianos liberandi, & a periculo, in quo versantur eripiendi ardebat desiderio. Sed cum Captiui sine Christi fidelium elemosynis, & Charitatis subsidijs redimi minimè possent, suos ad varias, & diuersas Christiani orbis partes, Redemptionis Nuntios, & Procuratores destinauit, & misit. Et ipsemet Generalis Magister, vt subditis suis humilitatis, & charitatis præberet exemplum, 1331.
viam Galliæ duobus socijs Comitatus arripuit. In quibus partibus magnos fecit progressus, & plures elemosynas, & pro Redemptionis munere dona recepit. Fuit ibi ab ordinarijs locorum, & à Principibus perbenigne receptus, & honorificentissime tracta-
E tus. Sed Dominus Hugo Augius Generalis Narbonæ officialis, noluit vt in Fratrum Monasterijs, aut Principum Domibus maneret, sed ad suum palatium cum socijs traxit, & introduxit, & obseruantia percoluit. Et post quam per aliquot dies recreauit eos, & cum eis ostiatim elemosynas pro hoc Sancto munere petijt, in discessu suas gratiosas, & fauorabiles literas Magistro Generali dedit, in quibus sub grauibus pœnis præcipiebat omnibus, & singulis suæ iurisdictionis Rectoribus, & Ecclesiasticis personis, ut Fratres nostros, & Nuntios, seu Redemptionis Procuratores per benigne reciperent, eosq; in elemosynis petendis, & procurandis adiuuarent, & omnem solicitudinem adhiberent. Sub datum Narbonæ 14. Cal. Martij huius An. 1331.

Eodem anno Frater Alphonsus Limia, nobili genere natus, filius Conuentus Vallisoleti,

leti, & Præsulis Compostellani Consanguineus, & Frater Ludouicus de Pietate Redemptores deputati Granatam profecti, fęlicissimè ad laudem Dei suum munus expleuerunt. Nam sine magno pretio ducentos, & septem Christi fideles redimere potuerunt. A

Liber. 107.

1332. Hoc Anno 1332. Generalis Magister Comitia Generalia celebrauit Barcinonæ, in quibus Redemptionis Nuntij, & Procuratores retulerunt, & dixerunt, quod locorum ordinarij in nonnullis Hispaniæ partibus, de aliquibus Quæstuarijs grauissimè conquęrebantur, eo quod sub Redemptionis titulo bullas Summorum Pontificum publicantes, tota die suos Parrochianos vexabant, & molestabant. Ex quo sequebatur, quod Fratres nostri ad eorum Ecclesias accedentes non charitatiue, & blande recipiebantur sicut antea solebant, sed importuni, & molesti appellabantur, eosque elemosynas petere non permittebant, ex quo non modicum Redemptionis operi damnum sequebatur. B

Quæ res Magistrum, & Definitores maximopere conturbauit, & dolore omnes affecit. Sed quod eorum dolorem, & mœrorem summopere auxit, fuit huiusmodi ordinariorum quærelas ad Summi Pontificis aures esse delatas. Vnde Sanctissimus indignatus omnes tam veros, quàm falsos Redemptionis Quæstores, ne elemosynas peterent, prohibere habebat in animo. Quod postea veritate patefacta, non fuit executioni demandatum.

1333. Die 24. Ianuarij huius anni plures auctores affirmant Regem nostrum Alphonsum Aragoniæ Regem Barcinonæ obijsse, eique Petrum filium suum successisse. Quod a veritate esse valde alienum ex priuilegijs nostro Ordini concessis liquidò constare videbimus.

Liber. 108. Frater Ioannes Ispalensis, Commendator Vallisoleti, Redemptor deputatus, redemit ex Granatæ regno centum, & octo Christi fideles. In quo suo munere explendo non pauca discrimina passus est. Fuit enim comprehensus a quibusdam Reguli, & Ducis Algeziræ militibus, & ab eis spoliatus. Sed delata Regulo cui nomen erat Abomelicus quærela, licet barbarus, & Infidelis esset, præcepit Duci damnum omne emendari, & delinquentes puniri; sicque eorundem militum Duce accedente Redemptor cum bonis suis liber dimissus est. Et iterum non longe a Cordubensibus agris ab exercitu Iuzephi Abemhametti Granatę regis non dissimile sustinuit damnum, & periculum, sed de omnibus his liberauit eum Dominus. Et sic incolumis cum suis Captiuis redemptis ad propria Christianorum loca remeauit. C

Iam in primo huius nostræ Chronicæ lib. cap. 33. ad annum 1279. Sub Nicolao Papa III. egimus de Natiuitate, & de nonnullis gestis S. Raymundi Nonnati; ibiq; in alio loco idest in hoc secundo libro Sanctissimam, & admirandam mortem eius narraturi promisimus, arbitrantes, & excogitantes quasdam informationes, & multorum miraculorum ab hoc Sancto diuina gratia operatorum depositiones, a nobis pro nostræ Chronicæ splendore valde desideratas sæpeq; & instanter petitas ex Romana Curia nos propediem recepturos. Et cum data opera hac de causa impressionem huius secundi libri suspenderimus, & per plures dies retardauerimus, & tandem tardo gressu ad præsentem annum D

1334. 1334. peruenerimus; non est cur amplius promissam huius Sancti Viri mortis narrationem differamus, & occasionem oblatam prætermittamus. In quibusdam enim non modicæ auctoritatis Codicibus Gotholano idiomate scriptis expressa verborum assertione adinueni, Sanctum Raymundum (de quo in præsentiarum nobis est sermo) obijsse

1334. hoc Anno 1334. Et similiter ibi legitur, quod postquam fuerat Redemptor electus in Capitulo Barcinonæ celebrato anno Domini 1324. superuixerat decem annis hoc est vsq; ad præsentem annum 1334. E

Vnde cum alia non possit commodior expectari occasio, pauca pro multis, ab alijs auctoribus post me adducendis, quæ præ manibus habeo in hoc loco collocare cerno. Si autem curiosus lector plura alia, & maiora de Sancto Raymundo scire desiderat, Archiuium nostri Conuentus Sancti Adriani de Vrbe euoluat, vbi inueniet quàm plura de vita eius scripta, & ingentia in vita, in morte, & post mortem edita miracula, quæ Hispaniæ, & aliorum Regnorum, authoritate Ordinariorum, & Prælatorum, ac Testium depositione examinata, & comprobata fuerunt. Nos vero pro temporis angustia, sequendo graues nostri Ordinis Auctores, hæc quæ sequuntur excerpere potuimus.

Cum igitur Sanctus Raymundus Nonnatus plurimis esset virtutibus condecoratus, &

A in Religione esset verus Sanctæ humilitatis cultor, in dignitate, & in fine vitæ collocatus 1334.
eas non deseruit. Nam etiam si Cardinalitio honore honestatum, & ab omnibus se exaltatum respiceret, non tamen inflatæ, & elatæ vertiginis morbo visus est laborare. Imo ne miserabiliter in profundam superbiæ foueam caderet, aut in mentis elationem laberetur, nunquam vltra se pedem tendere voluit, sed in se solidus, & firmus fragilitatis humanę miserias, & nouissima hominis contemplando persistebat.

Quadam die ad Monasterium Barcinonæ accedentem Fratres nostri (vt Cardinalem decet) exceperunt, eumq; plurimis laudibus celebrando, sic ei inter alia dicebant. Fœlicissimus sit tuus aduentus, tu es nostrum decus, Ordinis nostri splendor, fuisti Nonnatus, sed meritò modò Cardinalis creatus: Tu es primus, qui ex Ordine nostro ad tantum honorem fuisti assumptus: Religio nostra regia, & digna est; Sed hoc tuo honore tuisq; laudabilibus uir-
B tutibus maxima fit eximiæ dignitatis accessio. Sed quid ipse respondit, audiamus. Ne me (inquit) Fratres mei dum in hac alta dignitate cernitis laudum vestrarum flatu crucietis, & fatigetis, quia quò arbor altius surgit, eò vim ventorum vehementius sentit. Hác dignitatem meis viribus imparem à me quæso remouete, uanam opinionem, qua me bonum esse excogitatis deponite. Delicta mea, quibus iram mereor, nuda pensate, nuda inspicite. Gloriam vanam auferte, & tunc clarè delictorum meorum miseriæ apparebunt, & vilis, & abiectus (vt fas est) habebor. Si aũt vos aliquod opus bonum me aliquando fecisse agnouistis, laudare solùm, Dominum debetis, à quo cuncta bona procedunt, in cuius laude est securitas, & securi remanent laudatores. Timeo certè, ne vestris præconijs (nulla imminente necessitate) Deum Optimum Maximum offendatis. Qua responsione, & religiosa correctione, ac suaui admonitione emendati ipsi, tanti Viri Sanctimoniã, & humilitatem mirabantur. Ea die ibi moram cum Fratribus suis trahere voluit, & in cõmuni mensa cum
C eis cibum sumpsit.

Die sequẽti ad Curiã Romanam, vt à Christi Vicario, a quo fuerat Cardinalis nominatus, & vocatus, insignibus tantæ dignitati debitis cohonestaretur, proficisci voluit. Sed antequàm, ab Hispania discederet, in grauem incidit morbũ. De quo Raymũdus Comes Cardonæ, qui eum percolebat, & diligebat certior factus, nimio dolore, & mœstitia affectus in arcem, seu Castellum suum Cardonę, quæ est magna villa curandum ægrotũ summa charitate, & solertia asportari iussit. Et statim de recuperanda ipsius sanitate Medicum suum consuluit.

A quo intellexit S. Raymundi præ nimia cibi, & potus abstinentia magnaq; corporis maceratione, & castigatione, viribus suis iam penè consumptis, mortem potius, quàm pristinam sanitatem citissime fore expectandã. Quo Nuntio Comes grauiori mœrore oppres-
D sus est. At Vir Sanctus suo socio, (qui quotidie eius confessionem audire solebat) ascito, intimo cordis dolore, & lacrymosis oculis sua aperuit peccata. Et statim ut tutus benèque munitus ad Dominum proficisceretur, sanctissimum ad cęlestem patriam tendentibus viaticum saluti ferum sibi afferri instanter postulauit. Sed cum eo tempore æstiuo ad prædia pro fructibus capiendis, & rus amenum, animi gratia, qui habitant in Castellis, & Villis maiori ex parte se conferre soleant; accidit quod tunc Rector, seu Curatus extra Castellum Cardonæ esset. Sed cum eius beatæ animæ egressus, & in regionem longinquam proficiscendi in dies instaret hora, contristati sunt omnes, præsertim Comes, & Cardonæ Dominus, qui famulos suos solertiores ad Rectorem conquirendum festinos statim destinauit. In medio huius mœstitiæ S. Raymundus à somno, seu (vt melius dicam) ab extasi experrectus, & in se conuersus Comiti dixit. Deus refugium nostrum, & virtus, consolatio nostra, & in se sperantium protector, Consolatus est nos in medio tribulationis nostræ. Eam igitur, quæ
E tendit ad flumen aperi fenestram; Quod si aliquos viros ad nos appropinquantes prospexeris, obuiam reuerenter itò, & cum obseruantia in domum introduces; nos enim ad consolandum, & ad quod exoptabamus præstandum proculdubio veniunt. Quod cum Comes expleuisset, & fenestram aperuisset, respexit per eam septem (vt nostræ Historiæ referunt) reuerentia dignos Viros vestibus albis indutos, sicco pede, & sine zimba amnem traicientes. Quibus domum processionaliter ingressis, & ad cubiculum ubi iacebat ægrotus, accedentibus, senior ex eis, qui ultimum occupabat locum, corpus domini nostri Iesu Christi (quod gestabat) discooperuit, & Infirmo adorandum ostendit.

Quod Sanctus Raymundus feruentissimis lacrymis irrigatus, genuflexus adorare

1334. conabatur. Sed cum uires iam exaustæ deficerent, quanta potuit ab homine in lectulo A
iacenti præstari reuerentia, tanta Sanctus Raymundus adorauit Dominum Cœli, & terræ Creatorem, illis panis speciebus, & accidentibus velatum, omni reuerentia dignum immortale, & intemeratum Sacramentum; escam Populis Christianis, vt Sanctus Augustinus cum Glos. ordinaria super psalm. 73. Manna ad manducandum, vt idem Augustinus cum Glos. ordinaria super psalm. 77. Panem de cœlo descendentem, cibum Angelorum, quem vt manducaret homo, Verbum caro factum per Euangelicas nubes toti pluitur mundo. Panem Angelorum, vt Cassiod. super eundem psalm. quo Angelici spiritus eius contemplatione reficiuntur. Bucellam Dominicam ad Sacramentum vnitatis, & dilectionis nos inuitantem, qua Angeli cibantur, Saginantur Apostoli, reficiuntur martyres, Pascuntur Confessores, nutriuntur Virgines, & omnes electi satiantur. Hic est panis quotidianus, vt Sanctus Augustinus super Matthæum 25. Cœleste misterium, vt Sanctus Ambrosius in oratione ante Missam, & in alio loco de Sacramentis venerabile Sacramentum, ac B
Medicina cœlestis. Hic est cibus spiritualis auxilium, & vires præstans non omnibus, sed solum in anima sanis, malignitate vero pollutos, & infestos, ut ait S. Chrisostom. super Matth. perdit, & inficit, non sua sed accipientium culpa. Hic est cibus dulcis super mel & fauum, vt Gregorius in Homilia. Victima singularis ab æterno interitu animas soluens, vt Sanctus Gregorius in Dialog. libr. 4. Oblatio omnes alias longe excellens, quę pura mente sumi debet, vt Alexand. Papa Quintus, vt habetur de conse. dist. 2. cap. nihil. Hic est Sacramentorum finis, & quasi spiritualis vitę consumatio, vt Diuus Thomas Angelicus Doctor. Nouum Sacramentum, quo vmbrę cadere, & antiqua obseruantia excludi debet, ut Papa Leo primus. Sacramentum pietatis, signum vnitatis, & vinculum charitatis, vt Sanctus Augustinus. Panis viuus gratię diuinę augmentatiuus vitam spiritualem sustentans, augens, reparans, & delectans. Nam ut Sanctus C
Ambros. substantiam animę nostrę fulcit, gratiam auget, & spiritualem vitam perficit, eamque vt Sanctus Cyrillus viuificat. Hæc est hostia viuens, pura, Sancta immaculata, & Salutaris ad Ephe. 5. Cyprianus eam, Sacram Communionem appellat, à qua Hystriones, & Magos fore expellendos dicit. Dominica cœna 1. ad Corinthios 11. Prætiosum, admirandum, & salutiferum conuiuium, Christi passionis memoriale peremne, figurarum veterum impletiuum, & contristatis de Domini absentia (vt ait Diuus Thomas in opuscul. 57. singulare solatium. Contristatus erat valde noster Raymundus de tanti diuini Sacramenti absentia, sed eius præsentia confortatus, & nimis consolatus remansit. Quanta cordis contritione, quanto & quali lacrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta cordis, & animæ puritate Dominum suscipere in extremo vitæ collocatus, Infirmus vellet, mea lingua enarrare non sufficit. D

Lipoman. 6. Tom. in uita S. Pachomij. — Cassiod. — Alex. Papa V.

Considerabat enim cum Diuo Ambrosyo quod tali sumptione verè & realiter viua, & vera Christi caro sumebatur, ima summis iungebantur, ibique Curiæ cœlestis adesset præsentia.

Accessit igitur Sacerdos, & Sancto Raymundo præbuit Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, idest bonam gratiam, & substantiale viaticum in cuius diuini cibi fortitudine per viam, quæ ducit ad Cœlum velocissimè ambulauit. Nam degustato hoc suauissimo, & immaculato Agno Paschali, ægressa est anima eius magna cum festinatione de Ægypto huius mundi, & illos septem Viros, qui statim euanuerunt, Comitata est.

De hoc fœlicissimo transitu, pretiosa morte, & paululum ante eam admiranda illorum Virorum apparitione, agunt nostri Ordinis scriptores, præsertim Episcopus Rolensis in sua Animæ agricultura. Quam similiter demonstrat quædam in Ecclesia E
huius Sancti, antiqua pictura, vbi etiam depicta respiciuntur miracula, sed non est silentio prætereundum, quod accidit in sui Sanctissimi Corporis depositione, antequam tumularetur.

Epus Rosens.

Subsecutò igitur tanti Viri obitu, & anima eius in Cœlis per Angelos mirabiliter collocata, ad venerandum corpus, tum ex Cardonæ Villa, tum etiam ex circumuicinis locis, & aliunde ingens vtriusque sexus ad domum Comitis Cateruatim confluxit multitudo. Et magno impetu, magnisque clamoribus nonnulli sibi dari, & illud deferre conabantur, & vociferabantur. Qui ex Portelli oppidi venerant, ad propriam

patriam

A patriam vbi Sanctus fuerat natus, seu potius Nonnatus hunc diuinum Thesaurum fore deferendum volebant, eisque de iure competere dicebant. Comes vero Cardonæ, (qui modo est potentissimus in Hispania Dux) non sic fiet (aiebat,) sed Cardonæ, & in domo nostra vbi fuit nutritus, & extremum claudere voluit diem, & ob alias non infimas causas hoc meum pignus reponi debet. At Magister Ordinis suum alumnum, Fratrem, & Ordinis Beatæ Mariæ filium suæ propriæ Matri restitui, & consignari modis omnibus conabatur. Vnde inter eos facta est contentio magna. Sed tandem sicut domino placuit, post magnum diffidium, & longam dissensionem ad eam sedandam inter eos conuenit, & hoc quod sequitur vsi sunt remedio. Posuerunt illud Sanctum Cadauer super vnam mulam omninò albam oculorum vsu carentem, quæ sine Ductore nemineque compellente nonnullas diœceses, & circumuicina (nullibi immorando) circuiuit loca. Tandem ad Ecclesiam Sancti Nicolai, 1334.
B vbi Sanctus Raymundus habitum susceperat, & professionem emiserat, peruenit; quam ter per gyrum circuiuit, ibique gradum stitit, & ut alij volunt crepuit media. Quo omnes cognouerunt voluntatem Dei esse, quod ibi Sanctum illud Cadauer reconderetur. Celebratæ fuerunt exequiæ solemnes magna nobilium utriusque status præsentia. In quo loco tanto honore, & reuerentia veneratur, & frequentatur, quod Ecclesia, & domus illa, quæ antea Sancti Nicolai dicebatur, prima appellatione amissa, communiter semper dicta sit Domus Sancti Raymundi Nonnati. Ad quam singulis annis, Dominica tertia Augusti a primis vesperis vsque ad occasum solis diei fœsti confluit ingens vtriusque sexus ex diuersis partibus multitudo; tum deuotionis gratia, tum etiam causa nundinarum celeberrimarum, tanti populi frequentia, & mercatorum præsentia publica auctoritate permissarum. Plurima ad eius sepulchrum quotidie fiunt miracula; imò quod maiori admiratione est dignum, Ima-
C gines, & Figuras in Hispania, Gallia, Italia, & in nouo orbe collocatas in sacellis, & altaribus plurima fecisse miracula, auctentica instrumenta referunt. Et præsertim in Cathaloniæ Principatu, clara testium depositione liquido constat. In Villa Perpiniani coram magnifico, & prouido Viro Domino Monserrato Ramon, vtriusque iuris Doctore, Iudice ordinario Curiæ Magnifici Baiuli dictæ Villæ, examinati fuerunt plurimi Testes medio iuramento asserentes se fuisse à grauissimis ægritudinibus liberatos, per merita Sancti Raymundi Nonnati, cuius imago, & sacellum est in Monasterio eiusdem Villæ. Et ibi narratur plures ex dictis Infirmis fuisse a peritis Medicis derelictos. Sub datum Perpiniani anno Domini 1598. Honufrius Manescal doctor Theologus in serm. Iacobi II. Aragoniæ regis agit de reliquijs huius Sācti, & similiter S. Petri Armēgol. *Honufrius Manescal.*

Fuit Sanctus Raymundus in vita sua, sui Instituti mirificus zelator, & Ordinis no-
D stri, eiusque incrementi studiosissimus, & amator, quod significare voluit præfato patenti signo. Quando spretis Cardonæ Dominis, & propria patria, in Conuentu nostri Ordinis Corpus suum reponi, & collocari voluerit.

Sed ad maiorem nostri Raymundi ostentionem amoris, & desiderij eius, quòd Ordo propagaretur, & augeretur, liceat mihi narrare Conuentus Sancti Iacobi in Religione nostra celeberrimi, valdeque illustris fundationem, & admirandam institutionem, quæ hoc accidit modo.

Inter alia insignia cœnobia, quæ Ordinis Sancti Benedicti Moniales possidebant non infimum tenuit locum, illud celebre Monasterium vulgariter dictum [*sancta Maria de Conju.*] quod vno milliari cum dimidio a Ciuitate S. Iacob in Compostella distare dicitur.

In eo igitur plurimæ præfati Ordinis Moniales, Sanctimonia, nobilitate, & alijs
E Illustratæ uirtutibus intra illius claustrum laudabili, & religioso more vitam degebant. Sed cum Præsuli Compostellæ, qui illo tempore episcopali tantum fungebatur honore, indecorum videretur, quod præfatæ Christi sponsæ (quarum sexus a natura fragilis esse solet) extra Ciuitatem, & habitationem in loco deserto domicilium suum haberent, eas matura consideratione præhabita in ciuitatem introduxit, deditque eis vbi habitarent illud Illustre, & celebre Monasterium, cui vulgariter nomen est [*Sampayo*] prope maiorem Ecclesiam; vt vel sic necessitatibus, præfatis virginibus emergentibus Dominus episcopus præsto esse posset. Primæ vero Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de [*Conju*] curam, & administrationem commisit cuidam sæculari Presbytero natione Hispano ex Bœthica (vt ferunt) Prouincia, laudabilibus moribus imbuto,

1334. to, Sanctimonia prædito, & in Ordinem nostrum, ac Sanctum Raymundum Nonnatum (cuius forsan fœlicissimus obitus tunc recens erat) valde pio, cui cognomen erat Nauarro. Solebat hic bonus, & honestus Sacerdos per singulas noctes antè quam cubitum iret, genuflexus ante Virginis Mariæ imaginem, haud per breue tempus deuotus orare, eamque in necessitatibus auxiliatricem, in suum auxilium implorare. Quadam igitur nocte intra cubiculum suum, quod erat in claustro feruentius solito orauit, & post orationem defessus, & lassus somno se aliquantulùm dedit. A

Deinde cum in suo iacens lectulo strepitum, & voces canentium in claustro sensisset, surgens velociter, noluit cubiculi portam aperire, sed per eius fissuram, aut clauis foramen Religiosos Viros vestibus albis indutos, ordinate, & processionaliter binos incedentes prospexit. In qua processione, (vt de more est) Cruciferarius Crucem gestans medius inter duos Acholitos præcedebat; sed vltimum locum inter duos venerandos Viros Angelorum Regina occupabat, ad cuius dexteram Sanctus incedebat Raymundus. Processione completa omnes disparuerunt, & ipse hæc omnia non vera, aut sibi in somnis contigisse credens, in vtramuis aurem ea nocte dormiuit. Sed cum idem & eodem modo in sequenti, & tertia nocte vidisset, non esse amplius procrastinandum, & cunctandum iudicauit; sed Dominum Compostellæ Episcopum consuluit, eique visionem, & omnia quæ ter sibi acciderant, minutatim significauit. B

Cui Episcopus, quæ est hæc Religio, & qui sunt isti Fratres, vestibus albis induti, & quæ circa hanc visionem sit tua sententia, indica (quæso) mihi. Hæc Religio (respondit Sacerdos) Gloriosissimæ Virgini Mariæ dicata est, eamque suam protectricem, & institutricem semper agnoscit. Ob cuius puritatem, & candorem, Religiosi Fratres, filij eius, vestes omnino albas semper, & vbique gestant. Qui hanc Religionem Barcinonæ fundauit fuit ille famosus Aragoniæ Rex, qui non ad Parentum suorum libitum; sed admirando modo, Iacobi Hispaniarum Patroni (cuius corpus in hac fœlici Ciuitate quiescit,) sortitus est nomen. Plures in hac Religione, sanctitate floruerunt; sed nonnullis ab hinc annis Sanctum Raymundum cognomento Nonnatum, eius Ordinis alumnum, ob singulare in me beneficium collocatum, mihi in præcipuum, & specialem patronum elegi. Gratum igitur Virgini Mariæ, & huic Sancto opus fiet, si in Monasterium de Conju, quod meæ curæ demandasti, Fratres prælibati Ordinis introduceres. C

Si autem vnde hæc omnia nouerim agnoscere uis, scire te volo, me in ea Religione Germanum habere, qui de his omnibus me certiorem fecit. Tantæ ergo Virginis mandatum in ea processione significatum (Domine mi) executioni demandare te proculdubio oportet. D

Da tu igitur operam (subiunxit Episcopus,) vt quàm citò Frater tuus de superiorum suorum licentia ad nos veniat, vt Monasterium illud consignemus ei. Quod post paucos dies fœlicem, & optatum sortitum est effectum. Nam Dominus Compostellanus Episcopus Religioso Viro Presbyteri Nauarro Germano, aduocato, literasque patentes sui legitimi Prælati secum asportanti, liberè & nomine Religionis cessit, & concessit, ac in perpetuum donauit præfatam Ecclesiam, & Monasterium cum omnibus bonis suis, proprietatibus, iuribus, actionibus, fructibus, redditibus, & prouentibus.

Et dedit ei amplam facultatem, & auctoritatem, vt sine obstaculo, & sine impedimento (etiam si præfatarum Monialium non accederet consensus, qui nullo modo requirebatur) corporalem dictæ Ecclesiæ, & Monasterij possessionem propria auctoritate apprehendere posset, non obstantibus, &c. E

Vnde modo Noster Ordo hoc permagnifico, & valde Illustri pacificè fruitur Monasterio, & possidet Ecclesiam cum parrochiali cura. Cuius commendator, (qui ex melioribus, & principalioribus Prouinciæ Castellæ semper assumitur) magnam habet spiritualem, & temporalem iurisdictionem, & potestatem, nam ad suum nutum, & libitum beneficia triginta tria idoneis Clericis secularibus prouidere, & præsentare solet, & in Comitijs, quæ in claustro illius vniuersitatis celebrantur, suffragium ferendi habet potestatem.

Est etiam Dominus oppidi habens (vt ferunt) subditos, & vassallos quingentos. Et cum dicta

A dicta Ecclesia, diuina Virginis Mariæ præcedente apparitione, & beneplacito fuerit Ordini nostro collata, ex ea hora vsque in præsentem diem, imago quædam eiusdem gloriosissimæ Virginis in Ecclesia sita innumerabilibus continuo corruscat miraculis, & ad eam inuisendam ex diuersis Christiani orbis partibus ingens, magna deuotione confluit multitudo, præsertim in festiuitate Natiuitatis Virginis Mariæ, quo tempore publicæ, & celebres in circuitu Ecclesiæ, & Monasterij Nundinæ fiunt. Inter præcipuos, & optimos dictæ domus Commendatores nominare volo Illustrem admodum, & Reuerendissimum Dominum Fratrem Petrum de Ogna in Sacra Theologia insignem Doctorem, & famosissimum Concionatorem, modò meritissimum Episcopum Caietanum. Qui perdoctè scripsit super summulas, Logicam, & Aristotelis Philosophiam, & etiam super quatuor hominis nouissima, opus celebre. Cuius auctoritate, & testimonio, ac aliorum fide dignorum nostri Ordinis Patrum, a quibus præfatam admirandam nostri Conuentus Sancti Iacobi de Conju fundationem audiuimus, eam in hoc loco inserere voluimus, quam similiter quædã antiqua pictura, quæ extat in eiusdem Monasterij claustro clare indicat. Et hæc pro nunc sufficiant, vt ad translationem corporis B. Raymundi Alberti transeamus.

B

Commendator, & Fratres nostri Ordinis Monasterij Oppidi de Podio, ægre ferentes, quod Beati Raymundi Alberti corpus non in suo Monasterio, sicut ipse viuus testamento condiderat, (quod ea tempestate Magistri Religionis facere solebant) maximopere exoptantes illud habere, & tanti valoris Thesaurum reconditum in sua Ecclesia possidere, grauem ad Fratrem Berengarium Cantul Generalem Ordinis Magistrum, contra Fratres Monasterij Valentiæ dicti corporis possessores, & Depositarios quærelam porrexerunt. Quorum instantiæ, & precibus Generalis Magister inclinatus, vtriusque partis iuribus, & allegationis bene prius auditis, & visis, illud Sanctum Cadauer ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Podio fore transferendum, consonum iudicauit, & sic fieri sua auctoritate decreuit, assignans pro translationis die octauam idus Iunij, idest sextam diem mensis, huius anni 1334.

C

Ea igitur die a Ciuitate Valentiæ vsque ad Monasterium oppidi de Podio, solemnis processio facta est, plurima nobilium, & Populi Comitante Caterua. Cum igitur illud Sanctum Cadauer sub Generalis Magistri, & aliorum magnatorum humeris extra Ciuitatem per viam mundatam, & ramis, & floribus stratam efferebatur Ciues, Hospites, & Peregrini, illud ingenti deuotione sequebantur. Et ad oppidi, & Ecclesiæ ingressum, quò ibant, alio alium impellente, & prius ingredi conante periculosus prænimio æstus ardore, & hominum multitudine, ac tantus adeò tumultus factus est, vt si a militibus virtute præstantibus ad hoc specialiter vocatis, non præpedirentur, & retardarentur, nonnulli ea die proculdubio perirent. Sed placuit Altissimo, quod nil infortunij accideret. Fuit honorificentissime, & deuotissime in Ecclesia nostra prope sepulturam quarti Magistri Fratris Petri Amerio in speciali tumulo depositus, & collocatus Fr. Raymundus Alberti cum scriptura eius nomen, & officium indicante, & demonstrante, postquam in Ecclesia Valentiæ iacuerat, & requieuerat annos tres, menses quinque & dies decem & nouem. De hac translatione agunt nostri Ordinis scriptores præsertim Magister Generalis Gauer, & Reuerendissimus Dominus Magister Guimeran Episcopus de Xacca, in locis a me sępe citatis. 1334.

D

E

Eodem Anno 1334. Summus Pontifex Ioannes XXII. postridie ad pridie nonas Decembris Auenioni obijt. Cui vigilia Sancti Thomæ Apostoli successit Frater Iacobus Furnerius, Monachus Cisterciensis, Tholosanus Gallus, infimo, & ignobili genere natus, qui Benedictus Vndecimus, dictus duodecimus appellari voluit. 1334.

Cap.

Cap. IIII. Alphonsus Aragoniæ Rex, & Petrus eius filius Ordini nostro concedunt insigne Monasterium Calaris, de quo multa admiranda narrantur. Et Alphonsus Castellæ Rex institutum Redemptionis defendit.

DOMINVS Alphonsus Aragonũ Rex, cognomẽto benignus, (viuente Iacobo Patre) ante quam ad regale eius Dominij fastigium ascenderet, magno Aragonum, Cathalanorum, Valentinorum, & aliorum Regnorum militum virtute præstantium, exercitu, & manu armata munitus, in Sardiniam profectus, A admirabili animi fortitudine, Ciues eius Insulæ multis prælijs deuicit, & splendidissimo Domini Iacobi sui patris Imperio subegit; & principaliorem, & nobiliorem eiusdem Insulæ Ciuitatem Callaritanam post longam expugnationem (militibus Pisanis eam defendentibus fugatis) expugnauit, & domuit. In cuius Ciuitatis expugnatione suas acies ordinauit, & composuit, & exercitum suum constituit, & collocauit in quodam valde opportuno, & eminenti loco, quem vulgariter de bono aere appellant. Deinde Alphonsus, Rex acclamatus, & sublimatus ad supplices preces Fratris Berengarij Cantul Generalis Magistri nostræ Religionis concessit, & ex certa scientia, & donatione irreuocabili inter B viuos donauit ius patronatus, & Ecclesiam dicti loci de bono aere. Sub datum Barcinonæ 16. Cal. Nouembris huius anni 1335. Carta vero, seu priuilegium huiusmodi donationis licet fuerit signatum, & registratum haberi non potuit, interueniente, & subsecuto dicti Regis Alphonsi obitu, qui obijt in eadem Ciuitate Barcinonæ nona die Februarij anni immediate sequentis 1336.

1335.

Cui Alphonso Regi in suis Regnis, & Dominio successit Dominus Petrus Aragonum Rex, filius & hæres præfati Alphonsi. Qui sciens voluntatem Patris, & volens eius concessionem ad nostri Ordinis fauorem factam, ad debitum perducere effectum, priuilegium concessit tenoris sequentis (aliquibus caussa breuitatis demptis.)

Pateat vniuersis quod nos Petrus Dei gratia, Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, Corcicæ, &c. Considerantes Serenissimum Principem, Dominum Alphonsum diuę recordationis, Regem Aragonum, Patrem nostrum subscriptam concessionem fecisse, sub C datum Barcinonæ 16. Cal. Nouembris 1335. &c; ob magnam deuotionem, quam semper habuimus ad Ordinem B. Marię de Mercede Captiuorum, & vt bonorum, & piorum operum, quę in ipso Ordine, tàm in celebratione Missarum, diuinorum officiorum, & in redemptione Captiuorum, quam aliter continuis actibus exercentur, participes fieri, & vt huius Ordinis præcaminum facilius obtinere veniam, & ad æternam gloriam peruenire possimus, ea propter gratis, & ex certa scientia offerimus, damus, & concedimus pura, perfecta, & irreuocabili donatione inter viuos Domino Deo, & Gloriosissimæ Virgini Mariæ eius genitrici, & venerabili, & Religioso Patri Fratri Berengario, Ordinis Magistro præsenti, & recipienti nomine dicti Ordinis in perpetuum, ius patronatus Ecclesiæ Beatæ Mariæ Insulæ Sardiniæ, quam Gulielmus Iordanus Presbyter ex collatione per dictum Dominum Alphonsum Regem sibi facta ad vitam noscitur obtinere, D cum suis iuribus vniuersis. Ita videlicet quod post obitum dicti Gulielmi Iordani, vel etiam interim, (si cum eo licitè conuenire Fratres possent) perpetuo dictus Ordo habeat dictam Ecclesiam cum eius iuribus; ipsaq; iura dicti Ordinis vtilitatibus applicentur. Sub his tamen modo, forma, & conditione, ac onere, quod per dictum Magistrum ordinetur, & statuatur perpetuis futuris temporibus obseruandum, quod in continenti, modo de præsenti duo Fratres dicti Ordinis Presbyteri, & post obitum præfati Gulielmi Iordani, vel interim si cum eo conuenire poterint Fratres, & dicta Ecclesia ad Magistrum, & Ordinem deuoluta fuerit, sex Fratres dicti Ordinis similiter Presbyteri eligantur, deputentur, & ad dictam Ecclesiam destinentur. Et post obitum ipsorum, vel alterius eorum, alius E vel alij, prout defecerint inibi destinentur; sic quod semper sint in numero supra dicto. Qui quidem Presbyteri die qualibet Missas celebrent ex ordinatione Magistri, & orent ad Dominum, & faciant, & facere teneantur in celebratione Missarum specialem orationem pro salute, & prosperitate nostra, dum (permittente altissimo) fuerit nobis vita Comes.

Et quod post obitum nostrum faciant Commemorationem specialem, & expressam il-

A lis videlicet diebus quibus fieri potest Commemoratio defunctorum pro anima nostra, & pro animabus Parentum, & Prædecessorum nostrorum, Regum Aragoniæ memoriæ colendæ. Mandamus igitur præsentem Cartam Gubernatori Generali, & administratori, atque cæteris officialibus dictæ nostræ Sardiniæ Insulæ, vt eam, & oblationem, donationem, & concessionem huiusmodi teneant firmiter, perpetuo obseruent, & non contraueniant, neque aliquem contrauenire aliqua ratione permittant. Datis Ilerdæ 17. Cal. Iulij anno Domini 1336.

Obtento hoc insigni, & fauorabili priuilegio, præfatus Ordinis nostri Magister Frater 1336. Berengarius Cantul, vt eam cartam executioni demandari procurarent, & vt corporalem dictæ Ecclesiæ apprehenderent possessionem, duos tunc, & deinde alios bonos, & honestos ex Principatu Cathaloniæ ad Sardiniæ Insulam Religiosos destinauit,
B qui ad Ciuitatem Callaris peruenientes, & pacificam dictæ Ecclesiæ possessionem apprehendentes, magnos ibi religiosè, & laudabiliter viuendo fecerunt progressus, & domum, & Ecclesiam auxerunt. Inuenerunt ibi in altari maiori sitam, quandam pulchram nimis, gloriosissimæ Virginis Mariæ imaginem, quæ magna eius Ciuitatis deuotione coli, & plurimis ex ea hora corruscare uisa est miraculis.
Sed (alijs omissis) hic collocare uolo vnum ualde celebre, quod ènarrat Reuerendissimus Magister Guimeran Episcopus de Xacca in Historia nostri Ordinis quam expleuit ad annum 1591. prima parte capit. duodecimo, §. primo, de quo similiter miraculo, & de alijs multis ad longum Frater Anthiocus Brondo in Sacra Theologia Magister, eiusdem Monasterij Commendator, qui Romæ super Sancti Ioannis Apocalypsim opus non vulgare, in lucem edidit, multa verba facit in libro à se composito de fundatione sui Conuentus Ciuitatis Callaris, & miraculis per imaginem Virginis Mariæ
C editis, quod hoc accidit modo.

Quidam famosus, in arte ludendi lusor, alium in eadem arte non dissimilem ad talis ludendum lacessiuit, ac prouocauit, (sicut in tali hominem conditione contingere solet,) hac inter eos apposita conuentione, quod nisi altero eorum omnino victo, & pecunias omnes, & bona, etiam vestes ipsas in ludo amittente, victor, & lucrum reportans, a ludendo intermissionem minime facere posset.

His sic inter eos summa concordia statutis, antequam lusum iretur, ille primus, qui ad ludendum socium incitauerat, ad nostrum præfatum Conuentum, Sanctæ Mariæ de bono aere vulgariter dictum, non procul a Ciuitate Calaritana distantem, adire voluit.

Et Ecclesiam ingressus sic ad Virginem Mariam locutus est. O Dei Mater,
D afflictorum auxiliatrix, nostraque in tribulationibus vnica spes, ad te venio, quia ecce ad ludendum cum meo aduersario uado. Rem familiarem, & omnia bona, quæ habeo, & habere possum, perdere, mihi pro minimo est; sed totus honos, & totum in hac de aduersario victoria, decus sistit meum. Si tuo Virgo Sanctissima diuino suffultus auxilio, victoriam reportauero, dimidiam lucri partem, tibi fideliter donare promitto.

Quod si (quod absit) secus euenerit, te hoc ense absque dubio percutiam. Egressus de templo aduersarium offendit, in cuius domo totam ferè noctem ludendo (ancipiti marte) consumpsit. Sed (aurora aduentante;) cum omnes pecunias, & vestes vsque ad subuculam cum ense etiam quo præcingi solebat, infœliciter amisisset, victoremq; rogasset, vt sibi in domum suam reuersuro palium adminus, & ensem commodare vellet, & ille renuisset, quasi mentis inops, furibundus, & insanus, magno impe-
E tu, & celeritate ensem amissum vi a victore abstulit. Et velociter nephandum promissumque scelus sua sacrilega manu explere non erubuit. Nam a nemine præpeditus, nec visus, ad altare maius ascendit, & magno ictu gloriosissimam Virginis Mariæ imaginem in collo vulnerauit.

Ex quo vulnere, & percussione, sanguis protinus vbertim exiuit, qui altare madefecit, ipsumque percussorem intinxit, & immobilem, atque a sensibus alienum reddidit. Superueniens sacrorum custos, & recens in figura, sanguine manans signum, ac hominem illum immobilem respiciens, stupore plenus, & valde turbatus, reliquos Monasterij Fratres vocauit. Quibus omnibus accedentibus, & nouitate inaudita attonitis, homo ille grauissimum, & atrox a se perpetratum scelus cęlare, & occultare non valens, ad patefacien-

1336. dum illud fuit coactus, ac compulsus, & pro tanto temerario delicto iustè punitus. Signũ & talis percussionis vestigium in eadem sacra imagine ad hæc vsque tempora, omnes quot quot nostram Ecclesiam ingrediuntur, clare, & patenter respiciunt. Quæ Sacratissimæ, & Gloriosissimæ Virginis Mariæ imago nõ in altari maiori & principaliori, sicut à principio, sed in alio speciali, & inferiori templi sacello collocari, & reponi (miraculo patenti interuenienti) voluit. Cuius admirandę translationis, & de maiori altari ad inferius profectionis modum, sicut a præfatis scriptoribus in suis historijs narratum lingua vulgari legimus, & totius Sardiniæ Insulæ gentium traditio est, hic inserere volumus. A

Subsecuto hoc admirando signo, ingens in ea ciuitate, & aliunde erga eam Sacrosanctam imaginem recreuit deuotio; & Christi fidelium elemosynæ, & charitatiuæ largitiones in dies augebantur, ac Fratres nostri diuini Thesauri, & inæstimabilis Margaritæ possessores fœlices se reputabant, & summa lætitia, & iucunditate exemplarem, & religiosam uitam degebant. Sed gloriosissima Virgo, Mater misericordiæ, hoc qui sequitur modo lætitiam auxit, & filijs suis duplicauit annonam. B

Ex portu quodam Hispaniæ, qui penitus ignoratur, una ingens nauis Italiam versus prospero vento discessit. Sed non post multos dies cum esset in medio mari contrarijs ventis hic inde agitata, periclitari, & ferè mergi cœpit, ita ut nautæ, & nauigantes in tam euidenti mortis discrimine constituti, pro vltimo, & unico saluationis remedio, (ne omnino perirent,) merces ipsas, & pretiosa quæque, ac omnia bona, quibus lucri facere, & lucrari sperabant, quæ naui poterant esse oneri, deijcerent. Inter hæc bona, arcam permagnam recte obseratam, & clausam, magni ponderis, cuius Dominus, & quis eam in naui reposuerat, post exactam diligentiam omnino nesciebatur, ad aquas maris similiter deiecerunt.

Arca deiecta tria signa memoratu digna omnes, qui aderant notarunt, & animaduerterunt; videlicet, quod arca illa tota plena, crassa, & magna, ac ponderosa, quæ suapte natura deorsum ferri, & aquis maris cooperiri debebat, ad instar suberis leuis, cui pueri natare discentes, inniti solent, sic illa ambulans super aquas, tranquillum mare (quod fuit secundum signum) continuò reddidit. C

Et deniq; tertiũ signũ, seu miraculũ qđ sicut magnes lapis notissimus post se ferrũ, sic illa uẽ post se trahebat, & per vim contra Nautarum voluntatẽ sua virtute Sardiniã versus eã ducebat. Vnde breui tẽpore tã arca, quàm nauis ad nobilem, & principaliorem eius Insulæ Ciuitatem, quæ dicitur Callaris peruenerunt. Sed Arca proximiùs ad eã stationem, quæ Conuentum nostri Ordinis respicit, accessit, & ita arcte litori insedit, & hæsit, ut nulla ui loco dimoueri posset, cum ingens ad rei nouitatem multitudo adueniret. Sed dum multi eam dimouere, & ad terram trahere conantur, vox inter eos cuiusdam pueri intonuit sic dicentis; Quid facitis, oleum, & operam frustra perditis, & in cassum laborem inanem suscipitis. Non vos omnes, sed Fratres nostræ Dominæ nostræ, eam dimouebunt, & ad terram trahent: Accedunt igitur, cum essent uocati Fratres, & diuina gratia, qua omnia mouentur, eam loco mouerunt, & ad suum Monasterium traxerunt. Et cum ibi (plurimis astantibus, qui intrare potuerunt) Fratres arcam aperuissent inuenerunt in ea per magnam Virginis Mariæ imaginem cum puero Iesu in brachijs suis ex ligni materia fabricatam, valde venustam, & multum decoram, candelam accensam in manu tenentem, quæ ad motionẽ cadens de manu Matris, pedem Pueri adussit, ut hodierna die manifeste apparet. D

Post Gratiarum actiones, & Te Deum laudamus solemniter decantatum, dum specialis locus, & capella extruebatur, eam in quodam Ecclesiæ sacello ea nocte collocarunt. Sed o res mirabilis, omni admiratione, & stupore digna. Illa prima imago, quæ (vt nuper diximus) in altari maiori sita erat, aduentanti de nouo imagini honorem præstare uolens, de altari descendit, & locũ suum eminentem, & præcipuũ nouæ hospiti cessit, & consignauit. Ita quod die sequenti illa imago, quæ fuerat extracta de arca in altari maiori collocata apparuit; imago vero antiqua in sacello quod imagini de nouo repertæ fuerat paratum, visa est. E

Sed cum Fratres eam locorum mutationem non admirando modo, sed ab aliquo ipsorum fuisse factam pro comperto haberent; nocte sequenti, & similiter tertia, sicut eas imagines nocte prima reposuerant, uidelicet antiquam in altari maiori, & recentem in sacello minori collocarunt.

Sed semper eductam de arca in altari maiori, & antiquam in sacello inferiori, sicut eas modo videmus collocatas reperiebant.

Cœ-

B Cœpit ex ea hora imago illa, in altari maiori sita, quam vulgari vocabulo nostram Dominam de bono aere appellant, tot euidentissimis, & tantis corruscare miraculis, quod sicut in Italia Lauretanam, & in Hispania de Monserrato, & de Guadaluppo, sic hanc imaginem in Sardinia Christi fideles, ex diuersis Christiani orbis partibus venientes, voti & deuotionis gratia venerari solent. Vnde nihil aliud quàm miracula, a nostra Domina de bono aere operata, audiuntur, & circumferuntur, quæ testium depositione bene examinata, & ab Archiepiscopo Ciuitatis comprobata, Typis in magno numero mandata sunt.

Insuper solent nauigantes, & nautæ, Aduenæ, & Peregrini de longinquo venientes non vacuis manibus hanc sacrosanctam imaginem inuisere. Nam plurima magni momenti munera, largas elemosynas, & ea quæ vota vocant in magna quantitate, & numero offerunt. quibus totius templi parietes vestiti, & exornati respiciuntur, pluraque ex alto pēdere videmus. Inter hæc dona, & vota, quandam nauiculam eburneam, quam nobilis,

B & deuota Peregrina Virgini Mariæ de bono aere dono dedit, egregie perpolitam, singulari arte, atq; artificio expressam, quantitate vnius palmi cum dimidio omnes cernunt, & eius virtutem mirantes, stupefacti remanent.

Hęc igitur nauicula sicut in quarto cœlo feruida magni planetę Rota, Phœbi fax, & refulgēs Sol, qui moderator, dispensator, & Dux tēporum dicitur, sua in orbē circumuolutione, a nemine moueri videtur, sic nauicula hęc, ex se in gyro, & in circuitu suo licet vere, & realiter moueatur, nullus unquam motum eius percipere, aut sensu apprehendere potuit. Et quod omnes demirantur illud est, quod nauicula hæc sua parte anteriori, quam Proram vocant semper eum ventum, qui aquas maris agitare, & quo nauigia nauigare solent, infallibiliter, & uere indicat. Ita ut Nautæ ad diuersas partes, & Regiones profecturi, ante quam a portu discedant, ad Ecclesiam nostram se conferunt, vt a nauicula de uento, qui in alto mari dominatur, & imperium in alios habet, edoceantur. Ferè omnes Archiepiscopi, &

C Proreges, ac alij magnates de nouo ad Ciuitatem Callaris venientes, aut illac trāseuntes, hoc quod de nauicula asserimus, credere nolentes, hasta ipsimet, aut arūdine eam velociter voluunt, & in orbem torquent, sed nauicula a motu cessans, sua prora illum ventū, quo in medio mari naues mouentur, euidenter, & clare demonstrat. Sed quidam Archiepiscopus alijs curiosior, seu (ut melius dicam) incredulior post præfatum experimentū, quo quiescere nolebat, cogitans quod Catenæ, aut funiculo, quo nauicula pendet, aliquod hæreret, quod huiusmodi effectum in ea efficeret, nouum adduci iussit, cum quo nauicula ligata, eundem admirandum produxit effectum.

Hæc & multa alia in præallegatis auctoribus ad longū scripta reperimus, quibus Magister Guimeran Episcopus de Xacca addit, quod hæc gloriosissima imago suam cognominationem (de bono aere) ab hac forsan nauicula, & ab effectu quem caussat, desumit.

D Fr. Dominus Othæij Barcinonæ Prior Vir sanè pius, doctrina pollens, Religiosus integerrimæ vitæ, & assiduæ contemplationis, ob eximiam suæ vitæ Sanctimoniam magni ab omnibus æstimabatur. Bonum odorem dum uixit in Principatu Cathaloniæ efflauit, quem in morte non amisit. Obijt hoc anno 1336. in Ciuitate Barcinonæ, ubi in nostri Ordinis cœnobio honorifice fuit sepultus. 1336.

Subsecuta Prioris morte, fratres Conuentuales Barcinonæ Capitulariter Congregati, de eligendo successore, & Priore inter se tractarunt, sed tādem nullum tanto munere digniorem (cum multi præstantes adessent,) quàm Fratrem Bonanatum de Præxano iudicarunt. Quem Priorem hoc eodem anno elegerunt, de quo postea aliqua dicemus.

Procuratores, & Nuntij redemptionis, in nonnullis Castellæ partibus fuerunt impediti, & nonnulli Rectores, & personæ Ecclestasticę non permiserunt, quod elemosynas peterēt.

E Sed cū ob eam caussam nostrum Redeptionis institutū, & opus exerceri non posset, sui muneris zelo accensi ad Cōmendatorē nostri Ordinis Vallisoleti recursum habuerūt, qui apud Regē magna pollebat auctoritate, rogantes eum, ut contra pręfatas personas, instituto Redemptionis aduersantes Regem alloqueretur, & ab eo literas contra impedientes bona, & elemosynas redēptionis obtinere niteretur. Quod præfatus Cōmendator se gratiter facturū promisit, post reditū e Principatu Cathaloniæ. Quē grauissima sui Monasterij, & aliorū Castellę negotia, ad magistrū Ordinis accedere hoc An. 1337. coegerūt. Quibus ad nutū, & fœliciter vltima imposita manu, reuersus est Cōmendator ad suum monasterium, & Regi Alphonso eius nominis vndecimo (sicut promiserat) loquens, grauem porrexit quærelam contra eas personas, quæ aliquo modo institutum nostrum præpediebant, aut bona re- 1337.

demptionis occupabant. Cuius precibus Rex Alphonsus inclinatus, priuilegium concessit tenoris sequentis. A

Dominus Alphonsus, Dei gratia, Rex Castellæ, Toleti, legionis, Galitiæ, Ispalis, Cordubæ, Murtiæ, Giennis, Algarbij, Dominus Molinæ, &c. Omnibus Consiliarijs, Iuratis, Iudicibus, & alijs locorum Præsidentibus, Prioribus, Commendatoribus, subcommendatoribus, &c. Omnibus, & singulis, quibus hoc nostrum priuilegium fuerit ostensum, & præsentatum, aut eius transsumptum in forma auctentica, per publicum Notarium signatum, salutem, & gratiam. Notum vobis facimus, Fratrem Ioannem de Seuilla Ordinis Sanctæ Eulaliæ Barcinonæ, & Commendatorem domorum quas dictus Ordo Vallisoleti possidet, nobis quærelam præsentasse, in qua inter alia dicebat; quod quidam Questores illorũ, qui elemosynas procurant pro alijs necessitatibus, & operibus vltra mare; & similiter alij homines nulla auctoritate, aut iurisdictione præditi, suos Procuratores, & Fratres sui Ordinis impediebant, iniurijs afficiebãt, & eos carceri mancipare non verebãtur. Quo non solũ laudabile, & Sanctum Redemptionis opus retardabãt, & impediebãt, & miseri Captiui detrimẽtum patiebãtur; sed etiam expresse aduersabantur priuilegijs, & gratijs, quibus eum Ordinẽ Reges, nostri progenitores, & prædecessores condecorarunt; quæ omnia nos post Comitia nostra, Maditri celebrata, auctoritate nostra confirmauimus. Ideò suis precibus a nobis contendebat, vt super huiusmodi negotio, quod esset iustum, & iustitiæ consonum, prouidere dignaremur. Cuius iustis postulationibus inclinati, vobis, & vestrum cuilibet, tenore præsentium præcipimus; quod attente consideretis, & examinetis priuilegia, quæ dictus Ordo a Regibus nostris progenitoribus, & prædecessoribus obtinuit, quæ nos etiam in Comitijs Maditri confirmauimus, & ea sicut iacent, & sicut in eis continetur, obseruetis; & ab omnibus, ad quos expectat, obseruari faciatis. Et insuper non permittatis, quod bona eius Ordinis, ab aliquo impediantur, aut occupentur, sub nostræ indignationis incursu, & sub pœna centum Morauetinorum recentis monetæ. Et denique postquàm hoc nostrum priuilegium, aut eius auctenticum transsumptum fuerit præsentatum, & ostensum, pręcipimus, & mandamus omnibus, & singulis publicis Scribis, aut Notarijs, qui fuerint ad hoc vocati, vt ostentionis, & exhibitionis factę fidem auctenticam faciant, vt ex inde cognoscamus an hoc nostrum priuilegium, & confirmationis Carta executioni de-
1338. mandatur, nec ne. Datum Vallisoleti die 18. Martij 1338. Quam scripserunt Garsias Alphonsus de mandato Domini Regis, Ferdinandus Rodriguez, & Ioannes de Cabrancades.

Plures domus erãt Vallisoleti. B C

Generalis Magister Frater Berengarius Cantul, reformationis Ordinis, suæ curæ demandati, mirificus zelator, celebrare voluit vigilia exaltationis Sanctæ Crucis mensis Septem-
1339. bris huius anni 1339. in Villa Perpiniani Capitulum. Cuius definitores inter alios fuerunt Frater Iacobus de Bono passu, Gallus, Vicarius domus Sancti Martini eiusdem Villæ; Frater Gulielmus Iserni natione similiter Gallus Commendator Tholosæ, Frater Berengarius de Plano Commendator Castellionis Empuriarum, & Fr. Bernardus Guardiola. In quo Capitulo plurima ad reformationem, decorem, & vtilitatem Monasteriorum Gallię, & Principatus Cathaloniæ ordinata sunt. D

Benedictus Papa XII. confirmat omnes nostras Indulgentias, gratias, indulta, & priuilegia in forma consueta. Cuius Bullæ tenor talis est.

Benedictus Episcopus Seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro, & Fratribus domus Sanctæ Eulaliæ Barchinoñ, Ordinis Sancti Augustini, salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, siue alias Indulgentias vobis, & domui vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones Secularium exactionum a Regibus, & Prin-
1340. cipibus, & alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & domui prædictæ indultas, sicut eas iuste, & pacifice obtinetis, auctoritate Apostolica confirmamus. Sub datum Auenioni idus Martij Pontificatus nostri ann. 6. E

Magister Ordinis celebrauit Barcinonæ Capitulum Prouinciale. Cuius definitores fuerunt, Frater Bonanatus de Præxana Barcinonæ Prior, Frater Franciscus Magranerij Commendator de Argenes, Frater Gulielmus de Sancto Iacobo Commendator Cæsaragustæ, & Frater Gulielmus Portelli Commendator de Oriuxath. In quo Capitulo

non-

A nonnulla ordinata sunt, ad fauorem nostri Sancti de Redemptione instituti, & vt vberiores haberentur elemosynæ. Sub datum Barcinonæ die 7. Maij eiusdem anni 1340. De quibus omnibus fidem auctenticam facit Marcus maior, regia auctoritate Barcinonæ Notarius die, & anno quibus supra.

Frater Raymundus Cucinus, natione Gallus, Commendator Narbonæ, sui Ordinis studiosus, honestæ, & affabilis conuersationis, Verbi Dei celeberrimus Concionator, magna apud magnates, & proceres auctoritate pollens, & ab omnibus valde dilectus, plurimum dolens, quod Redemptionis opus refrigesceret, & quod nulla superioribus annis esset facta Redemptio, cura sui Narbonæ Conuentus vni Fratri demandata, totum Galliæ regnum cum suo socio circuire voluit. Vbi elemosynas ostiatim petendo, & Verbum Dei illis populis summo amore annunciando, & Captiuorum miserias, & pericula amplificando, in-
B gentia munera, & dona recepit; & magnam apud locorum Ordinarios, & eorum Vicarios gratiam adinuenit, præsertim apud Dominum Petrum Gallardi, vtriusq; iuris professorem, Vicesgerentem venerabilis, & circunspecti viri, Heliæ Amorosij in legibus licentiati, officialis Narbonæ, qui mandauit Clericis, & Parrochianis suæ iurisdictionis, vt obseruari facerent, bullas, gratias, fauores, & priuilegia nostro Ordini concessa; quæ vidisse, & tenuisse, esseque vera, & auctentica affirmat. Sub datum Narbonæ die 28. Septembris huius anni 1340. 1340.

Omnia tàm intra, quàm extra Hispaniam, turbata erant, & plurima inter fideles, & Mauros bella mouebantur. Vnde non est mirandum, si noster Ordo, a suo aliquantulum cessauerit instituto, quia ad Saracenos, Christianorum Captiuorum detentores, tutus non erat aditus.

C Sed Dominus omnipotens, in cuius ditione cuncta sunt posita, & in cuius virtute magis, quàm in multitudine armatorum est belli victoria, sui Christiani populi misertus, admirandam, & in vniuerso orbe semper prædicandam, Alphonso eius nominis vndecimo, Castellæ Regi, contra Saracenos contulit victoriam; quam vulgariter appellant (*del salado*.) Vbi supra ducenta Maurorum millia ceciderunt, præter Captiuos ex ipsis Saracenis, quorum ingens fuit numerus. Accidit hæc insignis, & celeberrima victoria 3. Cal. Septembris eiusdem anni 1340. cuius memoria lætitia magna, & anniuersaria celebratione, in illis Hispaniæ partibus, meritò colitur.

Generalis Magister Fr. Berengarius Cantul celebrauit Capitulum Prouinciale in Monasterio nostri Ordinis, quod est situm in loco Sanctæ Columbæ de Quæralta. Cuius definitores fuerunt, venerabilis Frater Bonanatus de Præxana, Barcinonæ Prior, Frater Bernar-
D dus de Villa morillo Commendator domus Castillionis Empuriarum, Frater Stephanus de Pina Commendator domus Sanctæ Mariæ de Argenes, Frater Raymundus Cucinis. Commendator Narbonæ. Quod summa pace, magnaq; Concordia fuit celebratum, vt constat per instrumentum confectum, & clausum per Bernardum Stephani Notarium S. Columbæ die 8. Idibus Iulij 1341. 1341.

Dominus Petrus Ioannis Officialis Generalis Diœcesis Elnensis suum dedit auxilium, & fauorem Fratribus, & Nuntijs Redemptionis ad effectum procurandi Redemptionis elemosynas in tota sua iurisdictione. Et insuper præcepit, & mandauit Summorum Pontificum transsumpta in forma vidimus, & in auctenticam formam redacta, posse & deberi sine contradictione in sua Diœcesi publi-
E cari, & Populis nota fieri. Sub datum 3. Cal. Septembris eiusdem anni 1341. 1341.

Frater Iacobus Sans, & Frater Simon Origuath Redemptores pro Prouincijs Galliæ, Cathaloniæ, Aragoniæ, & Valentiæ, ex Africæ partibus centum & nonaginta redemerunt Christi fideles, qui erant Captiui, eosque incolumes in Hispaniam adduxerunt. Liber. 190.

Cap. V. Vita functo Benedicto duodecimo, succedit Clemens Papa VI. qui nostrum Ordinem fauoribus prosequitur, & Generalem Cantul Episcopum Barcinonæ eligit, sed subsecuto magistri obitu, non potuit confirmari.

ENEDICTVS Papa XII. Virorum scientia, & virtutibus præstantium, ac famosorum doctorum fuit valde studiosus. Ob id mirificè dilexit Fr. Dominicum Sarrano celebrem doctorem nostri Ordinis, & similiter Fr. Berengarium Cantul Generalem Magistrum, quos ad dignitates Ecclesiasticas promouere habebat in animo. A quo proposito non egressus, sæpe de hac re sermonem habuisse ferunt. Sed inimica mors, relictio corporis, Sarcinæ Grauis depositio, corruptæ naturæ munus necessarium, qua nihil horribilius, nihilque certius, omnia turbauit, & totum terrarum orbem tanto Pastore priuauit Auenioni 7. Cal. Maij huius anni 1342. A

1342. Subsecuta Summi Pontificis morte, Cardinales, qui remanserunt, (celebratis prius pro anima eius nouemdialibus) in Summum Pōtificem elegerunt nonis Maij, Fratrem Petrum Rogerij Ordinis Sancti Benedicti, Presbyterum Cardinalem Tituli Sanctorum Nerei, & Archilei, qui Clemens VI. appellari voluit. Cum hoc Summo Pontifice non minorem necessitudinem, & familiarem amicitiæ vsum habuit Fr. Berengarius Cantul Magister Generalis Ordinis, quam habuerat cum Benedicto eius Prædecessore. Ob id ad eum recenter electum, literas cum verecundia misit. In quibus testabatur se gaudere, fuisseque vehementer gauisum de sua ad summum Pontificatum assumptione, eumque exorabat, vt nostri Ordinis, ære alieno ob famosas redemptiones oppressi, misericorditer recordaretur. Cuius precibus Sanctissimus Pontifex inclinatus, Bullam concessit tenoris sequentis. B

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Quoniam (vt ait Apostolus,) omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi, prout in corpore gessimus siue bonum fuerit, siue malum: oportet nos diem messionis extremæ operibus misericordiæ præuenire, & .... seminare in terris, quod reddente Domino eum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis, firmam spem, fiduciamq; tenentes; quoniam qui parcè seminat, parcè, & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet vitam æternam. C

Cum itaque sicut accepimus, per dilectos filios Magistrum, & Fratres domus S. Mariæ de Mercede, Captiuorum, Barcinonē, Ordinis Sancti Augustini; Christiani, qui pro tempore per Inimicos fidei Christianæ detinentur Captiui, consueuerunt actenus redimi de diuersis mundi partibus, à prædictis Inimicis detineantur Captiui, ad quorum liberationem Christi fidelium elemosynæ sint plurimum opportunæ, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentè, in remissionem peccaminum uobis nihilominus iniungentes; quatenus de bonis vestris a Deo collatis, pro redemptione Captiuorum pias elemosynas, & grata charitatis subsidia erogetis; vt per subuentionem huiusmodi præfati Captiui valeant redimi. Et vos per hæc, & alia bona, quæ (inspirante Domino) feceritis, ad æternæ possitis fœlicitatis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus uerè pœnitentibus, & confessis, qui pro redemptione Captiuorum huiusmodi eisdem Magistro, & Fratribus elemosynas, & subsidia erogauerint, vnum annum, & quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxamus: Datum Auenioni secundo idus Iulij. Anno nostri Pontific. 1. D E

Idem Summus Pontifex, Clemens Papa VI. volens Fratrem Berengariū Cantul Ordinis nostri Generalē Magistrum, valde sibi in minoribus amicum, honoribus insignire, & ad Cardinalitiam dignitatem promouere, prius eum Barcinonæ Episcopum nominauit, & elegit. Cuius dignitatis, & Episcopatus possessionem apprehendere non valuit (subsecuto eius obitu.) Quod autem hic noster Religionis Magister fuerit electus Barcinonę Episcopus, manifestè referunt Magister Zumel, & Magister Rodriguez Episcopus Rossensis, & ante eos Reuerendissimus Magister Frater Natalis Gauer.

Idem

A Idem Summus Pontifex Clemens Papa VI. confirmat nostras Indulgentias, & priuilegia per hæc verba. Dilectis filijs Magistro, & Fratribus domus Sanctæ Mariæ de Mercede, Captiuorum, Barcinonensi Ordinis Sancti Augustini, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias Indulgentias vobis, & Ordini vestro concessas; nec non libertates secularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & Ordini vestro indulta, sicut ea iuste & pacifice obtinetis, confirmamus. Datum Auenione secundo Calend. Martij, nostri Pontificatus anno secundo. 1343.

B Eodem anno aliam bullam concessit in hunc modum. Vniuersis Christi fidelibus, &c. Quoniam ut ait Apostolus omnes stabimus ante tribunal &c. Cum itaque sicut accepimus, dilectis filijs Magistro, & Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Captiuorum, tam pro eorundem Magistri, & Fratrum sustentatione, quàm prædictorum Captiuorum redemptione, propriæ non suppetant facultates; nos eorundem Magistri, & Fratrum supplicationibus inclinati, uniuersitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, vobis in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus de bonis a Deo collatis pias eis maxime pro ipsorum Captiuorum redemptione elemosynas, & grata charitatis subsidia erogetis; ut per vestram huiusmodi subuentionem, eorum inopiæ, & dictorum Captiuorum redemptioni etiam consulatur; vosque per hæc, & alia bona, quæ (Domino inspirante) feceritis, possitis ad æternæ fœlicitatis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, qui de bonis sibi a Deo collatis pias eis elemosynas erogauerint, C centum dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Præsentes autem literas mitti per Quæstores districtius inhibemus. Datum Auenione 16. Cal. Nouembr. Pontificatus nostri anno 3.

Circa copias, & transsumpta bullarum sub nomine Clementis Papæ VI. obseruandum est, quod illa transsumpta ad fauorem nostri Ordinis concessa, quarum data, non fuerit Auenioni, non sunt huius Pontificis, nullaque eis debet adhiberi fides. Scio enim plurima transsumpta reperiri modo in Monasterijs nostri Ordinis Prouinciarum Castellæ, & Bœthicæ, quarum data est Romæ, vbi numquam hic Pontifex sedit neque a Gallia discessit, vt clare constat ex vita, & gestis eius; ob id huiusmodi copiæ, seu transsumpta non huius Pontificis Clementis Sexti, sed Clementis Septimi, vel alterius Clementis, qui Romæ moram aliquando traxit, necessario debent D esse.

Frater Ioannes de Luca vtriusque iuris Doctor celeberrimus, Redemptor electus (nescio cuius fuerit Prouinciæ) ex Africæ partibus 116. Christi fideles redemit, eosque in Hispaniam incolumes duxit. Liber. 116.

Generalis Magister Fr. Berengarius Cantul, nonus in Ordine, sed inter Clericos secundus, fuit Genere illustris, & ditissimis Barcinonæ Parentibus natus. A teneris annis Deum colere studuit, & vsque adeò Parentes suos reuerebatur, vt ne latum vnguem ab eorum præceptis, & voluntate discedere vnquam habuerit in animo. Ecclesias libenter non ad vanitates (vt mundani iuuenes solent) sed ad sacrum audiendum, ad orandum, aut Concionatorum verba percipienda frequentare studebat. Spiritu feruentes, & famosos sacri elogij prædicatores diligenter perquirebat, eorumque concionibus ita attente, & deuote suum auditum præstabat, vt aliquando post E meridiem, domum suam ieiunus rediens, cibum sumere recusabat, nisi prius coram patribus suis, & tota domo Concionatorem, quem illa die audierat, tùm uerbis, tùm sono, atque gestu verba eius, & totam ferè concionem recitando, ad viuum imitaretur.

In grammaticis cognoscendis, & Philosophia adiscenda, multùm insudauit. In quibus tot, ac tantos breui fecit progressus, ut cum peritissimis posset iure optimo comparari. In sacra Theologia adeò profecit, ut in florentissima illo sæculo Lutetiæ Parisiorum vniuersitate doctoratus gradum summo honore acciperet; vbi

vbi grauissimos, & doctissimos, qui ad magnas dignitates fuerunt deinde assumpti, condiscipulos habuit. A

Et licet his studijs esset ualde intentus, numquam tamen orandi studium, & pietatis officia prætermisit. Doctor factus, magni ab omnibus habebatur, & condecorabatur, ac celebris erat in Gallia, & in Cathalonia fama, & eius nomen. Quam dulcem mundi compositis crinibus auram aufugere statuens, ad nostram Sacram Religionem tamquam ad Sacram ancoram tutumque portum se contulit. In qua apprimè in essentialibus, & ceremonialibus instructus, suæ futuræ prudentiæ insigniumque virtutum, & quantus in Ordine futurus esset, optimum statim specimen dedit. Erat modestia, quæ est basis virtutis, & fundamentum, valde exornatus, ex qua pullulabat eximia in suis dictis, & factis moderatio; nam sermones suos libra iustitiæ bene B examinatos proferebat. Tres super omnes alias (toto tempore vitæ suæ) dilexit sorores & virtutes, quarum fuit mirificus cultor; mortificationis scilicet, humilitatis, & charitatis. His ita deditus erat, ut inspicientes, & eius opera & actiones contemplantes, ad Deum glorificandum incitaret, & in admirationem eos venire faceret. Solebat per singulos dies Fratribus ægrotantibus, & laborantibus blande, & charitatiue ministrare.

Quo non contentus publica Ciuitatis, ad quam accedebat, xenodochia, & valetudinaria, formam Serui, & Infirmarij accipiens, adire, & ibi infirmis omnibus etiam in minimis, & abiectis deseruire, non dedignabatur. Vt bonus, fructuosus, & spiritualis medicus in animarum langoribus, & morbis curandis, se totum occupabat, & bona cœlestium donorum spe eos recreabat, ac valde vtili, & suaui arte ad tolerantiam, & patientiam hortabatur. Quæ Sancta, & ægregia opera, etiam Ordinis Magister exercere non cessauit. C

Prioratum Barcinonæ, & Magistratum Ordinis summa prudentia, mansuetudine, & fortitudine quibus ornauit eum Dominus; rexit. Magno Ordinem amplificandi, & augendi ardebat desiderio. Plurima bona in religione fecit, vt refert Magister Zumel, & præallegati auctores. Propter has singulares virtutes fuit (vt supra tetigimus) ad Episcopatum Barcinonæ patriæ suæ a Clemente Papa VI. assumptus, & procul D dubio (vt communiter ferebatur,) Cardinalitio honore, si superuixisset exornatum Ordo eum videret. Sed antequam Episcopatus sui confirmationem obtineret, cum sanctitatis fama, communi morte deletus est, bene tamen in libro vitæ, ubi nullis
1343. delebitur casibus, digito Dei in æternum scriptus. Obijt hoc Anno 1343. quarto nonas Decembris, & fuit ingenti vtriusque status, Clericorum, Religiosorum, Principum, magnatum, & totius conditionis multitudine Comitante, in Capella Sancti Eligij Barcinonæ, in loco specialiter ad hoc deputato collocatus. Tempore sui Ma-
Liber. 621. gistratus de manu Inimicorum nostrorum liberati sunt Christi fideles 621.

Cap. VI. Eligitur in Ordinis Magistrum Fr. Vincentius Riera, eique post mortem succedit Frater Dominicus Sarrano S.R.E. Cardinalis.

CELEBRATIS Generalis Magistri exequijs, Prior Barcinonę Fr. Bonanatus de Præxana, (Magistratu vacăte) Vicarius Generalis totius Ordinis, iuis conuocatorijs literis, electores ad nouum Magistrum eligendŭ conuocauit. Qui sine contradictione eius literis obtemperantes, ad diem præfixam venerunt. Deinde Sancti spiritus missa solemniter decantata, & a præfato Priore, seu Vicario Generali, breui admonitione pręhabita, ad electionem processum est. Et suffragijs ab scrutatoribus diligenter enumeratis, constitit, eundem Priorem unam vocem habuisse, omnes vero electores, & definitores sua suffragia dedisse discreto Viro Fratri Vincentio de Riera, natione Gotholano, mirifico Ordinis Zelatori. Qui post electionem de sua Persona factam, & Apostolicam confirmationem, obtinuit a Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa VI. nostrorum priuilegiorum, & immunitatum E

Sub

A Sub datum Auenioni hoc anno 1344. quinto idus Martij. 1344.

In Vigilia Pentecostes eiusdem anni, Generalis Magister celebrauit Barcinonæ Capitulum Generale, (vt refert Magister Gauer, in Annalibus nostri Ordinis, in vita decimi Generalis Magistri) in quo prudenter satis se habuit, definitores, & electores ad reformationē exhortans. Quibus significauit, nihil se addere, aut minuere in Ordine velle. Sed quod solū habebat in animo, quæ a suis Prædecessoribus salubriter statuta, & ordinata fuerant, operam nauare, vt ab omnibus obseruarentur, & executioni demandarentur.

Fr. Paulus de Lara, genere illustris, sed virtutibus nobilior, cum a Prouinciali Castellæ redemptor anno præterito eligeretur, tunc suo socio Comitatus in Granatæ regnum ad suū munus explendum proficisci voluit, sed nihil boni egit, ob ingentia bella inter Alphonsum Castellæ regem, & duos Saracenos Reges. At (Algezira Capta, bellicisq; rebus sedatis,
B & compositis.) ex eodem Granatæ regno non cum magno pretio ducentos & nouem redemit Captiuos. *Liber.* 209.

Inter optimos nostræ Religionis Magistros, Historiæ nostræ, & nostri Ordinis scriptores Fratrem Vincentium Riera enumerant, eumq; Generalis Magister Gauer, & Magister Zumel, plurimùm commendant. Sub tanto Magistro vniuersus Ordo noster summa pace, & magna tranquillitate fruebatur. Barcinonæ Principes, & magnates magna cum obseruantia colebant, eiusq; consuetudine (licet quantum in se esset, sæculares personas fugeret) mirificè delectabantur. Episcopi eius Ciuitatis Patriæ suæ, vnicè Fratrem Riera diligebant, plurimi faciebant, & ex eius hilari, & læta præsentia lætitiam non modicam capiebant. Ad afflictos subleuandos, & necessaria Fratribus, qua decet charitate præstanda a natura natus videbatur.

C Tanto Pastore, Sanctæ Religionis nostræ vberrimi in dies conspiciebantur fructus, & reformatio valde augebatur. Quæ non rigido modo, sed summa in omnes charitate, & suauitate, ac in subditis regendis vigilātia plusquàm paterna, condita, fiebat, & excrescebat. Et vt vnico verbo, huiusmodi materiæ finem imponam, fœlicem Ordo tanto Rectore, ac beatum se reputabat, & nullius alterius prosperitati inuidebat. Sed tantæ iucunditati, & lętitiæ mæror nimius inuasit. Eo enim anno 1345 in initio mensis Martij tempore quadragesimali in grauem, & ardentem incidit febrim, quæ per plures dies eum diuexauit, & Ecclesiæ Sanctæ prius bene Sacramentis munitum communi luce priuauit die 25. eiusdem mensis, quæ Annunciationi Virginis Mariæ dicata est. Hinc cunctis, qui aderant prę nimio dolore, in terram cadere lacrymæ incipiunt. Nullus fuit in vniuerso Ordine, qui tanti Magistri iacturam non lugeret. 1345.

Fuit in sua Ecclesia apud Patres suos religioso more die sequenti sepultus. Tempore
D huius Magistri vnica tantum redemptione liberati sunt de potestate Saracenorū 209. Christi fideles. *Liber.* 209.

Post mortem Magistri Fratris Vincentij Riera, Prior Barcinonæ Fr. Bonanatus de Præxana, Vicarius Generalis effectus, ad Comitia Generalia, Barcinonæ celebranda, definitores, & electores conuocauit, & venire iussit. Quibus Capitulariter Congregatis imposuit, eosque admonuit, vt nullo patriæ, nationis, cognationis, aut amoris, alioque humano habito respectu, sed solùm ante oculos suos Deum habentes, & totius Ordinis decori, & commodo prospicientes, & consulentes, ita se bene tractarent, quod Magister per eos eligendus, meritò posset, in de mortui Magistri Riera collocari, & sufferri locum.

Hæc & similia Vicarij Generalis verba, omnium definitorum, & electorum corda ita ardenter penetrarunt, ut nullum alium, quam Fratrem Dominicum Sarrano, natione
E Gallum, celeberrimum in Decretis Doctorem omnium sui temporis doctorum facilè Principem, ad Magistratum Ordinis assumendum iudicarent.

Et sic summa concordia, & pace ante festum Penthecostes huius præsentis anni 1345 magno applausu, & vniuersali consensu Magister totius Ordinis acclamatus est. 1345.

Magister electus, & a Sede Apostolica confirmatus, statim de Ordinis decore, & augmento egit. Et sui Sacti instituti non immemor ad Sanctissimum Pontificē recursum habuit, ei humiliter supplicando, ut Fratres nostri, & Redemptionis Procuratores, ac Nuntij a nemine præpediri, aut retardari (dum elemosynas à Christi fidelibus petunt) vllo modo possunt. Cuius precibus sanctissimus inclinatus suas literas in forma Bullæ plumbeæ concessit tenoris sequentis (aliquibus demptis.)

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, Apostolicam benedi- A
ctionem,&c. Non obstantibus Constitutionibus olim per dominum Clementem bonæ memoriæ Papam V. in Vienensi Concilio de Quæstoribus, factis, quæ incipiũt; Abusionibus, &c. Quia isti non sunt Quæstores, sed Religiosi habitum portantes, nostros Fratres Christianos redimentes. Quare Indulgentias eis concessas, volumus, & concedimus perpetuis futuris temporibus duraturas,&c. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus benefactoribus dicti Ordinis,& Redemptionis, singulis diebus vsq; ad vnum mensem, vnum annum, & quadraginta dies
1345. de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Sub datum quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno 4.

Fr. Ludouicus de Sancto Martino Gallus pro sua Prouincia Franciæ, & Frater Dominicus de Perpiniano ex Insulis Balearibus pro Prouincia Cathaloniæ Redemptores de- B
putati, ex Africæ partibus centum quinquaginta tres Christi fideles redemerunt,eosq; Bar-
Liber. 153. cinonam incolumes duxerunt.

Generalis Magister Fr. Natalis Gauer, qui scripsit historiam nostri Ordinis vsque ad sua
1346. tempora, refert,quod hoc anno 1346. Magister Fr. Dominicus Sarrano celebrauit Capitulum Generale in Ciuitate Barcinonæ,in festiuitate Penthecostes. In quo ante oculos definitorum inter alia proposuit, quantum meritorium esset, apud Deum, nostrum de Redimendis Captiuis institutum, quantumq; ex eo noster Ordo alijs præstaret,& reliquis ordinibus, fundatis in vinea domini, fructuosiorem, vberiorem, meliorem, arctiorem, potiorem, altiorem, & perfectiorem statum haberet. Si sequamur (dicebat) sententiam Theologorum, præsertim Diui Thomæ superioribus annis in Sanctorum numero relati, 22. q. 189. art. 8.) nulla Religio hucusq; Instituta, nostra de Mercede perfectior est, neq; nostræ comparari debet. Nam perfectio religionis (vt plurimi ex vobis rectè sciunt) principali- C
ter, & essentialiter in charitate consistit,per quam Deo coniungimur.

Si ergo nostri Fratres ex sui muneris, & instituti debito, tenentur propter amorem Dei, suas animas pro Fratribus nostris Captiuis, cum vitæ propriæ dispendio ponere, (vt multi ex nostris Redemptoribus summo amoris, & charitatis signo opere compleuerunt) maiorem charitatem, quam aliæ Religiones habemus. Nam maioris charitatis, & dilectionis indicium est, si quis ob amicum alteri seruiat, quam si soli amico seruiat, & cum proximi dilectio (vt ait Diuus Gregorius in Pastol. 1. p. c.5.) ex abundantia dilectionis Dei proueniat, & nos Captiuis seruiamus, & eis obsequium præstemus, ac pro eis vitas nostras ponamus, ob dilectionem,amorem,& charitatem Dei; euidenter sequitur maiorem charitatem in nostra religione reperiri, quam in alijs ordinibus. & consequenter esse nostrum Ordinem alijs perfectiorem, quia ad perfectiorem est ordinatus finem, qui est maxima charitas D
erga proximos in periculo constitutos, propter,amorem Dei.

Et non solum Fratres nostri circa charitatem summam versantur, sed ad martyrium ob fidei defensionem obligantur, Nam videntes Captiuos Christianos in discrimine fidei amittendę probabiliter constitutos,in eiusdem Catholicæ fidei fauorem,& defensionem martyrium sumere non formidant.

Si vero nostrorum Canonistarum sententiam attendamus, & eligamus, videlicet quod præstantia,& excellẽtia,& maioritas religionis,in arctitudine,& asperitate vitę consistat,& penes arctiorem statum attendi debeat,nostra Religio de Mercede non est alijs ordinibus laxior, bene tamen durior,& arctior.

Non ne Fr. nostros ab initio, ob asperum,& durũ vitæ genus,circa quod eos versari oportet Fratres de pęnitẽtia semper fuisse appellatos iure optimo,agnouimus. Quid (quęso) in- E
suauius, & durius (si hoc iugum ob amorem Dei suaue non redderetur,) quã patriæ fines,& dulcia linquere arua? Quid asperius, quam in ciuitatibus, & populis elemosynas ostiatim petere,& eas per loca aspera,& vias nõ bonas procurãdo,in sudore vultus sui vesci pane suo? Quid horridius,quam sępè trasmarinas peregrinationes amplecti, & cũ sæuis,inhumanis,& crudelibus Saracenis fidei nr̃æ Inimicis cõuersari? Quod Fratres nostri lineis nõ vtãtur ad carnes,sine caligis incedant,in ieiunijs, & alijs (vt cõstitutiones nostrę disponũt) asperitatibus se exerceãt,& orãdo,& laborãdo illas duas celebres sorores Mariã,& Marthã imitẽtur, & sequãtur,non ne Ordinẽ nostrũ famosum,valdeq perfectũ,& decorũ simulq; asperũ reddũt. Si hęc vera sunt,magnipendamus,& in magna ęstimatione Ordinẽ nostrũ habeamus. Sanctũ,

Y. &

A & diuinum Redemptionis munus. (a quo in nobis summum decus, & magna gloria procedunt, cæterisq; Religionibus longè nostram excellere facit) non fraudulenter, non negligenter; sed impigrè, fideliter & sedulò exercere de iure tenemur. Deinde plurimis, & efficacissimis rationibus ostendit, Fratres nostri Ordinis in Redemptores a Capitulis deputandos, debere esse sacerdotali dignitate præditos, Viros prudentes, in rebus agendis dexteritate valentes, ætate maturos, & super omnia, honestate, & literarum cognitione præstantes, qui sciant (si necesse fuerit) Infideles conuincere, & falsa eorum dogmata infringere. Hac de causa Sacrę Theologię, & Philosophiæ studia fore augenda decreuit; & ex Definitorum voto pro lectura, & studentium commoditate fuerunt Monasteria Montis Pessulani, Gerundæ, & Podij deputata, & alijs studiorum domibus super addita.

Frater Alphonsus de Lara, & Frater Andreas Ximenez pro Prouincia Castellæ, & Bœ-
B thicæ Redemptores ex Granatæ Regno 128. Christi fideles redemerunt, eosq; incolumes ad propria destinarunt. *Liber.* 128.

Generalis Magister Fr. Dominicus Sarrano, licet valde senex, nullum quod bonum, & solertem decet pastorem, prætermisit studium Hoc an. 1347. nõnulla Cathaloniæ, Aragoniæ, & Valentiæ Monasteria personaliter visitauit, omnes fratres ad amorẽ, & Dei timorẽ, atq; ad virtutes amplectendas verbo, & exemplo hortando. Similiter vt animosè ad literas incumberent, omnẽ curam adhibuit. Monasteria Regnorum Castellæ, & Bœthicę visitare non valuit, quia erat plenus dierum, & præ nimio studio, corporis vires, & virtus eius visiua paulatim decrescere, & deficere incipiebant. Ob id citissimè in Galliam reuersus est, vt in Ciuitate Montis Pessulani patria sua, animæ corporisq; saluti consuleret, ne mors (ut ipse dicebat) imperatum eum reperiret. Ægrotus & senectutis morbo defatigatus, nemini 1347.
C fuit molestus. Æquo, & intrepido animo mortem iam vicinam, & imminentem, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, & fidei armatura fortiter munitus expectabat. Magna dixit, & & fecit in uita sua, summisq; præconijs non solum nostri scriptores, sed etiam externi eum commendant, & prædicant. Inter grauissimos, & præstantissimos illius sæculi in Decretis Doctores primum locum obtinuisse omnes fatentur. In vniuersitate Parisiensi toto terrarum orbe celeberrima (dum adhuc iuuenis esset nemine discrepante) Doctoratus gradum summa laude, & multiplici plausu suscepit.

Fuit deinde vt ait Magister Zumel in uita vndecimi Generalis Magistri, eiusdem Parisiensis Collegij Decanus, & inter doctores primus. Quam dignitatem ita fideliter, & constanti animo defendit, & exercuit, vt quorumcumq; examinandorum approbatio, & ad doctoratus gradum admissio, ad solius Magistri Sarrano sententiam, & consilium expectaret; a cuius ore reliqui doctores pendebant. In ea vniuersitate, & Mõtis Pessulani per plures an-
D nos Cathedram publicè & fructuosè rexit, habuitque grauissimos, qui magnos honores receperunt, discipulos. Eius lectionibus interesse, atq; scripta magnifacere plurimi aliorum Ordinum præstantissimi viri solebant. Ex prædicatorum Ordine Fr. Dominicus de Tholosa, qui etiam Sacræ Theologiæ non fuit ignarus, Fr. Barnabas Versellensis in iure Canonico doctor excellens; & Fr Petrus de Palude eximius iure consultus. Magnam habuit, dũ Parisijs legebat, & in eo Gymnasio Cathedram pro rostris regebat, cum Fr. Henrico de Vrimania Augustiniano, in omni doctrina valde insigni, & cum Fr. Bernardo Oliuario eiusdem familiæ alumno Parisiensi celeberrimo doctore necessitudinem. Et deniquè vt ad maiora, & altiora nostri Generalis Magistri Sarrano præconia transeamus, nullus erat ex omni religioso cætu, qui eum non percoleret, & in magno pretio haberet.

Quadam die quidam Religiosus natione Gallus, Ordinis Sancti Benedicti, Congre-
E gationis Cluniacensis, cui nomen erat Frater Gulielmus Grisatus accessit ad Magistrum Sarrano, vtpote Doctorum in Pariensi Gymnasio examinatorem, rogans eum, vt in ea vniuersitate ad doctoratus gradum in Decretis eum promouere de benignitate vellet. Cui Magister Sarrano cùm sine præuio, & riguroso examine fieri non posse respondisset, subiunxit Fr. Gulielmus.

Attende Reuerende Pater me in alijs huius nostri regni famosis vniuersitatibus Doctoratum, quem a te peto, summa laude recepisse. Non operam perdas (respondit Decanus,) si in alijs Galliæ Gymnasijs, Doctoratum suscepisse magno honore te iactas, & condecoras, eo virtutis tuæ præmio te esse contentum oportet. Si autem superiùs ascendere exoptas, te tremebundo exponito examini, in quo (pater mi) non tibi

1347. facio iniuriam, neque insolitum, aut iniustum a te peto. Insuper te scire volo, huius A
Parisiensis vniuersitatis, & earum in quibus gradum suscepisse affirmas, dissimillimam esse rationem, magnumque inter eas versari discrimen. Tandem illum examinauit, & suis postulationibus acquiescere nolens, dixit ei. Magnæ (vt video) literaturæ capax es, plurimaque in iuuentute tua te didicisse sum expertus, quorum maiori ex parte, dignitatibus, oneribus, & tui Ordinis occupationibus præpeditus oblitus es. Approbationem ergo, & facultatem, quam a me instanter petis, vt ad doctoratum promoueri valeas, si tibi concederem, Deum Optimum Maximum offenderem, meam conscientiam inquinarem, cœtum tantorum doctorum per vniuersum mundum celebratorum (quorum ego sum minimus,) te inter eos collocando maximopere macularem, & tibi ansam præbendo, vt studia omissa faceres, damnum inferrem magnum.

Te igitur oportet bonum talentum a cœlo datum cum multiplicato fructu Domino reddere. Consulo ergo tibi, vt Ordinis tui officijs, & dignitatibus supersedeas, quibus liber effectus, ad literas omni conatu incumbas. Quam repulsam cum Frater Gulielmus Grisatus sibi non ad vindictam, & odium, sed ad utilitatem suam fuisse factam attendisset, in eam verecundiam adductus est, vt nefas duceret, si totis suis viribus, ludo literarum operam non nauaret. Sicque hanc reiectionem a tanto magistro factam patienter tulit, & taliter deinceps in sacrorum canonum studio insudauit, ut numquam die, ac nocte studia intermiserit, & cupiditas eius discendi in dies ingrauesceret, essetque caussa, quod ad examen reuersus, non solum de condigno doctoratum mereretur, sed totum illum Doctorum, & sapientissimorum virorum cœtum, in admirationem raperet. Vnde hac uia, qui numquam fuit, Episcopus, neque Cardinalis, & absens a Gallia, post mortē Innocentij Papę VI. ad summum Apostolatum assumptus est, & Vrbanus V. appellatus. Quod autem noster Magister Sarrano Vrbanum Papam V. in minoribus constitutum examinauerit, & reprobauerit, expressè affirmat Magister Zumel in loco citato, & multo antea C
Doctissimus Magister Gauer.

Vrbanus igitur Papa Quintus in Petri sede sublimatus, Magistri Sarrano sui examinatoris, & promotoris non immemor, S. R. E. Cardinalem creauit, & publicè declarauit, licet iam esset mortuus.

Quod autem Magister Fr. Dominicus Sarrano fuerit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis manifestè affirmant Magister Gauer. & Magister Zumel, & omnes nostri Ordinis scriptores, & Carolus Tapia Iureconsultus, & veridicus historiographus de religiosis rebus in Authen. ingressi capit. 37. & nonnulli alij. Non tamen (vt præfati auctores affirmant) Cardinalatus insignibus, & ornatu fuit purpuratus, quia ante talem creationem, & nominationem fuerat uita functus. Obijt enim in nostro Monasterio
1348. Montis pessulani die nona Iulij huius anni 1348. Cuius morti adfuerunt plurimi D
Grauissimi Patres, fuitque præsens Frater Pontius de Barellis Commendator Perpiniani, qui die sequenti decima mensis inuentarium de bonis Generalis defuncti in forma auctentica fieri fecit, quæ vt ait Magister Gauer multa, & magni valoris erant.

Supposito iuxta præfatorum doctorum sententiam, Magistrum Sarrano fuisse nominatum S. R. E. Cardinalem, licet iam obierat, restat modò probandum, a quo Romano Pontifice fuerit facta huiusmodi nominatio, & creatio. Non enim iudico fidem adhibendam fore, ijs qui affirmant, ab Vrbano Papa Quinto fuisse Cardinalem creatum. Et ratio huius est, quia hic Summus Pontifex fuit natione Gallus, & cœpit Ecclesiam Dei regere anno Domini 1362. videlicet anno quatuordecimo ab obitu huius nostri Generalis Magistri Sarrano, qui erat similiter Gallus, & in Gallia valde cognitus, & E
solemnissimus doctor. Et non est credendum Vrbanum Papam V. per tot annos ignorasse obitum Magistri Sarrano sui conterranei, examinatoris, & promotoris. Præsertim cum constet, & videamus ad oculum, huiusmodi Cardinalium creationes, & promotiones duobus fieri modis; primo ad supplicationem, instantiam, & preces Regum, & Principum Christianorum; altero modo ad nutum, & proprium motum Summi Pontificis, qui habita prius matura deliberatione, & Personarum ad tantam dignitatem eligendarum speciali, & exacta notitia, eos solum creare solet, quos bene agnoscit, & recentem de eis habet notitiam.

Ex his colligo Magistrum Sarrano fuisse Cardinalem creatum a Clemente Papa VI.
qui

A qui hoc anno 1348. erat in humanis, & Magistrum Berengarium Cantul Episcopum Barcinonæ elegerat ea spe, vt deinde ad Cardinalitiam dignitatem eum promoueret. Vel ab Innocentio Papa Sexto, qui Ecclesiæ Sanctæ Dei gubernacula suscepit anno Domini 1352, & Religiosarum Personarum fuit valde studiosus, & plures diuersorum Ordinum creauit Cardinales. 1346.

Qui autem primam opinionem tutari vellet, asserendo nostrum Magistrum Sarrano ab Vrbano Quinto fuisse Cardinalem nominatum, eum asserere oportet, Vrbanum Pontificem, Virum Sanctum, & rectum, & gratum in suæ memoriæ Thesauro reconditam, & repositam, & semper recentem habuisse nostri Magistri Sarrano integritatem, fortitudinem, & seueritatem, qua prima vice, nullo humano habito respectu eum ab examine reprobatum reiecerit, secumque tacitum sæpe dixisse; faxit Deus,
B quod se offerat occasio, qua tanti viri meritorum partem assequi, & beneficiorum in me collatorum monumentum ostendere valeam; non tamen potuisse cum Magistro Sarrano continuam, & sine interuallo familiaritatem, & consuetudinem continuare; & sic non mirandum si obitum eius ignorauerit; eo quod hic Pontifex in minoribus constitutus, licet (vt diximus) non esset Cardinalis, sed solum sui Ordinis Abbas, multas, & magni momenti ad diuersas orbis partes, pro Romana Ecclesia legationes obiuit, præsertim ad Vicecomites in Italia. In qua legatione, a Collegio Cardinalium absens, fuit Summus Pontifex acclamatus.

Et sic peregrinus a Patria per plures annos poterat Magistri Sarrano obitum ignorare Sed Papa creatus, statim reducens ad memoriam verba cum repulsa, suæ exaltationis caussa, quæ dixerat ei Magister Sarrano, decreuerit eum cohonestare.
C Et ob id, ut inter suos Sacri Collegij Cardinales Virum doctissimum Sarrano haberet, cuius singulares virtutes, admirabilem rectitudinem, & intrepidum animum fuerat expertus, eum Cardinalem creauit, sed iam (vt diximus) communi luce erat priuatus. Tempore huius vndecimi Magistri, de potestate Saracenorum liberati sunt Christi fideles 281. Liber. 281.

Cap. VII. Eligitur XII. Generalis Magister, qui plurima bona in Ordine fecit, & plures Redemptiones fieri iussit. Alphonso Castellæ Regi succedit filius Petrus cognomento crudelis. Clementi Sexto succedit Innocentius Sextus, quo vita functo eligitur Vrbanus Papa Quintus. Et Generalis Magister religiose obijt.

D
VBSECVTO Cardinalis Sarrano obitu, & exequijs eius religioso more celebratis, tunc Commendatores domorum Perpiniani, & Montis Pessulani per Nuntium specialem suas direxerunt literas, Fratri Bonanato de Præxana, Barcinonæ Priori, & (Magistratu vacante) Vicario Generali. Quibus eum certiorem faciebant de morte Magistri Sarrano, & de bonis omnibus, quæ post mortem eius fuerant inuenta; transmittentes similiter inuentarium in auctentica forma, coram publico Ciuitatis Montis Pessulani Notario, & testibus factum. Quibus receptis Prior Barcinonæ, Vicariusque Generalis effectus, ad Generalia
E Comitia Barcinonæ habenda, Definitores, & electores suis literis conuocauit, & accedere iussit. Qui Prioris dictis obedientes, ad illud Religionis primum cœnobium conuenerunt, & ibi vnanimiter Congregati in duodecimum Ordinis Magistrum summa pace, & concordia elegerunt Fratrem Pontium de Barellis, natione Gallum, Patria Tholosanum, dignissimum in Decretis doctorem, nobilissima prosapia natum, Perpiniani actualiter Commendatorem; qui licet Magistratum Ordinis voluntarie acceptauerit, commendam Perpiniani non dimisit, sed eam vnà cum Generalatu totius Ordinis retinere voluit.

Frater Paulus Ægidius Gotholanus, pro sua Prouincia Redemptor, in Africam profectus

Liber. 104. ctus ex Ciuitate Buggiæ, & alijs Infidelium locis centum & quatuor Christi fideles fęliciter A
redemit, eosq; secum Barcinonam duxit.

1349. Hoc anno 1349. In vigilia Penthecostes (vt adnotatum inueni in antiquis nostri Ordinis constitutionibus Vallisoleti impressis, per Nicolaum Tierry anno Domini 1533. distinctione secunda cap. de electione magistri) Magister Generalis Fr. Pontius de Barellis celebrauit Barcinonæ Capitulum Generale. In quo inter alia, facta fuit in fauorem operis Redemptionis, constitutio tenoris sequentis.

Volumus ac etiam ordinamus de voluntate, & assensu omnium fratrum in nostro Generali Capitulo in domo Barcinonæ celebrato Congregatorum, qui hanc salubrem constitutionem tenere, & obseruare, ac etiam teneri, & obseruari pro uiribus, perpetuis temporibus vnà cum Reuerendo in Christo patre Fratre Pontio Generali Ordinis Magistro, pro se & suis successoribus, manibus proprijs, sacro sanctis Euangelijs Dei corporaliter tactis promiserunt, ordinauerunt, & constituerunt, quod Magistro Ordinis, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, vel eius Vicario, de pecunia, quæ per Commendatores, aut Procuratores, vel quoscunq; alios Fratres in Capitulo Generali, vel prouinciali per modum responsionis pro Captiuis redimendis fuerit præsentata, sibi applicare quouis modo non liceat, neque ad proprios, siue ad alios quoscunque in totum, vel in partem vsus conuertere. B

Et nihilominus Magister, qui vacante Magistratu, de nouo electus fuerit, vel alio quolibet modo, de iure successerit, præsentem salutarem constitutionem tenere, & obseruare super Sancta quatuor Euangelia, suis proprijs manibus corporaliter tacta, antequam eidem Magistro per Priorem Barcinonæ, vel Commendatores, aut quoscunque alios Ordinis Fratres obedientia, ac omnis reuerentia præstetur, seu exhibeatur, omni dilatione, excusatione, seu alia quacunq; palliatione a dicto Magistro procul pulsis iurare teneatur. Quod si aliquo modo prædictam Constitutionem (vt præmittitur) iurare renuerit, seu recusauerit, ipsius Magistri electionem discernimus irritam, uanam, & inanem ipso iure. C

Eodem anno 1349. Fr. Alphonsus Burgensis, & Fr. Simon Pontius pro regnis Castellæ, & Bæthicæ redemerunt ex Ciuitate Heracleæ, & ex alijs Bœthicæ partibus, Saraceno Regi subiectis, 137. Christi fideles, eosque lætos, ad propria in nomine Domini missos fecerunt.
Liber. 137.

Alphonsus Castellæ Rex, eius nominis vndecimus, filius Ferdinandi Quarti magna animi fortitudine contra Mauros indesinenter bellum gessit, & de eis victoriam pluries reportauit. Et cùm sua magnanimitate, & strenuitate obsideret hoc anno 1349 fortissimam, & famosam Ciuitatem de Gibraltar, eamque per menses septem appressam, & nimis Afflictam haberet; in Alphonsi Regis Castris, & exercitu crudelissima pestis defæuijt.

Et licet singulis horis, ac momẽtis innumeros Christianos peste percussos ante oculos suos animã agere suis proprijs oculis Alphõsus Rex cerneret, & Magnates sui exercitus Regi cõsulerent, eumque Summis precibus rogarent, vt inde discederet, cum in tanti Regis uita, tota exercitus consisteret salus; constantissimè obsidionem soluere, & discedere renuit. Imò hoc pestifero, & læthali morbo laborantes, summa charitate (reliquis fuga animas suas saluantibus) visitabat, & recreabat. At vero cum morbus iste crudelis, nullo munere placatus, neq; Tyaram pontificiam, neq; regium sceptrum veneretur, aut formidet, Alphõsum regem inuasit; quem Ecclesiæ Sacratissimę spiritualibus armis prius benè munitum vita priuauit die veneris Sancta huius Anni 1350. quo die Rex regum, & strenuissimus Dux, Christus Dominus noster, pro nobis mori dignatus est. D

1350. Hic Rex Alphonsus nostrum Ordinem mirificè dilexit, & valde honestauit, nobis enim concessit, (vt ait Ioannes Mariana Iesuyta de Rebus Hispaniæ) templũ illud toto terrarum orbe celeberrimum, cui nomen est (*sancta Maria de Guadalupo.*) Quod religiosè & in communi viuendo per aliquot possedimus annos. E

At Ioannes Castellæ Rex, eius nominis primus, præfati Alphonsi vndecimi nepos, (præcedente inuidorum hominum malitia, ac nimia auaritiæ, & diuitiarum libidine) malè informatus præfatam Ecclesiam (*de Guadalupo*) Domini Petri Tenorio Archiepiscopi Toletani dispositioni commisit; qui Religiosis viris, & Fratribus Sancti Hieronymi de Lupiana eam donauit.

Sed Reuerendissimus Dominus Fr. Gaspar de Torrez, Episcopus Medaurensis, quondam nostri Ordinis in Prouincia Castellæ Prouincialis, alio modo hanc donationem enarrat, in constitutionibus nostri Ordinis, Salmãticæ impressis, anno Domini 1565. lib. 1. c. 9.

vbi

A vbi asserit; quod dominus Ioannes Sarranus, qui fuit Episcopus de Segouia, dum Prioratum dictæ domus (*de Guadalupo*) regebat, ob deuotionem ad Ordinem nostrum, in eamdomum, Fratres nostros introduxit. *Priot.*

Quam deinde (Fratribus nostris appositas conditiones in partem non adimplentibus) ab Ordine nostro dictus Episcopus abstulit; eamque de mandato Domini Ioannis Castellæ Regis, eius nominis primi renunciauit præfato Domino Petro Tenorio Archiepiscopo Toletano, qui (vt ait Cosmas Barciro) Fratribus S. Hieronymi de Lupiana donauit, qui eam modò possident. *Cosmas de Barciro.*

Venerabilis Dominus Petrus de Alodio Bayulus, & Iudex ordinarius Villæ Bergæ pro Serenissimo Domino, Aragonum Rege, sua auctoritate, & decreto fecit transsumi quoddam instrumentum pergameneum, continens bullas Bonifacij Papæ VIII. & aliorum Romanorum Pontificum, 3. idus Aprilis huius an 1350. 1350.

B Similiter Dominus Thomas Pastoris Decanus Tarragæ pro Reuerendo Domino Episcopo Viceñ suam auctoritatem, & decretũ apposuit transsumpto, sumpto ab originali bulla Dñi Clementis diuina gratia Papæ VI. Sub datũ die veneris 12. Augusti huius an. 1351. 1351.

Generalis Magister Frater Pontius de Barellis, solertissimus Pastor, & seruidus Prælatus, præfata summorum Pontificum in auctentica forma transsumpta, per diuersos nostri Ordinis Fratres, & Redemptionis Nuntios, in diuersis Christiani orbis partibus publicari, & populis nota fieri iussit.

Vnde ingentes in nostri Aragonum Regis dominio pecuniæ collectæ fuerunt, quas consignauit Religioso viro, Fr. Bonanato Colono, Commendatori domus Sancti Ioannis Tarragæ Redemptori. Qui cum suo socio ex Africæ regno ducentos, & viginti Christi fideles potuit liberare, eosq; incolumes Tarraconam asportauit hoc anno 1352. *Liber. 220.* 1352.

C Clemens Papa Sextus postquam rexerat Ecclesiam Dei annos decem, & menses septem, obijt Auenioni die sexta mensis Decembris huius anni 1352. Deinde quinto decimo Calend. Ianuarij Cardinales sua Comitia Auenioni celebrantes, Stephanum Alberti filium, Lemouicensem, ex celebri Aquitania, Prouincia Galliæ, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sanctorum Ioannis, & Pauli, Maiorem pœnitentiarium, hoc anno Episcopum Ostiensem, ad Summum Apostolatum assumpserunt, qui Innocentius VI. appellari voluit.

Innocentius Papa VI. primo suę creationis anno ad supplicationem Generalis Magistri cõfirmauit omnes libertates, & immunitates à suis prædecessoribus siue per priuilegia, siue alias Indulgentias; neq. non libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, & ab alijs Christi fidelibus rationabiliter nobis concessas. Sub datum Auenioni 4. Cal. Iulij. 1353.

D Eodem anno Fr. Philippus Clarus ex Castella, & Fr. Isidorus Cordubensis, ex Bœthica redemptores, secum asportantes pecunias, quæ in Monasterijs Ispalis, & Toleti custodiebantur, Tetuanum profecti, ex Regno Marrocij, centum & octoginta Christianos redemerunt. *Liber. 180.*

Monasteria etiam Regnorum Valentiæ, & Aragoniæ hoc anno 1354. pecunias ibi Congregatas Fr Gulielmo Quæralta Redẽptori consignarunt, qui ex Infidelium partibus octoginta Christi fideles redemit. 1344. *Liber. 80.*

Fr. Simon Haro pro Castella Redemptor hoc anno 1355, cùm ad suum munus explendũ proficisceretur, ingentes passus est labores, & mortis discrimina; quia omnia erant turbata, & non semel fuit in via detentus, & libertati restitutus. Sed tãdem cum magna iactura, & operis redemptionis detrimento, bonis omnibus, quæ secùm asportabat, spoliatus, & priuatus est. 1355.

E Quod cum in forma auctentica esset illius tempestatis Præsulibus, & locorum ordinarijs denunciatum, & periculum in quo miseri Captiui versabantur, significatum, non modicum dolorem, ex hoc detrimento, Christianis illato, Domini Episcopi receperunt. Præsertim Dominus Sanctius Abulæ Episcopus; & Ioannes Salmanticæ Præsul, dignissimi, & feruentissimi suorum gregum Pastores, qui volentes bona amissa, aliquo modo recuperare; suas valde fauorabiles literas, nostrum institutum mirificè commendantes, ad suos subditos, & Parrochianos in forma gratiosa destinarunt, eis suaui verborum tenore iniungentes, vt nullus vtriusque sexus, Christi fidelis, præfatas comendationis literas audiret, qui non generosą manu tãm salutifero, & meritorio redemptionis operi opituletur.

Hac

Hac bona Episcoporum solertia, & opportunis adminiculis, Redemptionis Procuratores, & Nuntij elemosynas non modicas a Christi fidelibus receperunt, quibus in principio A
1356. huius anni 1356, ex Granatæ regno 93. Christianos redemerunt, ob humanitatem, & be-
Liber. 93. nignitatem Mahumatti Lagu, eius regni Saraceni Regis, qui Christianorum rebus non inuisus videbatur.

Magister Generalis Fr. Pontius de Barellis, Tolosanus Gallus, voluit cum Magistratu,& totius Ordinis regimine, retinere, & non omittere commendam Perpiniani, quę tunc erat vna ex primoribus Ordinis,quam ipse fundauerat extra muros in ea parte, quam vulgariter appellant (*los molins del pastell.*) Quæ domus postea (vt ait Magister Gauer,) fuit desolata. Eam igitur retinere voluit, & deserere noluit, vt sic subditos, & Fratres animaret, & ad fundandas domos de nouo, suo exemplo excitaret, scientes virtute cuiusdam decreti Capituli Generalis (de quo superius mentionem fecimus,) Fundatorem alicuius Monasterij nō posse toto tēpore vitæ suæ,contra suā voluntatē, ab eius regimine amoueri. Vt vel sic Ordo B noster amplificaretur,& in diuersas orbis partes extenderetur; & ob aliā non parui momēti caussam. Nam experimento discimus, nouarum domorum fundatores, esse earundem, valde zelatores,& feruidos benefactores, & qui eas plus quàm alij, in spiritualibus, & temporalibus augere,& amplificare student, vt in Magistro Ordinis videmus.

In primis voluit, quod in hoc suo Perpiniani Monasterio, plurimi, & in magno numero Religiosi viri scientia,& virtutibus præstantes habitarent,& reformationem seruarent. Prætiosis,& magnis ornamentis gemmatis, & calicibus argenteis, & deauratis, ac alijs plurimis cultui diuino deseruientibus illud Monasterium exornauit; multis possessionibus, & & redditibus ditauit.

Pro peregrinis Gallis, & Italis, ac alijs aduenis illac transeuntibus hospitium magnum extruxit, vbi eos recreari, & refici summa charitate iubebat, & multa alia, quę Magister Gauer in vita huius Magistri refert. C

Sed Magister Generalis, qui in patria non sua, hæc operabatur, natiui Soli non immemor, Tolosæ vbi natus fuerat, maiora effecit. Ante omnia cùm Conuentus eius Ciuitatis antiquior, esset extra vrbem, & hominum frequentiam, ac magna ex parte vi armorum à militibus esset diruptus, alium de nouo intra Ciuitatem pulchram nimis, & eleganti illius temporis architectura fundauit.

In cuius ædificationem ingentia Principum, & nobilium dona, ac suorum Parentum (qui ditissimi erant) neque non Christi fidelium elemosynæ, ac dona impensa fuerunt. Deinde pro eo plures perpetuos emit redditus, & acquisiuit, ac omnia hospitia circumquaque dicta *de la plata de arnambūt Tholossæ*. Qui faciebant redditus vnum vxam *Demoliboriani de Corua Barill*, & *Boriani de Bosiya*. Emit centum libras Turonenses de redditibus in vero dominio, & francho clodio scilicet centum franchos de auro, & plures alios redditus, quibus commodè, & sine mendicitate quinquaginta, & plures sustentabantur Fratres. Pro D splendore, & magnificentia eius Monasterij quatuor instituit Capellanias, volens quod eis deseruirent quatuor nostri Ordinis Religiosi, patria Tholosani, & dignitate Sacerdotes. Pro quorum habitatione, & commoditate quatuor extrui fecit solemnes, & magnificas cameras cum suis hortis, & alijs necessarijs, & opportunis officinis. In quo Conuentu apprimè Religionis disciplina vigebat, literarum,& scientiarum ludus exercebatur,& nobilissimi Nouitij, tanquam noui eius regionis fætus alebantur.

1357. Hoc anno 1357. Magister Generalis celebrauit in hoc Monasterio Tholosæ Capitulum Prouinciale. In quo inter alia statuit; quod quatuor illi Religiosi Fratres Capellani, non a Commendatore Tholosano, nec a Magistro, aut Prouinciali Ordinis, neque ab alio Principe quacunque dignitate ecclesiastica, aut temporali auctoritate fulgenti, ad seruiendum illis quatuor Capellanijs deputarentur; sed per suffragia secreta Fratrum Conuentualium eius domus canonicè eligerentur. Quos sic Capellanos constitutos, vel aliquem eorum a nullo Visitatore,neque a Commendatore domus amoueri possent,nisi propter grauia delicta, de quibus forent conuicti. E

Frater Bonanatus de Præxana Barcinonæ Prior, instituti nostri mirificus zelator, vt vberiores fierent Redemptiones, & Redemptionis Nuntij plures recipere possent elemosynas, habuit recursum ad venerabilem Dominum Arnaldum de Busquetis, legum Doctorem, Barcinonæ Canonicum,& Vicarium Generalem in spiritualibus,& temporalibus Reuerendi in Christo patris Michaelis Barcinonæ Episcopi, in remotis agentis, cui porrexit,

&

A & præsentauit quasdam Apostolicas literas plumbeas Nicolai, & Clementis summorū Pontificum, rogans eum vt in formam auctenticam plura transsumpta redigi,& publicari mandaret.

Cuius precibus præfatus Vicarius inclinatus postulata transsumpta fieri iussit, suaque manu subscripsit. De quibus omnibus fidem auctenticam fecit Bernardus Meyhoni,dicti Episcopi publicus Notarius die 12. Februarij huius anni 1358.

Præfata,transsumpta, Generalis Magister dedit operam, vt citissimè ad diuersa regna transmitterentur, & per Fratres nostros Concionatores, & Procuratores,publicarentur, & Christi fidelibus, Captiuorum Christianorum miserabilis conditio, ac mortis pericula nota fierent. Quo salutari remedio, & prudenti prouisione, in omnibus Ordinis Prouincijs magna pecuniarum collectio facta est. 1358.

B Vnde eodem anno 1358. Summa pace, & concordia tres Redemptores deputati, Frater Berengarius Assisius pro Monasterijs, quæ sunt in dominio Regis nostri Aragoniæ, & Frater Petrus Ximenez pro Monasterijs Castellæ, &c. Fr. Ludouicus Alosius pro Conuentibus Galliæ, vniuersum Ordinem repręsentantes, ex partibus Hispaniæ, a Saracenis possessis 358. Christianos redemerunt, & perfectæ libertati donarunt. Liber. 358.

Domus nostri Ordinis Ciuitatis Tarraconæ, fuit vna de nobilioribus totius Religionis, & prima post Monasterium Barcinonæ reputabatur. Quod manifestè apparet, & constat ex eo quod, in antiquis cōstitutionibus cauetur. dist. 2. capit. 4. de electione Magistri Generalis in hanc formam.

Quod ille Frater qui tempore vacationis Magistratus erit prior in domo Barchinonæ; (quæ domus caput est totius nostri Ordinis, & fundamentum,) sit Vicarius Generalis vacante Magistratu, qui possit omnes electores prouinciarum, & eorundem socios conuocare, & assignare eis tempus siue diem, & locum in quo possint facere electionē Magistri.

C

Si vero talis Prior Barchinonæ, qui tempore vacationis Magistratus est Vicarius Generalis, mortuus fuerit, vel impeditus, vel aliter defecerit, statuimus, & ordinamus,quod ille frater,qui in dicta domo Barchinonę erit Prior habitu; sit Vicarius Generalis(Magistratu vacante.)

Si vero ille Frater Prior habitu, qui succedit ipsi Priori mortuus fuerit, vel taliter impeditus quod non possit legitimè electioni Magistri interesse, ille qui post duos prædictos erit in dicta domo Prior habitu sit Vicarius Generalis, & sic retrocedendo vsque ad vltimum. Si forte (quod absit) omnes Fratres dictæ domus Barcinonę defuerint, in isto casu, vel qualicunq; modo,statuimus, quod Commendator domus Tarrachonæ sit, & habeatur (in tali defectu) Vicarius generalis totius Ordinis, qui assumat secum vnum de Fratribus dictæ domus Tarraconæ Priorem habitu, qui de iure habeat vocem in Capitulo, & electione Magistri.

D

Hanc constitutionem hic inserere voluimus, quia veniet tempus, in quo omnibus Fratribus Conuentualibus domus Barchinonæ, aliquo modo impeditis, Prior Conuentus Tarrachonæ fuit Vicarius Generalis totius Ordinis. Ex hoc infero eam Tarraconæ domum, quam nostri oculi ab hinc triginta annis ob lites, & controuersias, ac ob alia incōmoda,quasi detritam,& deteriorem redditā viderunt, fuisse antiquitùs in tanta æstimatione, de iure constitutionis Commendator dictę domus(demptis Fratribus Barcinonæ,) dignior alijs totius Ordinis esset.

Hoc igitur anno 1359. Procurator Monasterij Tarraconæ nomine sui commendatoris comparuit coram Domino Petro Toloni Canonico, & Pręposito in Ecclesia Ilerdeñ, ac officiali Generali Tarraconæ supplicans ei, vt ex bullis originalibus Alexandri Papæ IV. & aliorum Romanorum Pontificum, (quas ei præsentauit,) aliqua transsumpta in forma auctentica fieri mandaret. Cuius supplicationibus officialis Generalis inclinatus postulata transsumpta statim fieri imperauit; vt constat per manum, & signum Ferrarij de fonollerijs, notarij publici Tarraconæ, pro domino Bernardo de Vlsinelis.Sub datum prima die Iulij dicti anni 1359 1359.

E

Frater Dionysius Ammalius Gallus, ex Lemouicensi prouincia Redemptor, & Frater Petrus de Sans ex Cathalonia similiter Redemptor; ex partibus Africæ 130. Christi fideles liberarunt, eosque incolumes Tarrachonam duxerunt hoc Anno 1360. Liber.130. 1360.

Frater Petrus de Sancta Maria cum suo socio Redemptor pro Castella electus,

vnam nauim, vt in Africam tenderet (quia res in Granatæ Regno turbatæ valde erant) a A
1361. scendit, & de mense Aprilis huius anni 1361 a Portu Heracleæ discessit; sed die sequenti (ut ferunt) in illo freto (sumersa naui) omnes miserabiliter perierunt, aut a Pyratis occisi sunt Redemptores. Nulla certitudo haberi potuit, neque memoria eorum post exactam diligentiam remansit.

1362. Innocentius Papa VI. Aueníoni obijt, pridie idus Septembris huius anni 1362. In cuius locum suffectus est Gulielmus Griffatus natione Gallus, qui (vt diximus in vita vndecimi Generalis Magistri Sarrano) non erat Cardinalis, sed Abbas, & Monachus Cluniacensis.

Hic Summus Pontifex electus, Vrbanus quintus dici, & appellari voluit. Et licet vestigia suorum Prædecessorum sequendo, nomen Gulielmi in Vrbanum mutauerit, adeò tamen suum Ordinem dilexit, & honestare voluit, ut habitum monachalem cum dignitate B
pontificia, usq; ad mortem retinuerit.

In primordijs, & nostri Ordinis exordio magnus in Generalibus Magistris antiquis, Religionis zelus urgebat, magnãq; in eis ut Ordinis priuilegia augerētur, & confirmarētur sollicitudinem, & solertiam respicimus. Vix Romani Pontifices in Petri Cathedra sederant, & suorum insignium penè coronationem susceperant, & iam per Magistros nostri Ordinis supplicationes, & preces ipsis porrigebantur. Vnde in primo Pontificatus anno rogati, & instati nostras gratias, & priuilegia generosa manu approbabant, & confirmabant; vt videre est in summis Pontificibus præteritis. Igitur Magister Generalis Frater Pontius de Barellis Magistrorum Generalium, Prædecessorũ suorum emulator effectus, sanctissimo Domino nostro, Vrbano Papæ V. supplicationem, in qua priuilegiorũ nostri Ordinis confirmationem petebat, præsentari fecit. Cuius humilibus precibus Summus Pontifex inclina- C
tus, bullam concessit tenoris sequentis.

Vrbanus Epūs seruus seruorũ Dei. Dilectis filijs Magistro & Fratribus domus Beatæ Mariç de Mercede Captiuorum, Barcinoñ Ordinis Sancti Augustini salutem, & Apostolicã benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum tam vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias Indulgentias vobis, & domui uestræ concessas, neq; non libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter uobis & domui prædictæ indultes, sicut eas iuste, & pacificè obtinetis, uobis & eidem domui auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio D
communimus. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Aueníoni octauo Calend. Nouembris Pontificatus nostri anno primo.

Commendatores domorum Ispalis, & Cordubæ certiores effecti, Mahomatum lagum, Granatæ Regem, Superioribus annis à regno exclusum, qui Christianorum rebus fauere uidebatur, esse hoc Anno 1363 iterum Regem acclamatum, bonam occasionem oblatam, omissam facere nolentes, cum nonnullis donis, & sufficientibus pecunijs, illud regnum petere statuerunt.
1363.

Sed in primis Guidixium se contulerunt, vbi redemptionis munus exercere non valuerunt, eo quod Mahumattus regulus, lætitia plenus de interitu Mahomati Abenalhamari, (quem Dominus Petrus, Castellæ Rex suis proprijs manibus Ispali occiderat) omnes Christianos in præfata Guidixij Ciuitate detentos, (ut opus gratum Regi occisori faceret,) perfectæ libertati donauerat, eisque liberam ad propria redeundi facultatem dederat. Ob id Redemptores ultra progredientes, ex alijs eius regni oppidis 78. liberarunt Christi fideles. E
Liber. 78.

Generalis Magister Frater Pontius de Barellis postquàm summa pace, & concordia per annos quindecim Ordinē rexerat, & auxerat, multaq; magni momenti bona in Ordine gesserat, quç longum esse recensere; tandē sicut Domino placuit, in grauissimum, & læthalem incidit morbum, quem cum ipse ita esse agnosceret, statim Sacrosancta Ecclesię sacramenta Christiano, & religioso more suscipere deuotissimè voluit. Quibus, (integris sensibus) su-

A suſceptis, omnes Fratres Monaſterij Tholoſæ, vbi ægrotus iacebat, aduocari iuſſit; & corã eis ad imaginem Crucifixi, quam in manibus tenebat, conuerſus, ſic loquebatur. Domine mi, ſalus mea, creator, & Redemptor, qui pro me peccatore, in ligno Crucis mori dignatus es; feſtinus (quæſo) cœleſti rore circumfuſus, animæ meæ te deſideranti, benignus occurre.

Te rogo Dñe vt eam fatigatam, & ad laſſitudinem perductam vnguentis optimis recreare, eſurientem reficere, & aridam impinguare, non dedigneris. Et vos patres, & fratres mei in hac exitus mei hora, veſtro Patri, Fratri, & amico laboranti, & fortiſſimorum aduerſariorum pugnam expectanti opem veſtris orationibus ferre, & præſto eſſe debetis.

Hoc a vobis maximopere peto, & quàm ſtudioſiſſime poſſum, vt curam animæ meæ in hac mortis hora, & poſt mortem meam habeatis, ſummis precibus contendo. Corpus vero meum (ſi Generali Magiſtro ſucceſſori placuerit) ad eccleſiam Perpiniani, quam fundaui, deferatur. Quæ omnia Fratres circunſtantes, qui Magiſtrum mirifice diligebant, expleuerunt, & alternatim vſque ad finem vitæ eius, pſalmos pœnitentiales, & alias pias, ac deuotas preces recitarunt. Obijt die 17. menſis octobris huius anni 1364. 1364.

Die ſequenti magna nobilium, & populi præſentia lugubris pompa, & mœſtum funus fieri incepit. Et ſolemni eius diei officio, Sancto Euangeliſtæ Lucæ dicato, in altari omiſſo, exequiæ funebres, & mortuorum officium pro corpore præſenti celebratum eſt. Quàm charus ſuæ Tholoſanæ Patriæ, & Ordini noſtro Magiſter Barellis fuerit, manifeſtiſſimè funeris mœror, & triſtitia indicauit. Nullus enim de aſtantibus ſe à lacrymis continere valuit. Magnates Ciuitatis non ſolum ſua præſentia exequias cohoneſtarunt, ſed in maius amoris ſignum ſub humeris ſuis ad peculiare noſtræ Eccleſiæ ſepulchrum, corpus eius detulerunt, depoſuerunt, & ſignarunt.

Deinde non poſt multos dies, (tota Ciuitate reclamante, & conſanguineis eius contradicentibus, fratribuſque noſtris nationis Gallicanę egrè ferentibus, quod corpus huius Sancti Magiſtri de ſepulchro Tholoſano noſtræ Eccleſiæ extraheretur) ad templum Sancti Martini Villæ Perpiniani noſtrę Religionis, magnis expenſis translatum eſt. Tempore huius duodecimi Generalis Magiſtri de poteſtate Inimicorum noſtrorum liberati ſunt 1380. Chriſti fideles. *Liber.* 1380.

Caput VIII. Eligitur Magiſter XIII. Societatem hebdomadæ Sanctæ, quam Bernardus Parato erexerat, Rex Aragoniæ caſſat. Prior Barchinonæ Sanctè obijt, & nouus eligitur. Petrus Caſtellæ Rex ab Henrico Fratre plurima priuilegia noſtro Ordini conferente, occiditur. Sed occiſori veneno extincto Ioannes filius ſuccedit. Papa Vrbano defuncto, ſuccedit Greg. XI. qui religionem noſtram plurimis gratijs ditauit. Quo vita functo creatur Vrbanus VI. contra quem eligitur in ſchiſmate Clemens VII.

COMMENDATOR Tholoſanus per ſuas literas certiorem fecit Barchinonæ priorem de morte Generalis Magiſtri. Quibus receptis Prior, qui adhuc erat Frater Bonanatus de Præxana, (magiſtratu vacante) Vicarius Generalis effectus, omnes Fratres in Magiſtri electione vocem habentes, Barchinonam pro nouo Magiſtro creando accedere iuſſit.

Electores igitur Capitulariter Congregati eundem Priorem Capituli Præſidentem, ob ſuas ſingulares virtutes, & Religionis zelum quibus exornauit eum Dominus, Magiſtrum eligere voluerunt, eaque intentione, ac animo quaſi omnes, Capitulum ſunt ingreſſi. Sed antequam vlterius progrederetur, fauorabiles Regis, & magnatum literę ad fauorem Fratris Nicolai Periz, præſentatæ, & lectæ ſunt. Quæ omnes electores maximopere conturbarunt, eoſque omninò a primo Conſilio diſcedere coegerunt.

Vnde eadem die fuit in Magiſtrum electus, idem Fr. Nicolaus Periz, Valentiæ in Hiſpania nobiliſſimis parentibus natus, eximius, & ſolemnis in decretis Doctor; vt hac via

Generalis Magister effectus, ad Cardinalitiam dignitatem, ad quam (dum vixit) magnis studijs animum intendit, ascendere facilius valeret. Sed Deus, qui deponit potentes, claros humiliat, & superbis resistit, taliter humiliauit eum, vt post plurimas pecunias, & dona diffusè consumpta, & non paucas peregrinationes, ac ingentes labores per multos annos perpessos, dignitatem extra Ordinem accipere non potuerit. A

Obtenta sui Magistratus cōfirmationis bulla Apostolica, sub colore, & ꝑtextu Monasteriū Tholosanum, (in quo obierat suus immediatus Prædecessor,) visitandi, contulit se Magister Ordinis Aueniouē, vbi erat Curia Romana, ibiq; Principū fauore, & suorum cōsanguineorum literis commendatitijs, de aliqua dignitate extra Ordinem agere cæpit. Et iam nonnullos S. R. E. Cardinales propitios sibi fecerat. Hi igitur spirituales Principes opus gratum consanguineis Magistri Generalis facere volentes, Summo Pontifici retulerunt; consonum esse, Ecclesiam Romanam Ordinem de Mercede Cardinalitia dignitate, cohonestare, & decorare. Maximè cum Magister Fr. Dominicus Sarrano eo honore (morte interueniente) non fuerit insignitus. Sicque in de mortui locum nullus alius subrogari poterat, quàm Magister modernus, nobilissimo genere natus, Doctor solemnis, & tot pro eo Principum precibus interuenientibus. Quibus Vrbanus Papa quintus sic respondisse fertur. Huiusmodi honoribus, & dignitatibus Romanos Pontifices non debere condecorare eos, qui easpetunt & procurant, ac nostram Curiam insequūtur; sed benemerentes, de quorum obsequijs, & officijs in nostram sedem impensis, atq; honestate, & vitæ integritate per plures annos notitia habeatur. B

Benè meminimus paucis ab hinc diebus electionem Magistri de Mercede nos confirmasse; & vix confirmationis literas accepit, & iam Ordinem, sibi a nobis commissum, (quē nondum regere, & gubernare cęperat,) deserere, & suum institutum destituere ambitiosè conatur. Religionis igitur suæ curæ demandatæ regimini, & augmento solerter incumbat, & suum munus laudabiliter exerceat, & tunc preces, & supplicationes pro eo porrectæ, gratiosæ, & fauorabiles sibi erunt. Quo Summi Pontificis responso denunciato Magister Ordinis verecundia nimia impeditus, ad Pontificem accedere non audens, per Cardinalem Hugonem de Sancto Martiali, (ne ad Hispaniam vacuus reuerti videretur, suaq; ambitio ne detegeretur) bullam a sua Beatitudine ad fauorem, & auctoritatem Redemptorum, neque non spiritualem Captiuorum salutem, petijt & obtinuit, quæ est tenoris sequentis. C

1365. Vrbanus Epūs seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro & Fratribus Ordinis B. Mariæ de Mercede, Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Votis vestris illis præsertim, quæ salutem animarum respiciunt, libenter annuimus, & fauorem beneuolum impartimur. D

Cum itaq; sicut nuper exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, sæpe contingat, aliquos ex fratribus vestris ad partes vltra marinas, & cæteris qui per Saracenos, & alios Infideles detinentur, pro redimendis fidelibus Christianis ibidem Captiuis declinare; nos ad ea, quæ ad fidelium ipsorum spiritualem consolationem, & profectum animarum cedere valeant, desiderabiliter intendentes; vestris in hac parte supplicationibus inclinati; singulis vestrum, qui videlicet in Presbyteratus Ordine fuerint constituti, quandiu pro præmissis ibi moram traxerint, audiendi quoties fuerit opportunum confessiones eorundem etiam non redemptorum; & huiusmodi confessionibus diligenter auditis, pro commissis debitam fidelibus ipsis absolutionem impendendi, & iniungendi pœnitentiam salutarem (nisi forsan talia forent, propter quæ sedes Apostolica sit meritò cōsulenda) plenam, & liberam tenore præsentium, concedimus facultatem. Datis Aueniom 3. Cal. Martij Pontifi. nostri anno 3. E

Magister Ordinis in Hispaniam reuersus, contulit se Barchinonam; vbi hoc anno 1365. suum primum celebrauit Generale Capitulum. Ad quod multi Religiosi (vltra definitores) ex diuersis Ordinis Monasterijs, regnis, & prouincijs accesserunt. In quo inter alia, a Patribus decretum est, (ne de facili crebræ Prælatorum, & Commendatorum fierent mutationes, & depositiones, quæ ipsis Monasterijs in spiritualibus, & temporalibus damnosæ esse solent,) quod Commendator non possit deponi, aut ab officio excludi, nisi maiori Definitorum suæ prouinciæ parte depositionem, & priuationem esse rationi & iuri cōsonam, declarante, & decernente.

Et similiter in locum Commendatoris depositi, nouus institui non deberet, nisi ex ipsorum

rum

A rum Definitorum voto, & consensu. Priuationes vero, aut huiusmodi institutiones, secus factas, inanes & nullius esse roboris declararunt. Deniq; Patres decreuerunt, quod ex præfata Summi Pontificis bulla ad fauorem Redemptorum, & Christianorum Captiuorum expedita, plurima in forma auctentica fierent transsumpta, quæ ad singula transmitterentur Monasteria.

Idem Ordinis Magister hoc anno 1366 (vt adnotauit Magister Gauer) celebrauit Capitulum Generale in oppido Podij. In quo Procuratores, & redemptionis elemosynas quærentes, querelam præsentarunt, dicentes; Regios vectigales (quos appellant gabellarios, & Arabarchas,) aliosque regiæ maiestatis exactores, nostros Fratres (ac si essent seculares personæ) coegisse, & ad soluendùm decimas, vectigalia, & alias indebitas impositiones compulisse. Quæ omnia erant insolita, & iniusta, ac contra Romanorum Pontificum bullas, & Regum Hispaniæ priuilegia, nostros Fratres a similibus, solutionibus esse liberos declarantium, & decernentium. 1366.

B Sed ut ostendamus, in quo præfati ministri, & regij exactores se fundabant, vt huiusmodi insolitam, & indebitam molestiam Fratribus, & Nuntijs nostris inferrent aduertere oportet; quod Fratres nostri in Redemptores electi, vt maiorem Captiuorum redimerent numerum, solebant aliquando, sed rarò nonnulla Mercimonia emere, verbi gratia mulas, equos, pannum, & alia vestimenti genera, quæ in Africa desiderantur, & cariori pretio venduntur, vt ea cum Captiuis Christianis commutarent, & plures Captiuos liberarent. Transeuntes igitur Redemptores de vna ad aliam regionem cum huiusmodi mercibus, animalibus, & bonis Redemptionis, eos vectigales regij detinebant, & bona auferebant, compellentes eos ad soluendum de dictis bonis vectigalia, gabbellas, & alias insolitas (vt à nobis soluerentur) impositiones. Ex quo non modicum operi Redemptionis damnum inferebatur. Ob id omnes Patres definitores Capitulariter Congregati, Generalem Magistrum, virum auctoritate pollentem, & apud Principes in magna æstimatione habitum, rogarunt, vt ad Serenissimum Aragoniæ Regem, recursum haberet, ei supplicando, suumq; fauorem implorando, aduersus præfatos regios exactores, vt vel sic noster Ordo ab huiusmodi molestia, & noua impositione tutus, & liber remaneret, & Redemptiones vberiores fierent.

C

Generalis Magister nonnulla Valentiæ, & Castellæ Monasteria visitauit in quorum visitatione (vt ait Magister Gauer) septem consumpsit menses, domos aggrauando, & Fratres indebitè molestando.

Deinde vt impiger, & sedulus videretur, ac vt munus onusq; sibi a Capitulo impositum adimpleret, Aragoniæ regem adiuit; quem ad arma paratum totumq; eius dominium

D turbatum adinuenit, sicque nihil perficere potuit. Hac de causa in principio huius anni 1367. Barcinonam petere voluit, ubi pro noua redemptione facienda, suas ad omnes Commendatores, & Redemptionis Procuratores, literas destinauit. Quibus præcipiebat, vt quam primùm qui erant in regis Aragoniæ Dominio, elemosynas collectas Barchinonæ Priori traderent, aut per securos, & tutos Nuntios eas transmitterent; qui vero in alijs regnis, eas, ad Commendatores per suos Prouinciales deputatos transmittere non tardarent. 1367.

Dum Magister Ordinis sub specie boni, & Religionis zeli, hac sua astutia, & calliditate, auaritiam quam intus habebat, & ad dignitates Ecclesiasticas, & honores ambitiosam auiditatem simulare tentat, Fr. Bonanatus de Præxana Barchinonæ Prior, molestas, & iniucundas a Maioricarum Commendatore literas accepit. Huiusmodi literæ inter alia continebant, quendam clericum, Sacerdotali dignitate insignitum, nomine Bernardum, cognomento Parato, famosum, ac celebrem in ea insula Concionatorem, totis suis viribus nostrum laudabile Redemptionis munus infringere intentasse, ac elemosynas vsurpasse.

E

Hic igitur Presbyter zelo charitatis, & fidei Christianæ ardore augmentoq; motus (vt ipse publicabat) vehementer, & ardenter desiderabat, quandam erigere, seu iam a se erectã, auctoritate regia confirmare Societatem, & Confratriam sub nomine, & inuocatione hebdomadæ sanctæ; Cuius Confratres, & huiusmodi Presbyteri socij, & discipuli, per totam Insulam elemosynas petere, & liberè quærere pro redimendis Captiuis valerent.

Hic igitur Bernardus Parato cum esset (vt diximus) celebris Concionator, nobilibus parentibus natus, & honestis moribus imbutus, breui tempore plures sui propositi, & voti

voti sequaces, ac discipulos faciliter adinuenit, & ad se traxit. Et vt faciliùs id quod intentabat, ad optatum & desideratum perduceret portum, in suis publicis concionibus Ordinem nostrum, & Fratres nostros, præsertim Generalem Magistrum varijs notis, & iniurijs afficere non verebatur. A

Hæc, & plura alia literæ Commendatoris continebant, quas de mense Decembris huius anni 1368. accipiens Barchinonæ Prior Generali Magistro legendas ostendit. Liberèque eum arguit. A negotijs (inquit) & secularibus curis animum auerte. Rectis studijs priuilegia, & immunitates Ordinis (vt bonum pastorem decet) te defendere oportet. Non te pudet, Pater, & Rector noster (cuius vita, & mores ad rectam rationis normam, & religiosam viuendi regulam actus nostros dirigere deberent) non solum erga religionem tibi commissam, te tepidum esse, verum etiam, tua sęculari pompa, & nimia auiditate ansam præbere, vt tàm in priuatis colloquijs, quàm in publicis Concionibus dicatur, quod bona redemptionis inutiliter consumis. Tua manifesta delicta deberent proculdubio, correctione publica purgari, ut qui palam multis nocuisti, dum aperta obiurgatione sanaris, & emendaris, Fratres, & subditi tui, qui te imitando, in suorum monasteriorum administratione deliquerunt, & tepidi fuerunt, corrigantur, & reliqui emendentur. Melius est enim, vt pro multorum salute tu corrigaris, & (si opus est) puniaris, quàm quòd per tuam licentiam multi periclitentur. Non mireris modo, si ego subditus tuus, & ouis pascuæ tuæ, te quem venerari debeo, & patrem, ac Superiorem agnoscere, acrius solito arguere sim ausus; recte enim memoria retinere debes, quòd inter me, & inter te solum blando verbo, sæpe a me correctus, vitam tuam in melius non mutasti. Paulus discipulus, & subditus Petri, suum Magistrum, & Prælatum arguit, & Petrus Paulum arguentem laudat, vt qui Superior erat, & primus in Apostolatus culmine collocatus, priùs daret, & præberet humilitatis exemplum. Ecce a minori maior reprehēditur, & argui non dedignatur. Ne (quæso) in hac correctione, tacita tecum cogitatione perpendas, te utpote totius Ordinis Magistrum super me, Barchinonæ solum Priorem, potestatem habere, nam Petrus cęlestis regni claues Paulo non ostendit, sed eas, & omnia dona, quæ acceperat, quasi a memoria repulit, ut reprehensionem libentior audiret, & humilitatis donum teneret. Laudem tuam ex hoc non quæro. Solam emendationem tuam expeto; & quod Bernardo Parato nouam Societatem, & Confratriam in nostri Ordinis magnum dedecus, & præiudicium erigenti, te opponere toto animi pectore procures. In quo ad imitationem Parentum nostrorum, qui spiritualiter nos genuerunt, Principum, & consanguineorum tuorum fauores te impendere oportet. B C

1368.

Et mihi (quæso) parce, quia zelus religionis, & pericula in quibus Captiui Christiani Fratres nostri versantur, me coegerūt, & effecerunt, vt tuā erga me indignationem, & quęcunq; humanum terrenumq; respectum parui pendens, Dei honorem, & timorem, qui nos iudicaturus est, ante oculos haberem. Si enim ab hac quam a me audisti correctione (vt cum Gregorio lib. 25. morali loquar) reticerem, quia contra me insurgere derisionis odia formidarem, non iam lucra Dei, sed mea quęrerem. D

Et sicut laudabile, & rationi consonum est, reuerentiam, & honorem tibi nostro Magistro debitum exhibere, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si quid in te correctione indiget, nulla dissimulatione postponere; ne totam Religionem (quod absit) morbus inuadere incipiat, si languor in te, qui caput nostrum es, non fuerit curatus. Quem Magister Ordinis ab omni labe, & a vitijs mundum agnoscens, & zelo Dei plenum respiciens nullum ei verbum iracundum respondit, sed maiori quam antea Priorem in æstimatione habuit, & consilium eius executioni demandauit.

Omni Magister Ordinis mora postposita, de infirmanda societate hebdomadæ Sanctæ a Bernardo Parato erecta statim tractauit. Contulit se ad regium consilium Barcinonæ habitum, eiq; memoriale porrexit, in quo inter alia dicebat. Reuerendi admodum, & per magnifici domini cum diuus Ordo Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum per Serenissimos, & Inclytos fœlicis memorię Aragoniæ Reges admirando modo in hac ciuitate fuerit ad redimendos Christi fideles in Saracenorum posse miserabiliter detentos fundatus, & in tam salubri charitatis eximiæ opere Fratres memorati ordinis se incessanter, & fructuose exercuerint, ob id nullus in toto Aragoniæ Regis nostri dominio eleemosynas petere, aut recipere pro redimendis Captiuis vllo modo debet, &c. E

Et multa alia ad decorem nostri Ordinis in hoc memoriali exprimebantur, Redemptiones

A nes factæ maiori ex parte enumerabantur, & tormenta, occisiones, & labores, quæ redemptores Fratres substinuerunt, compendiariè narrabantur. Sub datum Barcinonæ die 6. Februarij S. Dorotheæ Virgini, & martyri dicata 1369; Quod Magister Ordinis, & Barcinonæ Prior subscripserunt. 1369.

Ad quorum supplicationē, & instantiam regium consilium decreuit, & ordinauit, quod præfatus Bernardus Parato citari deberet, ipseque, aut legitimus eius procurator comparere teneretur, præfixo ad comparendum termino, vt iura vtriusque partis audirentur.

Dum hæc lis in Aragoniæ Regis Dominio agitatur, ad Castellam mea conuertatur oratio. In qua Petrus eius regni Rex, Alphonsi X I. filius, cuius crudelitas, (quam alij iustitiam vocant) tanta fuit, vt suo proprio sanguini parcere noluerit, iusto Dei iudicio, ab Henrico fratre hoc anno 1369 pridie idus Martij occisus est. Vnde Petrus Rex, eius 1369.
B nominis primus, fratrum suorum occisor, postquam per annos 19. Crudelis vt Nero, & sæuus, vt Caligula in Castella regnauerat, à proprio fratre Henrico (Deo sic permittente) occisus est, & occiso occisor succedit.

Frater Bonanatus de Præxana Barcinonæ Prior solertem adhibuit curam, vt Bernardus Parato personaliter citaretur. Qui hoc anno comparuit coram Dominis regijs Consiliarijs, & multa in suæ nouiter erectæ societatis fauorem produxit, & allegauit. Petijt facultatem sibi concedi, vt in Balearibus insulis, pro redimendis Captiuis, elemosynas quascunq; liberè petere, & recipere posset.

At Serenissimus Rex super petitis, vel suppositis, & à præfato Bernardo Parato allegatis, & supplicatis, ex voto suorum Consiliariorum (auditis prius pluries ambarum partium iuribus) silentiū sempiternum ad fauorem nostri Ordinis pręfato Bernardo posuit; Sub datū
C Barchinonæ die 26. Augusti 1370, ordinando quod solùm Fratres nostri elemosynas 1370.
pro redimendis Captiuis petere, & recipere deberent. In qua decisione, & sententia idem Petrus Aragoniæ Rex priuilegia nostri Ordinis, à suis progenitoribus concessa (sicut iacent) confirmat.

Eodem anno Vrbanus Papa V. sanctitatis fama de se relicta Auenioni obijt 14. Calend. Ianuarij Cuius ossa Massiliam ad Ecclesiam S. Victoris, ubi quondam fuerat Abbas, trāslata sunt. Vrbano V successit 3. Cal. Ianuarij eiusdem anni Petrus Monstrius, natione Gallus, qui erat Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Nouæ, voluitque Gregorius vndecimus appellari. Qui ad supplicationem Generalis Magistri concessit bullam tenoris sequentis. 1317.

Gregorius seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro, & Fratribus domus Sanctæ
D Mariæ de Mercede Captiuorum, Barchinoñ, Ordinis Sancti Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum.

Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, siue alias Indulgentias vobis, & domui vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, & alijs Christi fidelibus, vobis, & eidem domui rationabiliter indultas, sicut eas iuste & pacifice obtinetis, vobis & per uos eidem domui confirmamus, & præsentis scripti petrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel
E ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Auenioñ idibus Aprilis Pontif. nostri anno 1.

Grauissimus Vir, & literarum notitia præstans Fr. Petrus Rodriguez Castellæ, & Lusitaniæ Prouincialis elegit in suo prouinciali Capitulo in Redemptorem, Fratrem Franciscum Matienso. Qui charitatiuè, & solerter cum elemosynis Castellæ Lusitaniæ, & Bæthicę, redemit ex ciuitatibus a Mauris in Hispania possessis, 185. Christi fideles, & eos incolumes, & liberos ad propria destinauit. Liber. 185.

Licet Romani Pontifices, & Hispaniæ Reges (vt vidimus) suis literis nostrum Redemptionis institutum pro uiribus deffenderent, cùm tamen contra molestantes, & impedientes, non posset de facili pro opportuno remedio ad Superiores haberi recursus, in nonnullis Ciuitatibus, & locis a Romana, & regia Curia non parùm distantibus, bullas Pontificias,

&

1371. & regia priuilegia Ecclesiastici, & temporales domini publicare nō sinebant. Contra quos A Generalis Magister obtinuit Iudices conseruatores, & alia in fauorem Ordinis, ab eodem Gregorio XI. in hac forma:

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Sancti Benedicti de Bagijs, & Fugeñ, ac de monte Aragoniæ viceñ Appanuarum, & osceñ Diœcesum Monasteriorum Abbatibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ, licet immeriti, (disponente Domino) præsidentes, circa curam Ecclesiarum, & Monasteriorum omniū solertia reddimur indefessa solliciti, vt (iuxta debitum pastoralis officij,) eorum occurramus dispendijs; & profectibus (diuina cooperante clementia) salubriter intendamus. Sanè dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum domus Sanctæ Mariæ de Mercede Captiuorum Barchinoneñ Ordinis Sancti Augustini conquestionem percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, alijq; Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ, tam religiosę, quàm seculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, B & Laici, communia ciuitatum, vniuersitates, oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, & aliæ singulares Personæ ciuitatum, & Diœcesum, & aliarum partium diuersarum occuparunt, & occupari fecerunt castra, villas, & alia loca, terras domos, possessiones, iura, & iurisdictiones, nec non fructus, census, redditus, & prouentus, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia ad Magistrum, & Fratres, & domum prædictos spectantia, & ea detinēt indebitè occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem. Nonnulli etiam ciuitatum, & Diœcesum, ac partium prędictarum, qui nomine domini ; . . . recipere non formidāt eisdem Magistro, & Fratribus super prædictis castris, & villis, & locis, alijs terris, domibus possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus eorundem, ac quibuscunq; alijs C bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, & alijs rebus ad eosdem Magistrum, & Fratres, ac domum (vt præfertur) spectantibus multiplices iniurias, & molestias inferunt.

Quare dicti Magister, & Fratres nobis humiliter supplicarunt, vt cùm eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Magistro, & Fratribus remedio subuenire, per quod compescatur ipsorum temeritas, & alijs aditus committendi similia præcludatur; Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus; quatenus vos, uel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios (etiam si extra loca, in quibus deputati estis conseruatores, & iudices) præfatis Magistro, & Fratribus efficaces de D fensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super his, & quibuslibet alijs bonis, & iuribus ad Magistrum, & Fratres, ac domum prædictos spectantibus ab eisdem, vel quibusuis alijs indebitè molestari, vel eis grauamina, vel damna, seu iniurias irrogari; facturi dictis Magistro, & Fratribus (cum ab eis, vel à Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti de prædictis, & alijs personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium, & bonorum mobilium, & immobilium, redditũum quoq; & prouentuum & aliorum quorumcunq bonorum, nec non de quibuslibet molestijs, iniurijs, atq. damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, in alijs vero prout qualitas negotij exegerit,) iustitiæ complementum; occupatores, seu detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores E quoslibet, & rebelles cuiuscunq; dignitatis, status, Ordinis, vel conditionis extiterint, quādocunq. & quotiescunque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam (appellatione postposita) compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

Non obstantibus tam fęlicis recordationis Bonifacij Papę VIII prædecessoris nostri, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra unam dietam a fine suæ Diœcesis in iudicium euocetur, seu ne Iudices, & Conseruatores à sede deputati prædicta extra Ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunq; procedere, siue ali, vel alijs vices suas committere. Vel aliquos vltra vnam dietam a fine Diœcesum eorum trahere præsumant.

Dummodo vltra duas dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, seu quod de alijs,

A alijs, quam de manifestis iniurijs, & violentijs, & alijs, quæ iudicialem exigunt indaginem pęnis in eos si secùs egerint, & in id procurantes a dictis Conseruatoribus se nullahactenus intromittant; quàm alijs quibuscunque constitutionibus a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tàm de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quàm personis vltra numerum ad iudicium non vocandis, aut alijs editis, quæ nostræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusq; libero exercitio quomodolibet obiare. Seu si aliquibus communiter, vel diuisim à dicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel vltra, circa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad uerbum de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus proprijs mentionem. Et qualibet alia, dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscunq; tenoris existat, per quam præsentibus
B non expressam, uel totaliter non insertam nostræ iurisdictioni explicatio in hac parte valeat quomodolibet impedire, &c. Cęterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatū, quamuis idem incheans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus. Quodq; a data præsentium sit vobis, & vnicuique vestrum in præmissis omnibus, & çorum singulis cęptis, vel non cęptis præsentibus, & futuris perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cęptis, & non cęptis præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram nobis cępta fuissent, &c. (pręsentibus post triennium minimè valeturis) Datis apud villam nouam Auenionen̄ diocesis sexto idus Augusti Pontificatus nostri anno 1. 1371.

Ex dictis & quæ sequuntur Gregorij XI. bullis, clare constat, fuisse valde fructuosam,
C & vtilem, salubrem Prioris Barchinonæ correctionem, quæ Generalem Magistrum, solicitorem, quàm antea reddidit, & Prouinciales ab eodē Generali excitati, & moniti magnam solertiam in nostro explendo instituto adhibebant. Idem Summus Pontifex Gregorius XI. ad supplicationem Generalis Magistri concessit aliam bullam tenoris sequentis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro, & Fratribus domus S. Mariæ de Mercede, Captiuorum, Barchinonen̄; Ordinis S. Augustini, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor ęquitatis, quam Ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum.

Ea propter dilecti in domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, seu alias Indulgentias uobis, & domui vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, & alijs Christi fidelibus,
D vobis, & eidem domui rationabiliter indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem domui, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius, se nouerit incursurum. Dat. Auenioni 6 Cal. Februarij Pontificatus nostri anno 2. 1372.

Prouincialis Castellæ, magna apud Henricum Castellæ Regem, pollebat auctoritate. Cui supplicationem porrexit, in qua inter alia referebat. Quod Ordo noster laudabiliter, & fructuose in charitatis operibus se exercebat, & quod priuilegia nostri Ordinis a suis Progenitoribus, & ab eodem Henrico Burgis confirmata, nonnulli impediebant, in magnum operis Redemptionis detrimentum. Contra quos suas benignas, & fauorabiles chartas ex-
E pediri supplicabat, & quatenus de efficaci remedio prouidere dignaretur. Cuius supplicationibus Rex inclinatus priuilegium concessit tenoris sequentis.

Henricus Dei gratia, Rex Castellæ, Toleti, Legionis, Gallitiæ, Ispalis, Cordubæ, Murtiæ, Giennis, Algarbiæ, Algezira, Dominus Molinæ, &c. Omnibus Consiliarijs, Gubernatoribus, Iuratis, Iudicibus, Iustitijs, & alijs officialibus totius nostri dominij, quibus hæc nostra charta fuerit pręsentata, aut eius transsumptum, subsignatum auctoritate publici notarij, de Ordine alicuius ex Iudicibus extractum, salutē & gratiam. Notum facimus, Dominum Fratrem Petrum Rodriguez Prouincialem Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede (qui Ordo in Castella, & Lusitania appellatur Ordo Sanctæ Eulaliæ Barchinonæ) coram nobis querelam præsentasse, in qua referebat. Præfatum Ordinem obtinuisse chartas, & priui-

legia a nobilissimo Rege Domino Alphonso, Patre nostro, (cui Deus parcat,) & ab alijs Regibus, vnde nos descendimus, confirmata ab eodem Alphonso rege patre nostro, & a nobis similiter in Comitijs, quæ burgis celebrauimus, approbata. Referebat etiam quod Procuratores, & Nuntios eiusdem Ordinis, accedentes ad Ciuitates, & loca nostri Dominij, ad procurandas, & petendas elemosynas pro Captiuis redimendis, qui in potestate Saracenorum detinentur, & pro explendis septem misericordiæ operibus, ac alijs, quæ quotidie in dicto Ordine fiunt, nonnullæ Personæ eos impediunt, & priuilegijs eorum contraueniunt.

Et licet ipsi Procuratores, & Nuntij instent pro suorum priuilegiorum obseruantia, sicut vsq; in præsentem diem fuerunt obseruata, præfatæ Personæ ad quas accedunt; magnam eis (cum graui operis Redemptionis dispendio,) intercessionem, & prohibitionem ponunt. Ideo nobis humiliter supplicari fecit, vt super his quod nobis consonum, & iustum videretur; de benignitate prouidere dignaremur. Cuius humilibus precibus inclinati, vobis præcipimus, & mandamus, quatenus (visa hac nostra charta, uel eius transsumpto manu publici Notarij subscripto a suoq; originali auctoritate alicuius Iudicis, aut Gubernatoris extracto) priuilegia dicti Ordinis peruideatis, quę videlicet vobis fuerint pręsentata, & ostensa, præsertim Regis Alphonsi Patris nostri, & aliorũ Regum prædecessorũ nostrorum, a quibus nos descendimus, uel dictorum priuilegiorum auctentica (vt dictum est) transsumpta; ea obseruetis, & ab omnibus ad quos expectat, obseruari faciatis, sub nostræ indignationis incursu, & sub pœna sexcentorum Morauetinorum currentis, & vsualis monetæ. B

Si tamen aliquis vestrũ, cõtra hoc nostrum priuilegium, aliquid intentauerit, vel allegare voluerit, (cum huiusmodi caussæ cognitio ad nos attineat) præcipimus strictè, & pręcipiendo mãdamus, quod vos citemini, & compellamini ad comparendum coram nobis, vbicũq; fuerit nostra Curia regia, vt iura uestra audiantur, et ab Auditoribus nostri Auditorij examinentur, & considerentur. C

Assignantes pro termino ad comparendum a die citationis, dies nouem his, qui citra portus sunt, qui vero vltra portus extiterint, infra quindecim dierum spatium, comparere teneantur.

Et sub eisdem pœnis præcipimus omnibus, & singulis publicis scribis, & Notarijs, vt ostentionis, & exhibitionis huius nostri priuilegij, vel eius auctentici transsumpti vobis, vel vestrum cuilibet factæ, fidem veram faciant, vt uel sic constet, an ea, quæ in hac nostra charta continentur, executioni a vobis demandentur. Deinde hoc priuilegium vobis (vt dictum est) ostensum, & lectum, continuò, & sine mora porrigenti restituite, & reddite. D
1372. Datum Burgis die 25. Maij Aera 1410. idest anno domini nostri Iesu Christi 1372. Sanctius Sanchez, Velaschus Perez Auditores regiæ audientiæ de mandato domini Regis hoc priuilegium, seu chartam exhiberi iusserunt. Et ego Ioannes Fernendez regius scriba scribi feci.

Gregorius XI. attendens meritorium, & salutiferum redemptionis munus, in quo noster Ordo versatur, & grauia expensarum onera, quæ in eo explendo Religio nostra sustinet, specialibus fauoribus nostram religionem prosequitur, eamq; a Decimarum solutione eximit. Bulla huiusmodi concessionis est tenoris sequentis.

1373. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro Generali, & Fratribus B. Mariæ de Mercede Captiuorum, Ordinis S. Augustini; salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum salubria laborum vestrorum studia, quibus vacatis assiduè, pro redemptione Christi fidelium, qui ab Inimicis fidei Orthodoxæ miserabili Captiuitate detinentur; neq; non multiplicia expensarum onera, quæ pro redemptione huiusmodi continuè supportatis, diligenter attendimus, dignum reputamus, & congruum, vt uos, & loca vestra specialibus fauore, & gratia prosequamur. Exhibita si quidem nobis pro parte vestra petitio continebat; quod licet omnes fructus, redditus, & prouentus beneficiorum domorum, & aliorum locorum uestrorum, unà cum elemosynis, quæ uobis à Christi fidelibus largiuntur, (victu, & vestitu vestris duntaxat deductis) in redemptionem fidelium Christianorum, qui per Inimicos eiusdem fidei Captiui detinentur, conuerti debeant, & etiam conuertantur, tamen decimas redditunm, & prouentuum Ecclesiasticorum Regibus, & alijs Principibus concessas leuari, seu exigi contingat, & Collectores decimarum huiusmodi uos ad solutionem, seu præstationem decimarum ipsarum compellunt. Quare pro par- E

te

A te vestra nobis extitit humiliter supplicatum; vt cum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, de Calatraua, & de Montesia domorum Magistri, & Fratres a solutione, seu præstatione decimarum ipsarum exempti sunt penitus, & immunes, uos, (ut circa redēptionem Captiuorum ipsorū melius, & liberius insistere valeatis,) a præstatione, seu solutione decimarū earūdem eximere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur uolentes uobis super hoc, paterna sollicitudine prouidere, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod vos de vestris, ac beneficiorum, domorum, & aliorum locorum ipsorum fructibus, redditibus, seu prouentibus prædictis, Decimam huiusmodi (cum ipsam quibuscūq; Regibus, seu Principibus, aut alijs quibuscūq; per Sedem Apostolicam concedi contigerit) in futurum soluere, seu præstare, aut in ea cū alijs personis Ecclesiasticis contribuere minime teneamini. Neq; ad id a quoquam compelli possitis per literas Apostolicas sub quacunq; forma, uel expressione
B verborum concedendas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, & Ordine, ac domibus vestris huiusmodi mentionē, deuotioni vestrę auctoritate Apostolica de speciali gratia, tenore præsentiū indulgemus. Decernentes insuper suspensionis, interdicti, ac excommunicationis sentētias, si quas cōtra vos, vel aliquē vestrum, aut domos, seu alia loca vestra prędicta per quoscunq; occasione præmissa, fieri contigerit, seu etiam promulgari, irritas, & inanes.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Auenione decimosexto Calend. Iunij Pontificatus nostri anno tertio. 1373

C Licet decimā Dño dare valde utilis, & iustissima (vt ait Diuus August.) consuetudo sit; quia decimam præbens, non solum fructuum abundantiam recipiet, sed etiā aīæ, & corporis sanitatē consequetur, nā terrena, & cęlestia præmia promereri potest. Imo decimas Ecclesiæ negantes (Malach. 3.) Maledicti sunt. quia dū paruam partem subtrahunt, Domino pręcipienti contradicunt, & vbertatē possessionū suarū perdere debent. Nihilominus tamē nos, qui non solū bona nostra pro Fratribus nostris liberandis, & redimendis libenter impēdimus, & possessiones, redditus, & bona nostra uendere solemus, sed etiam pro eis animas nostras (quæ sunt maioris æstimationis, & altioris Ordinis) quotidie ponimus, optimo iure Summorum Pontificum declaratione, & decreto ab omni decimarum, & cuiuscunq; impositionis solutione, & præstatione liberi, & immunes esse debemus. Vnde grauiter peccant, qui a nobis decimas extorquent, & ad earum solutionem fratres nostros compellunt,
D & digni laude sunt Ecclesiastici, & temporales Principes, qui Ordinem nostrum contra omnes personas, quę eum molestant, pro viribus defendunt, & fauoribus specialibus prosequūtur; vt Henricus Castellæ Rex, eius nominis secundus, qui valde fauorabile priuilegiū ad honestatem Ordinis, & Redēptorum Captiuorumq; commodum expediri iussit. Quod ex idiomate Hispano latinitati donatum (aliquibus verbis, & antiquis uocabulis ex causa non mutatis) est tenoris sequentis.

Henricus Dei gratia Rex Castellæ, Toleti, Legionis, Gallitiæ, Ispalis, Cordubæ, Murtiæ, Giennis, Algarbij, Algeziræ, Dominus Molinæ, &c. Omnibus Consiliarijs, Gubernatoribus, Iuratis, Iudicibus, Ordinū S. Iacobi, Calatrauę, Alcantarię Magistris, Priori S. Ioannis, omnibus Commendatoribus, subcommendatoribus dictorum Ordinum, &c. Et omnibus, & singulis, quibus hæc nostra charta fuerit ostensa, uel eius transsumptum manu pu-
E blici scribæ signatum, salutem, & gratiā. Notum vobis facimus Fratrem Petrū Rodriguez Prouincialem S. Mariæ de Mercede, ad nos querelam detulisse in hunc modū. Quod dictus Ordo a Romanis Pontificibus priuilegia obtinuit, in quibus plurimæ gratiæ, & priuilegia continentur. Retulit etiam quod aliquando dum ipsemet prouincialis, & sui Ordinis Fratres ad Saracenorum terras pro Captiuorum Redemptione proficiscuntur, solent mulas, & alia animalia asportare, ut ea vendant, & pro Captiuis Christianis commutent; at uero exactores reddituū Dominij regij, & dictorū Ordinum, aliorūq; Dominiorum, eos contra ius compellunt, vt dictorū animalium gabellas, & vectigalia soluant. Similiter quod de tela quā secum deferunt, ut ex ea indusia, & aliud indumenti genus pro induendis Captiuis iam redemptis conficiant, vectigalia soluere coguntur. Insuper de vaccis, & ouibus, ac alijs pecoribus, quę propter amorem Dei a Christi fidelibus recipiunt, ut Christianos Captiuos redimant, coguntur similiter vectigalia soluere.

1373. Et deniq; quod custodes, & regij exactores, alijq; vectigales, ipsosmet Christianos Captiuos iam redemptos, de misera captiuitate ad patrias redeuntes, in Ciuitatibus, & locis quà transeunt, præsertim Cordubæ molestare non verentur, eos & eorum bona scrutantes, & auidissimè conquirentes. Si autem apud eosdem Captiuos aliqua bona etiam parui valoris inueniebant, eos liberos abire non sinebát, nisi prius de dictis Captiuorum Christianorũ bonis, cum effectu, vectigali soluto. Quibus malis, & molestijs, si efficax non adhiberetur remedium, quòd hic Ordo opus tam pium, quale est Captiuos de potestate Saracenorum redimere, proculdubio exercere non valeret. Et ob id a nobis humiliter contendebat, ut quod iustum, & rationi consonum esset, prouidere, & ordinare dignaremur. Tenore igitur pręsentium vobis, & vestrum cuilibet præcipimus, & mandamus (ut visa hac nostra charta, vel eius auctentico transsumpto) non compellatis pręfatum prouincialem, vel Fratres dicti Ordinis ad soluendum vectigal, uel aliud impositionis genus, de pecudibus, telis, mulis, & asinis, quæ deseruire debent, pro redemptione Christianorum. Neque permittatis, quod alij vectigales, uel exactores ad huiusmodi indebitam vectigalis solutionem eos cogant, quia hæc bona sunt elemosynæ, & hoc opus est pium. Insuper prohibemus ne vos, vel vestrũ aliqui, ab eis recipiatis, neq; permittatis quod aliquis ab eis recipiat, quod vulgariter vocãt; *Peaje, nin passaje, nin heruaje, nin ronda, nin castelleria, nin assadura, nin almoxarifazgo, nin dehessa, nin cañ ada, nin otro derecho de varca, nin de rio*, neque aliud impositionis genus in terris, & locis dictorum Ordinum, vel alijs dominijs nostrorum regnorum. Insuper ordinamus quod quando Captiui Christiani iam liberati, reuertuntur, & ad Christianorum terras proficiscuntur, nullum ab eis de bonis, quæ secum asportant, vectigal recipiatis, vel ab aliquo recipi permittatis.

A B C

Et volentes dictum Prouincialem, & Fratres præfati Ordinis fauoribus prosequi, confirmamus omnes, & singulas immunitates, gratias, bonos vsus, & bonas consuetudines, quas Reges nostri Progenitores eidem Ordini concesserunt. Et amplioribus gratijs Pręlibatos Prouincialem, Fratres, & Ordinem condecorare exoptantes, eos & eorum omnia Monasteria, & domos sub nostra custodia, & protectione recipimus, præcipientes, & Ordinantes, quod ipsi cum omnibus bonis suis possint iter facere, & de uno ad alium locum totius nostri regij dominij liberi, & securi transire, quos molestare, aut ab eis aliquid accipere audeat nemo. Vobis etiam & vestrum cuilibet ordinamus, quod prædicto Prouinciali, aut Fratribus sui Ordinis, ad loca vestra accedentibus, hospitia gratis, & liberaliter apud honestos, & bonos viros exhibeatis, cibaria uero pro iusto pretio, eis dare non differatis. Decernimus etiam, quod si necesse fuerit, & euidens immineret periculum, teneamini (ne bona redemptionis pereant, uel furentur,) dictis Fratribus de vno loco ad alium Ductorem consignare. Si autem aliqua bona mobilia, uel immobilia reperiantur, quorum veri Domini non sciantur, communi vocabulo *mostrencos* appellata, quæ ad nos attinent, uolumus quod deinceps huic Ordini pro Captiuis Christianis liberandis assignentur. Insuper Pręfatus Prouincialis nobis proposuit aliquando cõtigisse, quod Christi fideles, suo Ordini largiri solebant aliqua mancipia, Saracenos, & Saracenas, vt eos pro Captiuis Christianis commutent; transeuntes vero dictos Fratres cum huiusmodi Saracenis per loca nostri Dominij, vel dictorũ Ordinum, exactores ad vectigal soluendum compellunt, quod deinceps fieri omninò prohibemus.

D E

Et præter hæc supradictus Prouincialis nobis significauit nonnullos sui Ordinis Fratres Deũ non timentes, & inobediẽtes per Dominiũ nostrũ vagantes, falso fabricato Titulo elemosynas pro hoc Sancto redemptionis opere petere non fuisse veritos, quos Prouincialis castigare, & præ manibus habere non ualebat, quia eos dictorum militarium Ordinum Superiores, & alij locorum Domini pro uiribus tutabantur; quod proculdubio in grauissimum eiusdem Ordinis dedecus cadebat. Ideo uobis, vel vestrum cuilibet præcipimus, & mandamus, ut Fratres sic deuios, & inobedientes dicto Prouinciali, vel Ordinis præfati Superioribus, secundum Deum, iuxta suę religionis constitutiones puniendos, & emendandos consignetis, & tradatis. Insuper expresse prohibemus, & decernimus, quod nullus ab eis exigat, vel accipiat tertiam, uel quartam (quam uocant) aut aliud quodius impositionis genus, seu vectigal de eis bonis sibi a Christi fidelibus pro Captiuorum redemptione collatis. Contra facientes uero, uel huic nostræ chartæ non parentes ad debitam satisfactionem compellatis. Si aliquis in sua ultima uoluntate, & testamento in fauorem Captiuorum aliquid legauerit, (Captiuorũ proprijs nominibus non expressis) uolumus, & ordinamus,

A namus, quod huiusmodi legatum huic Ordini consignetur. Si autem acciderit, quod Testator in suo testamento ordinauerit, aliquem vel aliquos Captiuos Christianos, ex suis bonis per manus dicti testamenti exequutorum redimi debere, non exprimendo in particulari Captiuorum nomina, decernimus quod talis redemptio per Fratres eius ordinis fiat. Et quia contigit aliquando, nonnulla legata pro redemptione Captiuorum relicta, præfatos exequutores apud se retinere, & nolle ea Fratribus dicti Ordinis consignare, quo ad vsque, cum effectu constet eis, dictos Captiuos fuisse iam redemptos, & perfectæ libertati donatos; volumus quod dicta legata, & pecuniarum summam pro redemptione Captiuorum relicta, Fratribus eius Ordinis accedentibus, & petentibus, ea consignare non differant, quia sine huiusmodi legatis, elemosynis, & adminiculis, Captiui non possunt redimi. Quæ omnia in hac nostra charta contenta sub pœna sexcentorum Marauetinorum vsualis monetæ vos
B omnes ad quos expectat executioni mandetis. Qui vero contraierit, præter quod in dictã pecuniarum pœnam incurrit, debeat infra nouem dierum spatium coram nobis comparere. In quorum testimonium, hanc nostram chartam expediri iussimus nostro sigillo plumbeo pendenti fulcitam. Sub dat. Vallisoleti die 25. Maij Aera 1411. idest anno Domini 1373. Dominus Ioãnes Episcopus de Orenes, chancellarius regius, & Ioannes Alphõsus doctor, ambo Auditores Auditorij regis, eam chartam expediri mandarunt. Et ego Didacus Fernandez regius scriba, eam exarari feci. Petrus Rodriguez uidit. Ioannes Fernandez vidit. 1373.

Idem Generalis Magister ad maiorem abundantiam ab eodem Romano Pontifice dedit operam, ut tam Indulgentiæ pontificiæ, quàm regia priuilegia confirmarentur. Cuius postulationibus, & petitioni Sanctissimus inclinatus, concessit bullam plumbeam tenoris
C sequentis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis Magistro, & Fratribus domus S. Eulaliæ de Mercede, Captiuorum, Barchinonẽ, S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorẽ beneuolum impertiri.

Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrẽtes assensu omnes libertates, & immunitates à Prędecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, seu alias Indulgentias vobis, & domui vestræ concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus, rationabiliter vobis, & domui prædictæ indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem domui auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patroci-
D nio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Auenioni octauo idus Octobris Pontificatus nostri anno tertio. 1373.

Idem Summus Pontifex duas alias bullas primam in qua inserit bullam Gregorij IX. alteram in qua etiam inserit bullam Nicolai Papę IV. nobis concessit. Quæ sunt tenoris sequentis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam literarum fęlicis recordationis Gregorij Papę IX. prædecessoris nostri, in registro ipsius prædecessoris repertum, pro eo quod sicut dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum domus Sanctæ Eulaliæ, de Mercede Captiuorum, Barchinonẽ Ordinis S. Augustini peti-
E tio nobis nuper exhibita; prædictæ originales literę casualiter sunt amissę, de registro ipso de verbo ad uerbum transcribi, & ad ipsorum magistri, & Fratrum supplicationis instantiã pręsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Gregorius seruus seruorũ Dei, dilectis filijs Magistro, & Fratribus domus S. Eulalię Barchinonẽ, salutẽ, & Apostolicam benedictionẽ. Deuotionis vestrę precibus inclinati, pręsentiũ vobis auctoritate cõcedimus, ut cũ nondũ aliqua sit à vobis ex religionibus approbatis assũpta, B. Augustini possitis Ordinẽ profiteri. Dat. Perusij 16. Cal Februarij, Pont. nostri an 8.

Cæterum, vt earundẽ literarum tenor prædictus hic insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eundemq; uigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales literæ supradictæ, & eidẽ prorsus tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, siue in iudicio, uel alibi fuerit exhibitus, vel ostensus.

Et

Et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus literis staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & voluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare A
1374. præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Auenioni 8. idus Ianuarij. Pontificatus nostri an. 4.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam literarum fęlicis recordationis Nicolai Papæ IV. prædecessoris nostri, in registro ipsius pędecessoris repertum, de registro ipso de verbo ad uerbum transcribi, & ad dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum domus S. Eulaliæ de Mercede, Captiuorũ, Barchinonen̄ Ordinis Sancti Augustini, qui se dictis literis asserunt indigere supplicationis instãtiam, annotari fecimus, qui talis est.

Nicolaus Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis Archipresbyteris, & Ecclesiarum rectoribus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilectos filios Magistrum, & Fratres domus S. Eulaliç Barchinonen̄, Ordinis S. Augustini de Mercede, Captiuorum, salubri studio pietatis, & misericordiæ intendẽtes operibus, sincera complectentes in Domino charitate, ac eos, qui erga Captiuos, pia gestantes uiscera, pro ipsis ab Infidelibus redimendis, bona quæ obtinent, & quæ possunt acquirere, continuè impendunt, quinimò super impendunt. Interdũ etiam semetipsos fauore beneuolo prosequentes, non possumus non turbari, cum aliqui corde peruersi, elemosynas quas idem Prior, & Fratres, vel eorũ Nuntij, pro redemptione Captiuorum ipsorũ acquirunt, eis malitiosè surripiunt, uel defraudant. Sanè dictorum Magistri, & Fratrum conquestio nobis exhibita continebat, quod nonnulli vestrum, siue operarij ad vestrarum Ecclesiarum fabricas constituti, partem elemosynarum, quas ipsi, uel eorum Nuntij per dictas Ecclesias pro prædictis Captiuis redimendis colligunt, occasione operis Ecclesiarum ipsarum, vel alia de caussa indebitè exigunt, & extorquent, in eorundem Magistri, & Fratrum præiudiciũ, & grauamen, C
& dictorum Captiuorum non modicum detrimentum. Nos igitur uolentes huiusmodi elemosynas nullatenus defraudari; ne à prędictis Magistro, & Fratribus de pręfatis elemosynis partem aliquam occasione dicti operis, uel etiam ex alia quauis caussa exigere, uel extorquere quomodolibet pręsumatis, uobis auctoritate præsentium districtius inhibemus. Datis apud vrbem veterem 13. Cal. Augusti Pontificatus nostri anno 4.

Cæterũ ut earundẽ literarum tenor, sic insertus, omnimodã rei, seu facti certitudinẽ faciat Apostolica auctoritate decernimus, vt illud idẽ robur eãq; uim, eundẽq; uigorẽ dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literæ supradictæ. Et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunq;, & ubicunq;, siue in iudicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus literis staretur, si forent exhibitæ, uel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & uoluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem D
hoc attẽtare præsumpserit indignationẽ omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apo-
1374. stolorũ eius, se nouerit incursurũ. Datis Auenioni 8. idus Ianuarij, Pontificatus nostri an. 4.

Frater Bonanatus de Præxana in grauissimum incidit morbum, ita ut totus pallidus effectus, citò moriturus crederetur. Sumptis summa deuotione Ecclesiæ Sacramentis, omnes sui Prioratus religiosos coram se uenire fecit. Post breuem de bono religionis, & de pace inter se seruanda sermonem, de culpis, & negligentijs in sui Prioratus administratione per annos triginta nouem commissis, & perpetratis, summa humilitate ab eis veniam petijt, &
1375. Prioratui cessit, sub datum in Prioris Camera die 26. Augusti 1375, rogans eos, ut Priorem eligerent, quem tanto munere dignum, & Monasterio vtiliorem iudicarent. Quo omnes contristati sunt ualde, & nullo modo suum consensum tali cessioni pręstare voluerunt; E
sed peritissimos, & nobilissimos Medicos, qui inueniri possent, statim aduocarũt. Quorũ opportunis, & celeratis medicaminibus, & super omnia, cõtinua oratione, quę a Patribus pro eo fiebat, ac alijs spiritualibus remedijs, (sicut Domino placuit) conualescere cępit, & sanitatem consecutus est.

1376. Hic an. 1376. in Christiano orbe fuit ualde memorabilis, & aliqbus Populis, & nationibus nimis lętus, alijs vero multũ męstus. Gallia luxit, & Italia risit. Cuius rei hęc fuit potissima caussa Gregorius Papa XI. sanctissimus meritò, & optimus Põtifex, sciẽs quanta mala, ob summorum Pontificũ a curia Romęa absentiã, quotidie in Italia perpetrabãtur, tot cõdolẽs miserijs, Sedẽ Pontificiã, quę Auenionẽ fuerat translata, & per annos 70. ab vrbe amota, Romam fęliciter

non

A non sine Gallicanæ nationis summo dolore, & contradictione transferre voluit, anno sui Pontificatus sexto. Itaq; a Massiliç portu mense Septẽbris eius memorati anni 1376 soluit, 1376.
& Triremium nauigatione Ianuam peruenit. Deinde (hyemali tempore superueniente) iter terrestre arripuit, & die 8. Epiphaniæ Domini anni 1277. ingenti, & incredibili Romanorum gaudio, & lætitia Romam ingressus est. 1377.

Sed dum Romani, læti nimis, Summo Pontifici gratulantur, & ingentibus laudibus, & iubilo se de eius fœlicissimo in Vrbem suam aduentu, gaudere testantur, ad nostros Fratres Gotholanos mœrore affectos de morte Prioris transeamus. Prior igitur Barchinonç Frater Bonanatus de Præxana plura, & prçclara gesta fecit in uita sua; cuius gloriam nulla delebit obliuio, eumq. in suis historijs Magister Gauer de uitis Priorum Barchinonç, & alij nostri Ordinis scriptores maximis laudibus commendant. Viuens omnibus profuit, publicæque
B vtilitati totius religionis, & paci consuluit. Suum Monasterium Barchinonæ plurimis redditibus, & ædificijs locupletauit, & auxit. Post exactam laudabiliter uitam virtutibus, & ætate plenus octogenario maior, migrauit ad Dominum in die festo Sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ huius anni 1377 & sui Prioratus anno 41. Post cuius mortem supprior Monasterij Barcinonæ omnes Fratres Cõuentuales in electione Prioris, vocem habẽtes, congregari Capitulariter iussit. Qui per vota secreta summa concordia Fratrem Iacobũ Tahust, natione Valentinum, in duodecimum Priorem, & sextum per electionem crearũt, qui postea fuit Generalis totius Ordinis Magister. 1377.

Summus Pontifex Gregorius XI. sancta, & æterna memoria dignus, qui publicç vtilitati, & commodo, dulcem propriæ patriæ, & gentis suç amorem postposuit, hoc anno 1378. sexto Cal. Aprilis Romæ obijt in palatio Sancti Petri, anno sui Pontificatus 7. mense secun- 1378.
C do, & die 29 Cuius corpus fuit ad Ecclesiam S. Mariç Nouç Ordinis Monachorum Montis Oliuetani delatum, ibiq; Tumulo marmoreo honorificentissimè cum subscriptione conditum est. Post cuius mortem, schisma magnum (quale non fuit ab initio Ecclesiæ vsq; ad hçc tempora,) quod per plures durauit annos subsecutum, totum Christianum afflixit orbem.

Cardinales igitur post mortem Gregorij XI. remanentes, numero quindecim, quorum vndecim erant natione Galli, & reliqui Itali, pro nouo Pontifice creando, conclaue ingressi, non solum inter se dissentiebant, & inquieti erant, sed eos Populus Romanus molestabat, eisque magnam manu armata noctu diuque trepidationem incessanter incutiebat. Et nihil aliud ante fores conclauis, & vndequaque audiebatur, quam Romanorum, & Italorum clamores, & voces dicentium; date, & concedite nobis Summum Pontificem, natione Romanum, vel ad minus Italum. Ob id post magnos
D Populi Romani incitatos tumultus, & rumores fuit in Summum Põtificem electus Bartholomeus Archiepiscopus Barensis, Italus Neapolitanus die 8. Aprilis eiusdem anni 1378; qui non erat Cardinalis, Vrbanusq; VI. appellari uoluit. Suscepit suæ coronationis insignia 24. Cal. Maij summa pace (omnibus Cardinalibus, & magno Prælatorum, Cleri, & Populi Conuentu, præsentibus, laudantibus, & approbantibus, & non contradicentibus.) Hac de causa Vrbanus iste sextus in recta Romanorum Pontificum linea (ut legitimus Papa) collocatur. In cuius rei verum signum vidi Romç post mortem Sixti Papç V. fuisse Summũ Pontificem electum, Ioannem Baptistam Castanna Romanum, qui vt de more, proprio nomine Ioannis, in Vrbanum mutato, Vrbanus VII. appellari voluit. Quod est euidens signũ, Vrbanum VI. hoc anno Romæ electum, fuisse legitimum, & indubitatum Papam. Non sic Clemens VII. in schismate contra hunc Vrbanum creatus, cuius electionis modus sic 1378.
E accidit.

Illi vndecim Cardinales Galli, postquam cum alijs Cardinalibus, Clero, & Populo obedientiam Vrbano VI. porrexerant, Consilium inter se inierunt aduersus Summum Pontificem. Et eius creationem infirmare volentes, fuisse coactam, & propter metum Romanorũ factam, publicabant. Vnde ut alium Pontificem liberè eligere valerent, Fundos quod est oppidum Campanię inter Tarracinam, & Caietam petierunt, quos Cardinales Itali secuti, eis adhçrere voluerunt. Et iterum Comitia pro nouo Gregorij vndecimi successore, contra Vrbanum Papam, quem Antipapam appellabant, celebrantes, 12. Cal. Octobris eiusdem anni vnum ex ipsis Cardinalibus Gallis, nomine Robertum Presbyterum Cardinalem Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum, nobilissimo genere natum, in Summum Pontificem, seu potius Antipapam crearunt; qui Clemens VII. appellari voluit. Electus contulit se in Galliam, & Auenioni per plures sedit annos, & vt verus Papa aliquando ab Hi-

Hispania, & ab alijs regnis habitus fuit. Et sic hoc anno cœpit in Ecclesia Dei dirum schisma, magnaq; scissura. Quod aduertere uolumus pro nostra historia, nam Bullæ, & litteræ huius Clementis VII. ad fauorem nostri Ordinis concessæ sunt ualidæ, easq. in hac nostra Chronica inserimus. Quia (durante hoc duorum Pontificum dissidio) non temerè Reges, Principes, Religiones, & Populi, ac nationes Christianæ in alterutram partem tunc inclinabãt; & qui erant veri Pontifices ea, quæ a suis aduersarijs gesta erant, approbabant, & confirmabant. Quod dicimus de Clemente, dicemus etiam de eius successore Benedicto XIII. A

Henricus Castellæ Rex, eius nominis secundus (qui occidit fratrem suum Petrum cognomento crudelem, non crudelitatibus eius finem imponendi, & sęuitiam flagitiaq; puniendi caussa; sed sola imperandi, & regnandi ambitione ductus,) passus est in uita sua magnas calamitates. Quem multi affirmant, efficaci in ocreis immisso veleno, de medio fuisse sublatum; obijt hoc anno 1379 3. Cal Iunij. Cui successit Ioannes filius, eius nominis primus. Qui regalibus insignibus susceptis, voluit Burgis suorum Consiliariorum Comitia, & Conuentum celebrare. Vbi ad instantiam Prouincialis, & Fratrum nostri Ordinis Prouinciæ Castellæ, præfatum priuilegium Henrici patris sui, Vallisoleti expeditum die 25. Maij 1373 inserendo confirmauit. Cuius Regis Ioannis priuilegij tenor talis est. B

Dominus Ioannes Dei gratia Rex Castellæ, Toleti, Legionis, Gallitiæ, Ispalis, Cordubę, Murtiæ, Giennis, Algarbij, Algezirę, Dominus Laræ, & Viscayæ, & Molinę, &c. Vidimus quandam chartam Regis Don Henrici Patris nostri, cui Dominus parcat, scriptam in charta pergamena, seu membrana, sigillatam pendenti sigillo, tenoris sequentis.

Dõ Henricus, Dei gratia Rex Castellę, &c. Sub datũ Vallisoleti die 25. Maij an. 1373. &c. Prouincialis igitur & Fratres Ordinis S. Marię de Mercede nobis supplicarũt; quatenus prędictã dicti Regis Domini Henrici chartã confirmare dignaremur. Et nos prędictus Rex Dominus Ioannes volẽtes specialibus fauoribus, & gratijs eosdem Prouincialẽ, & Fratres prosequi, suis in hac parte precibus inclinati, mandamus quod eodẽ modo ab omnibus deinceps obseruetur, sicut obseruabatur nostro patre viuente. Et idem robur, & vim in posterum habeat, quam hucusq; habuit. Si autem aliquis contra eam aliquid attentare præsumpserit nostram indignationem, & pęnam in eadem charta contra impedientes contentam, & impositam proculdubio se nouerit incursurum. Et insuper decernimus quod damnum ab aliquo in hanc Religionem illatum, teneatur delinquens bis tantum, & duplum soluere. Si autem aliquis executionem huius nostræ confirmationis chartę impedire, seu retardare ausus fuerit, lator, & ostensor eius nostri priuilegij, aut transsumpti auctentici possit, & debeat, talem impedientem, seu retardantem, coram nobis, infra quindecim dierum spatium, & sub pœna 600 Morabatinorum citare ad comparendum, & dicendum qua occasione, & prætextu motus, hoc nostrum mandatum adimplere recusat. Sub datum in Comitijs, in ciui C D

1379. tate nostra Burgensi celebratis die 10. Augusti Aera 1417 idest anno Domini 1379. Ego Alphonsus Sanchez hanc chartam scribi feci de mandato Domini Regis. Gundisaluus Fernandez. Vidit Ioannes Fernandez. Aluarus Martinez Cheus, Alphonsus Martinez.

Frater Christophorus Soler pro Cathalonia Redemptor, Vir valde bonus, & sui Sancti

1380: instituti zelator, plurimis aggregatis elemosynis liberauit hoc anno 1380. ex ciuitate Oram, E

Liber. 198. & alijs Africæ partibus 198. Christianos Captiuos, quos in Hispaniam incolumes duxit.

1381. Eodem anno & similiter sequenti 1381 Redemptores Patres Fr. Alphonsus Burgensis nobili genere natus, filius Conuentus Toletani, Sacrę Theologiæ insignis Magister, & famosus verbi Dei Concionator, & Fr. Ioannes de Medina a Prouinciali Castellæ in Saracenorum terras missi, plurimas merces, & pecuniarum ingentem secum summam deferentes, redimere potuerunt

Liber. 159. 159. Christi fideles.

C 19.

Cap. IX. Obijt Petrus Aragonia Rex, cui succedit Ioannes filius, qui nostrum Ordinem fauoribus prosequitur. Sed Ioanne morte repentina de medio sublato, Martinus Frater regnat. Clementi Septimo succedit Benedictus XIII. & Magister Ordinis Valentiæ obijt.

A Oc Anno 1381 Magister Ordinis celebrauit Capitulum Generale in Monasterio Barchinonensi. Ad quod accedere definitores Prouinciæ, & regnorum Castellæ noluerunt. in quo Inter alia fuit statutum, quod Fratres nostræ Religionis in dissidio & controuersia duorum Pontificum Vrbani VI. & Clementis VII, nullo modo, neq; ad alicuius Principis Ecclesiastici, vel Secularis instātiam, alteri eorum adhęrerent. Sed (lite durante) animos suspēderent, quo ad vsq; Dñus noster Petrus, Aragoniæ Rex, eiusque regium Consilium aliter decernerent, & suam mentem, & cui adhęrere volebant, declararent, (nisi prius adesset alicuius 1381.
B Generalis Concilij, ritè Congregati, determinatio, & declaratio. Hoc decretum Capituli Generalis in gratiam regis Aragonię facti, Magister Ordinis, qui eius fauore indigebat, facere sine impedimēto potuit, & voluit, vt vel sic Regem ad suam immoderatam honorum extra Ordinem cupiditatem, propitium haberet. Potuit inquam sine impedimento, quia definitores Castellæ, qui contradicere poterant, & adesse renuerunt, Clementis VII. Auenioni sedentis, partes sequebantur.

In nonnullis nostri Ordinis historijs adnotatum inueni, Dominum Ioannem Castellæ Regem, hoc Anno 1383 in Ciuitate Segobiæ priuilegia, gratias, & fauores a suis Prædecessoribus nostræ Religioni concessa laudasse, approbasse, & confirmasse, & vt in toto suo dominio inuiolabiliter obseruarentur, sub grauibus pęnis imperasse. 1383.

C Hoc eodem anno cessauit in Castella, antiquissima, & vetus annorum per Aeras computatio. Et fuit a Rege decretum, ut deinceps in actis publicis Anni a Christi natiuitate enumerarentur, & conscriberentur. Quæ per Aeras computatio perdurauerat in Castella per annos 1421 inclusis annis triginta octo ante Christi natiuitatem, quia tunc cœpit Aeræ computatio, & enumeratio. Quod adnotare volumus, eo quod in plurimis Regum Castellæ priuilegijs, & chartis antiquis ad fauorem nostri Ordinis expeditis, Aeræ enumeratio reperitur.

Qui vero (sicut nos in hac nostra Chronica fecimus) voluerit æquare, & conciliare Cæsaris æram, & Christi Domini nostri natiuitatis annum, nihil aliud, eum facere oporD tet, quam subtrahere ab Aera Cæsaris, annos triginta octo, & sic incidet in Christi annum. Verbi gratia, si in præfato Domini Ioannis confirmationis nostrorum priuilegiorum priuilegio, & charta regia, hoc anno Segobiæ expedito, fuisset descripta Cæsaris Aera esset eiusdem annus 1421. a qua æra, si demas illos triginta octo annos, incides in præsentem Christi Domini nostri annum 1383. Ex quo pro maiori claritate infero, quod quando Puer Iesus fuit a sua gloriosissima Matre, inter doctores in templo repertus, erat Aera, & annus Cæsaris quinquagesimus, quia tunc Christus Iesus duodecim habebat annos.

Hoc anno 1384 Frater Antonius Pereira Lusitanus, a Prouinciali Castellæ Procurator, & Redemptor pro Monasterijs eius regni deputatus, plures aggregauit pecunias, 1384.
E easque dum suo Prouinciali asportat, fuit in itinere a militibus Castellæ exercitus detentus, & spoliatus. Sicque pecuniæ infœliciter perierunt, & eo anno redemptio fieri non potuit.

Hæc & alia damna atque incommoda, quæ propter bella inter Reges Christianos quotidie perpetrabantur, maximo mœrore Religiosos Fratres nostri Ordinis, operis redemptionis studiosos afficiebant, præsertim Fratrem Dionysium Emanuelem natione Lusitanum, sanctimonia condecoratum, famosum verbi Dei Concionatorem, omnibus sacris, & humanis disciplinis imbutum, & oratione facundum, qui zelo diuino motus cum alijs religiosis Lusitanis, (quorum Dux ipse erat) in hac Lusitani regni afflictione, & perturbatione, Crucem in manibus gestans, Regi Castellæ hoc anno 1385 obuius occur- 1385.

rit, dixitque ei. Domine mi Rex, arma (quęso) propter viscera Dei nostri, aduersus Christianum Regem, depone. Contra Granatæ Regem, Crucis inimicum, (quem intra dominium tuum, & in medio regnorum tuorum regnantem, cum tuo magno dedecore respicis,) bellum excitare, & commouere te oportet, afflictis, & oppressis Lusitanis compatere. Si contra Catholicæ Ecclesiæ hostes, bellum inieris, cum bona sit causa, & intentio recta, exitus pugnæ malus esse non potest. At vero incassum bellum geritur, & bonus non iudicabitur finis, si intra regna tua exultantes aduersarios omittas, & Regem externum, tuum consanguineum molestando, regna eius occupare præsumas. A

Quæ cum nihil proficerent, magnum Castellæ Regis exercitui denuntiauit malum. Iudicia Dei (dicebat) iusta sunt. Quid de tuis potentibus militum copijs ob superbiam Ducis, & Rectoris in se confidentis, quam infœlix exitus, & populatio sperenda est; & in Hispano populo, & in gente Christiana vexatio, & perturbatio? Nam quemadmodum (vt S. Chrisost. in Matth.) certantibus ventis, concutitur mare; sic Christianis Regibus sibi aduersantibus, Populus regni vexatur. B

Ioannes Manricus Compostellæ Episcopus ad supplicationem, & instantiam Prouincialis, & Procuratoris Redemptionis nostri Conuentus Vallisoleti, valde fauorabiles, &
1386. & gratiosas hoc anno 1386 literas concessit. Quibus sub grauibus pœnis, omnibus, & singulis suę iurisdictionis Rectoribus, & animarum curam habentibus pęcipiebat, vt Fratres, aut Redemptionis nuntios a præfato Prouinciali pro elemosynis missos, ad suas ecclesias accedentes, benignè, & humanè reciperent; suosq; Parrochianos ad largas elemosynas porrigendas verbo, opere, & exemplo mouerent. Imo (si esset opus) eosdem Redemptionis Procuratores, & elemosynas petentes (dum eas ostiatim petunt) ducere, & comitari tenerentur. C

Petrus Aragonum Rex, eius nominis quartus, cognomento Cœremoniosus quarto,
1387. aut (vt alij volunt) quinto die Ianuarij huius anni 1387 Barchinonæ obijt; cui in regnis successit Ioannes eius filius. Hic igitur Rex Ioannes suscepto regnorum suorum sceptro, voluit Barchinonæ Comitia, & Conuentum suorum Consiliariorum celebrare; vbi ex voto suorum Episcoporum, & Procerum ibi Congregatorum, auditis, euentilatis, & discussis allegationibus, & iuribus, quæ in hac Ecclesiæ scisura, & schismate ab Italo, & Gallo Pontificibus adducebantur, & pro eis allegabantur; ad fauorem Clementis Papæ Septimi sic in sua obedientia vocati, natione Galli declarauit, & pronunciauit, ac ut verum Romanum Pontificem in eo regno haberi, & teneri præcepit.

Eodem anno pro omnibus Prouincijs, & Monasterijs nostri Ordinis, patres Redemptores, Frater Dominicus de Sancto Laurentio, & Frater Ioannes de miranda, quem alij Ioannem de Seuilla, seu Ispalensem vocant; ex Infidelium partibus liberarunt 309 Christi fideles. Quos de Ordine Generalis Magistri Valentiam liberos asportarunt. D
Liber. 309.

Ioannes Aragonum Rex, eius nominis primus, mirificè nostrum dilexit ordinem, eumque plurimis fauoribus, & gratijs prosequi voluit. Quod ex sequentibus patebit. In primis voluit, quod a decimarum solutione, noster Ordo liber, & immunis esset iuxta Summi Pontificis Gregorij vndecimi bullam. Cuius regij priuilegij, & mandati tenor talis est.

Dominus Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Mayoricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Comesque Barchinonæ, Rossilionis, & Ceritaniæ; fidelibus nostris vniuersis, & singulis Collectoribus, Subcollectoribus, seu Receptoribus, aut alijs Commissarijs Decimarum per Dominum Summum Pontificem nobis commissarum, & concedendarum, & quibusuis alijs præsentibus, & futuris, ad quos præsentes peruenerint, & pertineant, & infra, salutem, & gratiam. Reuerenter fuit coram nobis expositum pro parte Magistri Generalis, & Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Captiuorum; quod licet ipsi, & omnes fructus, & prouentus beneficiorum, domorum, & aliorum locorum suorum, vna cum elemosynis, quæ eisdem pro redimendis Christi fidelibus, largiuntur, sint, & esse debeant Franchi, & penitus immunes a solutione decimarum prædictarum, ex priuilegio eisdem concesso, per Dominum Papam Gregorium vndecimum; tamen vos, siue aliqui vestrum compellitis, seu vultis compellere eosdem ad soluendum decimas antedictas. E

Cum-

A Cumque facta nobis de dicto priuilegio fide legitima, volumus illud omnino seruari, iuxta eius seriem, & tenorem. Propterea ad supplicationem humilem prædictorum Magistri, & Fratrum, inde nobis factam vobis, & vnicuique vestrum dicimus, & mandamus expresse, ac de certa scientia, quatenus dictum priuilegium, & contenta in eo eisdem Magistro, & Fratribus obseruetis firmiter, iuxta eius seriem, & tenorem. Quibusuis prouisionibus, seu literis in contrarium factis, obsistentibus nullo modo. Datum Barchinonæ sub nostro sigillo pendenti decima die Februarij anno a Natiuitate Domini 1388. regniq; nostri secundo. 1388.

Prior Barchinonæ, mirificus nostri instituti zelator, ægrè ferebat, quod in Principatu Cathaloniæ Religiosi Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & alij Quæstores elemosynas pro redimendis Captiuis Christianis peterent, & reciperent, et ideò querelam nomine B Generalis Magistri, & Fratrum nostri Ordinis Domino Regi porrexit, ei humiliter supplicando, quatenus de remedio opportuno prouidere dignaretur. Ad quorum supplices preces Rex Ioannes Decretum ad fauorem nostri Ordinis concessit tenoris sequentis.

Aduertentes præterea, quod ex quo nonnulli, qui se Fratres Sanctæ Trinitatis cognominant, & alij quàm plures elemosynas, & alia charitatis dona cum Pateris, & Baccinis publicè per Ecclesias, & aliàs a Christi fidelibus pro ipsorum Captiuorum redemptione petebant, & requirebant; facta de ijs, per eundem Ordinis Magistrum Generalem, querelosa insinuatione Serenissimo Domino Ioanni, Regi Aragonum, proauunculo nostro, memoriæ recolendæ, fuit per eum iustissimè prouisum, vt dicti Fratres Sanctæ Trinitatis, alijque ipsas elemosynas petentes, de cætero similia non attentarent, ne- C que per officiales regios hæc eis aliquantulum pertinerent, sed Fratres de Mercede ipsas elemosynas, & charitatiua dona reciperent, & Pateram, siue Baccinum in singulis Ecclesijs retinerent; prout in prouisionibus eiusdem Regis Ioannis. Datum Barchinonæ decima die Aprilis an. Domini 1388. 1388.

De hac prouisione, & de alijs singularibus fauoribus, ac priuilegijs per Serenissimos Aragoniæ Reges Ordini nostro concessis, diffusè inferius agemus, præsertim in vita decimi noni Generalis Magistri Fratris Natalis Gauer.

Dominus Garsias Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Collector decimarum pro Summo Pontifice, & Aragoniæ Rege; præcipit, & mandat suis Commissarijs, vt executioni demandent bullam præfatam Gregorij Vndecimi, & priuilegium Domini Ioannis primi, Aragoniæ Regis, inserendo in suis literis bullam, & priuilegium, Pontificiam, & re- D gium. Quarum literarum tenor talis est.

Garsias miseratione diuina Sanctæ Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, executor, & principalis Collector decimæ biennalis per Sanctissimum in Christo patrem, & Dominum, Dominum Clementem diuina prouidentia Papam Septimum, Illustrissimo Domino Ioanni Dei gratia, Regi Aragonum vltimò concessæ, (cuius duæ partes sunt dicti Domini Regis, tertia vero pars dicto Domino Papæ reseruata,) a Sede Apostolica deputatus, vniuersis, & singulis Collectoribus, subcollectoribus, seu Receptoribus, aut alijs Commissarijs dictæ decimę pręsentibus, & futuris, & alijs ad quos spectat, & pręsentes peruenerint, &c. Infra regna, terras, & Dominium dicti Domini regis constitutis, salutem in Domino sempiternam.

Pro parte honorabilium Magistri, & Fratrum Ordinis Beatę Marię de Mercede, E Captiuorum Christianorum, fuit coram nobis propositum, cum querela; quod licet ipsi à contributione, & solutione dictę decimę penitus sint exclusi, & exempti (vt constat per prouisiones, siue per priuilegia tàm Apostolica, quàm dicti Domini Regis, de quibus promptam nobis fidem fecerunt, & constat, uidelicet de priuilegio Apostolico per literas Apostolicas tenoris sequentis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro Generali, & Fratribus Beatę Marię de Mercede Captiuorum, Ordinis Sancti Augustini; salutem, & Apostolicam benedictionem.

Dum salubria laborum vestrorum studia, &c. vt supra, sub datum Auenioni 16. Calen. Iunij. Pontificatus nostri anno tertio. Ac de prouisione dicti Domini Regis p patentes pergameneas, eius sigillo cum imagine regalis Maiestatis in cera rubea impresso, & penden-

ti in filijs sericis rubei croceique coloris. Quorum series sequitur sub his verbis. A

Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, &c. vt supra. Datum Barchinonæ sub nostro sigillo pendenti, decima die Februarij anno à Natiuitate Domini 1388. Regnique nostri secundo.

Vos autem (prædictis non inspectis) dictam decimam pro redditibus, & bonis, quæ obtinent in dictis regnis, &c terris de facto leuare, &c exigere nitimini ab eisdem, quod in eorum, & sui Ordinis præiudicium asserunt redundare. Ob quod nobis humiliter supplicarunt, vt super prædictis de remedio Iustitiæ condecenti, (pro ut ad nostrum spectat officium) dignaremur prouidere, ne indebitè molestentur, & ad id compellantur, ad quod eos ratio, &c æquitas non astringunt. Nos (eorum supplicatione admissa benignè, ut consona rationi;) vobis, &c cuilibet vestrum auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, dicimus, &c mandamus in virtute sanctæ obedientiæ B firmitèr, &c districtè quatenus priuilegia præinserta dictis Magistro, & Fratribus ad vnguem inuiolabiliter obseruetis, & ab alijs obseruari faciatis, iuxta ipsorum mentes, series, & tenores, &c in aliquo contrauenire minimè ualeatis, aut quemque uenire, seu contrafacere permittatis quauis ratione, vel causa. Quibusuis literis contra ipsum Magistrum, &c Fratres à nobis, seu ab alijs quibusuis personis in contrarium emanatis, obsistentibus nullo modo.

In quorum testimonium præsentes dictis Magistro, & Fratribus fieri, &c sigillo nostro pendenti iussimus communiri. Datis Cæsaragustæ die uigesima sexta Maij an-

1388. no à Natiuitate Domini 1388.

Dominus Guhelmus de Montesono, decretum Doctor, & officialis Ilerdensis, huiusmodi Archiepiscopi Cæsaraguslani mandati, & declarationis transsumpto cum suo originali bene, & solerter comprobato suam auctoritatem interposuit, pariter & decretum, ac manu sua subscripsit. Fuerunt testes Iacobus sentis regia auctoritate notarius publicus; Petrus Armengoñ Notarius publicus regia auctoritate. C

Legebatur etiam &c respiciebatur in hoc peruetusto transsumpto signum Gulielmi Carbo Notarij publici per totam terram, & ditionem Illustrissimi Domini Regis Aragonum, qui auctoritate eiusdem hoc exemplum cum suo originali fideliter comprobatum scribi fecit. Sub datum die trigesima mensis Maij 1388.

1388. Frater Iacobus Tahust Prior Barchinonæ multa bona fecit in suo Prioratu, emit nonnullas domos, eas videlicet in quibus Coquina, &c aliæ officinæ fabricatæ fuerunt. (Licet maiora (vt ait Magister Gauer) facere poterat.) Suo tempore plures redditus, & hæreditates ad Conuentum legitimè attinentes, & spectantes (nescio quo iure) renunciare voluit. Vnde forsan pœnitentia ductus die secunda Iunij 1388 pro eo quod bo D

1388. na Monasterij renunciauerat, voluit liberè, &c spontè Prioratu quem per annos vndecim rexerat, se abdicare, Magistrum Generalem rogans, vt de optimo, & zelatore Priore Monasterium Barchinonæ, qui malefacta restauraret, & illud augeret, prouidere curaret.

Magister igitur generalis Suppriori eius Monasterij iniunxit, ut ad noui Prioris electionem procederet, daretq; operam, ut ex toto Regis Aragonum Dominio, melior Frater qui inueniri posset, Prior eligeretur.

His sic dispositis Fratres Conuentuales Monasterij Barchinonensis, capitulariter Congregati, cum de sanctimonia, innocentia, inculpata vita, laudabilibus moribus, &c & religionis zelo Fratris Iacobi de Sancto Martino Conuentus de Podio Vicarij, essent sufficienter edocti, eum in Priorem elegerunt. Cuius electionem Magister Ordinis statim E confirmauit.

Solertes, & solliciti Prælati, ac Religionum Generales Magistri, non debent diligere, super subditos suos præesse, sed eis fructuosè & charitatiue prodesse. In grandi &c suprema religionis dignitate collocati, grandiori eos decet sollicitudine circumuallari, ne sua incuria, & inertia, oues, & subditi per vias non bonas errantes, sedent in præcipitium.

Si negligentia, & Prælatorum omissio hoc mali genus efficit in subdito; quid mala ipsorum opera & commissa delicta? Si in altiori sede excelsi, (vnde ab inferioribus possunt respi-

A respici) & excessibus deformes, vanitatibus huius sæculi, auaritiæ, & alijs deseruiunt vitij; proculdubio (vt ait Sanct. Grego. in moralibus) minoribus hoc pessimo exemplo, vitiorum fræna laxabunt.

Huic incommodi, & detrimenti genus, nostrum Ordinem his temporibus incurrisse historiæ nostræ antiquæ referunt. Incuria enim Magistri erga Ordinem suæ curæ demandatum, & nimia eius ad altiores gradus ascendendi auiditas, quæ in dies augebatur, effecerant, vt Ordo ipse plurimùm à nostra primæua institutione, sanctimonia, & simplicitate deuiaret. Nam nonnulli Fratres (Magistro permittente) adeò legibus, & Patrum nostrorum mandatis terga verterant, vt per diuersa regna, regiones, & prouincias inutiliter vagantes, non sine magna nota sæculares personas offenderent, & scandalum præberent.

B Alij commendas aliaque Ecclesiastica beneficia non intrantes per ostium a Sede Apostolica impetrauerant. Alij denique vt Prouincialium & Superiorum obedientiam, & Ordinis asperitatem fugerent, libereque, & licentiosè vitam degere possent, in Sedis Apostolicæ Capellanos recepti, & in curia viuentes, religionem inuisam reddebant. Ex quibus non pauca sequebantur damna, videlicet in Fratribus istis obedientia nulla, proprietas magna, indomita rebellio, & dissolutio inordinata. In Monasterijs dilapidatio & spoliatio. Sed quod magis dolendum erat, quod (charitate deficiente) erga miseros Captiuos obliuio reperiebatur.

Quæ omnia Sancti, & Religiosi Viri sub clausura vitam religiosam degentes, & sub iugo, & obedientia suorum Superiorum in perpetuùm manere volentes, cum ægrè ferrent, odio haberent, & complorarent, Religionis zelo inflammati, ad Barchinonæ Priorem (vt tot malis remedium opportunum adijceret, ne religio paulatim deterior effecta, insa-
C nabilis redderetur) recursum habere voluerunt; sed in secreto, timebant enim Magistri potentiam, & quanta apud Reges, & Proceres polleret auctoritate. At Prior qui ob religionis obseruantiam, reformationem, & eius augmentum, terrena non metuebat, Magistrum Ordinis prius clàm & latenter, deinde, cum nihil proficere uideret, coram senioribus sui Monasterij patribus, arguere non formidauit. Cuius admonitionibus Magister Ordinis excitatus Comitia generalia hoc anno 1389 Barchinonæ habere voluit. In 1389.
quibus ante oculos Patribus proposuit, quæ & quanta damna ex Fratrum licentiosa vita sequebantur. Et multa alia eliganti doctoque stilo coram Definitoribus retulit.

In hoc capitulo inter alia fuit a Patribus statutum, & ordinatum, quod statim Religiosus Frater in generalem Procuratorem eligeretur, & cum Religionis procuratorio, ac regalibus literis Auenionem ad Summum Pontificem destinaretur.

D Qui Generalis Procurator nomine Magistri, & definitorum Papam rogaret, eique humiliter supplicaret pro reuocatione omnium, & quarumcumq; gratiarum contra constitutiones nostri Ordinis Fratribus nostris concessarum.

Interim Summus Pontifex Vrbanus VI. Romæ obijt idibus Octob huius anni 1389. qui in Petri Cathedra sederat annos vndecim, menses sex, & dies septem. Cui successit 4 nonas Nouembris eiusdem anni Petrus Thomacellus Neapolitanus, qui erat Cardinalis S. Anastasiæ, & Bonifacius IX appellari voluit.

Ab his Romanis Pontificibus Vrbano Sexto, & Bonifacio Nono nulla (quòd ego sciã) noster Ordo obtinuit priuilegia, quia Aragonię Reges nostri Ordinis Protectores, & Patroni Pontificibus Auenioni sedentibus adhærebant, & ad eos in nostri Ordinis fauorem suas fauorabiles literas mittebant; vt vidimus in Procuratore Generali a Capitulo in Galliam cũ
E commendatitijs regis nostri literis misso.

Accessit igitur hic Procurator in Ciuitatem Auenionis, & Summo Pontifici Clementi VII. sic in sua obedientia vocato memoriale in quo multa continebantur porrexit. Quod Pontifex Martino Salua Nouarro Pampilonensi, Presbytero Cardinali S. Laurentij in Lucina remisit.

Qui Procuratorem Ordinis aduocauit dixitque ei; multa in memoriali a Sanctissimo petis, & nonnulla iusta consonaq; sunt, & a sede Apostolica approbari merentur. Illud vero de reuocatione gratiarum per Summum Pontificẽ Fratribus vestri Ordinis concessarũ, ac de Capellanis Suę Sanctitatis amouendis, & ad Ordinem reducendis, non in uniuerso (sicut petitur) concedi debet, sed matura indiget deliberatione. Gratię enim a Sua Sanctitate

con-

concessę, iustę iudicari & pręsumi debent. Si autem aliquis Frater gratiam, & beneficium subretitio modo, sinistra informatione, & tacita veritate (quam exprimere debebat,) obtinuit, hic & non omnes huiusmodi gratijs uia non bona obtentis, consonum est, vt priuetur. A

Prius igitur bullas, & Apostolicas literas exactè, & solerter examinari oportet, & earum possessores coram hac sanctissima Sede, vel locorum ordinarijs, (vbi magis suę sanctitati placuerit) citandi sunt. Interim quia meus Dominus Rex mihi in suis literis iniunxit, ut vestro Ordini per suos Progenitores fundato, pro meis uiribus fauere studerem, dabo operam, ut sua Sanctitas confirmet Gregorij Vndecimi bullam, sicut in principio vestri memorialis continetur. Illo sęculo Bulla Gregorij Papę Vndecimi mare magnum in nostro Ordine appellabatur, quia suorum Prędecessorum, Romanorum Pontificũ, continet ad longum omnia, & singula priuilegia. Rogante igitur Cardinali Sancti Laurentij in Lucina Summus Pontifex Clemens Septimus sic in sua obedientia vocatus, confirmat pręfatam bullam Gregorij Vndecimi. Sub datum Aueniōni nonis Aprilis sui Pontificatus annos 13 & anno Domini 1390. B

1390. Dominus Ioannes, Rex Castellę, eius nominis primus, cum die Dominica nona Octobris eiusdem anni 1390 extra eam compluti portam, quam Burgensem vocant, equum calcaribus incitasset, statim ad terram pręcipitatus, momento temporis animam egit, anno regni sui vndecimo, mense tertio, & die vigesimo. Successit in regno Henricus filius, eius nominis tertius.

Frater Ioannes de Miranda celeberrimus in Sacra Theologia Magister, singulari prudentia, atque ingenio pręstans, in loquendo, & dicendo copiosus, meritissimus nostri Ordinis in Castella, & Lusitania Prouincialis, maximis, & intimis cum Tenorio, Archiepiscopo Toletano, familiaritatis, & amicitię uinculis coniunctus, cum nouus Castellę Rex in Villa Matriti suorum Consiliariorum Conuentum (quem nos Hispani Cortes appellamus) celebraret, oblatam occasionem (cum esset sui Ordinis studiosus) omissam facere nolens, ad Regem, & eius Consilium accessit, & confirmationem priuilegij Domini Ioannis Castellę regis, patris sui, ad fauorem nostri Ordinis concessi, humiliter ab eis petijt. C

Cuius precibus Rex inclinatus confirmauit priuilegium Domini Ioannis patris sui, illud inserendo de verbo ad verbum. In quo Domini Ioannis priuilegio, est insertum aliud priuilegium Henrici Regis, qui fuit Regis Ioannis Pater, & Henrici (de quo modò est sermo) Auus. Tenor igitur priuilegij Henrici III. hoc anno expediti talis est. D

Pateat, & notum sit omnibus, & singulis, qui hanc chartam viderint, qualiter ego Dominus Henricus, Dei gratia Rex Castellę, Legionis, Toleti, Gallitię, Ispalis, Cordubę, Murtię, Giennis, Algarbij, Algezirę, & Dominus Viscaię, & Molinę, vidi quandam chartam Domini Ioannis, mei Patris, & Domini mei, (cui Deus Paradysi gloriam largiri dignetur) scriptam in membrana, suo pendenti sigillo plumbeo sigillatam, cuius tenor talis est.

Dominus Ioannes Dei gratia Rex Castellę, &c. vidimus quandam chartam Domini Henrici patris nostri, scriptam &c. Sigillatam &c. Sub datum Burgis ęra 1417 idest anno Domini 1379. Cuius tenor talis est. Dominus Henricus Dei gratia Rex Castellę, &c. Nunc igitur Frater Ioannes de Miranda dicti Ordinis Prouincialis, huius priuilegij Domini Ioannis patris mei, petijt a me confirmationem, & mihi pro eius obseruantia supplicauit. E

Et ego pręfatus Rex Dominus Henricus ex voto meorum Consiliariorum, dictum Prouincialem fauoribus, & gratijs prosequi, eiusque iustis postulationibus annuere volens, confirmo dictum priuilegium, & omnia in eo contenta; & pręcipio, iubeoq; quod eandem vim & robur habeat deinceps, & eodem modo obseruetur, sicut obseruari consueuit tempore regis Domini Henrici Aui mei, & tempore Regis Domini Ioannis, patris mei, & Domini mei, cui Deus parcere dignetur. Et ordino quod nullus contra dictum priuilegium, & contenta in eo aliquid attentare præsumat, sub indignationis meę incursu, & pœna in eo contenta; ac in toto, vel in aliqua parte delinquens manebit obligatus ad satisfaciendum dicto Prouinciali pro modo, & grauitate culpę, & ad bis tantum soluendum, quantum effecit damnum, & quantę fuerunt expensę. Et insuper impero omnibus, & sin-

A singulis præsentibus, & futuris officialibus, & iudicibus mei regni; quatenus præfatum priuilegium, & omnia in eo contenta, pro uiribus tueantur, & contrad ctorum bona ab eis auferant, & retineant, pro satisfactione ad nutum meum facienda. Et tenore præsentium do, & concedo facultatem cuicunq; hoc meum priuilegium, vel eius transsumptum in forma auctentica secum asportanti, vobisq; ostendenti, quatenus possit, ac valeat vos citare, vt sub eisdē pęnis, infra quindecim dierum spatium, comparere teneamini coram me, in Curia mea, ad dicendum, & rationem reddendum damni in prouincialem illati. De quibus omnibus scriba, & publicus Notarius ad hoc vocādus, sub eisdem pęnis, fidem auctenticam manu sua, & signo suo roboratam facere teneatur. In cuius rei verum testimonium, hoc præsens priuilegium expediri iussi, meo plumbeo sigillo munitum, factum in Comitijs Matriti. vigesima Aprilis, anno à Natiuitate Domini 1391. Ego Alphōsus Fernādez de Castro scribi feci de mandato Domini nostri Regis, & regij Consilij Ioannes Alphonsus, Gome- 1391.
B sius Fernandez, Ioannes Abbas, Ioannes Rodriguez doctor, Ioannes Sanci legum doctor.

Frater Laurentius de Castro pro Vandalia, & Frater Paulus Gomez pro Castella Redemptores, ex Marrochij regno, & ex alijs Infidelium partibus hoc eodem anno liberarunt ducentos & viginti nouem Christi fideles, eosque lætos ad Christianorum terras adduxerunt. Libr. 229.

Clemens Papa Septimus sic in sua obedientia vocatus confirmauit priuilegia nostri Ordinis (ut ait Magister Gauer in suis Annalibus,) sub datum Auenioni 3. idus Nouemb. anno sui Pontific. 14.

Frater Iacobus de Sacto Martino Barchinonæ Prior maximam Religioni nostræ gloriam, sibique immortale comparauit nomen. Admirabili prudentia, & singulari Consilio domum nostri Ordinis oppidi de Podio, & Barchinonæ Prioratum gubernauit, & rexit. Fuit
C Sanctæ, honestę, & amabilis conuersationis Vir. Orationibus, ieiunijs, disciplinis, & vigilijs mirificè erat deditus. Nunquam (nisi graui morbo oppressus) a diuino officio, & ab horis Ecclesiæ choriq; spiritum relaxabat. Erga Pauperes, Infirmos, Peregrinos, & erga charitatis opera virtus eius enituit, & adeò resplenduit, vt ad eum Barchinonæ Primates, tamquam ad quoddam diuinum miraculum, & oraculum cōfluerent, seq; eius orationibus commendarent, & quasi de tantò conciue (erat enim Barchinonensis) exultantes, & gloriantes, quotquot Peregrinos, & Alienigenas Barchinonam accedebant, aut illac transibant, & prætēribant, ad videndum Sanctæ Eulaliæ Priorem inuitarent, & ducerent. Cuius hi sanctimoniam, & virtutes admirantes, Barchinonæ ciuibus ductoribus dicebant; nomen celebre est, sed sanctitas nomine maior.

Plurimùm in suis Annalibus eum commendat Magister Gauer in vita xiij. Prioris. Obijt
D (sanctitatis odore de se relicto) de mense Iunij, quo mense fuit ad Prioratum assumptus, & tenuit Prioratum annos sex completos vsque ad hunc annum 1392. Cuius mortem tota Barchinonæ ciuitas, & nostri Ordinis Fratres complorarunt. Soli vero Generali Magistro mors eius non displicuit, quia huius Sancti Viri verba, & continuas admonitiones sibi factas non solum pertimescebat, sed Prioris in tota ciuitate vita probata, Sanctitatis rumor, & Religionis cum profunda humilitate zelus nimiam magistri imperandi, & dignitates procurandi cupiditatem, vitæ relaxationem, & regendi inertiam fortiter arguebant. Ob id liber ab hac molestia effectus, animum suum intendit, ut Fratres Conuentuales Barchinonæ ad suam voluntatem, aliquem sibi amicum eligerent. Sed aliter (Deo sic disponente) accidit. Nam vltima Iulij eiusdem anni 1392. Fratres Conuentuales omni humano timore, amore, & respectu terreno postpositis, solum 1392.
E Deum ante oculos habentes, & sanctimoniam Prioris ab humanis sublati memoria recolentes, vt etiam post mortem eius, grati ei redderentur, Fratrem Gulielmum Viues, in Decretis Bachalaureum, defuncti Prioris Suppriorem, eiusque valde studiosum, in sanctimonia, & virtutibus similem, in Priorem vnanimes elegerunt. Qui fuit quatuordecimus in Ordine Prior, & septimus per electionem, de quo inferius agemus. Interim ponamus Bullam Clementis Papę VII. sic in sua obedientia vocati; quam concessit ad supplices, & continuas preces per bonos nostri Ordinis Religiosos, de reformatione benè sentientes, sibi porrectas; quę est tenoris sequentis.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro Generali, & Definitoribus Capituli Generalis Beatę Marię de Mercede Captiuorū, Ordinis Sancti Augustini salu-

salutem, & Apostolicam benedictionem. Vestræ deuotionis sinceritas promeretur, ut petitionibus vestris, illis præsertim, quæ vtilitatem, & commodum vestri Ordinis respicere dignoscuntur, fauorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod nonnulli vestri Ordinis Fratres, nonnullas commendatorias, & alia beneficia Ecclesiastica ipsius Ordinis; ac quidam alij collationum, & prouisionum de eis auctoritate ordinaria eis factarum, confirmationes hactenus a Sede Apostolica impetrarunt, ac quotidie impetrare nituntur. Nonnulli etiam ex eis in Capellanos eiusdem sedis recipi procurarunt. A

Propter quod inobedientia, rebellio, & dissolutio huiusmodi impetrantium, ac domorum dicti Ordinis destructio, & bonorum dilapidatio sæpe sequuntur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut prouidere super præmissis de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaq; huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ Apostolica auctoritate concedimus vt contra quoslibet Fratres dicti Ordinis, qui Commendatorias, & alia beneficia huiusmodi, seu collationum, & prouisionum eis ipsis factarum, & fiendarum confirmationes a Sede Apostolica impetrarunt, (etiam si dictæ sedis capellani existant) pro inde procedere valeatis, ac si Commendatorias, & beneficia ipsa, seu eorum collationum, & prouisionum huiusmodi confirmationes a sede prædicta minime impetrassent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenioni sexto idus Decembris, Pontificatus nostri anno quinto decimo, idest anno B

1392. Domini 1392.

Circa hoc priuilegium obseruandum est, Pontificem Clementem VII a quo emanauit, non fuisse Clementem similiter septimum, indubitatum Papam, natione Florentinum, in cuius Summo Pontificatu, floruit Carolus Quintus, Romanorum Imperator, & Hispaniæ Rex. C

Quod colligitur (licet sint aliæ plurimæ differentiæ, & in ipsis literis Apostolicis coniecturæ) ex Data ipsius Bullæ. Fuit enim expedita Auenioni anno sui Pontificatus 15. Clemens vero Septimus Florentinus, nunquam sedit Auenioni (licet Massiliam fuisse profectum legamus; ibique quatuor creauisse Cardinales reperiamus) & vixit in Pontificatu annos decem, mēses decem, & dies septem, ut postea videbimus. Clemens vero septimus Antipapa cuius est præfatum priuilegium sedit Auenioni annos xv. menses xj. dies 18. Quod nullus a me gratis, & frustra fuisse alatū putet. Nam inter bullas Summi Pontificis Clemētis VII natione Florētini, nonnulli nostri Ordinis Fratres, parū accuratè hanc bullam, de qua in præsentiarum nobis est sermo, collocare solent, suumq; errorem magis corroborant asserentes, & dicentes in hunc modum. D

Idem Clemens Papa Septimus concessit aliam bullam, in qua dat facultatem Superioribus nostri Ordinis, contra Fratres extra Claustrum degentes, etiam Sedis Apostolicæ Cappellanos. Quod veritate carere manifestè constat, eo quod dictam facultatem non Clemens Septimus Papa, sed Clemens VII Antipapa nobis concessit.

1393. Hoc anno 1393, (vt nonnullæ breues nostri Ordinis historiæ referunt) Redemptores Fratres (quorum nomina non ibi exprimuntur) ad suum munus debitè explendum, in Africam profecti, vel a fluctibus maris summersi, vel ab infidelibus occisi sunt.

Clemens Papa Septimus, seu potius Antipapa, quem Castella, & Aragonia, vt verum Pontificem venerabantur (licet Lusitania Bonifacij Papę IX partes sequeretur) post quam in Ecclesiæ schismate sederat annos 16. minus duobus diebus (ut nuper diximus) obijt Aue-

1394. nioni hoc anno 1394, decimo sexto Cal. Octobr. E

Post cuius mortem Cardinales Clemētinę factionis, qui tenebantur (ad schisma Ecclesiæ de medio tollendum) Sanctissimo Domino nostro Bonifacio Papæ nono Romæ sedenti, adherere, eique vt legitimo Petri successori, obedientiam præstare, Conclaue ingressi, Dominum Petrum de Luna Hispanum Aragonem, nobilissimo genere natum, S. R. E. Diaconum Cardinalem Sanctę Mariæ in Comedin a Gregorio Papa XI creatū, famosum, & celeberrimum in Decretis doctorem, in Summum Pontificem, seu potius Antipapam elegerunt; qui Benedictus XIII. appellari voluit.

Sedit per plures annos in schismate, & eius acta Concilium Constantiense confirmauit.

Et

A Et sic bullæ ad fauorem nostri Ordinis ab eo concessæ, vt pote validæ (seruata temporum serie) hic inserentur.

Hoc anno Generalis Magister Frater Nicolaus Periz Auenionem profectus est, vt vel sic, quod a Clemente VII. Gallo, obtinere nō valuerat, ab eius successore Benedicto XIII. Hispano, duplicatis fauoribus cōsequeretur. Ob id sęculi prælaturas, & honores ambiēdo, nihil de Religionis augmēto, & reformatione curabat. Vnde Religio ipsa erat in exterminio. Magister enim in sequēdo Curias Pontificiā & regiā, munus visitationis nō personaliter (vt solertē bonumq; pastorē decet) sed per suos Visitatores exercebat. Ex quo sequebatur, quod huiusmodi Visitatores nō proprijs meritis, sed fauoribus, & extraordinarijs, & forsan illicitis electi modis, & ad monasteria visitāda destinati, nō Dei, & religionis gloriā, Religiosorum pacē, & domorum cōmodum & vtilitatem, sed sibi placita, & vtilia quęrebāt. Vnde B Prouincialis Regnorū, & Prouinciæ Castellæ, ac aliorū monasteriorū Superiores, nec non plurimi honesti, & zelatores Fratres, ad Priorē Barchinonæ de Visitatorū a Magistro deputatorū Tyrannide, & delapidatione nō modicas attulerunt quęrelas. Cuius rei caussa Frater Gulielmus viues Barchinonę Prior, suis literis admonuit, & hortatus est Magistrū Ordinis, vt Religionis sibi cōmissę corā solertē gerere, eāq; personaliter visitare vellet. Et à secularibus desiderijs, quę mentē turbāt animū auertunt, & nō mediocre periculū causant, se abstineret. Te video (dicebat) nō nostri Ordinis, sed mūdi professorē, curię discipulum, sęculi martyrem, infęliciter fęlicē, quia tuam fęlicitatem in dubij atq; ancipitis honoris spe, in futurę dignitatis vana opinione, & pręlaturę diu procuratæ expectatione collocatam habes. Si autem aliquas Ordinis domos visitare non valueris, ad eas visitādas eos Visitatores eligere, & mittere debes, quorum exēplari, & inculpata vita, morum honestate, atq; Religionis zelo, Monasteria ipsa, tùm in spiritualibus, tùm in tēporalibus, mirificè ædificentur. Quod si secus fe- C ceris, ansam multis Summo Pontifici, (cuius gratiam inuenire conaris) querelam deferendi, (mihi crede) præbebis. His Prioris literis Magister commotus, & in se aliquantulum conuersus, in Hispaniā reuersus est. Et ante oīa cassatis Visitatoribus, quos priùs elegerat (quorum nomina scriptores nostri exprimere noluerunt,) alios bonos de consilio ipsius Prioris de nouo elegit. Pro Prouincia Franciæ deputauit Fratrem Bernardum de Plano, Monasterij nostri Ordinis Ciuitatis Tholosę Commendatorem. Pro Monasterijs vero, & prouincia Castellæ elegit in Visitatorem Fratrem Petrum de Logronio, vt patet ex literis patentibus datis Barchinonæ die 16. Februarij huius anni 1396.

Ioannes Aragonum Rex, eius nominis primus, filius Petri cognomento cerimoniosi, ab initio regni sui, fuit valde benignus, plurimis virtutibus excellēs, & omnibus regnorū suorū valde charus. Mortua vero Matthęa vxore, cū filiam Ducis Ebaris, nomine Violantam, in D vxorem duceret, eamq; nimis arderet, & in oculis ferret, in alium virum mutatus, nobilium, & ignobilium mentes a se auertit, & omnibus erat inuisus. Videres enim Reginā alienæ Regionis nobilissimos Aragones, Gotholanos fortes, & celebres Valentinos opprimere volentem. Ob id plurimi motus, magni tumultus, & grauissimæ seditiones, (quas scriptores de rebus Hispanię enarrant) suscitatæ sunt. 1396

Hic igitur Rex Ioannes, dū in oppido Castellione morā trahit, in montes propinquos ad venandū (vt de more solebat) profectus est. At vbi a suis venatoribus permagnus lupus occiditur, superuenit Rex ad locum, vbi animal interfectum in terra iacebat. Quod cū intueretur, & a circunstantibus quęreret, an fera occisa masculini, an fęminei sexus esset, perdidit loquelam, & nullum amplius verbum loqui potuit. Et continuo è mula, qua vehebatur, repentina morte in terram cecidit; quatuordecimo Cal Iunij Huius anni 1396. (Licet 1396. E anno proximè præterito, nōnulli hoc accidisse credant, & in suis historijs constanter affirment.) Post Ioannis primi improuisam mortem, ei successit, & regnare cępit Martinus Frater dux Montis albi, qui erat Pater Martini Regis Siciliæ.

Summus Pontifex Benedictus XIII. sic in sua obedientia vocatus, confirmauit omnia a Romanis Pontificibus nostro sacro ordini cōcessa, siue per priuilegia siue alias Indulgētias, atq; exemptiones sęcularium exactionum. Sub datum Auenione quinto idus Ianuarij anno sui Pontificatus 3.

Hanc bullam, aut eius authenticum transsumptum nō vidi, sed de ea hic mentionem facere volui, quia in compēdio bullarum, breuium, priuilegiorum, & gratiarum nostri Ordinis in nonnullis Historicis nostris sic annotatum adinueni.

Maximus erat in tota religione rumor, publica vox, & fama, ac communiter inter

Fratres ferebatur, Fratrem Nicolaum Periz Generalem nostri Ordinis Magistrum, fore quâ A primùm a Summo Pontifice Benedicto XIII. ad Cardinalitiam dignitatem assumendũ. Quod ipse Magister aliquibus Cardinalibus maiorem fidem, quam fas esset, adhibendo, pro certò habebat. Et cum hoc ita sibi persuaderet, & in suum firmitèr induceret animum; publicare, & in vulgus mentẽ Pontificis eã esse, spargere non verebatur. Et cum vento esset leuior, & inanium amator, vanitatem vanitatibus addendo, Capitulum Generale personaliter celebrare dedignabatur. Vnde Priori Barcinonæ Fratri Gulielmo viues suas vices commisit, eumque Vicarium Generalem constituit, dans ei in mandatis, vt nomine suo, in Ciuitate Carcasonæ Capitulum Generale celebrare non tardaret. Prior igitur Bar-
1397. cinonæ Carcasonam profectus, hoc anno 1397 Capitulum Generale ibi celebrauit. In quo Capitulo (vt ait Magister Frater Natalis Gauer in suis Annalibus) Patres ibi Congregati credentes, quod citò Magistratus Ordinis vacaret, hac verborum forma in electione B Definitorum, vsi sunt.

Pro Prouincia Franciæ, (casu quo Magistratus Ordinis vacaret) creamus in definitorem, Fratrem Petrum Gulielmum, Commendatorem Monasterij Perpiniani, erit adiutor eius, & socius Frater Raymundus Verdeualibus, Commendator Monasterij Narbonæ. Pro prouincia Cathaloniæ deputamus in Definitorem Fratrem Ioannem Cirera, Commendatorem Tarraconæ, in socium eius, Fratrem Ioannem Gilaberti, Commendatorem Ilerdæ. Pro prouincia Aragoniæ creamus in Definitorem, Fratrem Martinum de Liso, Vicarium Monasterij de Monte Floretto, sit socius, & adiutor eius Frater Petrus de Baygurry Commendator Pampilonæ. Pro prouincia Valentiæ Fratrem Bernardum de Stola Commendatorem domus oppidi de Podio, in socium, & adiutorem eius Fratrem Bartholomæum Martini, Commendatorem de Argenes. Ad redimendos Captiuos fuerunt hoc C anno in Redemptores deputati, Frater Bernardus de Plano, Commendator Tolosæ, Vicarius Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ, qui postea fuit Ordinis Magister. Fuit alter Redemptor Frater Arnaldus Darcenchs Commendator Carcasonæ. Elemosinæ pro redimendis Captiuis, & responsiones, traditæ fuerunt Priori Barchinonæ, & Commendatoribus Montis Pessulani, & Tolosæ.

His sic dispositis, & in dies crescente fama, quod Papa Benedictus XIII. Auenione cum sua Curia sedens, in prima Cardinalium creatione, Magistrum nostri Ordinis, hoc honore erat proculdubio sublimaturus; Frater Petrus Guillalmos ex Valentiæ regno (vt ferunt) nobilissimo sanguine natus, sed nimis superbus, & arrogans, sibi temerè atq; insolenter tribuens, & plus satis vendicans, quàm in se esset, indignatus valde, quod in Capitulo Carcasonę celebrato, nulla de se fieret mentio, neq; quod definitor esset electus, Prouinciam D Castellæ petijt, & eius Regnorum Fratres ad indignationem prouocare studuit. Hic bonus Frater inter alia per illam prouinciam seminauit, & diuulgauit, futuram citò eo anno Generalatus Ordinis vacationem; eo quod nonnulli S. R. E. Cardinales, præsertim Episcopus Oxomensis, Petrus de Frias, Cardinalis Sanctæ Praxedis, vulgariter appellatus, Magistro retulerãt, quod Summus Pontifex, Valentinis valde propensus, in gratiam eius nationis, Fratrem Dominicum Periz Generalem, Cardinalitio honore cohonestare volebat. Quæ (vtpote sine fundamento) euanuisse, rei probauit euentus. Nam in duabus creationibus ab hoc Pontifice Auenione factis, de mense Septembris, & Decembris huius anni 1397, nulla penitus de Magistro Ordinis facta fuit mentio, ac si in humanis non esset.

Asserebat etiam hic Frater, Zizaniarum Seminator, Barchinonæ Priorem, a Ma- E gistro Ordinis Vicarium Generalem creatum, esse hominem nimis rigidum, durum, & calidum; neque non sub pelle ouina tumidum, & superbum, qui suo Prioratu non contentus, ad Generalatum toto animi pectore, ac secretis studijs aspirabat, & anhelabat. Quam ob causam, vt exitum res, qualem optabat, haberet, atq; ex sententia eueniret, in Ciuitate Carcasonæ, loco definitoribus incommodo, Capitulũ ad suum nutum celebrauerat. Cui immeritò nomen Capituli Generalis imponere de fato voluerat, cum veritate careret, nõ enim omnes vocandi, & in similibus Comitijs vocem habentes, citati fuerè. In quo Capitulo, seu potius quorundam Fratrum Congregatione, pro instanti Generalatus vacatione, & noui Magistri electione, non meliores Ordinis Fratres (vt fas erat,) sed solum eos, qui sibi possent suffragari, in Definitores elegerat. Quomodo (dicebat) silentio præteriri in animum inducitis, quod nobilissima magnorum Regnorum Castellæ Prouincia

A inscia, & incósulta manente, Capitulum Generale celebratū sit, & de hac iniuria, molestia, ac euidenti damno non appellatis? Quare de actis, & ordinatis in Monasterio Carcasonæ ad Barchinonæ Episcopum (iuxta antiquas nostri Ordinis Constitutiones) recursum non habetis? Hæc & similia verba Fr. Petrus Gulielmus Prouinciali, & Principalioribus Prouinciæ Castellæ patribus dicere sæpe solebat, ut eos ad nouam inquietudinē prouocaret, & eorum animos perturbaret. Sed placuit Altissimo à quo cuncta bona procedunt, quod nihil operando, uacuus, & confusus ad suam Prouinciam hoc anno 1398. reuerteretur. 1398.

B Frater Damianus de Portu, Vir sanè vitæ integritate, & doctrina celebris, in scriptura Sacra nō mediocriter eruditus, & Fr. Aegidius Dalmasia subtilis Theologus & ingenio pōptus, Redemptores electi, ex Africæ partibus centum & triginta sex Christi fideles redemerunt, eosq; hoc anno 1399 Barchinonam liberos incolumesque duxerunt. *Liber.* 136. 1399.

Frater Bernardus de Plano natione Gallus, Vicarius Prouincialis Franciæ, & Fr. Arnáldus Darcenchs iuris Pontificij doctissimus, & ingenio eminenti valde clarus, cum in Capitulo Carcasonæ celebrato, essent (vt nuper diximus) Redemptores deputati, ad suum munus C explendum profecti, a Fratre Gulielmo viues Barchinonæ Priore (vt in suis Annalibus refert Magister Gauer in vita huius Generalis Magistri) receperunt 1046. florenos Aragonię (quæ summa magni tunc æstimabatur) quibus bonis adminiculis, & alijs elemosynis in Gallia collectis, Bugiam adierunt. Ex qua, & alijs Africæ partibus 128 Christi fideles Captiuos liberarunt, quos sub initio anni 1400 in Cathaloniam incolumes duxerunt. *Liber.* 128. 1400.

Si iuxta sententiam S. Ecclesiæ Doctoris Ambrosij super Lucam lib. 3. appetentia dignitatum, quæ mentem animumq; perturbant, est quædam mentis ærugo; & mellifluus Bernardus D in sermone quadragesimæ, fateatur esse ambitionem, quodam virus secretum, & pestem occultam, morbos læthales creantem; non est mirandum, Magistrum Ordinis Periz, suarum prætensionum perturbationibus agitatum, & molestatum in lęthalem incidisse morbum. Quo diu grauatus, & oppressus, voluit Valentiam deferri. Vbi de culpis commissis, & de tempore inutiliter consumpto, maximè dolens, & tacitos inaniter Superiores annos deplorans, corde contritus, & humiliatus Fratri Bernardo Stala medio pœnitentiæ E Sacramento, sua sæpe in ea vltima infirmitate aperuit peccata. Quo salutifero remedio, ac alijs spiritualibus ab Ecclesia Sancta ordinatis medicaminibus deuotè sumptis, tēpore quadregesimali huius an. 1401. die 17. Martij religiosè obijt, cum ordinē per annos 37. rexisset. 1401.
Suo tempore ex diuersis Infidelium partibus Redempti sunt 1444 Christi fideles. *Liber.* 1444.

Cap. X. Frater Petrus Guillalmos Magistratum sibi procurando, Ordinem perturbat, & damna causat. Eligitur 10. Magister Ordinis. Laudatur Fr. Alphonsus Ispalensis. Defuncto Barchinona Priori, succedit S. Taxal. & Generalis Magister obijt.

1401. POST mortem Generalis Magistri, Fratris Nicolai Periz, Barchinonæ Prior, Frater Gulielmus viues, Vicarius Generalis (ex vi constitutionum) remanens, ad nouam Generalis Magistri electionem, Barchinonæ faciendam, omnes definitores electoresq; conuocauit, & citauit. Quò ex diuersis mundi partibus multi Fratres, ad magistratum nonnulli ex eis aspirantes cōuenerunt. At qui inter eos audius, & ardētius ad hanc supremā Ordinis dignitatem (nihil intactum relinquendo) ascendere conabatur, fuit pręfatus F. Petrus Gulielmos in Decretis Bachalaureus. Hic cum animaduerteret, ob seditionem, & commotionem à se in castella intentatam, & procuratam aduersus Priorem, modò Præsidentem Capituli, & in alios grauissimos, ex ipsis Definitoribus Patres, non esse in tanta æstimatione, vt per hanc portam, & ordinariam viam ad Magistratum ascendere posset, parùi pendēs sui Ordinis honorem, recursum habere non erubuit, ad Reuerendum in Christo Patrē, Fr. Ioannem Armengol Barchinonæ Episcopū. Cui (vt voti cōpos euaderet) plurima ad sui ipsius fauorē mendacia dolosè à se composita, & fabricata, retulit; tribuendo Episcopo in Religionē nostram, eam iurisdictionē, facultatem, & potestatem, quas Summorū Pontificū Apostolicę literę negarę, expressa verborum forma, videntur. Et ad hunc effectum præsentauit Episcopo antiquas & nouas Ordinis Constitutiones, exponendo eas, & ad libitum desideriumque suum extorquendo. Ad tuā (dicebat) Reuerende admodum pater dominationē pertinet, (vt ex hoc, & hoc capite colligitur,) electionem Generalis Magistri confirmare, eamque minus ritè rectèque factam cassare, & irritam reddere. In quo euentu tuum erit nostram Religionem de nouo Magistro prouidere. Quæ omnia esse mendacia, & veritate carere, Nicolai III. Innocentij IV. & aliorum Romanorum Pontificum bullæ a me in hac nostra Chronica collocatæ, & citatæ, clarissimè demonstrant. A B C

His falsis fundamentis Episcopus Barcinonæ commotus, volens (nescio quo iure) dicto Fratri Petro Gulielmos fauere, & Magistrum Ordinis (si posset) eum creare, ac electionem si in alia persona fieret retardare, & impedire, ad nostrum Monasterium visitandum, & definitorum electorumq; vota ad suum beneplacitum inclinanda, Vicarium Generalem suum, literis suis patētibus, & multis Iustitię Episcopalis Curiæ Ministris, bene munitū, misit de facto. Quē Frater Guilelmus viues Capituli Præsidens, & reliqui patres definitores, admittere recusarunt dicentes. Se esse Romano Pontifici, Benedicto XIII. & non Barchinonæ Episcopo immediatè subiectos; & tàm se ipsos, quàm omnia bona sua, sub sedis Romanæ protectione esse. Suas (dicebant) Episcopus Ecclesias visitet, si vult; suorum subditorum, & Clericorū errata emendet, & in alienam messem non mittat manū. Et deniq; Frater Guilelmus viues, Capituli Præsidens, conuersus ad Episcopi Vicarium, dixit ei. Profectò (domine mi) demiramur omnes, quod noster Episcopus, Religiosus cum sit, & literarum præstantia, ac prudentia præditus, Fratri Petro Guillalmos, Religiosi nomine indigno, inquieto, & pacis perturbatori fidem adhibendo, & ei placere volendo, (nobis inauditis) rem inauditam, & in religione nostra nouam intentet. Antequam Episcopus ad hoc Monasteriū visitandum, te mittere vellet, nos aduocare, & audire debebat. Quod si faceret, bullas originales plurimas, contra hoc quod ipse modò in opprobriū Ordinis fecit, porrigeremus ei. Quas (si uis,) legere, gratum nobis opus facies, ut Episcopo, quę vidisti & legisti referas, & ipse ab incepto desistendo, electionem noui Magistri liberè fieri sinat. D E

Quæ cum essent Episcopo delata, ira ipse, & animi excandescentia accensus, secundò sub grauibus censuris & pœnis Priori, & reliquis nostri Conuentus Fratribus præcepit, ne visitationem impedirent. A quibus omnibus Prior, Capituli Præsidens, pro se, & reliquis definitoribus, ac suo Monasterio ad sanctissimum appellauit. Sed (ea appellatione non obstante) fecit Episcopus de facto Priorem, & Definitores, ac omnes Fratres Conuentuales

Bar-

A Barchinonæ excommunicatos ob inobedientiam in tota sua diœcesi declarari, & publicè denunciari, & pro talibus excommunicatis haberi, & ab omnibus euitari. Imo ipsam nostram Ecclesiam de facto, licet non de iure interdici fecit. Quæ omnia proculdubio irrita erant, & nullius valoris, continebant enim intolerabilem, ac manifestum errorem, vt pote à non Iudice. Summi enim Pontifices, præsertim Alexander eius nominis quartus, manifestè aperteque declararunt, Fratres nostros à nemine excommunicari posse, neq; nostras Ecclesias interdici.

His sic stantibus mœsti nimis, & afflicti erant nostri Fratres, quia imperitæ, & insciæ Personæ in ciuitate, eos (ac si essent excommunicati) euitabant, & fugiebant. Sed tandem in vnum congregati, cœperunt inter se præmeditari, quid in hac re esset agendum. Plurimi dicebant (non obstantibus Episcopi sententijs, atq; impedimentis) fore ad electionem

B Magistri procedendum, & alij alia in medium adducebant, sed Fratris Ioannis Berdegarij præualuit sententia.

Hic asserebat, ad euitanda scandala, omniaq; dubia de medio tollenda (Priore, & Fratribus Barchinonæ cum Ecclesia, aliquo modo impeditis) electionem noui Magistri fieri debere in alio Ordinis Monasterio, a Commendatore Tarraconæ deputando, & assignando, sibique bene viso. Quia ex ui constitutionum dist. 2. cap. 4. de electione Magistri (vt superius adnotare (data opera) voluimus,) totius Ordinis regimen, in tali casu ad Superiorem nostri Conuentus Tarraconæ attinebat. Quam sententiam omnes secuti, fratri Ioanni Cerda, Monasterij Sancti Antonij Ciuitatis Tarraconensis Commendatori, obedientiam cōtinuò præstiterunt, eumq; Vicarium Generalem totius Ordinis (Magistratu vacante) declararunt.

C Hic igitur nouus Vicarius Generalis declaratus, cœpit ex tunc, nomine & officio Vicarij Generalis fungi. Et in primis ad euitandas expensas, & pro maiori commoditate, suam domum Tarraconæ, a Ciuitate Barchinonæ duodecim leucis distantem, pro celebrationis loco deputauit. Et in suum socium eligit præfatum Fratrem Ioannem Berdegarij, qui erat Tarraconæ antiquior habitu, & pro ea domo nominauit Præsidentem, ac cœpit nonnulla Monasteria propinqua visitare. Sed dum visitationis munus, in Cathaloniæ Principatu nouus Vicarius Generalis exercet, ad Conuentum Tarraconæ, & Fratres ibi Commorantes reuertamur. Præsidens igitur, & reliqui electores, qui ex diuersis partibus illuc venerant, patientiam non habentes, imo neq; Vicarij Generalis in domorum visitatione occupati, aduentum, expectare volentes, ibi sua Comitia celebrarunt. Et (vt multa omittamus, quæ in ea Comitiorum celebratione, seu potius Congregatione gesta sunt,) die 13. Iunij hu-

D ius Anni 1401, quæ Sancto Antonio de Padua dicata est, in Magistrum Ordinis elegerunt Fratrem Iacobum Tahust natione Valentinum, absentem, nihil de hoc cogitantem, qui erat tunc perpetuus nostri Conuentus de Podio Vicarius. Quæ omnia patent per instrumentum publicum, factum, & clausum per Magistrum Petrum Granyana regiæ Maiestatis, & Barchinonæ Notarium, die, mense, & anno quibus supra. Vicarius Generalis paruipendens huiusmodi electionem a Visitationis munere desistere nolens, inter alias domos, visitasse fertur, & constat Domum Gerundæ die 26. Augusti cuius Conuentus erat Commendator (ut ait Magister Gauer) Fr. Iacobus Amerio, qui deinde fuit Prior, & Ordinis Magister. 1401.

Huiusmodi electio diuulgata licet parum Canonica, vniuersis nationibus, & omnibus nostræ Religionis Prouincijs gaudium attulit magnum. Solus ea præfatus Frater Petrus

E Gulielmos, tristatus est valde, (etiam si Persona electa esset Valentina, & sua Conterranea.) Ob id ad solium Magistratus ascendendi spem non amittens, accelerato cursu Auenionem petijt, ubi iàm Procuratores Generalis Magistri electi reperit. Summo Pontifici Benedicto quem rectè agnoscebat, & cum quo in minoribus constituto familiaritatem habuerat, memoriale porrexit, in quo inter alia referebat; electionem Tarraconæ factam plures, & intolerabiles continere nullitates, & errores. In primis quod Fratres ibi Congregati legitimo carebant capite, quod esset (Magistratu vacante) totius Religionis Prælatus, & Superior. Quod plures ex eis, à iure, suffragandi, & eligendi non habebant potestatem, quia ab Episcopo Barchinonæ fuerant ob inobedientiæ culpam, publicè in vijs, & plateis totius diœcesis excommunicati declarati, quos reliqui Fratres euitare, & cum eis non communicare iuxta sacrorum Canonum dispositionem & decreta tenebantur. Quod non fecerunt, sed excommunicati publici, & intolerabiles, & qui cum eis in diuinis communicaue-

cauerant, ad electionem temerè & inconsultè processerant. Quam a sanctitate sua irritam & inanem declarari, & quod ad nouam electionem per Fratres electores legitimè Congregatos, & nullis sententijs, censuris, aut impedimentis innodatos procedi iuberet humilibus precibus supplicabat. At Summus Pontifex (auditis ambarum partium iuribus, & allegationibus, & attente considerans, totius Ordinis, ad fauorem Magistri electi acclamationem, & vniuersalem lætitiam, eius electionem sua auctoritate Apostolica confirmauit, & approbauit, supplendo omnes, & quoscunque defectus &c. Et pro bono pacis Vicariàm Podij cum sua præceptoria contulit præfato Fratri Petro Guillalmos (sua vita durante.) Et sic breui tempore fuit hæc controuersia sedata, & Fr. Iacobus Tahust auctoritate Apostolica confirmatus, cępit pacificè Ordinem regere; qui fuit quatuordecimus Generalis Magister, & septimus clericus. A

Ad tolendam de medio omnem dubitationem, quæ errorem, iurgium, & dissensionem parere solet, Fr. Iacobus Tahust Generalis Magister celebrauit Ilerdæ Comitia Generalia. In quibus ex definitorum voto declarauit, & declarando ordinauit atq; statuit, quod si Commēda, præceptoria, vel administratio infra annū vacare contigerit quouis modo, Magister Ordinis, vel eius Vicarius Generalis, vel Prouincialis (Magistro absente) possit pleno iure, sua auctoritate de tali prælatura, & officio prouidere, verumque Commendatorem, & Prælatum instituere & deputare. Qui quidem Commendator & Prælatus sic nominatus eisdem gaudeat priuilegijs, gratijs, & immunitatibus, quibus frui solent, qui a Generali Magistro vna cum definitoribus Capituli Generalis, aut Prouincialis sunt deputati. (Quibuscunque alijs constitutionibus, & ordinationibus in contrarium factis, minimè obstantibus.) B

In hoc Generali Capitulo plurimi Religiosi, & Sancti Viri, ac virtutibus exornati adfuerunt, inter quos nonnullos definitores quos Constitutiones, & auctores nostri enumerant, in medium adducere honoris gratia volo. Pro Prouincia & Principatu Cathaloniæ Sanctus Vir Fr. Antonius Taxal in artibus Magister, Bachalaureusq; in Sacra Theologia formatus, de quo suo loco nonnulla me dicturum promitto. Pro prouincia Franciæ Sanctus Vir Fr. Ioannes Gilaberti licentiatus in Decretis Commendator Perpiniani. De quo & præsertim de eius admiranda morte multa memoratu digna narrantur. Quæ nos intacta non omittemus. Pro prouincia Valentiæ Frater Ioannes Cirera, celebris verbi diuini acclamator, & in disputationibus acutus, magnique ingenij acumine, & perspicacitate pollens, qui erat Monasterij Xatiuę Commendator. Pro prouincia Regnorum Aragoniæ, & Nauarrę Frater Martinus de Liso, Vicarius Montisfloretti, Sacræ Theologiæ professor. Pro prouincia Castellæ, & Portugalliæ duo famosi Viri in Sacra Theologia Magistri ab auctoribus nostris describuntur, Frater Matthias de Guadalaxara Commendator Toleti, & Frater Petrus de Logronio. C D

Hæc omnia constant, ex instrumento, inde confecto die celebrationis Generalis Capituli decima octaua Augusti eius anni 1402. clauso per Petrum Bossa auctoritate regia Notarium. Quam auctenticam publici notarij fidem non frustrà, aut gratis, sed consultò à me allatam esse volo, ne aliquis credat in recitando, & enumerando Barchinonæ Priores, eorūque durationes, me in hoc loco errorem commisisse, sicut notabilem a veritatis via deflexionem fecerunt, asserentes Sanctum Virum Fratrem Antonium Taxal, huius Generalis Capituli definitorem, esse hoc anno, Barchinonæ Priorem. Quibus errandi occasionem, ansam præbuit antiqua nostri Ordinis constitutio Typis mandata, & Vallisoleti impressa, anno Domini 1533.

1402.

Hæc igitur constitutio distinctione 2. c. 3. pagina 33. collocando, & enumerando Definitores huius Generalis Capituli Ilerdæ celebrati, Sanctum Virum Taxal, esse Barchinonæ Priorem enarrat. Quod proculdubio valde a veritate alienum est, ut clare constat ex allegata, & allata publici notarij auctētica fide: & similiter quia hoc anno erat Barchinonæ Prior Frater Gulielmus Viues; cuius Prioratus & regimen perdurauit vsq; ad annum 1405. vt inferius videbimus. E

Vt hoc Generale Capitulum, esset vndequaque perfectum, & omnibus numeris absolutum, nihil aliud deerat, quàm fœlix & diu optatus in eo, nostri boni Ispalensis, Fratris Alphonsi de Seuilla aduentus. Cuius sanctimoniam, laudabiles mores, & admirandam mortem narrare incipio.

Inter eximios, & insignes nostræ Sacræ Religionis Viros, Frater Alphonsus de Seuilla, seu

A seu Ispalensis, meritò venit numerandus. De hoc Sanctissimo Viro plurima nostri scriptores, & nonnulla externi Typis mandarunt; a quibus breuiter ea, in quibus omnes conueniunt, collegimus. Fuit honestis Parentibus Ispali natus, & ab ineunte ætate, Christianis institutis bene imbutus. Summo Deo à teneris annis deseruire disposuit, & gloriosissimam eius matrem, adhuc puer, speciali cultu coluit. Quibus vt securius, & perfectius placeret, nostram Religionem in Monasterio Ispalensi patria sua, ingressus est, & professionem emisit. 1402.

Religiosus effectus adeò in votorum essentialium custodia, & in ceremoniarum, virtutumque obseruantia profecit, maximè in alto, & excelso profundæ humilitatis dono, vt in tota ea Ciuitate Religiosus notæ sanctitatis haberetur, & communi voce Sanctus diceretur. Non per Ciuitatem vagabatur, sed extitit semper, suæ cellæ mirificus amator. Quam non profanis simulacris, sed Christi eiusque matris humilibus, & deuotis imaginibus adornabat. In ea similiter, pendens ad parietem, lignea crux, cum qua erant suæ diu noctuque delitiæ respiciebatur. In hoc Monasterio ad literas incubuit, & fructus in sacra Scriptura vberrimos fecit; sed maiores in Dei amore, in timore, & in alijs virtutibus progressus egit. Honores, & dignitates extra Ordinem, (ac si essent nociuum læthaleque venenum) abhorruit. Ad Religionis officia, & munera obeunda, se reputabat indignum, eaque sibi oblata, admittere humiliter recusabat.

Sed iam inuitus & obedientiæ præcepto astrictus, non potuit non, aliquas domos, regendas suscipere. Quarum in regimine, & administratione resplenduerunt in eo magna prudentia, solicitudo eximia, & assidua solertia. Ita vt ab ipsis subditis mirificè diligeretur, & laudaretur. Attendebant in eo omnes incredibilem suæ Religionis augendæ reformandæque zelum, maximè dùm Conuentus Ispalensis regimen inuitus suscepit. Nam eius domus, quæ in Vandalia, primum locum tenet, Commendator effectus, nihil de asperrimo in victu, & vestitu rigore subtrahere voluit; imo duriorem vitam ducendo, subditos hoc singulari exemplo ad idem excitabat. Vnde post paucos dies, omnes ferè Fratres eius Monasterij, vt boni subditi, & discipuli, sui Magistri imitatores effecti, reformati incedebant. Quod, vt in alijs eius regni Monasterijs, idem fieret, sibique, & Fratribus sui Conuentus, reformatè viuere liceret, & nouam recollectionem sequi, scripsit Reuerendo Patri, Fratri Iacobo Tahust, Apostolico totius Ordinis Generali Magistro; rogans eum, ut nouæ reformationis Congregationem confirmare dignaretur.

D Cui Generalis Magister in re ita noua, ac in solita nihil se solum facere posse sine consensu Generalis Capituli, (cuius celebrationis instabat tempus) Commendatori Ispalensi respondit, & iniunxit ei, vt ad Capitulum Generale mense Augusti huius anni Ilerdæ celebrandum, venire non tardaret. Vbi quod patribus definitoribus circà hoc serium negotium, religionis augmento, & decori magis consonum videretur, matura consideratione ab eis ordinaretur, & statueretur.

Quo responso accepto, Frater Alphonsus Ispalensis, vt promptus obedientiæ filius, suo socio Comitatus, Ilerdam profectus est. Sed propter ingentes calores, & alia itineris incommoda, in via ex agitatione in febrim incidens, moram per aliquot dies traxit. Sed sicut Domino placuit conualescere, & bona valetudine vti breui tempore cœpit. Ob eam causam, & quia quotidie, præuia cum animi dolore, Sacramentali confessione, E socio facta, celebrare de more deuotissimè solebat, Ilerdam peruenit Comitijs generalibus iam celebratis, & Magistro Ordinis Definitoribusque ad sua Monasteria reuersis.

Sed antequàm Ciuitatem ingrederetur, respiciens quandam crucem, dixit socio suo, expecta hic donec orem, aut tu fac similiter. Genuflexius igitur noster Ispalensis (socio suo parum distante) Sanctam Crucem (vt de more in cella solebat) adorauit, dicens ei, cum diuo Andrea. Salue Crux pretiosa, suscipe indignum discipulum eius, qui pependit in te Magister meus Christus.

Et propius accedês amplectebatur, & deosculabatur eam; & inter amplexus, hæc inter alia verba de ore eius exibant. Tu es in labore requies mea, in infirmitate salus, quia in te salus nostra pependit. Vtinam in te moriendi angulum mihi concedere dignareris. Accipe me, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te, me redemit. Qua in ora-

oratione spiritum sine strepitu emisit.

Accedens igitur socius, qui parum distando, quæ vir Dei egerat, & dixerat, rectè viderat & audierat, misterium tamen, & euentum omnino ignorans, rogabat eum, vt a mentali oratione surgeret. Iam (inquit) notescit; & ne Fratribus nostris molestiam inferamus, non oportet amplius tempus protrahere, nam si orare vis, intra cubiculum, non tibi deerit commoditas. At cùm nullum verbum ei responderet, nec motum vllum in eo reperiret, uolens genuflexum eleuare & in altum tollere, atque a Cruce separare, nullo modo valuit. Tunc cognouit Virum Dei animam egisse. Et cum lacrymari amarè, & fortiter vociferari cœpisset, ingens vtriusq; sexus omnis conditionis, atque ætatis Personarum, de vineis, & villicarijs suis ad Ciuitatem & domos suas reuertentium multitudo ad Crucis locum accessit, vbi singultus ploratusq; sentiebantur. Et omnes rei nouitate, atq; admiranda Sancti viri morte, stupore affecti, Ciuitatem ingressi, per vias, & plateas qua transibant, ea, quæ viderant, omnibus annunciabant. Vnde tota ciuitas continuò commota est. Sed rumor processit, miraculoque interueniente inualuit. Nam, (vt nostri Auctores referunt, maxime Magister Rodriguez Episcopus Roscienfis in sua animæ agricultura) omnes vrbis campanæ, tam magnæ, quam paruæ, sine humano adminiculo pulsatæ sunt. Quo admirando signo Cathedralis Ecclesiæ Canonici, aliique Clerici, & omnium Ordinum Fratres, ad locum, vbi iuxta Crucem, iacebat Sanctus Vir, processionaliter peruenerunt. B

Et licet de iure Sanctum illud Cadauer Fratribus nostris deberetur, eisque consignari, fas esset, quia tamen, (Comitijs Generalibus expletis,) pauci Fratres, in nostro Ilerdensi Cœnobio remanserant, qui sua iura tutari, & defendere possent, Canonici maioris Ecclesiæ, illud Sanctum corpus sine vllo obstaculo sub humeris suis ad suam Ecclesiam summo honore asportarunt, ibique in speciali tumulo condiderunt. Quo in loco vt Sanctum habetur, & veneratur. De quo Sancto Viro omnes nostri Auctores mentionem faciunt, & nonnulli externi, eumque Raphael Volaterranus in loco à me sæpe citato, Sanctum Alphonsus Ispelensem appellat. C

Floruit per hæc tempora, nunquam satis laudatus, in Sacra Theologia dignissimus Magister, Frater Lucas de Toro, nobili, & illustri genere natus, sed sanctimonia, & virtutibus nobilior. Multa de hoc bono viro, memoratu, & æterna memoria digna scriptores referunt.

Sed erga miseros, afflictosque Christianos Captiuos, eximiam charitatem summis præ-
1403. conijs ad cœlum vsque euehunt. Cum hoc anno 1403 a Prouinciali Castellæ, esset Redemptor deputatus, ipsemet iter pedibus conficiens, per loca aspera, & plana magno labore pecunias pro hoc sancto opere collegit, & elemosynas petijt; quas cum præ ma- D
Liber. 118. nibus haberet, cum suo socio Marrocium profectus est. Ex quo regno cum 118 liberasset Captiuos, eos cum euidentissimo discrimine, ac eminenti mortis propter maris procellas, fluminisque Bœthis inundationem periculo, in ciuitatem Ispalis asportauit. In qua ciuitate iussu Prætoris (quem vulgari vocabulo assistentem vocamus) qui Fratris Lucæ de Toro Redemptoris, erat consanguineus, & cognatus, omnes, Captiui Christiani recreari, refici, & instaurari potuerunt, & post aliquot dies ad propria cum Dei benedictione destinati sunt.

1404. Bonifacius Papa IX. triduo post Cal. Nouembris huius anni 1404 Romæ obijt, cum sedisset annos quatuordecim, & menses vndecim. Vacauit Romana sedes dies nouem, fuitque in eius locum suffectus Cosmatus melioratus, natione Italus, in Aprutio natus, & educatus, ab eodem Bonifacio IX. suo immediato successore, Cardinalis creatus, qui Innocentius eius nominis septimus, appellari voluit. E

Eodem anno Frater Gilbertus Vincentius pro regnis Aragoniæ, & Frater Nicolaus de Mendoza pro Castella, & Lusitania Redemptores deputati, ex terris a Mauris in Hispania
Liber. 198. possessis 198 Captiuos Christianos redemerunt.

Frater Gulielmus viues, Barchinonæ Prior, honestæ, exemplarisque conuersationis, Vir inculpatæ vitæ, semper timens Deum, mirificus sui Ordinis, & maximè sui prioratus zelator, ob defendendam sui officij iurisdictionem, atque immunitatem, plurimas ab Episcopo Barchinonensi perpessus est molestias. Plurima bona fecit in ea prima nostri Ordinis domo, & a Magistro Gauer in suis Annalibus valdè laudatur. His curis, & sollicitudinibus grauiter agitatus, atque pœnitentia, vigilijs, & disciplinis maceratus, læthaliter

ægro-

A ægrotare cępit. Et integris sensibus suscipiens Sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta, quæ ad salutē animæ sunt necessaria, spiritum reddidit suo Creatori, tertia die Ianuarij huius anni 1405. Die sequenti in Ecclesia sui Prioratus honorificentissimè fuit sepultus, quia inter alios, qui funus eius cohonestare voluerunt, adfuit Barchinonæ Episcopus; qui dum exequię celebrabantur, plurimis laudibus Prioris sanctimoniam, ac religionis zelum publicè commendabat. 1405.

Fine funeri imposito Antiquior Frater, Religiosos Conuentuales, qui in Monasterio aderant, pro electione noui Prioris, Capitulariter eos Congregari fecit. Qui die quinta eiusdem mensis de vnanimi consensu in xv. Priorem, & nonum per electionem elegerunt sanctum Virum Fratrem Antonium Taxal, seu Quexal absentem. Quem Magister Ordinis Vicarium Generalem creauerat, & in Galliam miserat, ad sędandas, & de medio tollendas dissensiones, & lites subortas, inter Fratres Conuentuales Monasterij nostri Ordinis Ciuitatis Tholosæ, sub datum die quinta Ianuarij eiusdem anni 1405. Quas lites, & differentias suauiter ipse sua solita prudentia composuit, & inter ejus Monasterij Fratres, summam concordiam pacemq; iniuit.

B

C

Frater Iacobus Tahust, Magister Generalis Ordinis, sennio iam confectus, & ægritudinibus impeditus, munus visitationis exercere non valens, honestos, & prudentes viros ad visitandas, & reformandas prouincias deputauit. Ipse vero diuinis laudibus, & Deo vacare uolens, & vt corpori etiam desatigato, Valentiæ patriæ suæ salubri, ac natiuo cœlo, & clementia mederetur, illuc se contulit. Vbi post paucos dies sanctè, & religiosè obijt die 28 Augusti huius anni 1405. Sancto Ecclesiæ doctori Augustino dicatam Monasterium Valentiæ mirificè auxit, illudque suppellectilibus, vtensilibus, & alijs plurimis bonis ditauit, quæ longum esset recensere. Magistratum huius boni viri plurimùm commendat Generalis Magister Gauer, in suis Annalibus, § de xiiij. Ordinis Magistro, & omnes nostri Ordinis scriptores, & nonnulli externi, & licentiatus Gaspar Escolano, Rector Parrochiæ Sancti Stephani, Ciuitatis Valentiæ, Regius Historicus in Historia Valentiæ. In qua inter illustres Viros eius Regni, enumerat præfatum Magistrum Fr. Iacobum, & alios quatuor, nostri Ordinis Generales Magistros, natione Valentinos. Tempore huius Generalis Magistri de Infidelium potestate liberati sunt 316. Christi fideles. 1405.

D

Gaspar Scolano.

E

Liber. 316.

Cap. XI. Magister Taxal, Generalis eligitur, laudatur, & sanctè obijt. S. Gilabertus Prior eligitur, sed non confirmatur, quia alium Benedictus Papa creat. Quia Prior Apostolicus prioratui cedit; Fr. Iacobus Aymerih Prior eligitur. In Concilio Pisano Alex. V. creatur, cui post mortem succedit Ioan. 23. & Ferdinando Aragonum Regi defuncto, succedit filius Alphonsus Quintus.

COMMENDATOR domus Valentiæ per specialem Nuntium fecit certiorem Barchinonæ Priorem de Generalis Magistri obitu; Qui eo nuntio dolorem, & mæstitiam recepit magnam, tanto viro, bonoque Pastore Religionem orbatam contemplans. Sed cum ipse Barchinonæ Prior (Magistratu Ordinis vacante) effectus Vicarius Generalis, grauissimis negotijs esset irretitus, & in caussa Summi Pontificis Benedicti XIII. sic in sua obedientia vocati, ac in alijs magni momenti Principum Christianorum occupationibus detentus, A
1406. Barchinonam accedere non valuit, sicq; noui Magistri Generalis electionem, vsq; ad diem 14. Martij huius anni 1406 distulit. B

Hac igitur die sine murmure, sine contentionibus, summa pace, magnaq; concordia, in quintum decimum Generalem Ordinis Magistrum Patres definitores elegerunt eundem Barchinonæ Priorem, Fratrem Antonium Taxal in artibus, & Philosophia, atq; in Sacra Theologia Magistrum, multiplici literarum doctrina, & in grauibus negotijs dexteritate præstantem, natione Gotholanum, & patria Tarraconensem. Qui ad continuam omniū Patrum, & totius Capituli instantiam, electionem de se factam acceptauit, eamq; Summus Pontifex Benedictus XIII. Apostolica auctoritate confirmauit. C

Omnes Fratres Conuentuales nostri Monasterij Barchinonæ, summis, & instantibus precibus Magistrum Generalem exorabant, vt cum Generalatu Ordinis Prioratum Barchinonæ retinere dignaretur; vt vel sic in Principatu Cathaloniæ, moram trahendi, & non ab Hispania discedendi, maiorem haberet occasionem. Quorum postulationibus Generalis Magister, se nullo modo, neque tuta conscientia satisfacere posse respondit. Quomodo (inquit) necessitatibus totius Ordinis quotidie emergentibus, & occurrentibus, operā solerter nauare, & personaliter ordinē uniuersum (si necesse fuerit) uisitare possum, Prioratus eius domus cura, & regimine ꝑpeditus? Ab initio Ordinis, nostri primi Patres, suis humeris D hæc duo officia, seu onera suis humeris imponere non recusabant. Modò verò per Dei gratiam (Religione nostra in prouincias plures diuisa, & in varijs orbis partibus florente,) minimè hoc facere licet.

Cum igitur per Apostolicam confirmationem Generalatus Magistri Taxal, vacaret Barchinonæ Prioratus, quem laudabiliter per annum vnum, & duos menses cum dimidio idem Magister rexerat, conuocari iussit Fratres Conuentuales; eisque proposuit sanctum Virum Fr. Ioannem Gilaberti in decretis licentiatum, in sacris literis valde versatum, sanctitate præditum, Prædicationis dono, & fama in Hispania celebrem, absentem, nihilque de hoc cogitantem. Qui sermo omnibus placuit; & sic per vota secreta de vnanimi consensu idem Fr. Ioannes Gilaberti in Priorem fuit electus. Qui licet esset pacificè electus, & a Generali Magistro confirmatus, numquam tamen potuit sui Prioratus corporalem possessionem recipere; eo quod Summus Pontifex Benedictus asserebat; post Magistri Generalis Taxal confirmationem Apostolicam, Barchinonæ Prioratum esse ad sedem Romanam deuolutum, sibique hac vice dicti Prioris electionem & nominationem esse ad Summum Pontificem reseruatam. E

Et hac de causa sub grauissimis censuris, & pœnis præcepit omnibus, & singulis Fratribus

A tribus Conuentualibus Barchinonæ, ne pręfatum Fr. Ioannem Gilaberti in Priorem acceptarent, aut reciperent.

Hoc eodem anno 1406 vigesima nona Maij, Sanctus Vir, & Generalis Magister Taxal ad instantiam,& preces Procerum, & nobilium, ac omnium ciuium Tarraconæ patriæ suę, voluit ibi suum primum Capitulum Generale celebrare. Cuius definitores fuerunt, in primis Frater Ioannes Gilaberti tanquam Barchinonæ Prior, Fr Franciscus Ferrarij in decretis Bacchalaureus, Commẽdator Perpiniani, Fr. Ioannes Martini Commendator Turoli, Frater Bartholomęus Martini, Vicarius perpetuus Sanctæ Mariæ Podij Valentiæ, & Frater Ioannes de Granata. qui habuit duas voces in defectu socij, de quo sanctissimo Viro postea mentionem faciemus. 1406.

Cum Fratres Conuentuales Barchinonæ Priore destituti manerent, Procuratorem ad Franciam vbicumq; esset Curia Romana, seu Benedictus decimus tertius, (cui Hispania obediebat) destinarunt: rogatum, ne Monasterium Barchinonæ totius Ordinis caput, sine legitimo Pręlato esse permitteret; & summa pace factam electionem in persona Fratris Ioannis Gilaberti approbare, & confirmare dignaretur. Quem Summum Pontificem Benedictum, Monasterij Barchinonæ Procurator, Massiliæ ad Sanctum Victorem cum sua Romana Curia adinuenit; eiq; supplicationem, & preces sui Monasterij porrexit. Cui Sanctissimus Papa Benedictus sic respondit. Bonum & Virum probum vester Conuentus sibi in Priorem elegit, (vt relatum est nobis) & electio bona esset, & Apostolica confirmatione proculdubio digna; si ad nos non esset eligendi ius deuolutum, & per nos aliud prouisum. Misimus ad vos cum nostris Apostolicis literis motu proprio, & ex nostra certa scientia in Priorem vestrum, Doctum Virum Bartholomęum Celsares, vestri Ordinis professum, Capellanum nostrum. Ipsum Priorem vestrum, & Prælatum vestrum tenete, eique obedite, si gratiam nostram charam esse vultis.

Quo responso Procurator, (spe amissa) in Hispaniam, & Cathaloniam reuersus, inuenit Barchinonæ nouum Priorem quem iam idem Summus Pontifex miserat, Fr. Bartholomęum Celsares decretorum doctorem, Virum scientia, & conscientia præstantem, Deum timentem, affabilis, & honestæ conuersationis; qui 17. Prior Barchinonæ fuit.

Benedictus Papa ad supplicationem Generalis Magistri, & Fratrum nostri Ordinis concessit, quod nostri Ordinis Fratres in presbyteratus Ordine constituti idonei, discreti, & periti pro tempore existentes, quos Generalis Magister pro tempore existens ad aliorum Fratrum Confessiones audiendum deputauerit, possint eos absoluere &c. ut uideri potest in sua bulla, tenoris sequentis.]

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sincerę deuotionis effectus, quem dilecti filij Magister Generalis, & Fratres Ordinis S. Mariæ de Mercede Captiuorũ, ad nos, & ad Romanã gerũt Ecclesiã promeretur, vt petitionibus suis, illis p̃sertim per quę, sicut piè desiderãt, conscientię pacem, & salutẽ animę (Deo propitio) cõsequãtur.

Hinc est quod nos ipsorum Magistri, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, vt Fratres dicti Ordinis in presbyteratus Ordine constituti idonei, & discreti, & periti pro tempore existẽtes, quos Magister, qui nunc est, & successores sui Magistri Generales dicti Ordinis, qui pro tẽpore fuerint, ad hoc duxerit deputãdos (confessionibus quorumcũq; aliorum Fratrum eiusdem Ordinis præsentium, & futurorum diligẽter auditis) pro commissis debitam eis absolutionem impẽdere, & iniungere pęnitentiam salutarem valeant (nisi talia forent propter quæ Sedes Apostolica esset merito cõsulenda) eisdem Magistro, & Fratribus auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei se nouerit incursurum. Datis Saonæ sexto Calen. Nouembris Pontif. an. 12.

Innocentius Papa Septimus, in recta Romanorum Pontificum linea collocatus, infirmitate senectuteque (quæ est ipsa morbus) confectus, Romæ obijt hoc anno 1406 octauo idus Nouembris, sui Pontificatus anno secundo die 21. Vacauit Romana sedes dies 24 Innocẽtio Septimo successit pridie Cal. Decẽbris Angelus Corarius, natione Venetus, qui Gregorius duodecimus appellari voluit, creatus in schismate cõtra Benedictũ XIII. 1406.

Henricus Castellæ Rex, eius nominis tertius, vir valde pius, deuotus, pacificus, & mãsuetus, licet iuuenis & in florenti ætate constitutus, non paucis (vt accidit senibus) infirmitatibus affligebatur. Sed cum Religionis Christianæ amplianda, & sui Dominij augendi

C 2 stu-

studiosus esset, Infideles & Saracenos Regni Granatæ expellere, & persequi volens, Toleti infirmatus est. In qua imperiali urbe (susceptis deuotè Christiano more sanctæ Ecclesiæ Sacramentis) post paucos dies reddidit spiritum generis humani Redemptori, in die quo ipse Redemptor pro salute nostra nasci dignatus est. Cui in Regno successit filius Ioannes eius nominis secundus in cunabulis, non dum enim viginti expleuerat menses. Cuius ætatis defectum duo fidelissimi Tutores, a Patre Henrico deputati suppleuerunt; videlicet Regina chaterina vidua, Pueri mater, & Dominus Ferdinandus Castellæ infans, mortui Regis Frater, & Regis pueri patruus, qui postea fuit dignissimus Aragoniæ per electionem Rex meritò proclamatus. A

Frater Antonius Taxal, Generalis Magister Ordinis, quem Castellæ Prouincia, eiusq; Proceres, ac principales patres (audita tanti Viri fama) prospicere desiderabat, a Martino Aragoniæ Rege pro grauibus negotijs, in Castellam ad noui Regis Tutores Orator regius destinatus, voluit hac occasione in festo Penthecostes huius anni 1407 in Conuentu celeberrimo, quem Religio nostra Vallisoleti possidet, Comitia generalia celebrare. Ad quod ex diuersis Ordinis Monasterijs, grauissimi Patres, & scientia præstantes Viri accesserunt, & nõnulla ibi pro bono domorum Castellæ & Lusitaniæ regimine, salubriter instituta sunt. De quo Generali Capitulo breuem mẽtionem facit Reuerendissimus Magister Gauer in suis Annalibus in vita xv. Generalis Magistri; refertq; vocem in eo habuisse Sãctum Virum Fratrem Ioannem Gilaberti licẽtiatum in Decretis, & Fratrẽ Bernardum Riera in sacra Theologia Magistrum, Virum insignem, Sãctimonia cõspicuum, in scripturis sacris valde eruditum, & vario doctrinæ genere excultum. Nõnulla (cum esset in studijs assiduus) eruditissima in lucem edidit opera, præsertim quoddam volumẽ, Summo Põtifici Benedicto dicatũ, eius egregias strenuasq; virtutes summis præconijs comẽdans. Ob quæ (ni fallor) cum alijs nostræ Religionis Fratribus ab eodẽ Pontifice ad Cardinalitiã dignitatem (vt inferius dicemus) fuit assumptus. Licet parum de hoc in externis auctoribus notatum reperiamus.
1407. B
C

Erat Fr Bernardus hoc anno nostri Cõuentus Acrimontis meritissimus Cõmendator, quẽ in spiritualibus, & tẽporalibus mirificè auxit, licet modò hæc cõmenda, ob varia infortunia, & calamitates inter pcipuas nostri Ordinis haud enumeretur. Et hæc pauca pro multis, quæ in tanti Magistri Commendatione adduci poterant, pro nunc sufficiant, ut ad alios etiam celeberrimos Viros transeamus.

Frater Bartholomęus Celsores, Apostolicus Barchinonæ Prior, (de quo nuper mẽtionem fecimus) famosus, & excellẽs in Decretis doctor, præstãtissimus, & inter omnes suæ ætatis doctores facilè Princeps, (quem populares, & eius sęculi auras fugientem, præfatus Summus Põtifex Benedictus Priorẽ elegerat, in magnaq; ęstimatione habebat,) a multis instatus & rogatus, vt Curiã Apostolicã, & Summũ Põtificem sequeretur, euq; in Italiã comitaretur, sic eis respõdit. Quid (quęso) fugatius sęculo, rebusq. sęculi, quas dum tenemus, amittimus, & nos per breuia vitæ nostræ curricula mutamur, & currimus; ac nescientes ad mortis terminos peruenimus. Breue vitæ meæ spatium cogito, & ante oculos meos interitum semper habere sentio. Quid mihi prodest, si extra Religionẽ vitam degẽdo, & Põtificẽ Romanum sequẽdo, ab eo tandem ad huius sęculi honores prouectus, incipiam ab hominibus in honore haberi, obseruãtiaq; coli; si post hęc, animi tranquillitas nulla, perturbatio magna, & alia plurima subsequãtur incommoda, quibus anima misera detrimentum patiatur? Beatus ille Frater, qui sua sorte, statuq; cõtentus, post illa nõ abijt, quæ possessa onerãt, amata inquinãt, & amissa cruciãt. An nõ satis est, ea cum honore spernere, quę posset cum dolore perdi. Quibus dictis publicũ iussit accedere notariũ, & corã eo, & Testibus ad infrascripta specialiter vocatis, omnes eius Monasterij Fratres capitulariter Cõgregari præcepit, dixitque eis. Venerabilis nostri Ordinis Magistri, & omnium vestrum sana voluntas, & maturũ consilium, bonaq; intentio fuit, quod uobis pręesset discretus, & honestus Vir, Frater Ioannes Iosrius Gilabertus, de cuius laudabilium morum honestate, religiosa & exemplari vita, ac in alijs domibus suæ curæ demãdatis, in regimine prudẽtia, multa in nostri Ordinis decus, & in eius commendationem, memoria ęterna digna, circumferũtur; quę & alia multa licet ego ad suę Beatitudinis aures (ea qua decet veritate, & fidelitate) referrẽ, & meã Summo Põtifici insufficiẽtiam proponerẽ, (his nõ obstãtibus) nescio quo motus proposito, me uestrũ Priorẽ eligere sua auctoritate voluit, mihi sub grauibus pęnis iniũgendo, vt (omni mora excusationeq; depositis) huiusmodi onus suscipere, & admittere nõ tardarẽ. Quod ut obediẽtię filius, opere cõpleui, & hãc domum per annum vnum, mẽses septem, & dies tredecim rexi. Multa
D
E

(vt

A (vt est humana fragilitas) omissione, commissione, verbo, & opere in eius administratione, atq; regimine errata perpetrasse ingenuè fateor, quorum me grauiter pœnitet. Ideo a Deo veniæ largitore, qui potẽs est infinitam dimittere culpam, veniam humiliter peto. Et a vobis similiter (quos etiam in multis offendi,) summis cõtẽdo precibus ut animo æquo mihi ignoscatis, sicut ego in me illata toto animi affectu cõdonare volo. Quibus dictis prioratum deposuit, & hæc prima in religione nostra post Generalatum dignitate, se abdicauit. De quibus omnibus Notarius fidem auctenticam fecit. Sub datum Barchinonæ die 3. Nouembris huius anni 1408. Quo singulari humilitatis exemplo imitatores sui nos erudiuit, ne (Ordinis constitutionibus spretis) officia, & prælaturas, Principum fauoribus procuremus: Sed in omnibus debeat constitutionum forma, & laudabilis seruari consuetudo. 1408.

Post eam cessionem, & renunciationem factam Fratres Conuentuales Barchinonæ Capitulariter Congregati, de Priore eligẽdo, qui tanto Viro succederet, inter se tractarunt. Et B deniq; in Priorem vnanimes elegerũt Fratrem Iacobum Aymerich tãto munere dignũ, qui ob suas excellẽtes virtutes fuit postea ad generalatus solium assumptus. Hic fuit xviij in Ordine Prior, & xij per electionem, cuius electionem Magister confirmauit.

Floruit per hæc tempora in Prouincia Franciæ discretus, & religiosus Pater, Frater Bernardus de Verdunio, Vir vtiq; Sãctus, qui nõ minus vitæ probitate, laudabilibus moribus cæterisq; virtutum ornamentis, quam nobilissima prosapia clarissimus extitit. Et licet literarũ cognitione varioq; scientiarum genere esset excellẽs, & plures haberet perillustres discipulos, qui de tanto Magistro se vbiq; iactare solebant, nũquam voluit (ob suam humilitatem) ad doctoratum ascendere. In prædicationis munere nemini fuit secũdus; cuius cõcionibus religio Christiana in illis Galliæ partibus mirificè aucta, & illustrata fuit. Principaliores & meliores suæ Prouinciæ commendas, & domos laudabiliter rexit, & in spiritua- C libus temporalibusq; multùm augere studuit. Non solum verbo, & prædicatione, sed sua innocẽti vita, abstinẽtia in credibili, crebris vigilijs, disciplinis frequẽtibus, & cõtinua oratione ad rectè sanctèq; viuendum omnes excitabat, & commouebat. Hic bonus Vir, & Frater Dionysius de Agreda, & Frater Michael Toribius, Generales Redemptores, nomine totius Ordinis, & elemosynis, atq; pecunijs omnium prouinciarum, ex Tuneti regno, & alijs Africæ partibus 303 Christi fideles liberarunt, eosque incolumes ad Hispaniam asportarunt. Liber. 303. 1409.

Sanctus Vir, & Magister Ordinis Frater Antonius Taxal celebrauit hoc anno 1409 in vigilia Penthecostes Capitulum Generale in Monasterio Montis albi. In quo Capitulo fuit definitor Frater Bartholomęus Celsores doctor in Decretis, de quo nuper egimus, & similiter præfatus Frater Bernardus de Verdunio, qui erat hoc anno dignissimus Domus D Carcasonæ Commendator, vbi Generali Magistro alijsq; patribus de Redemptione in Africæ particibus operata, exactam rationem reddidit. De hoc generali Capitulo mentionem facit noster Magister Gauer in suis Annalibus de vita xv. Generali Magistro Taxal, ibiq; refert ad hęc Generalia Comitia nullum Regnorum Castellæ definitorem aduentasse; Sicq; in eorum absentia (iuxta nostri Ordinis constitutiones) processum est, quæ sunt expressa verba Magistri Gauer, in loco citato.

Benedictus XIII. fuit in omni tempore, & euentu Vir magnanimus, animoq; intrepidus, qui Principes terræ & potentes Reges non solum tremere faciebat, sed eos, eorumq; regna grauibus sentẽtijs, pęnisq; innodare nõ erubescebat. Hinc est quod quadam occasione motus, Carolum VI. potentissimum Frãcorum Regem, & eius cõsanguineos, sibiq; adhęrentes excommunicationis sentẽtia ligauit. Quo Rex indignatus, & omnes regni E vtriusq; status proceres & magnates, ira incẽsi sunt, præsertim insignis, & famosa vniuersitas studij Parisiensis, quæ non attendẽs Summum Pontificem Benedictum a tota Hispania & magna Italiæ, & aliarum prouinciarum parte, vt verum Christi Vicarium haberi, vt morem Regi suo gereret, atque gratum opus faceret, contra Papam protulit conclusiones tenoris sequentis.

Petrus de Luna non tantum est schismaticus, & pertinax habendus, verum etiam hęreticus, perturbator pacis, & sanctæ vnionis Ecclesiæ. Petrus de Luna non est nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cuiuscunque dignitatis, nec sibi obediẽdum est, tanquam Pastori, sub pœnis fautorum schismatis. Dicto Petro, aut suis literis, aut mandatis nullus potest obedire; imo tenetur sibi non obedire, sub pęna fautorum schismatis. Facta, dicta, collationes, prouisiones, siue processus a tempore datæ li-

literæ, ad modum Bullæ confectæ, & pœnæ quæcunque spirituales, vel temporales A
explicitè vel implicitè in dicta litera contentę, nullæ sunt. Et quod laceraretur, &
frangeretur dicta bulla tanquam iniuriosa, seditiosa, fraudulenta, ac regiæ Maiestatis of-
fensiua, &c.

Hæc cum Benedicto fuissent denunciata, & similiter Francorum Regem studiosissimè
curasse, vt in eum & suos fautores manus inijcerentur; in Italiam se contulit. Vbi fuit in-
ter Benedictum XIII, & Gregorium XII. conuentum, vt inter Lucam, & Portum Ve-
neris, quædam loca deputarentur ad colloquium, & ad se ambo pro tranquillitate vera
pace, & Ecclesiæ Sanctæ vnione, Papatu abdicandum.

Sed cum inter eos nulla esset conuentio, & ad tale colloquium vnusquisque accedere re-
cusaret, nonnulli Cardinales Vtriusq; factionis tam Benedictinæ, quàm Gregorianæ, neu-
tri eorum obedire volentes, (Pontificibus suis relictis,) ad cōcilium quod Pisis celebrabatur B
1409. se contulerunt. Vbi Sinodus illa his, & alijs Cardinalibus consentiētibus nonis Iunij huius
anni 1409 Benedictum XIII. & Gregorium XII. periurij, schismatis, & aliorum crimi-
num veluti collusores, & præuaricatores damnauit, & suis pontificatibus priuauit. Qui-
bus sic de facto priuatis, omnium in Concilio existentium consensu, nouus Papa
electus est. Vt adimpleretur, quod communiter dici solet; inter duos litigantes tertius gau-
det. Hic fuit Frater Petrus Philareghi, Ordinis Sancti Francisci professus, Vir doctissimus,
Cretensis, Græcus, Archiepiscopus Mediolanensis, Presbyter Cardinalis Basilicæ Sancto-
rum duodecim Apostolorum, qui Alexander Quintus appellari voluit, & in Recta Sum-
morum Pontificum linea collocatur. Nam (vt inferius videbimus.) anno Domini 1492
in Summum Pontificem fuit electus Rodericus Borgia Valentinus, qui Alexander VI. no-
minatus est. Qui profectò non sextus, sed quintus diceretur, si Alexander de quo in C
præsentiarum, est firmo, inter ueros Romanos Pontifices non scriberetur.

Hanc Alexandri V. ad Summum Pontificatum electionē Benedictus, & Gregorius par-
uì pendentes insignia, & nomina pontificia, retinere voluerunt. Benedictus vsq; ad mor-
tem, & Gregorius vsq; ad Concilium Constantiæ. Ab hoc Summo Pontifice Alexandro
V. nulla priuilegia, aut gratias (quod ego sciam) noster Ordo obtinuit, quia Hispania, &
Reges eius, nostri Ordinis Protectores & Patroni, nullum alium, quàm Benedictum XIII.
vt verum Pontificem venerabantur. Fuit Alexander Quintus adeò erga Indigentes, &
Pauperes liberalis, vt meritò Alexandri nomen sit sortitus, nam nihil sibi retinendo, omnia,
quæ præ manibus habere poterat, animo munificentissimo erogabat. Vnde cum aliquan-
do quasi mendicare, & ab alijs petere eum oporteret, suis per iocum familiaribus dicebat.
1410. Episcopus fui diues, Cardinalis pauper, & Papa mendicus. Obijt Bononiæ sanctitatis D
odore de se relicto, quinto nonas Maij huius anni 1410 cum sedisset menses decem, &
dies octo.

Post mortem Summi Pontificis Alexandri Quinti, quæ (vt diximus) Bononiæ accidit, Comitia pro nouo Romano Pontifice eligendo, qui in Petri sede sedere mereretur, celebrata sunt. Et non post multos dies die videlicet sabathi 16. Cal. Iunij eiusdem anni, Summus Pontifex fuit declaratus Balthassar Cossa Italus, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis S. Eustachij, a Bonifacio nono creatus, & a suo immediato Prædecessore Alexandro V. Bononiæ Legatus a latere deputatus, seu potius in eo munere cōfirmatus, qui Ioannes XXIII. appellari voluit.

Dominus Martinus Aragoniæ Rex, cum in grauem morbum incideret, vt commo-
dius animæ, & corporis saluti consulere, ac laboriosas nimisque molestas suorum Re- E
gnorum curas declinare posset, ad Monasterium illud Monialium in Principatu Ca-
thaloniæ celeberrimum Vallis Donzellæ nominatum, extra muros Barchinonæ deffer-
ri voluit.

Sed (vi morbi in dies ingrauescente) attēdentes sui Dominij Magnates, & Principes, quod vnicus filius, & hæres eius Martinus, Siciliæ Rex, anno proximè præterito in ciuitate Callaris Insulæ Sardiniæ discesserat, ad Regem ęgrotum miserunt eiusdem Ciuitatis Consiliariū Ferrerium de Gualbes, vt circa successorē, & Regnorum suorū hæredem volūtatē Regis exploraret, sagaciterq; & sine molestia inquireret. Accessit igitur Cōsiliarius alijs nobilibus Comitatus, vndecima noctis hora ad cubiculū Abbatissæ, vbi Rex iacebat ęgrotus; & corā Raymūdo Cescones Regis Protonotario, & alijs duobus Notarijs sic locutus est,

A In hac & alijs tui dominij ciuitatibus, & locis continuæ, ad Dominum nostrum eiusque Sanctissimam Matrem pro vestra salute supplicationes & preces incessáter fiunt, & speramus quod Deus, qui est vera salus, orationes seruorum suorum exaudiet, & sanitatem vobis côcedet. Sed cum sapiêtis sit, futura prospicere, & in tempore opportuno côsultò, quæ vêtu. a sunt prouidere; placet ne vestræ maiestati, quod in vestris Regnis, & terris ille côsanguineus succedat, cui uesti û Dominiû côuenire & côpetere de iure iudicatû fuerit. Cui Rex mente sanus, & integris vtens sensibus (placet) respondit. Quod responsum iterum coram auctenticis personis interrogatus & rogatus dedit, præsentibus Ludouico Episcopo Maioricensi, Domino Gerao Alaman de Ceruellon Cathaloniæ Gubernatore, & Domino Rogerio de Moncada Maioricarum Insularum Gubernatore. Quo responso dato non post multas horas animam egit in dicto Monasterio, pridie Cal. Iunij huius anni 1410. Post cuius B mortem multa damna & seditiones secutæ sunt.

Generalis Magister Frater Antonius Taxal, celebrauit hoc anno 1411, in Conuentu nostri Ordinis Ciuitatis Vitij Prouinciale Capitulum. Cuius Definitores fuerunt, Frater Raymundus Varelli in Decretis Bachalaureus, Commendator Ilerdæ, Frater Franciscus Gili, Commendator Maioricarum, Frater Petrus Bargori Commendator Stellæ, & Frater Gabriel Mas, Commendator Horiolæ. In hoc Capitulo fuit in Redemptorem electus, Frater Martinus Cathalani, Religiosus, & honestus Vir, in sacra pagina mirificè versatus, insignis Verbi Dei Concionator; qui in magno pretio ob suas singulares Virtutes ab omnibus habebatur, præsertim a Domino Petro Zagarria Archiepiscopo Tarraconensi, Præsule dignissimo, & bonorum Virorum studiosissimo. Cuius auxilio, & elemosinis (qui erat summè liberalis, vt sui temporis scriptores fatentur) potuit Frater Martinus C Cathalani, ex Africæ partibus 140 Captiuos redimere. 1411. *Liber. 140*

Ordinem sanctissimo Generali Magistro Fratre Antonio Taxal gubernante, sanctimonia, litteræque magnopere floruerunt; & Monasteria ipsa non modicum vbique incrementum susceperût. Commendatores & Conuentuum Superiores domos suas collabentes refecerunt. Prouinciales nouis sedibus suas prouincias auxere, & quod in eis Fratres operam literis nauarent, & virtutes sequerentur, totis suis uiribus summa cura conabantur. Vnde iam per Dei gratiam, perplures in Ordine scientia, & virtutibus præstantes, Viri reperiebantur, qui non solum Religionem nostram, sed patrias suas. celebres per orbem reddebant. Inter quos mirificè floruit Frater Iacobus de Toro, vitæ sanctimonia exhornatus, præclarissimus eius sæculi Concionator, in studio sacræ Theologiæ, Philosophięq; Magister peritissimus. Suis Concionibus in nobilissimis Castellæ Ciuitatibus, habitis, efficaci verbo, ratóq; vitæ exemplo ad honeste benèq; viuendum, (quò ad vixit) Christi D fideles excitauit. eisque viam salutis ostendit. Sed magno sui desiderio ob sanctitatis famam adeptam relicto. obijt hoc anno 1412. in suo Monasterio Vallisoleti religioso apparatu, & magnifica pompa humatus. 1412.

Cum Dominus Martinus Aragoniæ Rex, in vltimo vitæ suæ constitutus, ordinauerit coram auctenticis Personis, quod Dominium suum traderetur propinquiori, meliori, & iustiori consanguineo, cui patria, & Regniculæ de iure deberi iudicarent; ob eamq; caussam multi comparuissent competitores, & super hoc dissentiones plurimæ inter Aragones, Valentinos, & Cathalanos orirentur; fuerunt de vnanimi horum Regnorum consensu (ad controuersias de medio tollendas, & damna, quæ quotidie fiebant euitanda,) nouem Viri vita, virtute, & scientia probatissimi, in Iudices electores deputati; qui post maturam deliberationem, & discussionem Ferdinandum filium Ioannis primi Castellæ Regis, & Henrici III. Fratrem, ac Ioannis secundi Castellæ similiter Regis charissimum patruum, & fidelissimum Tutorem, qui vulgariter Infans Castellę dicebatur, in Aragoniæ Regem elegerunt, & deputarunt die Martis 28. Iunij 1412. 1412.

Frater Dionysius de Rabinis, natione Gallus, Vir Sanctus, & doctus, ac in disputationibus acutus, gentem, ac patriam suam valde illustrauit, & Ordinem nostrum in ea prouincia celebrem reddidit. Nonnulla perdocta contra sui temporis hæreses in lucem opuscula edidit, quæ iniuria temporis perijsse ferunt; multaque alia mundus videret, si immatura morte non esset præuentus. Obijt enim quadragesimo suæ ætatis anno, nondum expleto, dolore (vt aiunt) confectus, videns patriam suam, & totam Galliam domesticis malis ardentem, quæ in dies augebantur. Animam egit hoc anno 1413. die octaua Augusti. 1413.

Con-

Concilium Pisanum, & patres, qui in eo adfuerunt, ad schisma de medio tollendum (Benedicto XIII, & Gregorio XII. de papatu contendentibus, priùs priuatis) Alexādrum V. (vt nuper diximus) creare, ut indubitatum Papā voluerūt; credentes quod omnes Reges, & Principes Christiani, ab illis duobus primis, obedientiam subtraherent, & soli Summo Pōtifici, ibi per eos electo, & successoribus eius obtemperarent. At post electionem, & mortē Alexādrini V. tantū abest, quod Ecclesiæ pax redderetur, vt potiùs schisma augeretur, & contendentium de suprema Ecclesiæ dignitate, numerus cresceret. Nam si antea contentio erat inter duos Summos Pontifices, modò tres reperiuntur, qui Papæ dicuntur. Et vnusquisque sub aliquorum Regum, & Principum defensione cum sua curia, & suæ obedientiæ ac factionis Cardinalibus in diuersis partibus, & regnis sedet. Et ea omnia, quę veri Romani Pontifices facere solēt, vnusquisq; in suę obedientiæ Regnis, & terris operabatur. A

At iustissimus, & clementissimus Deus, Condolens suæ Sanctæ Ecclesiæ miserrimo statu, eamq; consolari volens, suscitauit spiritum Sigismundi Imperatoris Caroli IV. filij, Principis Catholici, & strenuissimi Ducis; qui sua magnanimitate, & strenuitate Hungariæ regnum subiugauit, suoq; subiecit imperio. Ad hunc excelsum, & Christianissimum Principem, ex toto Catholico orbe magnæ querelæ, & concursus quotidiè ferebantur, nam (rebus Ecclesiæ turbatis) suum præsidium fore in eo, nationes omnes non dubitabant. B

Et licet Sigismundus Imperator vni ex præfatis tribus de papatu contendentibus, Ioanni videlicet vigesimo tertio se esse valde deuinctum, & Imperium de eius manibus recepisse publicè fateretur, pro totius tamen Christiani orbis vnione, quiete, & vniuersali pace, Generale Constantiæ Concilium sua auctoritate adiuuare voluit, & congregari (Deo omnia sic disponente, & ordinante) suo labore industriaque fecit, quod hoc anno 1414 celebrari incępit, ut in eo hi tres Pontifices papatus Titulum deponerent, & nouus indubita- C
1414. tusque Summus Pontifex crearetur.

Si Sigismundus dignissimus Imperator, Ioanni XXIII se esse magnoperè obligatum, in apertum proferebat, non minus Ferdinandus Aragonum Rex, Summo Pontifici Benedicto XIII, cuius auctoritate, & consilio, magna ex parte ad regni fastigium, fuerat sublimatus, se gratum suis dictis & factis exhibebat, eumq; vt verum Christi Vicarium percolebat. Nam Benedictum venientem Rex ipse pedes sub vmbella in templum vsque, equitem deduxit. Sacro peracto pontificiæ vestis caudam suis manibus dum ad hospitium Pontifex reuertebatur, Rex ipse gestabat, prandentique Pontifici Ferdinandus ministrabat. Nihilominus tamen pro sacro Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vnione summis precibus a Benedicto Papa contendebat, vt papatum deponeret, volebat enim, (vt Rex Catholicus) ad vniuersale Constantiæ Concilium suos oratores destinare. Ad hunc effectum, Rex ipse suum primogenitum filium Alphonsum, cum Sancto Viro Magistro Taxal, ad Papam D
Benedictum Ilerdæ hoc anno cum sua curia Commorantem ablegauit. Imo sæpissimè (vt ait Mag. ster Gauer in vita quintodecimi Generalis Magistri nostri Ordinis) pro vnione
1414. Ecclesiæ præfatus Magister Taxal Orator regius ad Papam Benedictum missus est, eundēq; Papa ad Regem legabat. Vnde Pontifex Magistrum Taxal mirifice diligebat, & eo audito multa bona ad fauorem nostri Ordinis faciebat.

Quadam igitur die per hæc ferè tempora, de mense Augusti, dum Pontifex per villam, (cui nomen Cerueraest) nonnullis suæ obedientiæ Cardinalibus, prælatis, & Magistro Taxal Comitatus, pertransit, attendens quam plures vtriusque sexus Personas, viam publicam, quæ ad Barchinonæ Ciuitatem tendit, omittentes, suos gressus versus Holujas, & Manresanam, (parua quædam, eius regionis oppida) direxisse; demiratus Pontifex, quid E
hoc esset, & quò tot hominum animaliumq; multitudo ad formicarum instar tenderet, a suis, qui eum comitabantur scire voluit. Cui Magister Taxal, qui non longè erat, sic respondit. Quo honore, qua gloria, & quo sanctitatis odore, miraculorumque multorum operatione, in Hispania, & præsertim in toto Cathaloniæ principatu, Frater Raymundus Nonnatus huius Sanctæ sedis Cardinalis, & mei Ordinis Religiosus, mirificè fulserit, ad vestræ Beatitudinis aures peruenisse non dubito. Tanti ergo Viri reliquiæ, in oppido Sancti Nicolai, parum distante, magna veneratione percoluntur, ad easq; inuisendas tam voti caussa, quam pro beneficijs receptis, vel vt recipiāt, toto anni tempore, maximè hac vltima Augusti hebdomada innumerabiles confluunt gentes. Summis ergo (Beatissime Pater) precibus à te contendo, vt Religionem meā cohonestando, & decorando, ad locum S. Nicolai,

A lsi, haud multum distantem accedere non dedigneris. Pontifex igitur Benedictus, supplicationibus Generalis Magistri Taxal, Ferdinandi Aragoniæ Regis Oratoris annuendo, ad Ecclesiam Sancti Nicolai peruenit. Et uix præ nimia populi multitudine in templum ingressus, coram sanctissimo corporis Christi Sacramento, deuotus aliquantulum orauit. 1414.

Deinde aduocato loci Episcopo, alijsque Prælatis, & circumuicinis Rectoribus, cum fide dignis, & senioribus personis, quæ illuc ob deuotionem conuenerant, sic ad eos Summum Pontificem fuisse locutum ferunt. Multa de viro hoc Fratre Raymundo Ordinis Sanctæ Mariæ professore, ab adolescentia nostra audiuimus, & Patres nostri annunciauerunt nobis; & similiter in minoribus constituti, dum officio legati à latere in his Hispaniæ partibus fungebamur, magna relata sunt nobis; & denique Gregi Dominico licet immeriti (disponente Domino) præsidentes, dum cum nostra curia Auenione sedebamus, humiles continuasque preces per Professores eius Ordinis Capellanos nostros, & alios ecclesiasticos,
B & seculares in dignitate constitutos Oratores canonizationem tanti viri exposcentes, cum nonnullis informationibus, & processibus de ordine, & commissione nostra, in his partibus, factis, benigne audiuimus, & libenter recepimus. Quæ omnia examinanda, & considerandа certis tunc nostræ curiæ Prælatis, ut nobis merita caussæ, & veritatem referrent, commisimus; qui licet multa in commendatione viri huius, sanctitatem eius inferentia, nobis retulissent; semper in re ita seria, & magni momenti negotio, pedetentim fore incedendum, iudicauimus.

Sed ne diutius Raymundi gloriæ, & honori sibi debito, detrahere videamur, & quem mundus, præsertim nostra Hispania, tanta frequentia veneratur vt sanctum, humana deuotione permittamus priuari, quam pro nostri muneris debito, ad laudem Dei, & sanctorum suorum honorem, augere tenemur; vt pro temporis angustia, noster aduentus, suo modo
C fœlix, & fructuosus reddatur, vobis imponimus, vt circa hoc negotium, quæ sit vestra sententia, quodue consilium nobis aperiatis. Tunc per eos vna cum Magistro Taxal ostensi & oblati sunt Summo Pontifici, in forma auctentica plurimi processus, & informationes, quæ in nostro Sancti Nicolai Monasterio asseruabantur; in quibus continebantur coram locorũ ordinarijs plures testium depositiones circa admirãdã natiuitatẽ, gesta, uitam, & mortẽ Fr. Raymũdi Nõnati, & infinita miracula, quæ Deus pillius merita operari dignatus est, circa eorũ frequẽtationẽ, & incessabi ẽ cõtinuationẽ. Et Oratores du genuflex prãtos processus, & informationes offerunt, sic subiungebãt, magna (pater Sãcte) de viro h c enar ãtur in mudo, & circũferũtur miracula, pluraq. in libello hoc & processibus scripta tua Beatitudo reperiet, sed (ut veritatẽ fateamur,) rei magnitudo omnẽ vincit sermonẽ scripturamq; longè superat.

Deinde generalis Magister Taxal in sacra Theologia doctor solemnis, & in vtroque iure
D nõ mediocriter versatus Summo Pontifici sic locutus est. Breuissimum harum scripturarũ, quæ sunt sanctitati vestræ porrectæ, compẽdium legere, vel audire Beatitudo vestra nõ dedignetur. In eo enim quæ ad declarandam tãti viri sanctitatem, sunt necessaria, nihil desideratur.

In primis probatæ vitæ in ecclesiastica temporalique dignitate cõstituti viri, toto ferè sanctitatis vestræ fœlicissimo pontificatu, nõ semel sed diuturnis precibus canonizationem eius efflagitarũt, instarunt, & semper vrserunt. Constat Raymundum (dum erat in humanis) fuisse natura prudẽtem, docilem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, literatum, affabilem, in lege domini instructum, & valde misericordem erga omnes, maxime erga afflictos Captiuos, pro quorum liberatione diuersa mortis discrimina, & tormẽta (quæ enarrant processus) passus est. Vitam, & mortem eius omnipotens, & miseri-
E cors Deus plurimis voluit illustrare miraculis; super quibus & super fama, vita, & moribus eius, fuerunt testes exactè, diligentèr, fidelitèr, & prudenter examinati, & sigillatim inducti, secundũ articulos, & interrogationes in Apostolica cõmissione expressas. Supplico ergo quatenus sãctitas vestra corpus eius peruidere, & tãti uiri sanctitatẽ mũdo (vt deuotio crescat) declarare dignetur. Tunc Põtifex (vt multa omittamus) accedens ad locũ, vbi magna cũ veneratione, lãpadibus ardentibus, cereisq; accensis S. Raymundi Cadauer repositũ erat, illud Apostolica auctoritate benedixit. Et Generali Magistro Taxal præsenti, & successoribus suis, concessit ad perpetuam rei memoriam, quod Fratres nostri Ordinis in dicta Ecclesia, vbi dictum corpus quiescit, officium & missam de comm uni vnius confessoris nõ Põtificis liberè, & licitè celebrare possint, quod deinceps obseruatum est. Imo adeò post hanc Summi Pontificis facultatem, & actionem, in tota illa regione circa hunc sanctum

creuit deuotio, & frequentia, vt ea Ecclesia in qua corpus eius asseruatur, (amisso omninò primo, Sancti Nicolai Titulo) Ecclesia Sãcti Raymundi Nonnati ab omnibus vsq; in A
præsentem diem semper dicta sit. Ad quam toto anni tempore deuotionis, & voti caussa ingens fidelium confluit multitudo, maxime (vt nuper diximus) vltima Augusti Dominica.

Et licet ex dictis processibus, & auctẽticis informationibus, atq ex alijs quæ quotidie fiut, manifestè cõstet, omnipotẽtem Deum per merita eius Sancti plures mortuos ad vitam reuocasse, & cœcos videre, mutos loqui, surdos audire, & claudos ambulare fecisse, ac infinitos Infirmos a langoribus suis liberasse, nihilominus ad instar Sancti Antonij Abbatis virtus Sancti Raymundi Nonnati in curandis, sanandis, & conseruandis animalibus semper enituit. Quod animalium Domini probantes, & benè experti, solent in festiuitate huius sancti animalia, equuos, mulos, & iumenta, vt quę infirma sunt, sanentur, vel ut toto anni tempore, sana conseruentur, per Sãcti Raymundi Ecclesiæ ambitum, & gyrum ducere. Et tãta B
per hæc tempora solet esse horum animalium, iumentorum, & mulorum multitudo, vt in informatione Romæ in nostro Sancti Adriani Monasterio asseruata, vbi plurimi nobiles, proceres, & heroes, ac oppidorum Domini examinati reperiuntur; quidam eorum (cuius nomen licet ad mentem nõ modo veniat, in ea informatione expressum est) medio iuramento hæc quæ sequntur, dixerit.

Plures ex diuersis partibus ad locum Sãcti Raymundi Nonnati reperiuntur viæ, & omnes ob deuotionem Sãcti huius, sunt valde frequentatæ; nihilominus tamen moram trahens in meo oppido, dum ex mea fenestra cum patre meo prætereũtes, & ad Ecclesiam Sancti Raymundi properãtes, respiciebam, curiositate ductus, volui in fœstiuitate eius, animalia alba prætereuntia annotare, & enumerare, & quingentos mulos omninò albos prætergredientes hisce oculis vidi. Sed iam numerãdo defessus, quia ocu- C
li mei tanta inspectatione, quasi suffusione laborare incipiebant, ab incepto destiti. Quot (quæso) per alias vias, & etiam per meam, aliorum, & diuersorum colorum poterant ea die per transire animalia?

Hæc quæ de aduentu Summi Pontificis ad Ecclesiam Sancti Nicolai, de colloquio eius, de benedictione corporis, de facultate Apostolica nostro Ordini concessa celebrandi in sua tantùm Ecclesia missam, & officium vnius confessoris non Põtificis, enarrata adinuendi in vita eiusdem Sancti idiomate Gotholano a pio uiro nostræ Religionis antiquo, & fideli auctore, descripta, eaque omnia per traditionem, & fide dignorum relationẽ didicimus. Et hæc est publica vox, & fama in toto Cathaloniæ principatu, & nullus maximè inter seculares personas de S. Raymũdi canonizatione, seu beatificatione dubitat.

Bulla tamen huiusmodi facultatis, canonizationis, seu potius Beatificationis viuæ vocis oraculo concessæ, a Magistro Ordinis solerter procuratæ, obtineri non potuit, (maximis paulo post inter summum Pontificem, & Regem nostrum dissidio, & controuersia secutis. Rex enim ab obedientia summi Pontificis separauit se, & Papa Regem excommunicauit, ac suo regno priuauit. D

Sed tempus est, vt Constantiam reuertamur, vbi Cardinales, & patres in ea consistentes, de priuatione trium Pontificum, ut nouus eligeretur, agere cœperunt, quos ad comparendum citarunt, rogantes, ut propter vniuersalem Christiani orbis pacem, Papatum deponerent. Ioannes XXIII. personaliter comparuit coram Concilij patribus, vbi coactus papatu se abdicauit, pridie Cal. Iunij, cum ad eam diem, ab initio suæ creationis Bononiæ factæ, anni quinq; & dies quindecim fluxissent. Hic fuit uerus Papa, & in recta linea Romanorum Põtificum collocatur. Vnde si aliquis in Papam eligeretur, & nomen E
Ioannis assumere vellet, Ioannes XXIIII. proculdubio appellaretur.

Gregorius XII. personaliter non comparuit, sed per suum procuratorem Carolum Malatestam, (cui suas vices in amplissima forma commiserat) Papatum sponte dimisit,
1415. & insignia summi Pontificis deposuit, quarto nonas Iunij huius anni 1415, cum sedisset annos octo, menses septem, & dies quinque, inter ueros summos Pontifices enumeratus, quod clarè in electione Gregorij XIII. & Gregorij XIIII. Romanorum Pontificum uidebimus.

At Benedictus XIII. neque comparere, neque procuratorem ad Concilium mittere voluit, sed insignia & nomen *Romani* Pontificis (quantum in se fuit,) vsque ad mortem retinuit.

Cuius Benedicti Papæ obstinationem Sigismundus Imperator attendens, ut pote præ-

A cipuus sacri Concilij auctor (Ioanne XXIII. & Gregorio XII. de sede sublatis,) vt indubitatus Papa crearetur, ad Hispaniam citeriorem (nullis parcendo laboribus) personaliter peruenit; (vt Benedictus idem, quòd alij præfati Pōtifices fecerāt, ipse operaretur.) De cuius Imperatoris aduentu Benedictus Papa, & Ferdinandus Rex certiores effecti, ad colloquium Perpiniani habendum, ipsi præuenerunt, & prius quam Imperator, accesserunt.

Deinde Sigismundus Imperator decimo tertio Cal. Octobris eiusdem anni 1415. appropinquauit, & caussam sui aduētus Summo Pōtifici significauit; eumque summis precibus rogabat, ut propter totius Christiani orbis pacē, unionem, & quietem, ad euitanda scādala, & damna, quæ imminebāt, papatum, (quem per tot annos tenuerat) deponere, ad imitationem aliorum duorum pōtificum, non recusaret. Sed cum tàm Sigismundus Imperator, quàm Ferdinandus Aragonum Rex, (qui idem a Papa contēdebat) in uanum laborarent, & nihil proficerēt, irati, & indignati ualde abeuntes, Benedictum in sua obstinatione immobilem deseruerūt, & reliquerunt. Sigismundus Italiam versus profectus est, Ferdinandus vero non solum Pontificem dimisit, sed se, & regna sua publico edicto ab eius obedientia separauit, & segregauit. Quæ solemnis, & publica separatio, facta est in festiuitate Epiphaniæ Domini eius anni 1416. anno Pontificatus Benedicti XXII. 1415. 1416.

B

Deinde Rex corpore infirmus, & lōga ægritudine defatigatus, confidēs natiui Castellæ cœli, (vt nōnulli periti medici ei consulebāt) mutatione, sanitatem adepturus, ad patriam suam migrare statuit. Sed ad oppidum, (cui nomen est *Igualada*) perueniens, corporis agitatione, & animi turbatione semimortuus apparuit, ita ut omnes mortuum esse proculdubio crederent. Sed in se aliquantulum reuersus, religiosè & deuotè Ecclesiæ Sanctæ sacramenta ibi suscepit, & die iobis secunda Aprilis eiusdem anni 1416. & ætatis suæ anno xxxvij. animam egit, cui filius Alphonsus natu maior, cognomēto magnanimus, successit.

C

Alphonsus igitur, Aragonum Rex salutatus, (cuius insignia, præconia, & præstantes laudes, omnes famosi historiographi ad cęlum vsque euehere solēt) vt Catholicus, optimus, & sapientissimus Rex, volens Patrum Concilio, Constantiæ congregato parere, & suos Oratores mittere, ad hoc serium magnique momenti negotium, inter omnes sui Dominij magnates, & Viros doctissimos, qui in præfato Concilio suas gereret vices Sanctum Virum, nostri Ordinis Magistrum Fratrem Antonium Taxal, vnacum Domino Ioanne Raymūdo Floch Comite Cardonæ, & alijs eligere voluit.

Generalis igitur Magister Taxal nonnullis alijs nostri Ordinis grauissimis patribus Comitatus, Constantiam peruenit, & a Patribus Concilij audiētiam publicam nomine sui principalis, Alphonsi Aragonum Regis petijt. Die igitur à Patribus designata quintadecima Octobris eius anni 1416. In Concilio coram patribus comparuit, vt in sessione xxij de vnione Ambasciatorum Regis Aragoniæ habita die iobis. Et ea die existens in ambone 1416. legit coram Sigismundo Imperatore, Cardinalibus plurimis, & concilij patribus, Regumque aliorum, & Principum Oratoribus, schedulam manu dicti Alphōsi Regis subscriptam, in qua Rex ipsum Magistrum Taxal, & alios suos Oratores, Ambasciatores, & legitimos Procuratores cum amplissima facultate deputabat. Deinde similiter aliam schedulam legit, in qua acceptatio, assentio, approbatio, & solemnis confirmatio omnium statutorum, protestationum, & conuentionum per dictam sacram Sinodum cum pręfato Rege Alphōso continebātur. Quibus peractis Magister Taxal elegātissimam, & doctissimam fecit collationem, Dominos Cardinales, & Patres concilij ad vnionem, & Ecclesiæ pacem, ad schisma tollendum, & mores populi Christiani componēdum grauissimis verbis, & efficacissimis rationibus exhortās. Et aliquādo spiritus feruore excitatus, Ecclesiasticos Principes vanitatē sectātes, & nonnullos Italiæ abusus audaciter arguere non erubescebat. Et assumens pro sui sermonis Themate illa sancti Euangelij verba Matthæi 21. ecce Rex tuus venit &c. Regem, & Reginam maximis laudibus prosecutus est; finemque suo sermoni imposuit.

D

E

Collatione igitur peracta, & ab omnibus laudata, Sacro sancta Sinodus imposuit Illustrissimo Domino Francisco Zabarella natione Italo Patauino, vtriusque iuris doctori, S. R. E. Diacono Cardinali dignissimo Tituli Sanctorum Cosmæ, & Damiani, omni scientiarum genere, & artibus liberalibus, (quas vocant) præstantissimo, & doctissimo,

Dd 2 ora-

oratoriaque facultate valde decorato, & sine controuersia, omnium Doctorum illius sęculi facilè Principi, vt nomine sacræ Sinodi, nostro Magistro Taxal, regio Oratori responderet. Quod Dominus Cardinalis eleganti, graui & breui stilo fecit, vltimam manum suæ orationi his uerbis addendo; *Exultemus omnes in Domino*, quæ sunt simillima verba primæ Antiphonæ qua vti solet Ecclesia, ad laudes defunctorum. Quasi vaticinari volens, fœlicem amborum tàm Generalis Magistri Taxal Concionãtis, & unionẽ Ecclesiæ procurantis, quam Cardinalis Zabarella respondentis, in eodem Concilio pro eadem caussa obitum. A

Lingua enarrare non sufficit immensos labores, euidentia pericula, & plures longasque peregrinationes, quas pro congregando Concilio Cardinalis Zabarella passus est.
1417. Qui tandem in eodem Concilio Constantiæ die sexta Nouembris huius anni, octuagenarius animam suo reddidit Creatori. Ossa vero eius tot laboribus, senectute, & peregrinationibus humiliata, & contrita in Domino exultabunt. Non minores labores pro eadem caussa, & vnione Ecclesiæ procuranda, ac schismate tollendo passus est Magister Taxal. Sæpe enim (vt ait Magister Gauer in uita huius Magistri) a Benedicto Papa Apostolicus Legatus ad Regem Aragoniæ, a Rege ad Papam, ad Sigismundum Imperatorem, ad Franciæ Regem, & ad alios Principes Christianos Legatus Apostolicus, & Regius Ambaciator destinatus est. B

Eius prudentiam, scientiarum præstantiam, & in rebus agendis dexteritatem Patres cõcilij multùm percolebant, & commendabant. Sed sanctitatem eius, vitæ honestatem, & Religionis probatæ zelum, quo audacter malè acta arguere non timebat, nonnulli patres formidantes, inter se egerunt, vt quęcunq; Archiepiscopatum, vel quasuis dignitates vacantes Magistro Taxal conferrent, & offerrẽt, vt hac occasione, & prætextu discedendi a concilio caussam haberet. Ipse vero tàm Patribus Concilij, quàm multoantea Benedicto Papæ Cardinalitiam dignitatẽ & Galliæ Regi Episcopatum Lugdunensem sibi offerentibus, admittere recusando, respondere (ne videretur in gratus) solebat. Fiat vnio, & pax in Ecclesia Dei, & deinde quidquid Domini mei, mihi imponunt, libenter perficiam. C

Contemplantes, & attendentes Patres Concilij Benedicti XIII. sic in sua obediendientia vocati inauditam obstinationem, qua ipse solus (toto Christiano orbe Constantiensi Concilio parente) dicta, & tantæ Sinodi facta in maximum cõcilij dedecus paruipendere non sinebat, Magistrum Taxal vnà cum præfato Domino Cardinali Zabarella, & Domino Gulielmo Cardinali Sancti Marci, ac alijs grauissimis personis in Iudicem Commissarium elegit, super informatione summaria facienda ad effectum citationis personalis contra Benedictum, & ad alia facienda, vt videre est in actis dicti Concilij. D

Fuit tantus huius Sancti Viri Magistri Taxal in eodem Concilio sanctitatis rumor, & omnium uirtutum fama, ut de eo ad summum Apostolatum post Benedicti depositionem euehendo, inter Patres omnium nationum (præter Italicam) sermo fieret; qui in dies crescebat, & diuulgatur, nonnullis in eo Concilio a nostro Generali Magistro operatis miraculis, quæ Reuerendissimus Magister Zumel in vita huius Magistri commemorat. Inter omnes huius Sancti Viri eximias virtutum laudes, præcipuè Auctores commendant humilitatem eius, qua semper ad honores se reputabat indignum. Bis Magistratu Ordinis se abdicare voluit, sed Ferdinandus Aragonum Rex, & eius filius Alphonsus hoc anno regnans, permittere noluerunt; ne tanto Pastore Religio nostra destituta maneret.

Sed tanto Prælato dignus non erat Ordo. Obijt enim Constantiæ die Sancti Vrbani E
1417. Papæ, & Martyris huius anni 1417. magno sanctitatis odore de se relicto. Vbi honorificentissimo apparatu, & regia pompa (vt Regium Oratorem decebat) fuit tumulatus. Cuius funeri Imperator ipse Sigismundus, Ecclesiæ Prælati, & Principes, ac Regũ Oratores, assidui interfuerunt.

Comes Cardonæ, qui modò est potentissimus Dux, fecit corpus Sancti Viri iuxta quod ipse infirmus ordinauerat (quia noster Ordo in ea ciuitate non habet monasterium) in Ecclesia Ordinis Sancti Dominici, eiusdem ciuitatis collocari, reponi, & Notario, ac testibus præsentibus Priori eius Monasterij in Deposito consignari; quousque Rex, & Regina Aragoniæ, quid de eo esset agendum, decernerent. Vbi ut sanctum venerari, a nõnullis fidedignis uiris, & fratribus nostris audiui,

Pe-

A De sanctitate huius Generalis Magistri veridicum testimonium nonnulli auctores externi perhibent, & omnes nostri Ordinis scriptores; sed vnum sufficiat pro mille, Reuerendissimi simulque doctissimi Magistri Fratris Natalis Gauer, qui eius fuit discipulus, & æqua lance in suis Annalibus dum passim, & breuiter nonnullorum patrum vitas, & gesta describit, nemini blanditur, aut adulatur, sed veritatem nudam nullis coloribus velatam, simpliciter, & sine fuco enarrat. Magister igitur Gauer in commendatione sui Magistri Taxal, his vtitur verbis. Fuit Reuerendus Pater Frater Antonius Taxal, solemnis opere, & sermone, & vita Vir ægregius, Magister in Artibus. & Theologia, qui totum Ordinem re-
B formauit Sanctus creditur apud mundum, & ego sic credo (quia eius fui discipulus) attenta Sancta uita eius. Nunquam enim in uita eius vidi, aut perpendi aliquid, quod esset reprehensione dignum. Hucusque Magister Gauer.

Magister etiam Zumel (vt modò diximus) eius describendo vitam, virum Sanctissimũ, eum appellat, ac nonnulla miracula, quæ per merita eius, Deus operari dignatus est, breuiter collocat. Magister Guimeran Episcopus de Xacca in vita Sancti Gilaberti in tertia parte suæ historiæ § quinto plurimis præconijs sanctitatẽ eius, (alios auctores citando) cõ-
C mendat. Magister similiter Frater Franciscus Andreu Prouincialis Valentiæ, Veridicus Auctor in officio gloriosissimæ Virginis Mariæ de Mercede à se edito, in secundo nocturno sanctimoniam eius commendat, & nonnulla ipsius ægregia opera, Constantiæ gesta, eleganti stilo exprimit. Et hæc pauca sufficiant pro multis à nostris scriptoribus, ad longum allatis.

Sed non sunt audiendi auctores illi, qui ad maiorem huius Sancti viri Commendationem, in patentem lapsi sunt errorem, & a veritate deuiarunt, as-
D serentes Sanctum Virum Taxal vocem in electione Martini Papæ Quinti habuisse, quod falsissimum est. Nam ante huius Summi Pontificis creationem, iam obierat Magister Taxal, vt suo loco dicemus. Tempore huius
E Generalis Magistri de potestate Saracenorum fidei nostræ Inimicorum redempti sunt 443. Christi fideles. Liber. 443.

Cap. XII. In quo agitur de Sancti Ioan. Gilaberti uita, & de eius admiranda morte. Benedictus qui, vt in capitulo præterito vidimus, Raymundi Nonnati sanctitatem declarauit, nostrum Ordinem fauoribus prosequitur, quo deposito Martinus V. eligitur. Fr. Bernardus de Plano Ordinis Magister creatur, confirmatur. Et sanctè obijt.

ER hæc tempora multi sanctitate literisque præstantes viri, nostrum illustrarunt, & celebrem Ordinem reddiderunt. Sed inter eos sicut Sol inter reliquos planetas mirificè refulsit, Sanctus Vir Frater Ioannes Iofrius Gilabertus. Cuius sanctam vitam, ægregios mores, laudabilia gesta, & admirandam mortem enarrare incipio. Fuit proculdubio Hispanus, & ex regno Valentiæ (vt multi ferunt) oriundus, vir & genere, & fama clarus. Sub honesta, ac bona nobilium Parentum custodia, à teneris annis, in sanctis charitatis, & pietatis operibus, se exercuit, & ad bonas artes solerter incubuit. Deinde iuri canonico, & ciuili (ea spe vt ex inde honorabilem in sæculo uitam degere posset.) ita studiosè operam nauauit, ut licentiaturæ gradu, in ea facultate meritò fuerit redimitus. At postea huius sæculi vanitates, eius inanem, ac veluti vmbram, gloriam, quæ ei nocituræ videbantur, declinans, & fugiens, spontè nulloque hominum suasu, in Beatæ Mariæ de Mercede Ordinem (qui iuxta suam bonam indolem, & naturam in charitatis operibus se occupare solet,) se subdidit, ac in Conuentu S. Mariæ de Podio professionem emisit. A B

Religiosus effectus vberrimos breui in Ordine fecit progressus, & ex delicato sæculi milite, strenuus in Religione Imperator, & Dux euasit. De aduersario, & accerrimo humani generis hoste, suis dolosis armis crudeliter insidiante, gloriosus triumphauit, & sua ima humilitate elatam Inimici superbiam calcauit. C

Et quamuis ex obedientiæ præcepto cum hominibus conuersari, & vtriusque sexus confessiones audire cum sæpe oporteret, nihil inhonestum, nihil inuerecundum in suis dictis, & factis uisum est vnquam, ita ut eum libidinem ignorasse omnes faterentur. Refulsit in eo mansuetudo, qua æquanimiter aduersa substinuit, & ad omnes se humilis, & affabilis exhibuit, etiam Inimicos, qui inuidia liuidi famæ in ciuitate continuò adeptæ, ac suis ægregijs operibus valde inuidebant. Quos sanctus vir non toruo vultu, rugataque fronte, sed blandè & benignè ad obscula pacis recipiebat, & remittebat. D

Cum haberet ingenium amplum, & fœcundum, atque ad ægregia, & magni momenti res valde accommodatum, sacræ Theologiæ fructuosè operam dedit, & ad lectionem scripturæ diuine assiduus incubuit. Multis hoc continuo exercitio profuit, & nemini obfuit. Nam lites mouentibus, ad eum vt pote famosum, & in iure peritum pro consilio venientibus, monita salutis dabat, eisque consulebat, ne cum proximis suis litem haberent, sed eam quàm celerrimè finirent. Nam liquidò apparet, quod aliter facientes, res plus, quam proximum suum ament. E

Et sic quotquot ad eum in suis caussis veniebant, non suspensos tenebat, sed statim (ne tẽpus, & rem familiarẽ inutiliter cõsumerẽt,) merita caussæ explanabat eis euidenter, eosq; ad concordiã reuocabat, & eos in pace dimittebat dicens; inter vos filij mei nullæ sint lites, in vobis ipsis, & inter uos pacẽ seruate, & cum moribus pacem habete, & litigate cũ vitijs.

A In scholasticis disputationibus fuit ingenio subtilis, & ad habẽdas è sugesto Conciones paratus. Quod cum Frater Nicolaus Periz Ordinis Magister, eius conterraneus attenderet, sub obedientiæ præcepto iniunxit ei, vt vbique terrarum de Diœcesanorum licẽtia Cõcionem haberet ad populum. In quo munere obeundo, ita insignis, & famosus verbi Dei Cõcionator euasit, ut in tota Hispania diuinum quoddam oraculum, & Nuntius cœlestis haberetur. 1417.

Prædicando tempore quadragesimali Valentiæ ita suis verbis auditores commouit, vt plures tunc Inimicos, & factiones diuersas ad pacem, & cõcordiam inclinauerit, inter eosq; veram amicitiam iniuerit. Inhonestas, & impudicas fęminas, dęmonis laqueos, & Diaboli tendicula ad bonam frugem, & viam salutis, suis concionibus conuertit, ac matrimonio plures ex eis coniunxit.

B Post prandium, Ciuitatis Xenodochia adibat, Infirmos consolabatur, & suauibus verbis, ac bellaribus, seu cibis saccharo conditis, summa charitate eos recreabat, & in discessu Xenodochijs, seu Infirmarijs ęgrotos commẽdabat, & vt erga eos propter amorẽ Dei, tã spirituale, quàm corporale adhiberẽt remediũ, summis precibus exorabat. Maximè dolebat, quod amẽtes & insani per vicos & plateas soluti ambulantes, damna inferrent magna, eosq; importuni pueri insequentes ad maiora damna & amẽtiam prouocarent. Quibus malis remedium opportunum adhibere proposuit in corde suo.

Cum totus in pietatis, & charitatis operibus arderet, nõnulli boni, & zelo accensi ciues, ad cubiculum Fratris Gilaberti venientes, mala quæ in ciuitate fiebant, vt suis Concionibus ea argueret, aut alio salubri pro ipsis tollendis vteretur remedio, referabant, & patefaciebant ei. Inter hos accessit ad eum quidam homo, nõ se a lacrymis abstinere valens, qui dixit ei. Magna est (vir Dei) erga hanc ciuitatem Domini nostri mansuetudo.

C Qui eam nõ destruit, euertit, & ad nihilum redigit, cum de solio sancto suo execrabile detestandumque videat, quotidie perpetrari scelus. Quibus dictis duxit eum extra ciuitatem, & ostendit ei duos, vel tres infantes, quos Parentum inopia, & adulterarum fœminarum malitia, (ne earum crimen patefieret,) lapidibus ad colla ligatos, in fluuium Turulim traiecerant.

Quo spectaculo sanctus perterritus, sic ad ea cadauera conuersus, locutus est. O vos paruuli, & innocentes infantuli, quid mali egistis, quod scelus, delict unue commisistis, ut sic inhumanitèr & impiè, in exordio vitæ, vita spoliati estis? Non potuit esse superbia, omnium uitiorum regina, & elatio uitiosa, quia cum teneritate, & paruitate vestra inferiorem despicere, & a superioribus nolle dominari, minimè compatitur. Non auaritiæ insatiabilis cupido, & ebrietas, omnia deuorans, aliena tollẽs, propria indigentibus denegans, & la-

D tenter oriens in mente, qua uos infantes uti non valetis. Vnde cum nudi fitis, & nudi de vteris matrum vestrarum egressi estis, aliquid illicitè retinere, concupiscere, & ægenti denegare non potestis. Non infernalis luxuriæ ignis, quia immoderatam carnis petulantiam reperiri in vobis repugnat, quia cum mulieribus non estis coinquinati. Non subita iracundi animi tempestas, quæ insaniam gignere solet. Non auidus ciborum appetitus, qui modico, & solo lacte contenti estis. Inter uos inuidia, & contentio, homicidium, aut aliud capitale crimen reperiri nequit, quia estis innocentes.

Si ergo culpa vacatis, quare capitalis pœna, & pœna crudelissima inflicta est vobis, ad imaginem Dei creatis, & pretioso sanguine redemptis? Quid profuit tantum nefas? Sancti Innocentes in exordio nascentis Ecclesiæ a Tyranno, & iniquo Rege, ac à ministris crudelibus occisi sunt; vos vero nõ a Tirãnis, & extraneis, sed a proprijs Parẽtibus, qui uos genuerãt necati estis. Quot modis Sãctos illos Innocẽtes, quos scriptura sacra commemorat

E afflictæ Matres abscõdere, & a Tyrãnica rabie liberare procurabãt; nõ vos sic, sed crudeles matrũ vestrarum manus tanquam malefactores in flumen proiecerũt. Si nihil in Deum, nec in Proximum peccastis, quare ab ipsis Parentibus (qui vos defendere tenebãtur,) inhumanis estis accepti modis? Si genitores vestri graui opprimebantur inopia, quid (quæso) immodicũ superfluũ, & importunũ ab eis exigebatis? abũdantiã forsan in uictu, aut superfluitatẽ in vestitu? Minime gẽtium. Nam vilibus pãnis, & modico lacte cõtẽti eratis. Et sic hęc parua, Parẽtes vobis suppeditare nõ valebãt, aĩo cadere nõ debebãt, sed suã spẽ in patre cęlesti, qui volatilia cęli pascit, & agri lilia vestit, collocare eos oportebat. Hæc cũ dixisset magnũ lacrymarũ fontẽ effudit. Et pro hoc malo reprimẽdo, die sequẽti Dominica prima quadragesimę an. 1409. vt refert Magister Guimeran Epus de Xacca in Ecclesia maiori Cõcionẽ habuit

buit

1417. buit ad populū,(Iuratis & nobilibus ciuitatis pręsentibus,qui eius Concionibus interesse solebāt.) Et magno spiritus ardore grauibusq; verbis inter alia hęc dixisse constat. Magna est profectò erga viduas,pupillos, Pauperes,aduenas, & Peregrinos charitas vestra. Summa solertia promptaq; voluntate & alacritate, quæ per medicos ordinantur, ægrotis, & Infirmis in vestris Xenodochijs suppeditantur; cuius rei sum ego oculatus testis: Sed alijs grauissimis damnis, & non parui momenti indigentijs adhibere opportuna remedia vos oportet. A

In primis quæ paupertas, quæ indigentia & miseria humana, stultitiæ, insaniæ, & dementiæ comparari potest? Dementes, & mentis inopes sunt verè pauperes, & indigentes, pupilli, & orfani, qui per vestram ciuitatem vagantes, a communi mente alieni. pro necessitatibus famis, sitis, nuditatis, & in infirmitatibus suis medicaminum, & alijs indigentijs quas patiuntur, petere elemosinam, & aperire os suum nesciunt. Humi iacent, eosque importuni pueri, & scelesti homines Deum non timentes offendunt, lædut, & percutiunt. Quid vobis dicam, si huiusmodi amentes, & vecordes fœminæ sint, per vicos, & plateas vagantes, deterioris damni occasionem præbent, nam scelerati,& impij homines eis abutuntur. B

Hæc sunt horribilia crimina, quæ euitare tenemini. Sed audite (quæso) aliud pessimum scelus, quod sine intimo cordis dolore dici, vel audiri nequit. Plurimæ sunt in hac ciuitate fęminæ, quæ (ne crimen earum patefiat) filios suos recenter natos, ad imaginem Dei creatos, vt eo in cęlis æternaliter fruantur, lapidibus ad colla ligatos, in fluuium traijcere non verentur. Quæ mala vt deinceps euitentur, necessarium censeo, vt pro his pueris Brephotrophium, vel pro his, & insensatis Xenodochium extruatur. Hæc & alia tam vehementis spiritus feruore ea die e sugesto protulit, vt (Concione peracta,) decem boni ciues suis humeris extruendi Xenodochium, onus imponere voluerint, quorum hæc sunt nomina. C

Ferdinandus Gartia, Iacobus Dominguez, Stephanus de Valentia, Petrus Zaplana, Benedictus Andreas, Franciscus Barcelo, Campus Calbo, Petrus Pedrera, Petrus de Bonia, & Ioannes Armenguer. Quibus Vir Dei ex parte Domini nostri Iesu Christi promisit (si in bono opere perseuerarent) vitam æternam, & quod in parte dextra Iudex viuorum, & mortuorum in die finalis iudicij collocari eos præcipiet. Decretum est deinde, vt ex his decem Viris quædam Confraternitas, & societas erigeretur, quam Summus Pontifex confirmauit, & plurimis fauoribus, & gratijs honestauit. His bonis & fœlicibus initijs inceptum est illud per totum celebre orbem, Generale Xenodochium, cuius ædificij pulchritudinem, magnitudinem, & excellentiam omnes nationes mirantur. In eo erga insensatos vtriusq; sexus pacientia inuenitur voluntaria. Erga Infantes clàm a matribus missos, vt alantur, & deinde bonis moribus imbuantur, eximia refulget cura, & sollicitudo. D

Erga Infirmos quacumque detineantur infirmitate, erga Peregrinos, debiles,& alios afflictos, & ęgentes omnium nationum, singularis resplendet charitas, & munificentia. Ob id Aragonum Reges incipiendo a Martino vsq; ad Philippum III. modò fœliciter regnātem, plurimis priuilegijs, immunitatibus,& fauoribus illud decorarunt,ingentibusq; largitionibus, & donis ditarunt.

Huius igitur famosissimi, & celeberrimi Xenodochij, in quo apprimè charitatis opera exercentur, & cuius caussa plurima mala sceleraq; euitantur, fuit noster Pater, Sanctus Gilabertus Fundator, Institutor, & Rector, ac quādiu vixit Protector. Non immeritò Sanctus Magister Taxal, cognita eius sanctimonia, & in fundatione eius Xenodochij prudentia ad Prioratum Barchinonæ assumpsit eum, fuitque in nōnullis Generalibus Capitulis Definitor, & in alijs principalibus domibus optimus Commendator. E

Sanctus Vincentius Ferrer auctoritate Apostolica Benedicti XIII, qua in amplissima forma fungebatur, cum die quadam suum Conterraneum, & Conciuem, concionātem, & de mundi contemptu loquentem audiret, (nostra religione proclamante, & Fratribus nostri Conuentus de Podio inuitis) illum in suum coadiutorem, & Apostolici muneris, (vt per vniuersum mundum gentibus prædicaret,) in socium elegit. Sed post paucos dies Sancto Vincentio oranti, apparuit Beata Virgo, dicens ei. Vincenti redde filium meum Gilibertum Ordini meo, & Fratribus suis, regressum eius auidè exoptantibus; Nolo enim quod in uia, extra suum Monasterium deficiat. Insuper annunciabis ei imminentem

suæ

A fuæ mortis horam.

Tunc Sanctus Vincentius volens Domini Dei nostri, præceptum, per os fuæ gloriosissimę Matris significatum, executioni demandare, S. Ioannem Iofrium Gilabertum aduocauit, & ab alijs socijs segregauit, dixitq; ei. Fili mi Gilaberte immortales tibi gratias ago, pro beneficio accepto, qui prompta animi voluntate, tuę Sanctæ religionis societatem, & patrię nostræ quietem, meis præcibus acquiescendo, relinquere voluisti, & vnà mecum peregrinari elegisti. 1417.

Sed quia tuæ sanctæ conuersationis, & societatis non sum dignus, tuisq; salutaribus, & perdoctis colloquijs amplius frui non mereo, ac diutius Ordinē tuum, & Fratres tuos cōtristare non fas est; reuertere in domum tuam, quia hæc est voluntas Dei. Sed ante quam a nostra societate discedas, toto animæ affectu, tua confitere peccata.

B Deinde per viam, nō cesses laudare Dominum, qui memor est tui, & videbis mirabilia Dei. Quæ vir Dei opere complere non distulit. Confessus est peccata sua sacerdoti discreto, & docto, (quem in ea Sancta societate sibi elegerat) tanta contritione, & dolore, vt oculi sui non se a lachrymis abstinere valentes, quę crebrę cadebant, linguæ officium præpedirent. Confessione peracta, & a suo sancto Magistro venia, & licentia petita, viam ad Podij Monasterium in nomine Domini suscepit, Angelorum cœtu comitatus. Quorum aliqui vt Nuntij cęlestes, (ut piè credimus) præuenientes, campanas Ecclesiæ pulsauerunt. Quo Commendator & Fratres, videntes fine hominum adminiculo hoc fieri, stupefacti omnes, ad Ecclesiam oraturi se consugerunt.

Post orationem ad templi ianuas exeuntes, non longè sanctum virum Gilabertum, sanum & saluum hilariq; vultu respexerunt. Sed dum ad pedes sui commendatoris (vt Fratres de foris venientes facere solent) genua flectit, & corpus humiliat, animam eius exaltauit Dominus, & eam traxit ad se, (cadauere inter pedes Commendatoris relicto) Statim obitus eius diuinitùs Sancto Vincentio denunciatus est, qui dixit discipulis suis; nūc Frater noster Gilabertus animam efflauit, quam Angeli in cęlum duxerunt. Fuit vir Dei magna devotione, & totius populi, & aliundè frequentia in quodam speciali loco sepultus, & deinde post plures annos, anno scilicet Domini 1585. fuit admirando modo integer repertus. Qui vt sanctus ostenditur, inuisitur, & veneratur. De hoc sanctissimo viro agunt omnes nostri scriptores, & Magister Gauer magnum prædicatorem eum appellat. Agunt ēt de eo nonnulli externi, vt doctissimus Magister Frater Vincentius Iustinianus Dominicanus in vita Sancti Vincentij Ferrer prima parte, c. 11. & nonnulli alij. Sed Magister Guimeran Episcopus de Xacca, vitam eius, & corporis inuentionem (cui se adesse fatetur) ad longum enarrat. *Vincentius Iustinianus.*

D Quia sępe in hac nostra historia de Benedicto Papa XIII. mentionem fecimus, & qualiter Sancti Raymundi festiuitatem celebrandi facultatem nobis concessit, ac etiam bullas & priuilegia eius ad fauorem Religionis nostræ concessa, inseruimus, & duo alia collocanda, & modò inferenda remanent, aduertere oportet, quod sacrum, & Generale Constantiæ Concilium sess. 36. approbauit omnia, & singula ab eo gesta & facta a principio suæ creationis vsque ad diem 18 Iunij sui Pontificatus ann xxiij. Et sequenti sessione 37. habita die 26. Iulij 1417 fuit præfatus Benedictus à Papatu depositus, & schismaticus declaratus per sentētiam diffinitiuam totius sacri concilij, latam, & lectam per Reuerendissimum Dominum Gulielmum Tituli S. Marci, Presbyterum Cardinalem, sub hoc tenore. De vultu eius hoc iudicium prodeat, qui sedet in Throno, & ex eius ore procedit gladius bis acutus

E cuius statera iusta est, & æqua sunt pondera, &c.

Denegata igitur Papæ Benedicto ab Alphonso Aragonię Rege, obedientia, quę veris Romanis Pontificibus dari solet, contulit se Pontifex in arcem Peniscolæ Dertucensis diœcesis, vbi insignia, & nomen non dimisit, & actiones Romani Pontificis vsq; ad mortē exercuit. Cuius miserrimo statu Dominus Ioannes Castellæ Rex, maximè compatiens, ab eo obediētiam nō statim abstulit, & suos Oratores ad Concilium Constantiæ destinare distulit. ob eam causam Pontifex Benedictus nonnullos Cardinales ex eo Regno in gratiam Regis creasse dicitur; inter quos tres ex ordine nostro, fuerūt ad eam dignitatem assumpti. Quorū nomina, auctores. qui Pontificum vitas, & eorum gesta scripserunt, non exprimunt. Sūt autem qui dicunt in hac Cardinalium promotione, fuisse Presbyterum Cardinalem creatū Fratrem Bernardum de Riera, in Sacra Theologia Magistrum. De quo ad annū 1407 mētionem fecimus. Sed cum iste Magister non Castellæ, sed Prouinciæ Aragoniæ fuerit

1417. filius, veriùs iudico nō à Benedicto, sed a suo successore Clemente VIII. Antipapa, natione Aragone fuisse Cardinalem electum cum alijs infimæ conditionis, quos auctores, qui ex professo Romanorum Pontificum gesta scripserunt, incognitos appellāt. Idem Pōtifex Benedictus ad preces Domini Ioannis Castellæ Regis per suum Oratorem porrectas, cōcessit ad fauorem nostri Ordinis duas bullas quarum tenores sequuntur. A

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, exigit deuotionis sinceritas, ac piæ Religionis, sub qua dilecti filij professores Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, virtutum Domino famulatum impendunt, promeretur honestas, vt petitiones suas, illas præsertim, quæ animarum salutem respiciunt, (quātum cum Deo possumus) ad exauditionis gratiam admittamus.

Hinc est quod vos dilecti filij Prouincialis, & Fratres dicti Ordinis Prouinciæ Castellę, & Portugalliæ, secundū morē ipsius, in hac parte deuotis precibus inclinati, eidē Ordini, vt eius Prælati, seu præsidētes, etiam secundu morem ipsius per se, vel alium seu alios quoscūque professores eiusdem, qui sunt & erūt pro tempore, a quibuscunque excōmunicationum sententijs a iure, vel ab homine generaliter promulgatis, si quas incurrerint, & ipsos incurrere contigerit in futurum in casibus Fratrum Mendicantiū ordinibus generaliter concessis, si hoc humiliter petierint, in forma Ecclesiæ consueta, auctoritate Apostolica absoluēdi, necnon cum eisdem professoribus super irregularitate, seu irregularitatibus si quam vel si quas huiusmodi ligati sententijs, celebrando diuina, vel immiscendo se illis, (non tamē in contemptum clauium) contraxerint, prout huiusmodi Fratrum Mendicantium ordinibus est permissum, eadem auctoritate dispensandi, eligēdi quoq; ex eisdem professoribus, quos voluerint, qui Prelatos, seu Præsidentes huiusmodi in eisdem casibus absoluere, & secū dispēsare valeant, (vt præfertur) plenam, & liberam cōcedimus tenore pręsentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cōcessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Peniscolæ Dertusensis Diœcesis, quinto idus Martij Pontificatus nostri anno 23. B C

Benedictus Episcopus seruus seruorū Dei, venerabili Fratri Episcopo Legionen̄, & dilectis filijs Sancti Saturnini Tholosanen̄, ac Populeti Tarraconen̄ Abbatibus salutē, & Apostolicam benedictionem. Viri sub religionis habitu Domino famulantes, Apostolicis debent præsidijs cōmuniri, vt eo deuotius, & quietius valeāt diuinis vacare obsequijs, piumq; opus eis commissum facilius, & vtilius exercere, quò a Peruersorum conatibus conspexerint se defensos; interest nostra eis, super his de opportunis remedijs prouidere.

Sanè dilectorum filiorum Magistri, Prouincialium, ac Præceptorum, commendatorū cōmuniter nuncupatorum, & Fratrum Ordinis Beatæ Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum conquesthione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, alijque Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ, quàm seculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, nobiles, & laici, communia ciuitatum, vniuersitates oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & aliæ singulares Personæ Ciuitatum, & Diœcesum, & aliarum partium diuersarum occupant, & occuparunt, & occupari faciunt castra, villas, & loca alia, terras, domos, possessiones, iura, iurisdictiones, nec non fructus, census, redditus, & prouentus dicti Ordinis, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia ad eosdem Magistrum, Prouinciales, Pæceptores, & Fratres expectantia, & ea detinent indebitè occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem; nonnulli etiam Ciuitatum, Diœcesum, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, res & bona ad ipsos communiter, & diuisim, pro, seu ratione Redemptionis Captiuorum, & aliàs expectantia, vsurpant, occupant, & occultant, & super illis, ac etiam aliàs eosdem Magistrum, Prouinciales, præceptores, & Fratres diuersis, & grauibus iniurijs, violentijs, & Molestijs, in diuersis mundi partibus perturbare, & affligere non verentur; nos eorundem Magistri, Prouincialium, Præceptorum, & Fratrum prouidere quieti, & malignorum conatibus obuiare volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, vel alios etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis Conseruatores, & Iudices, eisdem Magistro, Prouincialibus, Præceptoribus, & Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos a prædictis, vel quibusuis alijs super præmissis, seu ratione ipsorum, vel alias, indebitè molestari, D E

vel

A vel eisdem damna, violentias, iniurias, vel molestias irrogari; facturi eisdem Magistro, Prouincialibus, Præceptoribus, & Fratribus, cum ab eis, vel Procuratore, aut procuratoribus eorum fueritis requisiti de prædictis, & alijs personis quibuslibet, de quibuscunque molestijs, violentijs, iniurijs atque damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, in alijs vero prout qualitas negotiorum exegerit iustitiæ complementum. Molestatores, præsumptores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscunque dignitatis, status, Ordinis, vel conditionis extiterint, (etiam si pontificali præfulgeant dignitate) quandocunque & quotiescunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

Non obstantibus tam fœlicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prędecessoris nostri,
B in quibus cauetur, ne quis extra suam ciuitatem, & Diœcesim nisi certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam a fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur; seu ne Iudices, & Cōseruatores à sede deputati prædicta, extra ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alij, vel alijs vices suas committere, siue aliquos vltra vnam dietam à fine Diœcesum eorundem trahere præsumant; seu quod de alijs, quam de manifestis iniurijs, violentijs, & alijs, quæ iudicialē indaginē exigunt, pęnis in eos si secus egerint, & in id procurantes, & indictis Conseruatores se nullatenus intromittant. Et de duabus dietis in Concilio Generali dummodo vltra tres dietas aliquis extra suam ciuitatem, & Diœcesim auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, quam alijs quibuscunque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tàm de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quàm personis vltra certum numerum ad iudicium
C non vocandis, aut alijs editis, quæ nostræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare. Seu si aliquibus coniunctim, vel diuisim à Sede Apostolica sit iniunctum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum personis locis, ordinibus, nominibus proprijs, mentionem; & qualibet alia dictæ sedis Indulgentia generali, vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impedire, & de qua, eiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Cæterum volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet vestrum pro-
D sequi valeat articulum, etiā per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus. Quodque a datis præsentium, sit vobis, & vnicuique vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis cęptis, & non cęptis, præsentibus, & futuris perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque facultate possitis in præmissis, & eorum singulis cęptis, & non cęptis, præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cępta fuissent, & iurisdictio vestra, & cuiuslibet vestrum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, vel modū alium perpetuata legitimè extitisset. (Constitutione prædicta super Conseruatoribus, & qualibet alia in contrarium edita non obstante.) Datus Peniscolę Dertusensis Diœcesis, quinto idus Martij, Pontificatus nostri anno xxiij. 1417.

Nulla alia priuilegia Benedicti XIII. in hac nostra Chronica collocabimus, quia hoc
E eodem anno (vt modò diximus) die 26. Iulij, fuit hic Pontifex a Sacro Concilio Constantiæ depositus, & omnia gesta, & facta per eum, post hanc depositionem, nullā habent roboris firmitatem.

Petro igitur de Luna quondam Benedicto XIII. appellato, per concilij Patres a solio Papatus sublato, decreuerunt idem patres ad nouam Summi Pontificis creationem procedere.

Et vt debita, & indubitata auctoritas (vt fas est) ab omnibus nationibus eidem sacro concilio redderetur, nullaque deinceps natio Pontificem eligendum posset in minimo calumniare, sed pro vero Christi Vicario vbique terrarum haberetur, statuerunt concilij patres quod quælibet natio (quæ quinque erant Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, & An-

glica) sex eligeret Personas Ecclesiasticas, seu Religiosas, in sacris ordinibus constitutas. A
Quæ triginta personæ per eas quinque nationes electæ, vna cum Dominis Cardinalibus ibi præsentibus numero 28. Summum Pontificem eligendi, & creandi pro illa tantũ vice votum haberent. Qui quinquaginta octo electores conclaue ingressi, in summũ Pontificẽ
1417. elegerunt 3. idus Nouembris eiusdem anni Othonem de Columna, natione Italum, patria Romanum, & Diaconum Cardinalem Sancti Georgij in velabro; qui ob honorem Sancti Martini in cuius fęstiuitate fuit electus, Martinus eius nominis quintus, dici voluit; qui nostro Ordini plurima concessit priuilegia, vt suo loco dicemus.

Hoc eodem anno Frater Iacobus Aymerich Barchinonæ Prior grauissima laborans Pituyta, vt malignitati morbi occurrere, & imminentem mortem euadere aliquo salutari remedio valeret, vouit Sancto Iacobo, Apostolo Domini, Hispaniarumque patrono, suo ab incunabulis aduocato (in cuius honorem parentes eius, cum ipso nutricis lacte, sibi nomen Iacobi imposuerant,) vt si a præsenti liberaretur angustia, se personaliter sanctissimum corpus eius, inuisurum. Sed ecce (voto emisso) septima morbi die, melius haberi cæpit, & ad pristinam restitutus est sanitatem. Et ne tanti beneficij accepti immemor videretur, Compostellam ad votum soluendum proficiscitur. Et dum est in via, & Compostellam tendit, accidit Constantiæ fœlicissimus Sancti Generalis Magistri Taxal obitus. B

De quo & de absentia Prioris Frater Antonius Dullan Cæsaraugustæ Commendator, certior factus, nescio quo iure, quauè auctoritate, non expectato Priore, qui propediem venturus ferebatur, aliquorum Fratrum suæ factionis suffultus, Ordinem regere decreuit. Et vt voti compos euaderet, ex ea hora Vicarius Generalis, (Magistratu vacante, & Priore in peregrinatione ad Sanctum Iacobum, vt ipse dolosè seminabat defuncto) nominari cępit. C
Sumpto hoc falso titulo nonnullis suæ seditionis Fratribus comitatus, ad Regem Alphonsum accessit, dixitq; ei. Post mortem Magistri Taxal, vestræ maiestatis Oratoris, & nostri Ordinis Generalis Magistri, nostra Religio suo vero Rectore destituta remãsit; & Prior Barchinonæ, qui toto vacationis tempore, vsque ad nouam magistri electionem, Ordinem regere debebat, in peregrinatione ad Sanctum Iacobum non procul a Compostella similiter obijt; vnde ad me, ut pote Commendatorem principalioris domus vestri Dominij, Ordinem regere spectat. Supplico ergo tuæ maiestati, quatenus tuum fauorẽ, vt ad Magistratum ascendere valeam, mihi impendere, non dedigneris.

At prudentissimus Rex (cognita postulantis ad supremã Ordinis dignitatẽ insufficiẽtia,) nolẽs eum contristare, sed suauiter ab hac sua prætensione semouere, memoriale, seu supplicationem sibi porrectam Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Tarraconensi, cognominato Garrias integerrimæ famæ, magnæ prudentiæ, & inculpabilis vitæ viro remisit. D

Archiepiscopus igitur bene informatus, & de hac re per nonnullos zelatores nostri Ordinis Fratres ad satietatem edoctus, accito Fratre Antonio Dullan, grauibus uerbis dixit ei. Honorem quem obtinere exoptas, & anxiè petis, non ad te quærentem, & petentem, sed ad totam Religionem indigentem petere attinet; ideo dico tibi, quia nescis quid petas. Poteris ne cathedram ascẽdere, quam sanctissimus Magister Taxal, decus Hispanię, & tui Ordinis iubar, cũ communi morte cõmutauit, & in tãti viri locũ sufferri? Cui Frater Dullan cõfusus, & perturbatus nullũ dare respõsum ausus est. Deinde Archiepiscopus ex pectore suo literas regias extraxit, easq; perlegit, dicens ei. Vt ex his literis quas ad me adduxisti, colligere potui, te rex fauoribus prosequi vult, sed Religionis honorem, & decorem suę protectioni demandatæ, tuæ cupiditati, & desiderio (vt fas est) anteponit. E

Si proponas igitur suę Serenissimæ Dominationi aliquem tui Ordinis Fratrẽ, vitę integerrimę, prudẽtia, ac religionis zelo cõspicuum, & in regimine versatũ, tuis proculdubio Rex votis annuet. Quibus auditis vidẽs Dullan, quod hac via ad Magistratũ Ordinis ascẽdere nõ valebat, cępit intra se tacita cogitatione perpẽdere aliquem Religiosum Regi proponere, qui licet esset bonę opinionis, in regimineq; expertus, posset eũ de facili hoc beneficio obligatũ, & deuinctũ ad sua desideria attrahere. Ob id Regi pręsentauit honorabilẽ virũ Fr. Bernardũ de Plano, Generalatũ Ordinis, neq. optãtem, neq. procurãtem. In cuius potestate Fr. Antonius Dullan deposuit oĩa bona Generalis Magistri defuncti, & recessit a Titulo vicarij Generalis, quo fraudulẽter vtebatũ. Dum hęc agebãtur, ecce incolumis, & sanus apparuit Bar

chi-

A chinonę Prior; qui schisma in Ordine inueniens, & Magistri defuncti bona, quę in Hispania reliquerat, sublata esse agnoscens, conuocauit, & citauit omnes definitores, & electores ad futuram Magistri Generalis electionem Barchinonæ faciendam die 3. Nouembris 1417. 1417.

Ea igitur die omnes vocem in electione Magistri habentes ad nostrũ Barchinonę Monasterium peruenerunt; Et inter eos adfuit F. Antonius Dullan literis Regis ad fauorẽ Fratris Bernardi de Plano bene munitus. Et licet omnes Fratres ibi Congregati, eundẽ Barchinonæ Priorẽ in Generalẽ eligere, antea decreuissent, nihilominus tamen postquàm literę regię præsentatę, & lectę fuerunt, sententiam mutarunt, (& iuxta Domini Alphonsi V. Aragonum Regis voluntatem expressam) in Generalem Magistrum elegerunt Fratrem Bernardum de Plano natione Gallum, Gasconem, filium Conuentus Tholosæ. Quæ omnia patue-
B runt per instrumentum auctenticum, inuentum in actis disereti viri Petri Graniana publici Barchinonæ Notarij. Quæ electio Alphonso Regi, (licet in persona alienæ nationis facta,) fuit valde multũq. grata. Ob eam caussam ad suum Oratorem Constantię cõmorantẽ statim scripsit, præcepitq; ei, vt nomine suo regio Summum Pontificem Martinum Papam Quintum alloqueretur, & pro confirmatione Generalis Magistri de Mercede, (cuius ordinis ipse Rex erat patronus, & protector) canonicè, ritè & rectè electi supplicaret, & instaret.

Orator regius literas cum testimonio Capituli Generalis, confirmationem similiter petẽtis, recepit dominica die infra octauam Natiuitatis Domini eiusdem anni 1417. Et die sequenti Summum Pontificem allocutus, memoriale cum præfato testimonio capituli, nomine Regis Papę porrexit. Quem Oratorem gratiosè, & benignè Põtifex recepit. Et aduocato Domino Antonio de Calanco Gallo Archiepiscopo Lausanensi, vulgariter appellato Cardi-
C nali Sanctæ Cicilię, qui parũ distabat, dixit ei. Videat tua Dominatio, quid charissimus filius noster Alphonsus, a nobis petat; nam petitionibus suis annuere vehementer optamus. Post paucos dies Cardinalis Sanctæ Ciciliæ ad Pontificem reuersus, de Generali Magistro electo bene retulit, cumq; coram Sanctissimo, & plurimis, qui aderant Prælatis, Summis laudibus commendauit. Qua relatione præcedẽte, electionem Generalis Magistri Plano Summus Pontifex confirmauit; eiusque confirmationis Bullæ tenor talis est.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio nostro Bernardo de Plano Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Generali Magistro, salutem, & Apostolicæ sollicitudinis studium. Circa diuersa, quæ agenda nostris incumbunt humeris, est illud potissimum, vt circa statum Ordinum quorumcunque, illorum maximè, qui pastorum regimine sunt destituti, sic sollicita diligentia intendamus, quod Ordines ipsi per nostræ operationis studium,
D nostri fauoris superni auxilio suffragentur præseruante a noxijs, & prosperitatis votiuæ successibus gratulentur. Dudum si quidem Magistratu Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Captiuorum per obitum quondam Antonij Magistri Generalis dicti Ordinis, in Ciuitate Constantiæ, Prouinciæ Magontiñ., sacro in ea durante, &cæt. Dilecti filij electores Generalis Magistri dicti Ordinis, ad quos ipsius electio secundum eiusdem Ordinis instituta, & aliàs de antiqua, & approbata, ac hactenus pacificè obseruata consuetudine pertinet; vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt electioni huiusmodi commodè interesse, (die ad electionem præfixa, vt moris est) conuenientes in vnum; te tunc præceptorem domus Perpiniani dicti Ordinis Helneñ diœcesis, Bacchalaureum in Decretis, Ordinem ipsum expresè professum, & in sacerdotio constitutum, in dicti Ordinis Generalem Magistrum, concorditer via Spiritus sancti elegerunt.
E Tuque postmodum electioni huiusmodi, illius tibi præsentato decreto consensisti, ac per nos auctoritate Apostolica confirmari petisti, in his omnibus statutis a iure temporibus obseruatis.

Nos igitur post priuationem Petri de Luna, tunc Benedicti XIII. nuncupati ab huiusmodi iure, quod habebat in papatu, firmius diuina fauente clementia, licet immeriti ad summum Apostolatus apicem assumpti, electionem ipsam, tuæque personæ idoneitatem, & merita per dilectum filium nostrum Antonium Sanctæ Ciciliæ Presbyterum Cardinalem examinari fecimus diligenter.

Et quia facta nobis per ipsum Cardinalem super hoc relatione plenaria, & fideli, electionem ipsam inuenimus de persona tua, (de qua apud nos de Religionis zelo, vitæ, ac morum hone-

honestate, & alijs multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur,) fore canonicè celebratam, eandem electionem (etiam si prouisio huiusmodi Magisterij fuerit hac vice dispositioni Apostolicæ reseruata) auctoritate Apostolica confirmamus; præficiendo te ipsi Ordini in Generalem Magistrum; curam & administrationem dicti Ordinis tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; in illo, qui dat gratiā, & largitur præmia confidentes, quod (dirigente Domino actus tuos,) præfatus Ordo per tuæ industriç, & circumspectionis studium fructuosus regatur, vtiliter, & prosperè dirigatur, grataq; in eisdem spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementa. A

Quo circa discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis dicti Ordinis, deuotè suscipiens, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam studiosum, quod Ordo ipse gubernatori prouido, & fructuoso administratori gaudeat se commissum. Tuque, præter æternæ retributionis præmium, nostrā, & prædictæ Sedis Apostolicæ gratiam, & benedictionem eandem, vberius consequi merearis. B
Datis Constantiæ 7. idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno 1.

Hanc copiam bullæ confirmationis Generalis Magistri Fratris Bernardi de Plano, Ro-
1418. mæ extraxi de verbo ad verbum ex Tomo quodam manu scripto bullarum, & Apostolicarum literarum, ad fauorem, & instantiam Regum Hispaniæ, per viam secretam concessarum. Qui Tomus cum alijs (quos legere, & in mea potestate quantum mihi fuit opus habere merui) asseruatur modo in palatio Oratoris Catholici apud Summum Pontificem.

Generalis Magister acceptis suç confirmationis Apostolicis literis, gratias pro tanto beneficio Domino Alphonso Aragoniæ Regi immortales egit. Et iuxta Summi Pontificis mentem continuò supra Ordinem suæ curç commissum diligenter vigilare, eumque reformare cępit. Ob id in villa Vergæ in fęstiuitate Penthecostes eiusdem anni 1418. Comitia Generalia celebrauit. Vbi inter alios (vt ait Magister Gauer) interfuerunt doctissimus C
1418. Pater Fr. Bartholomæus Celsores Decretorū doctor (de quo superius mentionem fecimus) qui hoc anno erat Vicarius perpetuus Sanctæ Mariæ Podij Valentiæ. Frater Antonius Dullan Bacchalaureus in Decretis, Commendator Cæsaraugustæ; Frater Guilelmus Cami Commendator Valentiæ. Ex Regnis Prouinciæ Castellæ, & Portugalliæ Frater Martinus de Guadalaxara, qui in absentia sui socij duas habuit voces. Omnibus igitur capitulariter Congregatis Generalis Magister suæ confirmationis Bullam (vt Summi Pontificis mēs innotesceret) clara intelligibilique voce legi pręcepit. Qua lecta attenteq; audita, in hæc Magister prorupit verba.

Proprium Religiosorum munus est, Deo in humilitatis spiritu seruire. Nihil magis pacem, & Religionis quietem perturbat, quam si pro Regularibus negotijs, præsertim pro electionibus futuris ad Ecclesiasticas personas quacumque refulgentes dignitate, & multo minùs ad Supremos Reges, & terræ Principes recursum habeamus. Memoria retinete (quęso) quæ opprobria, incommoda, & irrisiones noster Ordo hisce diebus sustinuit, tempore xiiij. ordinis Magistri Tahust, præteritaque schismata, & diuisiones ad memoriam reuocate. Ecclesiasticos Principes, & Serenissimos Reges fastidiosis rebus molestare, & importunis negotijs afficere, (quorum fauore ad maiora, & nostri Ordinis decorem in dies indigemus) fas non est. D

Deinde omnes summo charitatis feruore ad Redemptionis opus excitauit, & plurimis exemplis commouit. Vnde post celebrationem Capituli, Prouinciales, & domorum Commendatores collectas pecunias Redemptoribus suis pro suo munere explendo consignarunt. Frater Dominicus Duegnas Prouinciæ Castellæ, & Portugalliæ Redemptor E
ex locis in Vandalia per Mauros, & Saracenos possessis 109. redemit Christi fideles.
Liber. 109. Magnam similiter Prouinciæ Regnorū Aragoniæ, & Franciæ solertiā in tanto opere adhibuerunt, nam Frater Raymundus de Ruppe, Commendator Montis Pessulani, & Frater Martinus de Lisso, Vicarius perpetuus Montisfloret, harum prouinciarum Generales Redēptores (ingenti pecuniarum summa collecta) ex ciuitate Bugiæ, & alijs Africę locis rede-
1419. merunt hoc anno 1419. ducentos & triginta septem Christi fideles, quos incolumes ad ca-
Liber. 237. tholicorum terras fęliciter duxerunt.

Frater Antonius Dullam Commendator Cæsaraugustæ, verborū illorum, quæ Magister Ordinis, tàm sibi quàm reliquis definitoribus, in generalibus Comitijs proposuerat, immemor

A mor omnino effectus; multa ab eodem Magistro sibi concedi petebat; facultatem videlicet Monasteria Castellæ,& Portugalliæ visitandi; capitulo futuro in Gallia celebrando præsidendi; & alia huiusmodi, & similia munera auctoritatem, commodūq. coniunctim habētia exercendi. Sed nihil aliud, quam commendam Perpiniani, (cuius ipse Magister Commendator erat, quādo ad Generalatum fuit assumptus) obtinere ab eo potuit. Quo Frater Dullan męstus nimis remanens, quid faceret nesciebat, nam bonæ famæ Magistri detrahere, vel eius magnam æstimationem in minimo lędere (etiam si uellet) non valebat. Ea de caussa furore,& indignatione plenus, contra modestiam, ac obseruantiam suo superiori, & Ordinis Magistro debitam accedens ad eum, dixit ei. Maledictus homo, qui confidit in homine. Arbitrabar ego te ad meam continuam instantiam, minacibus nostri Regis Alphonsi literis, ad supremam Ordinis dignitatem assumptum, mihi semper omnibus die-
B bus vitæ tuę fore benignum, & omnia licita, & honesta ad quæ me idoneum reperires, à te contēdenti, libenti animo,(ne in animi ingrati vitium incideres,) concessurū,& a te sum modò seductus, & deceptus. Deficiebant ne nostris Hispaniç Prouincijs benemeriti de generalatu Viri, scientia prętantes,& honestatis candore, bonisque moribus patres condecorati? His igitur omnibus te natione Gallum contra patriam gentemq; meam antecellere volui. Agnoscebat te prius, (dic mihi) Rex noster Alphonsus, vt te honestare, & in tui fauorem Summo Pontifici scribere toto animi pectore vellet? Ego ipse solus, & non alius vt tanto honore potireris, animum Regis inclinaui; & pro tot beneficijs acceptis tuas mihi roganti obturare non desinis aures. Si ergo sentis beneficium, redde debitum. Cui Magister Ordinis, & bonus Pastor suauibus verbis sic respondit. Soli Deo honor, & gloria debetur. Ipsi soli me obligatum sentio; & cogitationes tuę (si à te Magistratum me accepisse putas) vanę proculdubio sunt. Nam Domini fuit assumptio nostra, non Regum
C terrę, sed Sancti Israel Regis nostri. Ipse me abiectum, & indignum de media plebe exaltauit. Scit Deus, cui intima cordis patent, quod de Magistratu non curabam, sed Magister effectus, & per sedem Apostolicam confirmatus, dùm cogito ante tribunal Iesu Christi Domini nostri, recti Iudicis de ministerij huius impletione me exactam rationem redditurum, non possum non sicut iusta petentibus largitor gratiosus, sic immodica importunaq; procurantibus inexorabilis esse.

Tunc Frater Antonius Dullan confusus valde, omnē planè spem abijciens, non amplius ausus est Magistrum molestare. Sed omnis sui desiderij, & exaltationis expectationem in Rege Alphonso reponendo, Tholosam se contulit, vt in ea vniuersitate Doctoratum accipiens, posset de facili fauore regis Episcopatum obtinere, sed eius euanuit spes. Hac singulari prudentia,& animi constantia Magister Plano Religionem regebat, & oues Pasquæ
D suę bonus Pastor agnoscebat,(cunctis mirantibus.) Nam vt ait S. Gregorius Nazian. In Apolog. ars artium,& disciplina disciplinarum est hominem regere, qui inter omnes animātes est maximè, & moribus varius, & voluntate diuersus. Has varias & diuersas subditorum suorum voluntates, mores, & prętensiones prudenter, & suauiter Magister Plano conciliabat. Vnde Religio ipsa tanto bono Pastore gloriabatur, & in dies magis, ac magis crescere augmentumque suscipere maximè, ac largiores, & vberiores habere sperabat prouentus.

Sed inimica,& irrefragabilis mors, quę cuncta destruere, vniuersa turbare, & vincere solet omnia, aggressa est Generalem Magistrum Fratrem Bernardum de Plano. Quem speciali dono Dei neque vicit, neque turbauit, qui bene paratus,& fortiter Ecclesiæ Sacramentis armatus, conflictum eius expectabat; imo exoptabat, vt Sarcina corporis deposita
E triumphator in cœlum euolaret.

Dùm igitur Perpiniani Monasterij visitationi est intentus, in grauissimum, & læthalem incidit morbum; quem vt suæ diù optatæ migrationis nuntium lætus suscepit. Nihil quod Sanctum, timoratum, fidelem, & Catholicum Religiosum decet in ea infirmitate præter misit. Sæpe Deum Creatorem suum, Virginem Mariam Patronam,& S. Martinum Ecclesiæ Titularem, S. Bernardum aduocatum suum, & alios sanctos in suum auxilium inuocabat. Et cum perderet loquelam, hoc idem signis significauit. Obijt hoc anno 1419. duodecima mensis Ianuarij, sui Magistratus anno secundo nondum expleto; ibique honorificentissimè sepultus. Tempore huius Generalis Magistri de potestate Inimicorum nostrorum liberati sunt, in duabus redemptionibus 346 Christi fideles. 1419. Liber. 346.

Cap.

Cap. XIII. Eligitur xvij. Magister, ad cuius supplicationem Pontifex plurima priuilegia Ordini concedit. Dullan Prior eligitur. Obijt Benedictus XIII. cui succedit Clemens VIII. Antipapa, quo se abdicante, cessat omnino schisma. Magister obijt; & celebre duorum Redemptorum describitur martyrium.



SVBSECVTO Generalis Magistri Fratris Bernardi de Plano obitu, eiusq; exequijs religioso more celebratis; Tunc Frater Ioannes de la Mata, Pręsidens Conuentus Perpiniani natione Gallus Gasco, obitum Generalis Magistri denunciauit per suas literas non Priori Barchinonæ, cui fas erat, & de iure tenebatur, vt pote (Magistratu vacante) Vicario Generali, sed Fratri Antonio Dullan, eius domus Commendatori; (qui hoc nuntio audito) libris, & literis (ad quas vt Doctoratu Tholosæ decoraretur, incumbebat) vale dicens, nulla interposita mora, suos Perpinianum gressus direxit. Et cum esset eius domus Dominus, liberè & fine cōtradictione spolia, & sigilla Generalis Magistri defuncti diripere potuit. Et somnians, seu fingens se esse Generalem Ordinis; nomen & titulum Magistri Generalis vsurpauit. Quo non contentus in peiora ruens, socios Magisterij, & alios officiales instituere, & creare non erubuit. A B

Et hoc fraudulento titulo, & Magistratus vmbra Barchinonam peruenit, & Monasterium Sanctæ Eulaliæ ingressus est; ea spe vt si in eo Conuentu, qui est totius Ordinis Caput suaues, & beneuolos inueniret receptores, suique dolosi tituli corporalem reciperet possessionem, facillimo negotio a reliquis Ordinis Monasterijs, & membris prompta sibi, & sine obstaculo præstaretur obedientia. Quæ vt ad libitum, & desiderium suum omnia euenirent, fecit per suos officiales, & delicti socios, inter Fratres Conuentuales spargere, & diuulgare, quod Martinus Papa V. ad supplicationem Domini Alphonsi Aragonum Regis Magistrum Ordinis elegerat eum. Cui astutiæ, artificio tectæ nonnulli eius domus, infimæ conditionis Fratres, fidem imprudentèr & stultè adhibentes, Fratrem Antonium Dullan, vt Apostolica auctoritate creatum, in Magistrum Ordinis receperunt. Prior vero & proceres, ac Principaliores Patres, qui agnoscebant, eum esse nimis superbum, friconem, fallacem, dignitatum appetentem, & litium amatorem, dixerunt ei; ostende nobis Summi Pontificis bullam, vel aliud quid auctenticum, & credemus tibi. Sed cum nihil fide dignum ad rem faciens demonstraret, nec produceret, nullam eius dictis fidem adhibere voluerunt. Ipse vero in sua obstinatione perseuerans, secreto modo Florentiam vbi erat Curia Romana præfatum Fr. Petrum de Lamata, suum Procuratorem pro impetrando Ordinis Magistratu destinauit. Quæ non potuerunt ita secretò fieri, quod de eis Prior Barchinonę notitiam nō haberet; qui similiter ad eandem Curiam, vt Fratri Antonio Dullan eiusque Procuratori contradicerent, & reclamarent, misit Fratrem Raymundum de Ripe Montis Pessulani Commendatorem, & socium eius Fratrem Gabrielem de Ztorij. Hi igitur Prioris Barchinonæ Procuratores opportuno tempore Florentiam peruenenerunt, & coram Sanctissimo Martino Papa V. comparentes, memoriale porrexerunt ei, in quo conquerebatur de præfato Dullan, qui regio fauore suffultus Ordinem perturbare habebat de more, & Monasterium Barchinonæ in duas factiones diuidendo, electionem futuri Generalis Magistri retardabat. Quod memoriale Sanctissimus Pontifex remisit Fratri Ioanni Martinio Murillo Canonico Regulari, & Abbati Monasterij Montis Aragonum S. R. E. Presbytero Cardinali a Benedicto XIII. creato, sed mense Martij eius anni C D E

A nni 1419. a Martino Papa V. collegio suorum Cardinalium ascripto.

Pontifex igitur Martinus audita Cardinalis Murilio relatione, præcepit quod cõstitutiones Ordinis, & laudabilis in electione Generalis Magistri consuetudo hucusq; seruata, executioni demandarentur, grauibus pœnis in cõtradictores, & repugnantes inflictis. Dũ hæc in Curia Romana agebãtur, Prior Barchinonæ de suorũ sequacium Consilio, vtpote (Magistratu vacante) Vicarius Generalis totius Ordinis electores, & definitores vocem habentes citauit, & conuocauit ad electionẽ noui Magistri Barchinonæ faciendam, præfigẽdo eis pro celebrationis die, 8. Aprilis, eiusdem anni 1419. Electores Castellæ per literas Priori se purgarunt, & excusationem afferentes, in scriptis voces suas dederunt Religioso viro Fratri Bartholomæo Celsores, quem tanto munere dignum semper iudicarunt. Præfata igitur die definitoribus reliquarum Prouinciarum Capitulariter Congregatis, fuit missa Spiritus sancti solemniter decantata, & gratia eius inuocata. Et cũ deueniretur ad electionẽ de vnanimi consensu in Magistratũ Generalẽ electus est ipse Barchinonæ Prior, Fr. Iacobus Americh, natione Hispanus, patria Barchinonẽsis; qui laudabiliter per annos vndecim prioratũ rexerat. Electus igitur in suum socium elegit discretum virum Fratrem Ioannem Ferrarij. Deinde scripsit suis Procuratoribus Florentiæ ubi erat Curia Romana commorantibus, vt a sua Beatitudine confirmationem sui magistratus impetrarent. Quam Summus Pontifex non solum confirmauit, sed ad supplicationem eiusdem Magistri plurima priuilegia, & gratias concessit; & in primis quod Magister ordinis altare portatile deferre posset. Cuius bullæ tenor talis est. 1419.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei; dilecto filio Iacobo Aymerich Ordinis B. Mariæ de Mercede, Captiuorum, Generali Magistro salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romam geris Ecclesiam, non indignè C meretur, vt petitionibus tuis, illis pręsertim, quas ex deuotionis feruore prodire cõspicimus, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis deuotis supplicationibus inclinati, vt liceat tibi (qui presbyter es) habere altare portatile cum debita reuerẽtia. Super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis celebrare possis, seu per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum missam, & alia diuina officia (sine iuris alieni præiudicio) in tua, & familiarium tuorum domesticorum præsentia, facere celebrari deuotioni tuæ tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Florentiæ 15. Cal. Iunij. Pontificatus nostri anno secundo. Concessit etiam idem Pontifex alias bullas valde fauorabiles, quarum tenores sequun- 1419.
D tur, & tales sunt.

Martinus Epus seruus seruorũ Dei venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Tarraconeñ, & Magaloneñ, ac Abuleñ Episcopis, salutem, & Apostolicam benedictionẽ. Sincerę deuotionis effectus, quem dilecti filij Magister Generalis, & Fratres Ordinis B. Marię de Mercede, Captiuorum, ad nos, & Romanã Ecclesiam gerunt, non indignè meretur, vt ad illa fauorabiliter intendamus, quæ eis fore conspicimus opportuna. Exhibita siquidem nobis pro parte dictorum Magistri, & Fratrum petitio continebat; quod licet ipsi de antiqua, approbata, & hactenus pacificè obseruata consuetudine in Aragonię (cuius Reges fundatores dicti Ordinis extiterunt) neq; non Franciæ, Castellæ, & Portugalliæ, & Nauarræ prouincijs, & Comitatu Prouinciæ, ac certis alijs partibus, pro charitatiuis elemosynarũ subsidijs, ad opus redemptionis Captiuorũ, & alia eidẽ ordini pro tẽpore incũbentia onera supportãda, E petendis, Fratres, aut Nuntios suos mittere consueuerint; & idem Fratres, & Nuntij absq; impedimento, & cõtradictione quibuscunq. ad id recipi, & admitti soliti sint; tamẽ nonnulli locorum Diœcesani, & officiales eorum, ac Religiosi exempti, & non exempti eosdẽ Fratres, aut Nuntios ad petenda subsidia elemosynarum huiusmodi in eorũ ecclesijs admittere nolunt; quinimò eos super his impedire præsumunt; quare pro parte dictorum Magistri, & Fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, vt prouidere ipsis Magistro, & Fratribus super hoc de opportuno remedio dignaremur.

Nos igitur intẽdẽtes Magistrũ, & Fratres pdictos fauoribus gratiosis psequi, in ea parte huiusmodi supplicationibus inclinati volumus, & Apostolica Magistro, & Fratrib' pdictis auctoritate concedimus, vt Fratres, & Nuntij pdicti ordinis, cũ a dicto Magistro, seu fratribus pdictis ad id missi fuerint i prouincijs, & Comitatu, ac alijs partibus hmõi, absq. difficultate,

& contradictione quibuscunq; charitatiua subsidia prædicta liberè petere ualeant. Quodq; A Diœcesani, & officiales, ac Religiosi prædicti in eorum ecclesijs, & extra eas eosdem Fratres, & Nuntios ad id pacificè admittere teneantur. Districtius inhibentes eisdē Diœcesanis, & officialibus, ac Religiosis, ne Fratres, aut Nuntios antedictos occasione quacumq; super his molestare, seu quomodolibet impedire præsumerent. Ac decernentes ex tunc irritum, & inane si secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus uestrum per vos, uel alium, seu alios eisdem Magistro, & Fratribus in præmissis, & circa ea efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eosdem Fratres, aut Nuntios contra voluntatem, & concessionem, ac inhibitionem, & decretum nostrū huiusmodi; ab eisdem Diœcesanis, & Officialibus, ac Religiosis, vel quibusuis alijs quomodolibet molestari; molestatores huiusmodi, & contradictores quoslibet, & B rebelles auctoritate nostra, (appellatione postposita) compescendo. Non obstante si eisdem Diœcesanis, & officialibus, ac Religiosis, vel quibusuis alijs communiter, uel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per li-
1419. teras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de uerbo ad uerbum de indulto, ac de Religiosorum ordinibus huiusmodi mentionem. Dat. Florentiæ 3. Cal. Iunij Pontificatus nostri anno 2.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futurā rei memoriam. Sacrę religionis obseruātia sub qua dilecti filij Magister generalis, & Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Captiuorū, piæ vitæ studio dediti, sedulū impendūt altissimo famulatū, nō indignè merentur, vt ad illa fauorabiliter intēdamus, quę ipsorū statū prosperū, & tranquillū respicere dignoscūtur. Hinc est quod nos cōsideratione charissimi in Christo filij, Alphonsi Aragonū Regis illustris, cuius Progenitores, (vt accepimus) prędicti Ordinis promotores, seu Fundatores C fuerūt; nobis super hoc humiliter supplicationi, ac Magistri, & Fratrū prædictorū supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica statuimus, & ēt ordinamus, vt si qui Mēdicantiū, vel aliorū ordinū Fratres, seu Religiosi ad præfatum Ordinē B. Mariæ de Mercede Captiuorū, pro tēpore trāslati, illius regulā per annū eius habitū gestando approbauerint, seu expressam in eo professionē emiserint regularem, ex tunc ab eo ad aliū ordinem transferri nequeant absq; sedis Apostolicæ licentia, specialem, & expressam faciente de statuto, & ordinatione nostris huiusmodi mentionē. Decernentes ex tunc irritum, & inane quicquid in cōtrarium a quoquā quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attētari. Non obstātibus cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec nō prædicti B. Mariæ de Mercede Captiuorū & aliorū ordinū huiusmodi statutis, & cōsuetudinibus ēt iuramento, cōfirmatione Apostolica, vel quacūque firmitate alias roboratis, & alijs cōtrarijs quibuscūque. Nul- D li ergo oīno hominū liceat hanc paginā nostrorū statuti, ordinationum, & cōstitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare pręsumpserit, indignatio
1419. nem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurū. Dat. Florentiæ 3. Cal. Iunij. Pontificatus nostri anno 2.

Cum (Fratre Iacobo Aymerich ad Magistratum ordinis assumpto,) vacaret Prioratus Barchinonę. Fratres Cōuentuales eius domus (vt multa omittamus, quæ in electione noui Prioris euenerunt) Fratrem Antonium Dullan in xix. Priorem crearunt.

Magister Ordinis suum primum Generale Capitulum in Ciuitate Xatiuę regni Valentiæ celebrare voluit die 18. Septembris eiusdem anni. Cuius definitores fuerunt, pro prouincia Cathaloniæ Frater Petrus Malasanch, qui (ut postea dicemus) pro fide Catholica, & Fratribus suis Captiuis Martyrij corona decorari meruit. Pro Prouincia Franciæ Frater Ray- E mundus de Rupe Bacchalaureus in Decretis, Commendator Montis pessulani. Pro prouincia Aragonię Frater Dominicus de Monebregua, Commendator Calataiubij. Pro prouincia Valentiæ Frater Antonius Acrimontis Bacchalaureus in Decretis, Commendator Acrimontis. Pro prouincia Regnorum Castellæ & Portugalliæ Frater Petrus de Valladolid, Bacchalaureus in Sacra Theologia, Commendator Salmanticæ. & Frater Ioannes de Toleto Commendator Sancti Victoriani. Sed cùm Frater Petrus de Valladolid venire ad hoc Capitulum, (quia grauissimo detinebatur morbo) non posset, venit, & vocem habuit pro eo Fr. Ioannes de Granata, Cōmendator Vallisoleti, & prouincialis Prouinciæ Castellæ Martyr Dei clarissimus.

Generalis Magister Fr. Iacobus Aymerich Ordinem suæ curæ demandatum reformare vo-

A volens,& commendarum,aliorumq; officiorum perpetuitatem Religioni valde nociuam, supprimere, & extinguere exoptans, Regis Alphonsi fauorem implorauit. Ad cuius supplicationem, & eiusdem Magistri, & fratrum preces Summus Pontifex Martinus concessit bullam tenoris sequentis.

Martinus Episcopus seruus seruorũ Dei, ad futurã rei memoriam. Sacræ Religionis sub qua dilecti filij Magister,& Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede,Captiuorum deuotũ, & sedulũ exhibent Domino famulatũ; promeretur honestas, vt petitionibus ipsorũ, illis præsertim,quę dicti Ordinis cõseruationẽ, statũq; tranquillũ respiciũt, fauorabiliter annuamus. Exhibita siquidẽ nobis nuper pro parte dictorũ Magistri, & fratrũ petitio continebat,quod licet cõmendæ,Prioratus,vicariæ, & alia officia,& beneficia Ecclesiastica dicti Ordinis,seu per fratres eiusdem Ordinis obtineri, seu regi consueta, ex ordinatione fundationum eorũ annualia,seu alias manualia existant; & obtinentes illa pro tẽpore, pro solo nutu Magistri

B & definitorum Generalis, vel Prouincialis Capituli eiusdẽ Ordinis pro tempore existentiũ, singulis annis,seu aliàs prout eis expediens videtur,amoueri, & alij loco ipsorum deputari cõsueuerũt; tamen nõnulli Fratres ipsius Ordinis auiditate forsam,seu ambitione ducti, obseruantias,& ordinationes eiusdem Ordinis transgredi non verentes, naturamque ipsarum Commendarum, Prioratuum, Vicariarum,officiorũ,& beneficiorũ mutare conãtes,diuersas super collationibus,& prouisionibus de huiusmodi Cõmẽdis, Prioratibus, Vicarijs,officijs, & beneficijs,eis cõferendis,etiã plerumq; cũ reseruationibus eorundẽ (cũ ipsa vacare contigerit) à Sede Apostolica gratiosas literas sub diuersis formis impetrarunt; hactenus satagentes se per eos in ipsis cõmendis,prioratibus, vicarijs,officijs,& beneficijs perpetuare;ac eorũ fructus,& redditus,ac elemosynas,qui pro vtilitate,& redemptione Christi fideliũ per Infideles detentorũ,ordinati noscũtur,in suos proprios,ac ad alios alienos,(vbi ipsis placuerit)

C conuertũt vsus. Ac verisimiliter timẽdũ est,nisi remediũ adhibeatur opportunũ,quod idẽ, vel alij eiusdẽ Ordinis Fratres similia in futurum facere non desistant, in animarũ suarum periculum,obedientiæ debitæ eneruationem,ac ipsius Ordinis præiudiciũ non modicum, & grauamen.

Quare pro parte ipsorum Magistri,, & Fratrũ, nobis fuit humiliter supplicatũ, vt super hoc opportunè prouidere de auctoritate Apostolica dignaremur. Nos igitur charissimi in Christo filij nostri Alphonsi Regis Aragonũ illustris, nobis etiã super hoc humiliter supplicantis, ac huiusmodi eorundẽ Magistri,& Fratrũ supplicationibus (vt puta rationi cõsonũ) inclinati,volumus, & auctoritate Apostolica tenore præsentiũ decernimus per quascũq; literas,seu gratias à sede Apostolica, seu ab eius legatis per quosuis Fratres dicti Ordinis sub quacunque etiam forma, vel expressione verborum super collationibus,seu prouisionibus

D eis de dictis Commendis, Prioratibus, Vicarijs, officijs, & beneficijs vacantibus, vel vacaturis faciendis, hactenus (etiam si de ipsis, & earum toto tenore præsentibus de verbo ad verbum specialis mentio habenda foret) impetratas, seu in futurum de pręsentibus plenam,& expressam, ac de verbo ad verbum specialem mentionem non facientes, impetrandas, aut ipsis aliàs quouis modò concessas, seu concedendas; naturam, seu ordinationes fundationum Commendarum, Prioratuum, Vicariarum, officiorũ, & beneficiorum pręd ictorum nullatenus debuisse, seu debere mutari, sed ipsa debuisse, & etiam in futurum debere remanere annalia, & aliàs manualia, iuxta ordinationes, & fundationes eorum ad initium supra dictum; (etiam si impetrantibus ipsis per huiusmodi, seu alias dictæ sedis, vel Legatorum eius literas concessum sit, vel in posterum concedi contigerit, quod ab huiusmodi Commendis, Vicarijs, officijs, & beneficijs non possint, seu debeant absque rationabili causa quomodolibet amoueri.) Nulli ergo omnino hominum liceat

E hanc paginam nostræ voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius,se nouerit incursurum. Datis Florentiæ 2. idus Aprilis Pontificatus nostri anno 3. 1420.

Frater Iacobus Aymerich Generalis Ordinis Magister Comitia Generalia celebrauit in Conuentu nostri Ordinis Ciuitatis Cordubæ in fęstiuitate Penthecostes huius anni 1421. In quo inter alios (vt ait Magister Gauer in uita huius Magistri) fuit Definitor Sanctus uir Fr. 1421.
Petrus Malasanch, Commendator Perpiniani, qui (vt diximus, & inferius dicemus) Martyr fuit. Martinus Papa V. inserendo Bullam Clementis Papæ IV. eam confirmat. Cuius cõfirmationis Bullę tenor talis est.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex Apostolicæ Sedis prouisione, & præsertim sub regulari obseruantia Domino famulantium studio piæ vitæ deuotione, quæ præuenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandoque Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innouet, & restauret, ac auctoritate Apostolica fulciat innouata. Sanè pro parte dilectorum filiorum Magistri Generalis, & Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, sub regula Sancti Augustini degentium, nobis extitit humiliter supplicatum, vt fęlicis recordationis Clementis Papæ IV. prædecessoris nostri eis, qui tunc Magister, & Fratres Hospitalis Sanctæ Eulaliæ Barchinonen. nuncupabantur, concessas literas, (cum incipiant vetustate consumi) innouare de benignitate Apostolica dignaremur. Quarum tenor (signis & caracteribus exceptis) sequitur in hęc verba. A

Clemēs Episcopus seruus seruorū Dei vniuersis Christi fidelibus, ad quos istę literæ peruenerint, salutē, & Apostolicam benedictionē. Si iuxta sententiam sapientis, &c. Sub datum Viterbij 3. Nouembris Pontificatus nostri anno. 3. B

Nos igitur vestris huiusmodi supplicationibus inclinati literas ipsas, quas diligenter inspici, & examinari fecimus, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo adquiri volumus, sed antiquum (si quod sit) tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ innouationis, communitionis, & volūtatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare pręsumpserit indignationem omnipotētis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum xv. Cal. Maij Pontificatus nostri anno 5.

Generalis Magister Frater Iacobus Aymerich celebrauit quandam Congregationem C
1422. Cæsaraugustæ, pro negotijs ad bonum regimen Monasteriorum in citeriori Hispania consistentium attinentibus. Cuius definitores fuerunt inter alios Frater Natalis Gauer in artibus, & Theologia laureatus, Commendator Vicij; Frater Franciscus Puyg Commendator Maioricarum; Frater Petrus Roure, Commendator Cæsaraugustæ, Frater Ioannes de Rossa Vicarius perpetuus Sanctæ Mariæ Podij Valentiæ. Sub datum Cæsaraugustæ die 22. Maij 1422. In hac Congregatione pro futura Redemptione facienda fuit in Redemptorem deputatus Frater Antonius de Acrimonte Ordinis Zelator, & solers elemosynarum collector. Hoc eodem anno Martinus Papa V. confirmauit nostras indulgentias, & libertates sęcularium exactionum; cuius bullæ tenor talis est.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro Generali, & fratribus Ordinis Beatæ Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. D

Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato cōcurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, seu alias indulgentias vobis, & Ordini vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sęcularium exactionum a claræ memorię Ferdinando, & Alphonso, nec non charissimo in Christo filio Ioanne, & alijs Castellæ, & Legionis regibus, seu Principibus, & alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Ordini auctoritate Apostolica confirmamus, &c. Datis Tibure 2 Cal. Augusti Pontificatus nostri anno 5. Duplicata B. de Puteo.

Fr. Petrus de Valladolid pro Monasterijs Prouinciæ Castellæ, & Portugalliæ, & Frater Antonius de Acrimonte pro Aragonia Redēptores, ad Granatæ regnum profecti Gratiam apud Mahumatum Albenazarum, cognomento læuum, Granatæ Regem inuenerunt. E
Ob id ex eo regno, ex omni sexu, ætate, & statu ducentos & viginti duos redemerunt
1423. Christi fideles. quos hoc anno 1423. Ispalim incolumes duxerunt, & perfectæ libertati re-
Liber. 281. stituerunt

Hoc eodē anno 1423. die 23 mensis Maij (vel vt alij volunt de mense Septembris 1424) in arce Peniscolę Dertucensis diœcesis obijt Petrus de Luna, Benedictus XIII. antea in sua obedientia vocatus, ferè nonagenarius, non sine vehementi veneni suspitione, in nebulis dulciarijs, quibus vesci libenter solebat, immisso. Cuius rei caussa cum Frater Thomas Petri de Luna familiaris captus, & conuictus esset mortis reus iudicatus, in

qua

A quatuor partes conscerptus est; vt ait Mariana de rebus Hispaniæ.

Post mortem Petri de Luna ex Cardinalibus, quos in plurimis creationibus, & diuersis temporibus elegerat, duo tantum in eadem arce remanserant, quia reliqui (promotore suo relicto) ad veros Romanos Pontifices se cõfugerant, a quibus in Cardinalitia dignitate fuerunt confirmati. 1423.

Hi igitur duo anticardinales videlicet Iulianus Dobla, & Carthusianus, conantes adhuc schisma in Ecclesia Dei, & scissurã protrahere, Conclaue ingressi, in locum Benedicti XIII. contra verum Pontificem Martinum V. eligere ausi sunt Aegidium Mugnoz natione Hispanum ex regno Aragoniæ, vrbe Terculi, Canonicum Barchinonensem, bonum, honestum, & humilem virum. Cui cum esset suæ electionis testimonium delatum, tacitaque cogitatione perpenderet, quibus circumstantijs, quaue vniuersali approbatione, & lætitia Martinus Papa Quintus in Cõcilio Constantiensi esset creatus, cępit nutare, imo honorẽ B oblatum admittere recusauit. Sed accidit quod per hæc tempora Dominus Alphonsus Aragonum Rex, Martino Summo Pontifici esset infensus, eo quod Papa Andagauensibus fauebat, & abdicationem quam Domina Ioanna eius nominis secunda Neapolis Regina fecerat, contra eundẽ Alphonsum, quem prius in suum filium adoptauerat, gratam, & ratã habere, ac proballe videbatur; vnde Papam a successione Neapolitani regni Alphõsum Regẽ reijcere, & amouere procurantem; Rex ipse indignatus molestare, & Papatu priuare conabatur. Ob id præfatum Aegidium Mugnoz ad acceptandum honorem sibi oblatum excitauit; suumque auxilium in omni euentu ei pollicitus est. Regis igitur pollicitationibus fidens Aegidius, Papatum vsurpauit, & Clemens Octauus appellari voluit. Suæ Coronationis insignia suscepit, & Papatum per annos quinque contra verum Pontificem retinere voluit; imo omnia quæ veri Romani Pontifices facere solent, Clemens ille octauus in sua C obedientia, operatus est. Aliquos etiam Cardinales, & Prælatos creauit, quibus Titulos distribuit; & ad instantiam nostri Regis Alphonsi nonnullos ex ordine nostro assumptos, Cardinales deputauit, de quibus nostri Ordinis scriptores mentionem facere solent, licet eos non ab hoc Antipapa Clemente, sed ab indubitatis Romanis Pontificibus creatos esse affirment, eosque inter ueros Cardinales enumerent.

Sed cum Alphonsus Rex in gratiam cum Martino Papa redijsset, Antipapa Clemens Octauus anno Domini 1429. eo Titulo se abdicauit, quod similiter Cardinales a se creati facere non recusarunt. Et qui fuerat doloso titulo Papa creatus, Maioricensis Ecclesię bono titulo, & auctoritate Apostolica Episcopus creatus est. Qua abdicatione schisma, quod in Ecclesia Dei per annos 52. perdurauerat, omnino sublatum est; nam illi duo anticardinales, qui Peniscolæ Clementem creauerant, à Fr. Petro de Fuxo Hyspano Nauarrensi S. D R. E. Presbytero Cardinali in Hispania Legato, Capti, & carceribus mancipati, miserè perierunt.

Martinus Aragonum Rex valde deuotus, & pius suam Barchinonæ Ciuitatem (quæ in Principatu Cathaloniæ primatum tenet) in spiritualibus ampliare, & honestare volens, non solum Ecclesias, & Religiosorum domos ibi consistentes gratijs, & fauoribus cõdecorauit, sed ex diuersis Regnis, & regionibus, suis pollicitationibus, promissis, & blanditijs externorum Ordinum Fratres, (quorum in tota Hispania, memoria, aut notitia non erat) vt Barchinonam illustrarent, aduocauit, & traxit.

Hinc est quod specialem nuntium destinauit ad Generalem Abbatem Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cœlestinorum, in Monasterio Sancti spiritus prope Sulmonem in Italia Præsidentem, rogans eum, vt nonnullos suæ Congregationis Monachos ad Bar- E chinonæ ciuitatem transmitteret. In ea enim (ob specialis deuotionis affectum, quem ad fundatorem eius Congregationis Sanctum Petrum de Murone, qui fuit Cœlestinus Papa Quintus, gerebat) construere, & ædificare quoddam magnificum Monasterium in Capella regia cęperat, & pro Fratribus eorumque sustentatione nonnullos consignauerat redditus. Quo Nuntio Generalis Abbas lætatus valde, nonnullos Monachos honestis, & laudabilibus moribus imbutos, & scientia præstantes, natione (vt ferunt) Gallos, Barchinonam destinauit. Qui in eo Monasterio per aliquod temporis spatium vitam monasticham, & religiosam duxerunt. Sed cum interueniente dicti Regis Martini obitu, Monasterium illud quod valde sumptuosum fuit inceptum, compleri non posset, Monachi ibi habitantes, se alibi transtulerunt, & ad patrias suas reuertentes illud pro derelicto deseruerunt.

Sed

Sed dominus Alphonsus Aragonum Rex, nostri Ordinis ualde studiosus, illud sic derelictum non alij, quam Ordini nostro donauit, incorporauit, & appropriauit. Cuius donationis, & incorporationis non ipse Rex Alphonsus, qui non erat in gratia Summi Pótificis, sed Barchinonę Prior confirmationem a sua Beatitudine petijt. Ad Prioris igitur supplicationem Martinus Papa V. concessit bullam tenoris sequentis. A

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Barchinonensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Vniuersalis Ecclesiæ regimini licet immeriti (disponente Domino) præsidentes, corde gerimus (vt tenemur,) nostris (adiuuãte Domino) efficere temporibus, quod per nostræ prouidentiæ ministerium, Ecclesię, ac Monasteria, & alia loca ecclesiastica, præsertim Religionis obseruantiæ dedita, non debitis obsequijs defraudentur; sed cultus diuinus in eis iugiter conseruetur; & quantùm nobis ex alto permittitur, in spiritualibus, & temporalibus releuentur, & ad id efficacis prouisionis auxilium impendatur. B

Sanè pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Captiuorum Barchinoñ, sub regula Beati Augustini degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod olim clarę memoriæ Martinus Rex Aragonum ad Fratres Ordinis Sancti Benedicti secundum instituta Sancti Petri Confessoris, qui Cęlestini nuncupantur, gerens specialis deuotionis effectum, quoddam Monasteriũ pro certis Priore, & Fratribus sub eodem ordine Sancti Benedicti, & secundum statuta prædicta viuentibus, in quadam Capella Palatij regij Barchinonẽsi construi, & ædificari incepit; ac eisdem Monasterio, & Priori, ac nonnullis Fratribus, qui inibi habitabant, nonnullos redditus concessit, & assignauit. Quodque post modũ Prior, & Fratres Monasterij huiusmodi, prospicientes, quod prædictus Martinus Rex (huiusmodi opere imperfecto quod valde sumptuosum inceptum breui tempore compleri non poterat) ab hac luce migrasset, ac nonnulla pacta eisdem Priori, & Fratribus Monasterij in primo eorum ad præfatum Monasterium aduentu, concessa eis, non fuerant obseruata, præfatum Monasterium dimiserunt, illudque pro derelicto habentes, se alibi transtulerunt; ita quod per quindecim annos nullus ex eisdem Fratribus ibidem habitauit, & interim diuinum officium minime fuerit inibi celebratum; quodq; charissimus in Christo filius noster Alphonsus, Rex Aragonum illustris, ne huiusmodi laudabile propositum dicti Martini Regis effectu totaliter fraudaretur, Capellam, & Monasterium huiusmodi sic incepta, & derelicta (quorum omnimoda dispositio ad eundem Alphonsum Regem pertinere dignoscitur,) vt deseruiretur ibidem laudabiliter in diuinis, cum omnibus, & singulis pactis, conditionibus, & assignationibus supradictis Priori, & Fratribus dictæ domus, ac Ordini Beatę Mariæ Captiuorum, ac domui præfatis donauit, & incorporauit, ac etiam appropriauit, pro ut in literis eiusdem Alphonsi Regis inde confectis, (quarum tenorem præsentibus, haberi volumus pro expresso) plenius dicitur contineri. C D

Quarè pro parte Prioris, & Fratrum domus prædictorum, qui (vt asserunt,) iam in Capella, siue Monasterio huiusmodi in diuinis officijs laudabiliter deseruiunt, nobis humiliter fuit supplicatum, vt donationi, incorporationi, & appropriationi huiusmodi, ac omnibus alijs, & singulis in dictis literis contentis robur Apostolicę confirmationis adijcere, ac omnes defectus (si qui forsam interuenerint in præmissis) supplere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur de prędictis certam notitiam non habentes, ac cupientes, vt cultus diuinus vbiq; refloreat, & iugiter augeatur; huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus; quatenus si est ita, donationem, incorporationem, & appropriationem prædictas, ac alia omnia & singula in literis prædictis cõtenta auctoritatẽ nostra approbes, & cõfirmes; ac oẽs defectus suppleas (si qui forsam interuenerint in eisdẽ.) Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & cõsuetudinibus Monasterij, ac domus & ordinum prædictorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quacũq; E
1424. firmitate alia roboratis, literisq; contrarijs quibuscunque. Datis Frascati Tusculaneñ Diocesis quarto nonas Septembris Pontificatus nostri anno 7.

Per hæc tempora patres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis non cessabant Ordinem nostrũ
1425. defatigare, & totis suis uiribus (si possent) institutum nostrum infringere, aut retardare conabantur. Vnde hoc anno 1425. Quidam Fratres Prouinciæ eius ordinis Franciæ, quibus Carolus Francorum Rex eius nominis Septimus, valde fauebat, ad nonnullos Diœcesanos

A nos recursum habentes, suum institutum, & eius antiquitatem iactantes, notam Ordini nostro inurere nitebantur, falsò asserentes; in toto Regis Aragonum Dominio, non Fratribus nostris mercenarijs, sed solùm Fratribus suis Maturins, (sic eos in aliquibus Galliæ scripturis appellatos reperio) elemosynas pro redimendis Captiuis (iuxta suum laudabile & antiquum institutum) petere, & accipere ex Regum Hispaniæ declaratione licitum esse.

Quibus cum Fratres nostri Galli, maximè Frater Dionysius Grossi ex ciuitate Tholosana oriundus, Doctor in decretis solemnis, & Frater Ludouicus Rotarius insignis Theologus, sui Ordinis zelatores se ex aduerso opponerent, & contrarium ostenderent, nihil detrimenti hac tempestate Religio nostra passa est. Eandem, eodem modo, ab eiusdem Ordinis patribus in Cathaloniæ Principatu, noster Ordo perpessus est molestiam; sed eundem res habuit exitum. Nam Frater Iacobus Ferrera, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Procu-
B rator, (de quo superius mentionem fecimus) magna auctoritate, & Principum fauore pollens, quasdam executoriales literas in sui Ordinis fauorem à Regina Maria subretitio modo obtentas (quæ postea reuocatæ sunt) secum asportans, nostros Redemptores, & Redemptionis Procuratores colligendis elemosynis intentos, per se, & per procuratores à se deputatos, insequebatur, & ubicunque eos inueniebat, insectabatur.

Quod Magister Ordinis ægrè molestèque ferrens, Ilerdæ hoc anno 1426. Capitulum prouinciale celebrauit. 1426.

Cuius definitores inter alios fuerunt Frater Ioannes Nouerij Commendator Castillionis Empuriarum; Frater Raymundus de Rupe Commendator Montis pessulani; Frater Martinus de Lisso Vicarius perpetuus Montis Floretti, Frater Dominicus Nauarro Commendator Sanctæ Mariæ Podij Valentiæ. Qui & alij Patres capitulariter Congregati Magi-
C strum Ordinis Summis exorarunt precibus, vt Serenissimum Regem nostrum Alphonsum alloquendo, ab hac illata iniuria, & molestia ordinem liberaret, ut uel sic miseri Captiui in Saracenorum Captiuitate detenti, per nostros Fratres liberarentur. Quod Magister (vt munus sibi debitum) se expleturum solerter promisit.

Deinde in Redemptores sunt deputati Frater Antonius Acrimontis, Frater Petrus de Monte fangoso, & Frater Lupus de Sacra; quos etiam Generalis Magister, & Capitulũ suos speciales, & vnumquemq; insolidum Nuntios ad alia & diuersa regna destinauit, vt ostendentes nostræ religionis Apostolicas bullas, & regia priuilegia toto animi pectore, ac solerter conarentur, vt Christiani orbis Reges, & Principes nostrum institutum, & munus tutarentur. Interim Magister ad Regem Aragoniæ accessit, ab eoque fauorabiles literas contra patres Trinitarios obtinuit; quibus noster Ordo respirare, & suum munus exercere
D potuit.

Præfati igitur Patres in Redemptores deputati, & ad diuersa regna Nuntij destinati, vtiliter & fructuosè in dominio Alphonsi Aragoniæ, & Caroli Franciæ Regum, cõmissionis suæ munus expleuerunt; nam omne obstaculum remouentes, ingentes pecunias aggregare potuerunt.

De quibus omnibus fœliciter gestis, in Capitulo Generali in fœstiuitate Penthecostes huius anni 1427 Valentiæ in Hispania celebrato, rationem reddiderunt. In hoc generali Capitulo (vt ait Magister Gauer in suis Annalibus in uita huius Generalis Magistri) pro Regnis Castellæ, & Portugalliæ duo Definitores (inter alios) comparuerunt, videlicet Frater Bernardus de Seuilla celeberrimus in Sacra Theologia Magister, famosus uerbi Dei Concionator, ac in disputationibus valde acutus; qui hoc anno erat Commendator Ispalẽ- 1427.
E sis. Cui non erat dissimilis Frater Franciscus de Guadalaxara in eadem Sacrę Theologiæ facultate meritissimus licentiatus.

Hi duo definitores consenserunt, ut pro hac vice fieret vnio, & concordia, inter Redemptores superius assignatos, & Redemptores regnorum Castellæ, & Portugalliæ, qui insimùl vnicam Generalem pro omnibus prouincijs facerent redemptionem.

Redemptores igitur Aragoniæ, & Franciæ in principio huius anni 1428 Terculum, vbi erat Alphonsus Rex nostri Ordinis Patronus, & Protector profecti, ab eo licentiam, largitiones, & elemosynas, ac commendatitias literas obtinuerunt. Deinde in Castellam suos direxerunt gressus; & inuenientes eius prouinciæ Redẽptores, omnes simul à Domino Ioanne Castellę Rege eius nominis secundo, quod desiderauerant, & quibus indigebant, obtinuerunt. 1428.

His

His bonis adminiculis ad Granatæ Ciuitatem peruenerunt, & a Mahomath Rege, co- A
gnomento paruo, gratiosam in toto suo Dominio Christianos liberandi, & opus redemptionis liberè exercendi, facultatem adepti sunt. Quam etiam a reliquis Ciuitatum, & locorum a Mauris in Bœthica possessorum Regulis, & Dominis sine difficultate, & labore acceperunt. Vnde in ea regione, & Inimicorum terris per aliquot dies remorantes 309 Christi fideles redimere potuerunt, quos cum Dei auxilio incolumes ad Christianorum loca duxerunt.

Liber. 309.

Reuerendissimus Magister Fr. Franciscus Zumel de vitis Generalium Magistrorum nostri Ordinis, plurimis laudibus Generalem Magistrum Fratrem Iacobum Aymerich commendat; sed Magister Gauer ex certa scientia, & notitia, qui eius fuit cótemporaneus, summis laudibus illum extollit. Ait enim quod dum Gerundæ cōmendā tenuit, & administrauit, eā domum in spiritualibus, & tēporalibus mirificè auxit. Eius ecclesiā perfecit, plures cellas, & cameras extruxit, eas præsertim, quæ superiori Monasterij, & Visitatoribus deseruirent, quas rebus necessarijs (vt nihil in eis desiderari posset) religioso modo atq; decenti ornauit. B

Et licet magnos sumptus, & expensas in ædificio, & fabrica eius domus, & ecclesię fecisset, copiosum semper Religiosorum numerum, qui diuina officia, & horas canonicas attentè, & deuotè, ac cum populi ædificatione recitarent, & soluerent, tenere studuit. Quod idē Magister Gauer in suis Annalibus attentè notauit, & aduertit, quia Prędecessores eius etiā si in huiusmodi ædificijs non essent pͦ occupati, neq; has extraordinarias impensas facere voluissent, pauciores tamē habuerunt Fratres; quod proculdubio Religionis zelo, solerti studio, ac bonæ tanti Prælati industriæ tribuendum est. Illud famosum, (quod respicimus) claustrum ipse inchoauit, cui certè vltimum colophonem addidisset, summamq; manū operi incepto imposuisset, si Fratres Conuentuales Barchinonæ, Capitulariter Congregati, de vnanimi consensu (vtilitati, & suæ domus commodo cōsulere volentes.) Priorem eum non eligerēt. Quod munus pͦ annos undecim laudabiliter sibi, & fructuosè ipsi domui exercuit. Nam ecclesiam perfecit, Capellam Sancti Hippoliti extruxit, Monasterium ære alieno, & plurimis debitis oppressum non solum exonerauit, sed magnis redditibus, & pretiosis non parui momenti iocalibus auxit, & locupletauit. Magister Ordinis electus totam Religionem eiusq; membra reparauit, præsertim Monasterium Valentiæ, Domum de Arguynes, Turrim de Meliona, & multa alia, quæ esset longum recensere, quę scriptores solent in parte in suis historijs exprimere. C

Et præfatus Magister Gauer in eodem loco postquam clara verborum expressione enarrauerat, quæ Magister Aymerich in diuersis Ordinis Monasterijs gesserat, (antequam Magister Ordinis crearetur) subiungit deinde. D

Frater Iacobus Aymerich assumptus in Magistrum Ordinis, in toto ordine multa bona fecit; Ordinem, & Fratres cum multa pace rexit; & quasi totaliter Conuentum
1428. Valentiæ, vbi obijt decimo Cal. Ianuarij 1418. sui Magistratus decimo reparauit. Tempore huius Magistri fuerunt de potestate Inimicorum nostrorum liberati 531 Christi fideles.

Liber. 531.

Sub hoc fœlici Magistratu plures nostri scriptores ferunt pro fide Catholica, & pro fratribus suis fuisse passos gloriosos Martyres Domini, Fratrem Petrum Malasanch, Commēdatorem Perpiniani, & Fratrem Ioannem de Granata Prouincialem Castellæ. In his Sanctis Martyribus Martham in primo, & Magdalenam in secundo expressas reperies. Fuit S. Petrus Malasanch, dum Sancti Martini Perpiniani commendam regebat, erga Pauperes, & Peregrinos, qui ex longinquis regionibus illac ad visitanda Hispaniæ loca Sancta transire solent, adeò sollicitus, & charitate feruidus, vt extra eius villæ muros in ipso solis ardore exiens, summa patientia, voluntariaque & diuturna perpessione transituros pauperes, & aduenas expectaret. Quos a longè respiciens, obuiam lętus eis procedebat, & post se quasi inuitos trahebat. Vnde ad Monasterium non reuertebatur, nisi huiusmodi hospitum cœtu (quos fratres & filios suos vocabat) circūdatus, & Comitatus. Domum introductos priùs in ecclesiam cibo spirituali, & pane cęlesti (quod est verbum Dei) reficiendos ducebat. Aqua benedicta suis manibus aspergebat. Post orationem Sanctissimo corpori alijsq; Sanctorum reliquijs facta, ex itinere defatigatis, lassis, & defessis sedere iubebat. E

Tunc lingua latina, aut vulgari decem Dei præcepta, (dum in Monasterio a Fratribus

pro

A prò nouis hospitibus, iuxta eorum numerum, quæ opus erant quærebantur, & parabantur,) breuiter & sine molestia recitabat, & explanabat. Quod scilicet vnū Deū colerēt, quē charitate diligere, & fide in eum credere tenebantur. Quomodo loca sancta deuotò, & puro corde visitare, & Sanctorum imagines adorare debebant. Quod in via non assumerent nomen Dei in vanum, vaniloquia fugerent, & vota emissa adimplerent. Ne se in viam darent, nisi prius sacro deuotè audito. Quod sine licentia vineas, aut viridaria aliena non ingrederentur, neque segetibus, aut alijs terræ frugibus damna permeantes inferrent, sed ex mendicitate toto peregrinationis tempore victum quærerent. Quod fœlicem in recipiendis elemosynis euentum socijs non inuiderent. Et denique quod ab omni peccati mortalis labe se abstinentes, (peregrinatione completa) non amplius per aliena loca diuagarentur, sed citissimè ad propria reuerterentur. Deinde ad hospitium domus (quod liberaliter hospitibus omnibus patere solebat,) ductis, & benignè exceptis, pedes eorum genuflexus lababat, & ad mensam eis ministrabat. Quo singulari exemplo non solum Fratres Monasterij ad tam pium opus, sed nobiles, & Perpiniani Ciues imitatores effecit, & consocios habuit; qui facultatibus suis conuentum ob has impensas debitis oneratum subleuabant, & penè labescentem erigebant. Alias etiam principales rexit, & cum summa laude administrauit Commendas, atque Definitor Generalis pro Comitijs generalibus bis electus est, vbi Patres eum sanctum virum de animarum salute, & maximè Captiuorum mirificè anxium, & sollicitum semper agnouerunt; & sic Redemptorem vnà cum Prouinciali Castellæ Fratre Ioanne de Granata elegerunt eum. Non liquidò constat inter nostri ordinis scriptores, ex qua Bœthicæ ciuitate, seu loco suam traxerit originem Fr. Ioannes de Granata. Nam nonnulli Cordubæ alij Giennij, & alij alio in loco fuisse natum opinantur. Sed a veritatis via remoti, & deuij non videntur, qui Parentum suorum prosapiam, & progeniem ab illustri Granatæ Regum serie deducunt, qui ad prædicationem cuiusdam Sancti viri (cuius nomen non exprimunt) mahomethanam sectam, & patriam relinquentes, ac natiuū solū fugientes, ad Christianorū ditionem peruenerunt; vbi suo primogenito filio, non a casu, sed quasi vaticinari, & futurum mortis genus, quo erat de medio tollendus, prænunciare volentes, nomen Ioannis imposuerunt. Cognomen vero patriæ, tunc à Sarracenis occupatæ, quæ Catholicis Regibus citò erat tradenda, suscipere, & retinere Ioannes noster non dedignatus est, vt salus de Inimicis nostris, & de gente non sancta, sanctus (diuina fauente gratia) prodijsse noscatur. A teneris annis magnæ clementiæ, eximiæq; liberalitatis fuit puer a Christianis parentibus piè educatus, & bonis moribus imbutus. Quem omnes Puerum inter alia, & maximè circa res sacras singularis deuotionis se cunctis exemplum præbentem, valde mirabantur.

D Deinde (sicut Domino placuit) Religionem B. Mariæ de Mercede ingressus est; & in essētialibus, & ceremonialibus apprimè instructus, in decretis simulq; in lectione diuinæ scripturæ assiduus insudauit, & adeò profecit, vt in illa facultate Bacchalaureatum formatū suscipere meruerit. Et quamuis ad literas solerter intentus, & in alijs licitis honestisq; Religionis exercitijs esset occupatus, nō tamen propter hoc, ab oratione spiritum relaxabat, aut remittebat, sed potiùs, ac si inutiliter, & infructuosè in literarum studio dies contriuisset, noctes plures in orationis feruore insomnes ducere solebat. Vnde post matutinas in choro ferè semper vsq; ad primam diuinis laudibus, & orationi mentali attentissimè deditus, non semel à fratribus ad recitandam primam chorum ingressis, nimio splendore superillustratus, quasi spiritus ebrietate, alienatus sensibus repertus, & visus est. Compulsus commendam Cordubæ, & Prouincialatum Castellæ suscepit, sed Pastor electus, & in regimine collocatus, sua solita sancta exercitia, & opera nequaquam dimisit. Imo quò magis suis fratribus, & subditis super Candelabrum positus, & propositus lucere, & suo singulari exemplo eos excitare debere agnoscebat, eò amplius diligentiori cura, in spirituali vita quotidie proficiebat. Bis Definitor Generalis fuit deputatus; primo quando in Comitijs Generalibus Tarrachonæ celebratis defectu socij duas habuit voces, vt adnotauimus ad annum 1406.

Deinde electus Prouincialis Castellæ, & Commendator Monasterij Vallisoleti, habuit vocem in Capitulo Generali Xatiuę celebrato, pro Fratre Petro de Vagliadolid Commendatore Salmanticensi, graui infirmitate detento, qui erat Principalis definitor, vt videre est ad annum 1419. In hoc igitur Capitulo magnam iniuit amicitiam cum præfato Fratre Petro Malasanch Conuentus Sancti Martini Perpiniani Commendatore, & in eodem

Capitulo Definitore; quia Sancti cum Sanctis,& pares cum paribus facillimè congregãtur. A
Reuersus deinde in Castellam munera, & officia suæ curæ demandata, summa pace,& incredibili prudentia rexit, ac pro sua Prouincia Redemptor eligi voluit. E licet in solerti Redemptore nulla esset mora,imò prompta,& parata eius voluntas nihil aliud quam digredi, & ad suos Captiuos, & afflictos fratres consolandos, & liberandos euolare vehementer exoptaret; omnipotens tamen Deus, cuius prouidentia omnia reguntur, & mouentur, distulit profectionem eius, vsque quò celebraretur Capitulum Generale in ciuitate Cordubæ; vt adnotauimus cum Magistro Gauer ad annum 1421.

In hoc igitur Generali Capitulo Fr. Petrus Malasanch Generalis Definitor, & pro sua B prouincia Redemptor inuisit suum valde amicum Fratrem Ioannem de Granata Redemptorem etiàm Castellæ. Et post Religiosas adinuicem exhibitas salutationes, & spiritualia de regno Dei, ac proximorum liberatione inter se colloquia,decreuerunt summa concordia in Granatæ Regno Redemptionis opus vnanimes exercere. Et ad id Prouincialis fauorabiles literas ad commendationem Redemptorum, ad vtilitatemq; Redemptionis à Domino Ioanne secundo Castellæ Rege obtinuit. Igitur Redemptores Granatam accedentes,literas Regis valde gratiosas Mahomad filio Iuzephi Granatæ Regis porrexerunt;quem Rex Castellæ exorabat,vt nostros Redemptores benigne recipi,& liberaliter pertractari sua auctoritate curaret. De quo Rex Maurus ab inuidis detractoribus, & maledicis susurratoribus, (qui bona etiam opera in malam partem interpretari, & iudicare solent) certior effectus, furore plenus dicebat. Magna proculdubio proditio; me viuente & pacificè regnante, Regem Castellę,cum filio meo, Regni mei hærede amicitiam inire,eiq; scribere,non sanę menti ascribendum venit. Insidias & dolosam ad Dominij mei destructionem expectationem vereor. Sed astutus & malitiosus Rex indignationem ad tempus simulans, ad Mahomad filij preces Redẽptoribus facultatem dedit, vt liberè in toto suo Dominio opus Redemptionis exercere valerent. Sed per specialem, ac certum Nuntium Gubernatoribus in mandatis dedit, vt si fratres nostri Redemptores fidem Christianam (quam ipse sectã vocabat) palàm confitendo gentem suam subuerterent, morte eos punirent. Quod Proreges & Gubernatores opere complere non tardarunt. Nam Redemptores dum Christianorum Captiuorum libertatem procurant, in eorum redemptione negotiosos nimis se exhibentes,salutem similiter spiritualem Maurorum dum sitiunt, vitiaq; eorum acerrimè reprehendunt, nonnullos ex eis ad fidem Catholicam conuertentes, carceri foetidissimo Proditoribus deputato, mancipari eos iusserunt, vbi dura vincula per tres dies passi sunt. Deinde è carcere educti, glorioso mortis genere animas suas Deo reddiderunt. Frater Ioannes de Granata, pomum iam maturum, dulce & suaue granatum (ex cuius prædicatione, & exemplari uita infinita grana Deo prodierunt,) vt in mensa Domini apponi posset, excisus, & sectus in partes, E ac arundinibus perfassus, decollatus deniq. fuit. Socius verò eius Fr. Petrus Malasanch, impietate, immanitate, ac tyrannica crudelitate in Prouincialem illatis minimè territus martyrio se libens obtulit; & sic à diris Tyrannis, suis acutissimis sagittis confixus est. Post horrendum supplicium omnia Redemptionis bona, quibus ingens Captiuorum Christianorũ numerus redimi poterat, inutiliter perierunt. De his Sanctis Martyribus agunt veridicus *Petr. Cixar.* nostri Ordinis auctor Fr. Petrus Cixar Commendator Cæsaraugustæ, Magister Zumel de vitis Generalium Magistrorum, Magister Rodriguez Episcopus Rosciensis in sua animæ agricultura, Magister Guimeran Episcopus de Xacca in historia nostri Ordinis parte prima, cap. xj. & multi alij.

Cap.

Cap. XIIII. De magna discordia, & difficultate in electione Generalis Magistri Dullan, de malo regimine, & ipsius depositione. Magister Gauer Prior eligitur. Defuncto Martino V. Eugenius IIII. creatur. Contra quem Concilium Basileense de facto Fœlicem V. Antipapam creat. Ioannes Castella Rex nostra priuilegia confirmat.

A SVBSECVTO Fratris Iacobi Aymerich Generalis Magistri obitu, eiusque exequijs per tres dies solemniter celebratis, Fratres Conuentuales Valentiæ (vbi mors eius accidit) ad Fratrem Antonium Dullan Barchinonę Priorē, & (magistratu vacāte) ordinis vniuersi Vicariū Generalem, destinarūt religiosum virum, in dignitate Sacerdotali constitutum, famosum verbi Dei Concionatorem, Fratrem Antonium Company, qui nouo ordinis Vicario mortem Magistri significaret. Quo nuntio Fratres Gotholani de amisso bono Pastore, dilecto conterraneo, liberali Benefactore, ac eius domus nobilissimo filio, maximo sunt repleti dolore. Prior vero Frater Dullan signum mœroris dedit nullum. Imo dum Fratres pompæ funebri, & defuncti Magistri exequijs solemniter parandis (vt tantum virum decebat) sunt intenti, ipse cum aliquibus suæ factionis de obtinendo, & adipiscendo magistratu, magnis studijs agebat; & ante tempus Magister Ordinis, & non Vicarius Generalis voluit appellari. Ob id celebrationem Generalis Capituli, in quo nouus Magister erat eligendus, (data opera) retardare, & differre procurauit, vt vel sic Definitorum animos suis literis, & promissis ad suam voluntatem inclinandi tempus abundè satis haberet.

C At vero Vicarius perpetuus Podij Fr. Natalis Gauer, & alij ordinis magnates promissiones suas, & oblata ab eo officia paruì pendētes, instarūt pro celebratione Capituli Generalis (iuxta ordinis constitutiones, & laudabilē consuetudinē vsq. in illā diē seruatā.) Et sic Vicarius Generalis Dullan a tēpore, & die notitię obitus Magistri Generalis Aymerich, nō potuit nō assignare duos mēses cū dimidio pro electione Capituli Generalis Barchinonę faciēda; quod tēpus sufficiens erat, vt electores ex Bœthica, Castella, Lusitania, Gallia, & alijs regnis cōmodè opportunèq; aduentare possent. Et cum Fr. Dullan ex libera plurimorū electorū suis literis responsione facta, eorū animos ad suū desideriū non esse propensos agnouisset; per aliā viam, videlicet extra ordinem, (per quā ambulare solebat) fore modò incedendū, tutius iudicauit. Et sic abditè, nulloq. sciente, contulit se ad Dominū Franciscum Arymium, qui Regis Alphonsi erat a secretis, rogans eum, vt regium suumq; fauorem pro obtinendo ordinis magistratu obtinere, & concedere efficaciter dignaretur. Ad cuius Secretarij preces scripsit Rex electoribus literas valde fauorabiles, in quibus sic inter alia dicebat. Principaliores nostrę regię Religionis Conuentus laudabiliter rexit venerabilis Magister Fr. Antonius Dullan, eumq. domus nostræ Sanctæ Eulalię Barchinonæ, (quę est totius ordinis caput) Priorem vos elegistis, opus igitur valde gratum, nobis facietis, si vos omnes in similibus capitulis vocem habentes, in vestrum ordinis Magistrum eum, & non aliū eligatis. Vehemēter ergo vestri capituli in nostra ciuitate Barchinonę celebrandi euentū scire exopto, & spero quòd ex animi sententia procedet, & vos vestro regi roganti, pura mente obsequemini, &c. Has igitur literas ipse secretarius ad maiorem effectum, vigorem, & auctoritatem cōsignauit nobili viro, Domino Petro Basser, Bayuli Generali (quem vocant) nobilissimo, & magnę auctoritatis, ac iurisdictionis officio fungenti, rogans eum, vt Magistrum Dullan, in Generalem eligi procuraret.

Aduenięte igitur die Sabbati vndecima Martij, ante fœstum Sācti Gregorij Ecclesię Doctoris, omnes electores ingressi sunt domum librariæ (quem locum valde commodum

pro electione facienda iudicarunt, & deputarunt.) Et contra iuris formam, Religionis honestatem, & decorem adfuit inter eos præfatus Dominus Petrus Basser, nobilissimis personis sæcularibus Comitatus, multisq; Iustitiæ ministris subsequentibus. Quem Vicarius Generalis Dullan, causam sui aduentus scire fingens, & simulans, honorate recepit, & percoluit, ac quid vellet dixit ei. Tunc Bayulis ad reliquos electores hinc inde Conuersus oretenus Regis voluntatem significauit, (nulla literarum quas secum asportabat facta mentione,) nam similibus Personis, fides adhiberi solet. A

At electores Spiritus sancti gratia inuocata ad electionem per suffragia secreta peruenenerunt. Et facta exacta diligentiq; scrutatione, apparuit, quod Frater Antonius Dullan tria tantùm suffragia habuit, quia reliqui electores sua vota dare voluerunt Vicario perpetuo Podij Valentiæ, Magistro Fratri Natali Gauer. Quo Bayulis Generalis indignatus, & ira incensus, clara, intelligibili, & furibunda voce electoribus dicere cępit. Hanc iniuriam, seu potius contumeliam non in Priorem vestrum, qui maiori (etiam Cardinalitia) dignitate honestari meretur, non in me Domini mei Regis voluntatem significantem, & exprimentem, sed in ipsum Regem vestrum rogantem, & petentem (cuius iussis acquiescere debebatis) proculdubio intulistis. Quod profectò si ad aures eius deueniet, capituli huius euentum auidissimè per os meum scire desiderantis, non est dubium quin sit ei iniucundum. B

Sed cum attenderet, quod plurimi electores verba, & minas eius floccipenderent & ipse voti compos per fas, aut nefas (vt dicunt) euadere, & Secretario Regis (a quo missus fuerat,) satisfacere exoptaret, aliquantulum demonstrans se placatum, itaq; lenitum cępit blāditijs singulos electores præsertim ex regnis prouinciæ Castellæ ad suam trahere voluntatem.

Deinde rogans eos, ut iterum ad electionem deuenirent, in hæc prorupit verba (omnibus simul Congregatis.) Quia nonnulli ex vobis fidem mihi, Regis nostri beneplacitum patefacienti adhibere noluerũt, ecce Patres mei Regis literas ad uos, & ad vestrum singulos directas. Cui aliqui ex uobis videlicet subditi ex nostri Regis dominio obedire, externi tāto Regi roganti arridere, & denique omnes Regi Protectori, & legitimo fundatoris vestri successori satisfacere tenemini. Quæ verba adeò plures ex definitoribus commouerunt, vt cum iterum ad electionem procedesetur, in duas æquales partes diuisi, tot electores adheserunt Fratri Antonio Dullan, quot in eligendo Fratre Magistro Gauer conuenerant. Quo nouo ad primam electionem accessu, & additamento Frater Antonius Dullan (qui erat vnus de scrutatoribus) lætatus valde, publicauit electionem in sui fauorem fuisse factam (quod veritate carebat.) Et sic suis amicis, qui hominibus magis, quam Deo placere volebant, & de Religionis pace non curabant comitatus, chorum ingressus est; quem Bayulis, & multi alij magno plausu sequebantur. C D

Et dum in choro magno iubilo Te Deum laudamus (vt solet de more) concentu cantatur, quatuor Definitores alterius factionis chorum ingressi cum discreto viro Petro Pontio publico Barchinonæ Notario, contradixerunt dictæ electioni, & omnibus inde secutis dicentes non fuisse liberam, neq canonicè factam.

Qua protestatione coram Notario, & testibus facta, Ordo in duas partes diuisus est. Castella, & nonnulla alia regna fratrem Antonium Dullan sequebantur. Cathalonia vero & aliæ prouinciæ, & regna electionem prius liberè factam in Persona Magistri Gauer tuebantur & a tota religione teneri, & defendi debere affirmabant. In medio turbinis, in hac Religionis procella, ac pacis tempestate surrexit Magister frater Natalis Gauer, & ad schisma de medio tollendum, sedandasq. dissensiones suos sequaces admonuit, ut pro amore Dei, Religionis honestate, & pro bono pacis, suum assensum ad fauorem Magistri Dullan dare vellent. E

Cui ipsi responderunt; te canonicè elegimus, te volumus, tu & non alius eris Ordinis Superior. Non enim fas est, obedientiam præstare publicè excommunicato ab Archiepiscopo Tarraconensi sedis Apostolicæ speciali legato, in lite, quæ cum Fratribus Sanctæ Trinitatis mense Superiori vertebatur. Quæ & alia verba intelligibili altaq. voce pronunciare, & sæpe proferre non formidabant. Quibus Magistrum Gauer pacis amatorem, & concordiæ auctorem sic fuisse locutum ferunt. Non est vestrum iudicare an noster pater Vicarius Generalis sit excommunicatus, aut non. Hoc solùm scio, quod eam litem mouit, ad fauorem nostri Ordinis, & Redemptionis vtilitatem, & tunc de potestate Archiepiscopi

su-

A super Priorem inter homines peritos, iureconsultos, & scientia præstantes dubitabatur, & ad cautelam (rebus compositis) se fecit absolui. Patres ergo charissimi, imi nortales uobis pro tanto beneficio, gratias ago, qui me vestrum discipulum, subditum,& tanto munere indignum eligere voluistis. Voluntati tamen Regis Domini Alphonsi, nostri Ordinis Patroni, cuius ope, & auxilio ad maiora, in dies indigemus, resistere, & repugnare haud iustum est.

Attendite, & videte quod nobilissima prouincia Castellæ,& aliæ externæ Prouinciæ beneplacito Regis nostri prompta animi voluntate, complacere libenter voluerunt. Fiat igitur voluntas eius, & cognoscat Rex nos esse obedientiæ filios, & oues Pasquæ suæ. Si autem (quod Deus auertat) noster Pater Dullan talia in suo regimine, perpetrauerit delicta, ob quę de iure ab officio repulsam mereatur, tunc Rex ipse minimè patietur, neque permittet, quod nos, qui eius mandatis obediuimus, supra id uexemur, quod sub-
B stinere non possumus. Quæ verba vel alia similia Magister Gauer dicebat eis per singulos dies, vsque ad meridiem feriæ secundæ videlicet xiij. eiusdem mensis.

Hac igitur die post prandium rogauit Magister Gauer Priorem, & Vicarium Generalem, vt ad sonum campanæ iuberet omnes Fratres capitulariter Congregari, tam partis, & factionis suæ, quam alterius. Omnibus igitur electoribus,& definitoribus capitulariter congregatis,& similiter quamplurimis Commendatoribus,& domorũ Procuratoribus, qui licet vocem in electione non haberent, venerant tamen ad Generalia Comitia ad soluendam responsionem, seu pensionem elemosinæ pro redemptione Christi fidelium Captiuorum, & pro alijs emergentibus necessitatibus, Magister Frater Natalis Gauer petita priùs venia à Fratre Antonio Dullan, Vicario Generali Ordinis (magistratu vacante,)& conuersus deindè ad discretum virum Petrum Pontium Notarium Barchinonæ,& Capituli secretariũ, ab
C electoribus deputatum rogauit eum, vt in forma auctentica fidem faceret de omnibus, quæ in ea congregatione dicebantur,& agebantur. Et aperiens os suum eleganti prudentique stilo, ac subtili calamo ad pacem & vnionem cohortatus est omnes. Et ad probanda & inferenda plurima damna, quæ ex tali diuisione sequi poterant, multa exempla præteritorum schismatum, non solum nostri Ordinis, sed & aliarum Religionum, & Congregationum, imo scissuræ Ecclesiæ Sanctæ Dei in medium adduxit, & in pauca retulit. Quæ si vitare (dicebat) & effugere volumus, vnionem & pacem diligamus,& procuremus, ne sęcularibus personis scandali occasionem præbeamus.

Si autem hæc diuisio,& tempestas pro me orta est, ego Frater Natalis Gauer, Religiosus professus huius Sanctæ Religionis Beatæ Mariæ de Mercede (quamuis indignus) filiusq; Monasterij huius, in artibus, & philosophia, ac in Sacra Theologia Magister, licet a pluri-
D mis Definitoribus, & electoribus hic præsentibus, die sabbati proximè præterita, vndecima mensis in magistrum Generalem fuerim electus, modò liberè & spontè, omni meliori modo & forma quibus possum, pro bono pacis, & Religionis honore atque vtilitate cedo electioni passiuæ de me factæ,& omni iuri meo, quod habere possum, & possem ad nostri Ordinis magistratum, illudque trado venerando Patri Fratri Antonio Dullan. Insuper rogo omnes electores, qui in me consenserunt, quatenus adhereant electoribus alterius partis, & fiat cor vnum in Domino, & quemadmodũ ego, sic & ipsi faciant. Quibus dictis in obedientiæ signum humiliter prosternens se ad terram, voluit, & procurauit manum Fratris Antonij Dullan osculari. Quod ipse consentire noluit; imo præ nimia lætitia lacrymabundus surgens de sede sua, amplexatus est eum. Et ex illa hora reliqui electores, & Definitores hoc insigni humilitatis,& eximiæ virtutis exemplo commoti, obedientiã ei
E genuflexi porrexerunt, ut patet ex instrumento cõfecto,& clauso per dictum Notariũ mense, die,& anno quibus supra.

Deinde omnes Definitores,& Electores, Commendatores, & domorum Procuratores ad sua monasteria reuersi sunt, & Frater Antonius Dullan in Decretis doctor per vniuersitatem, & studium Perpiniani ex ea hora mansit Generalis Magister electus; quo non contentus, voluit etiam cum Magistratu Prioratum retinere, vt ex sequentibus patebit.

Vt nuper diximus, Summus Pontifex Martinus Papa V. ad tollendum schisma quod adhuc in Ecclesia per hæc tempora perdurabat, (Clemente VIII. Antipapa cum Cardinalibus à se creatis pontificalia insignia publicè gestante, & retinente, & omnia, quæ veri & Romani Pontifices facere solent exercente) misit ad Hispaniam citeriorem, vbi hic Anti-

tipa-

tipapa sedebat, præfatum Reuerendissimum Dominum Fratrem Petrum de Fuxo Ordinis minorum, præstantissimum Theologum, Archiepiscopum Tholosanum S.R.E. Presbyterum Cardinalem Tituli S. Stephani in Cælio monte, in Legatum à latere cum amplissima facultate ad dictum schisma tollendum, ad omniaque alia exercenda Summi Pontificis uices habentem. A

Hic igitur Cardinalis legatus munus Apostolicum sibi traditum ita prudẽter satis, fortiter, & fœliciter absoluit, vt breui Antipapa Clemens, voluntariè se hoc titulo abdicauerit, & insignia deposuerit Episcopatu Maioricarum contentus.

Ad Cardinalem ergo Legatum Generalis Magister Dullan accessit, ab eoque non solum magistratus, sed etiam Prioratus confirmationem petijt, & obtinuit. Sed antequam Apostolicæ Cardinalis legati literæ expedirentur, quidam ex Principalioribus Barchinonæ Patres, cum libro constitutionum (quem secum asportabant) ad Dominum legatum recursum habuerunt, intrepidoque animo, ei dixerunt. Reuerendissime Domine, missus es a Patre Patrum ad solidandum, & ædificandum, ac ad schisma de medio tollendum; non ergo consonum est, nostras leges, & constitutiones à summis Pontificibus præsertim à fœlicis recordationis Gregorio Papa X. confirmatas, a tua Reuerendissima dominatione infringi; quod enim a sede Apostolica confirmatur, non debet a legato eius infirmari. In super vnus frater noster paucis ab hinc diebus, sufficiens fuit, & potuit schisma, & diuisionem de ordine tollere, illumque pacatum, & pacificum reddere; & vestra dominatio Magistratum, & Prioratum (quæ sunt officia incompatibilia) in una & eadem persona confirmando, & conferendo, diuisionem, & dissensiones suscitat, & efficit. Cardinalis legatus a fratribus sibi constitutiones porrectas legere, & perlegere voluit; & dixit eis. Quis est iste frater vester a vobis, valde laudatus, qui ab ordine vestro diuisionem abstulit? Et cum dicerent ei, quod appellabatur Magister Gauer, vir doctus, & bonis moribus honestatus, qui plures domos, & principaliores suæ Prouinciæ commendas laudabiliter rexerat, illum auctoritate Apostolica per modum prouisionis Priorem Barchinonæ creauit, vsque ad nouam electionem per Fratres Conuentuales faciendam, sub datum die 19. Iulij 1429. Erat per hæc tempora Magister Gauer, Commendator Perpiniani, & de his, quæ Barchinonæ acta erant, certior factus, corporalem Prioratus possessionem apprehendere noluit, nisi prius per Fratres Conuentuales eligeretur, iuxta Ordinis constitutiones; sicque eam distulit, vsque ad diem 18. mensis Augusti eiusdem anni, quo fuit canonicè per fratres electus.

B

C

1429.

Cardinalis legatus molestè ferens, quæ a Magistro Dullan fuerant petita, illum asciuit, dixitque ei Pater Pater non per viam bonam, & rectam incedis. Tu qui legum, & constitionum tuarum custos, & eas non custodientium rigidus, & seuerus (non pertransiens iustitiæ metam) punitor esse debes, quomodo in principio, & tui Magistratus initio, eas in tui fauorem infringere conaris, & à me (tacita veritate) iniusta petis? Caue igitur ne quid præter spem accidat tibi; & nouitates in ordine faciendo, & constitutionum tuarum obseruantiam contemnendo, querelæ contra te ad Suæ beatitudinis aures perueniant. Non tamen propter hoc, petitam sui magistratus confirmationem denegauit, aut distulit, sed statim auctoritate Apostolica eam concessit, sub datum eadem die 19. Iulij D

1429. 1429.

Frater Garsias de Menesses famosus, & celebris Concionator, dignissimus in Sacra Theologia Magister, nonnullas ex principalioribus in regnis Castellæ, & Portugalliæ cõmendas laudabiliter, & fructuosè rexit, & fuit (vt postea dicemus) Definitor Generalis, Vir vtique celebri memoria dignus, magna apud Regem, & Principes Castellæ pollens auctoritate; cum pro sua Prouincia Redemptor esset electus, pluresque aggregauisset elemosynas (fauore & gratia speciali Serenissimi Ioannis, Castellæ Regis, eius nominis secũdi, qui ad eũ effectũ ad supplicationẽ Fratris Garsiæ de Menesses pro Castella Redẽptoris quem Rex suum Capellanum, & familiarem appellat præcipit, & in sua regali charta mandat omnibus, & singulis &c. vt omni mora, & excusatione deposita pro uiribus curent omne opportunum auxilij genus in Oratoris fauorem impendere. Sub datum Burgis die 9. Nouembris eiusdem anni 1429.) cum suo socio Fratre Petro Martinez ex terris in Hispania a Mauris possessis 197. redemit Christi fideles, E

Liber. 197.

1430. Generalis Magister Frater Antonius Dullan celebrauit hoc anno 1430. quarta die Iunij suum primum Capitulum Generale, in Monasterio Montis albi. In quo inter alios

De-

A Definitores inter fuerunt Fr. Laurentius Filot, qui erat Commendator Vicij, seu Vich; Fr. Franciscus Iafer Commendator Valentiæ; Fr. Petrus Roure, Commendator Cæsaraguftę. Ex Prouincia Franciæ aduentauit Fr. Martinus Serrani Bacchalaureus in artibus. Sed ex Prouincia Castellæ, & Portugalliæ nullus comparuit.

Non sine magno totius urbis, & orbis dolore Martinus Papa V. obijt hoc anno 1431. die 21. Februarij in ciuitate Romæ. Post cuius mortem exequijsque lugubri pompa celebratis, quatuordecim Cardinales, qui Romæ remanserant, pro futuræ electionis loco, seu conclaui Sacrarium Monasterij S. Mariæ super Mineruam ordinis S. Dominici elegerunt. Conclaue igitur ingressi, post paucos dies quinto scilicet nonas Martij eiusdem anni in summum Pontificem vnanimes elegerunt Gabrielem Condelmerium natione Italum, Patria Venetum, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tituli Sancti Clementis; qui Eugenius Papa IIII appellari voluit. 1431.

B In fœstiuitate Penthecostes huius anni 1431 Magister ordinis voluit celebrare Capitulū Generale in prouincia Castellæ. Pro cuius celebrationis loco insigne nostri ordinis Monasterium Vallisoleti elegit, & omnes omnium Prouinciarum Definitores citauit, & conuocauit. Tempore igitur constituto plures grauissimi patres ex diuersis orbis partibus ad Comitia Generalia venerunt, & Generali Magistro parere voluerunt. At Barchinonæ Prior Fr. Natalis Gauer, & Fr. Antonius Acrimontis Vicarius perpetuus S. Mariæ de Podio Valentiæ, se excusantes, (quia attendebant capitula hęc non ad laudem Dei, neq; ad ordinis reformationem, sed ad Magistri Generalis commodum, & vtilitatem celebrari) dixerunt, se rata, & firma habere, & tenere omnia, & singula, quæ a patribus vnanimiter essent statuta, & ordinata. 1431.

Et vt hi boni patres, quod Magister ordinis destruebat, ipsi ædificarent, & restaurarent, C ad Alphonsum V. Aragoniæ Regem, hoc anno Barchinonæ commorantem confugerunt, eique humiliter supplicarunt, quatenus (Generali Magistro absente, in Castella Capitulum Generale celebrante) Fratri Redemptori per Priorem electo, ad vltra marinas partes pro nonnullis Christi fidelibus in euidenti mortis discrimine constitutis, liberandis, transgrediendi, & transeundi facultatem concedere dignaretur. (Erant enim tunc Reges Aragoniæ non solum protectores, sed quasi Superiores, quandam iurisdictionem in Ordinem exercentes, vt postea clarius innotescet.

Petita igitur licentia, & ab Alphonso quinto Aragoniæ Rege gratiosè concessa, sub Datum Barchinonę die 5. Iunij, 1431. prędatus Prior Frater Natalis Gauer in Redemptorem deputauit Fratrem Hieronymum de Pratis, non doctum, sed bonum, magis ordinis zelatorem, quam literarum possessorem. Erat hic vir simplex, & rectus recedens a malo omnibus 1431.
D diebus vitæ suæ; honores fugiebat, sed elemosynas pro redimendis Captiuis anxiè quærebat, & in magno numero recipiebat. Cui Dominus tantam gratiam dare dignatus est, vt plures elemosynas ipse solus sua simplicitate, & vitæ bonitate reciperet, quam duo Nuntij seu Procuratores Redemptionis concionando & prædicando. Hic ergo pro explendo sibi imposito munere, Nauim, quæ in Africam tendebat, ascendit; & ventorum vi agitatus Africanum tenuit litus. Et non procul a Ciuitate Tuneti dilitus, a militibus exercitus Regis Tuneti, cui nomen erat Bofferriz captus, & spoliatus fuit. Deinde quod esset Christianus, & à Rege Alphonso (vt falsò milites suspicabantur) explorator missus, suspensus in arbore, sagittis confixus est; ac multa bona Redemptionis inter milites Mauros (inscio Bofferriz Rege) diuisa, inutiliter perierunt; sed solus Fr. Hieronymus de Pratis cęlestes Thesauros, & diuitias nunquam deficientes lucratus est, ac inuenit.

E Concilium Basileæ (cuius acta valida sunt, & nonnulla nostro ordini concessit) celebrari cępit hoc anno 1431 die Iobis 19. Iulij, vt citò dicemus.

In Capitulo Generali proximè præterito, Vallisoleti celebrato, Generalis Magister Dullan, rerum nouarum cupidus, nonnulla ibi perpetrauit delicta, de quibus Ioannes Castellæ Rex, per Commendatorem eius Monasterij certior factus, maximè quod Redemptionis bona ex Castella extrahere, & in alios proprios vsus conuertere volebat, per suum Confessarium Magistro significauit, fore sibi valde iniucundum, si bona, quæ a Christi fidelibus pro liberandis miseris Captiuis erogabantur, ipse cōsumeret, & in nihilum redigeret; quod simulare, & permittere nolebat. Idcirco viarum custodibus, Portitoribus, & Saltuarijs sui Dominij publico edicto imposuit, vt vigiles essent; & nō permitterent, quod alienę Regionis Personæ cuiuscūque status, conditionis, aut Religionis essent etiam mili-

tarium ordinum, extra Castellæ regnum, pecunias, aut bona seu merces asportarent, aut A
extraherent; sed solùm ea, quæ cuiuscunque statui, & coditioni in via essent necessaria; sub
grauissimis pœnis in contrafacientes infligendis. Hac ignominia, & dedecore in Castella
Magister ordinis affectus (qui tam longe a sua praua consuetudine discedere debebat, vt mo
res suos iam emendasse, & correxisse, omnes subditi pro certo agnouissent;) deterior factus,
& in peius ruens, celebrauit hoc anno nonnullarum Prouinciarum quandam Congrega-
tionem, (quam tunc Capitulum prouinciale vocabant, vt videre est in plurimis locis Anna-
lium Magistri Gauer) in Ciuitate Turoli Patria sua die septima Iunij. 1432 Cuius Defi-
1432. nitores fuerunt Frater Bernardus Banxoles Commendator Dartulæ; Frater Bartholomęus
Dalmatij, Decretorum Doctor, Commendator Tolosæ; Fr. Ioannes de Banyars, Com-
mendator Pampilonæ; & Fr. Bernardus Blasij Cômendator Horiolæ, &c. In eo igitur Ca-
pitulo Magister ordinis Dullan, quasi securus in patria sua, animo audaci temerarius, sibi
nimis confidens, capituli Vallisoleti, & commissionis, seu mandati regis Castellæ sua culpa B
publicati omnino oblitus, malum neque futurum, neque præsens horrens, cępit nonnullos
Patres gratis molestare, alios carceribus mancipare, & Monasteria omnia nouis impositio-
nibus pro Magistratus sui expensis (vt ipse dicebat) opprimere.

Religiosos absentes bonæ opinionis, & famæ dehonestare, ac deformare non for-
midabat; præsertim Priorem Barchinonæ, (a quo Magistratum acceperat,) cuius adeptæ
per annos plures famæ, multum detrahere pro rostris conabatur. De quo in Capitulo co-
ram omnibus dicebat, esse hominem nimis elatum, & superbum, inobedientem, & conspi-
ratorem, qui non solum Magistro ordinis parere recusabat, sed suo pessimo exemplo alios,
(maximè Vicarium perpetuum Podij, Fr. Antonium Acrimontis, quem vt ad Capitulum
Generale non proficisceretur, suaserat, & hortatus fuerat;) inobedientes, & sui imitatores
effecerat. C

De eo quod ad Regem nostrũ contra aliquorum Fratrum tyrãnidẽ recursum habuerim
eiusq; implorauerim auxiliũ, aliqui (dicebat) conqueruntur per singulos dies. Hæc & simi-
lia mihi exprobrare, & obijcere solent. Ipsi vero me absente Generalia Comitia iuxta mu-
neris mei debitũ in Castella celebrante, & ordinis reformationi intento, Regẽ molestarunt,
Fratrem Hieronymum de Pratis feruidum Redemptionis Procuratorem, (qui valebat pro
mille) occiderũt, & bona oĩa quibus copiosa fieri poterat Redẽptio, Tuneti Regi, fidei ini-
mo, vt exercitum, quem aduersus Regem nostrũ parat, augere amplificareq; valeat, tradi-
derunt. Sed non impunè abibunt, vt sciat vnusquisque, quacunque præfulgeat digni-
tate, quomodo Magistrum ordinis etiam absentem venerari, & bona Redemptionis non
tangere debeat.

His minis territati omnes, nimiamque eius in regimine tyrannidem formidantes, omni- D
bus in ea Congregatione, seu capitulo prouinciali a magistro propositis, & petitis suum cõ-
sensum coacti præbuerunt.

Sed Deus suscitauit spiritum cuiusdam boni, & zelatoris viri, (cui nomen erat Fr. Bar-
tholomęus Blanchij) sanctitatis eximiæ, plurimis virtutibus exornati, in Decretis licen-
tiati, in eaque facultate valde docti, & versati, natione Galli, & nostri conuentus Ilerdæ
Commendatoris, qui minas Magistri Dullan quas audierat, viriliter contemnens propter
Religionis pacem, & honorem Carcassonam patriam suam abijt, ibique a Parentibus, &
propinquis, (qui diuites valde erant,) quæ sibi necessaria erant in uia recipiens, Curiam
Romanam petijt.

Igitur (diuina fauente gratia) de mense Augusti eius anni 1433 Vrbem Sanctam in-
1433. gressus, loca sancta prius visitauit, & se Domino, ac Sanctis eius commendauit. Memoria- E
le deinde Summo Pontifici Eugenio Quarto porrexit contra Magistrum Dullan; in quo
humiliter supplicabat quatenus sanctitas sua huiusmodi caussam videndam, & terminan-
dam in Hispaniæ partibus remitteret alicui Prælato Archiepiscopo siue Episcopo. Quod
memoriale sanctissimus prius ad referendum remisit Fratri Nicolao Albergato natione Ita-
lo, Patria Bononiensi, Religione Carthusiano, Bononiæ tunc Episcopo S. R. E. Presby-
tero Cardinali Tit. S. Crucis in Hierusalem. Qui post paucos dies Suæ Beatitudini retu-
lit; in hac caussa nullam exactam in Curia Romana haberi posse notitiam, eo quod præter
accusantem nullus comparuerat; sicque consonum fore iustis supplicantis precibus an-
nuere. Stante hac Cardinalis Bononiæ relatione Summus Pontifex deputauit in Iudicem
Commissarium D. Dalmatium de muro, Archiepiscopum Tarraconensem integerrimum
virum,

A virum, (de cuius vitæ integritate, scientia, & Religione probata Sanctissimus notitiam habebat,) vel eius Vicarium Generalem D. Petrum Olerij. Sub datum Romæ apud S. Petrũ pridie idus Octobris an. Domini 1433. sui Pontificatus an. 3. 1433.

Has Apostolicas literas Sanctus vir Frater Bartholomęus Blanchij, Fratri Magistro Gauer Barchinonæ Priori transmisit, ad effectum eas consignandi dicto Archiepiscopo, vel eius vicario, Iudicibus, & Apostolicis Commissarijs. Cuius commissionis transsumptum cum secreto m[illegible]do fuisset etiam ad Magistrum ordinis transmissum, timuit valde; sciebat enim Archiepiscopum, & eius vicarium rectitudine, & integritate esse præditos, qui nullius etiam regali interueniente instantia, aut precibus flecti inclinarique solebant. Ob id quanto citius potuit ad Prioris Barchinonæ benignitatem confugit, seque ei homo nimis elatus, ac superbus humiliare voluit; mittens ad eum Fratrem Iacobum lazari; virum sciẽtia præstantem, dexteritate pollentem, & domus Valentiæ Commendatorem, cum Priore B Barchinonæ maximis amicitiæ vinculis coniunctum. Accessit igitur Nuntius ad Priorem, & rogauit eum, ne præfatas commissionis literas Apostolicis Iudicibus traderet, aut ostenderet, sed earum effectum impediret; ne Magister ordinis iudicialiter extra ordinem citaretur, & traheretur, eiusq. delicta in Archiepiscopali Curia sęcularibus personis innotescerẽt, & nota fierent.

Insuper Valentiæ Commendator subiungebat, quod proculdubiò Magister Dullan, qui antea non ob Dei timorem, neque virtutis amorẽ à deprauata vita desistere voluerat, neque ob diuinũ amorẽ delinquere cessauerat; iã formidine pęnę in aliũ virum mutatus, suos cõponere mores, & blande iustèq; ordinẽ regere promiserat. Cuius precibus Prior inclinatus propter ordinis decorem commissionem Apostolicam suũ sortiri effectum distulit, eamq; retinuit; & ĩ[illegible] (pace inter Magistrum ordinis, & Priorem Barchinonæ inita,) potuit Ordo ali- C quantulum respirare, quia iam Magister [illegible]enter Priorem audiebat, & ordinis honorem quærebat.

Magister Generalis celebrauit hoc anno 1434 die quinta decima Aprilis Calatajubij Comitia Generalia; vbi grauissimi Definitores interfuerunt. Videlicet Fr. Natalis Gauer Barchinonæ Prior; Frater Petrus Bodetti, famosus Concionator, & in scripturis sacris valde versatus, qui erat Maleuillæ Commendator; Frater Dominicus de Monebregua insignis Theologus, & Calatajubij Commendator; præfatus Frater Iacobus Lazari solemnis in sacra Theologia Magister, Commendator Valentiæ; Frater Ioannes de Leon in scholasticis disputationibus ea tempestate, nemini secundus; & Magister Frater Garsias de menesses, de quo nupèr egimus. In eo capitulo Patres inter alia salubriter statuerunt; quod feruentius quam antea operi Redemptionis, & elemosynis procurandis Prouinciæ omnes in- D cumberent.

Et deniq; quod nomine Generalis Magistri, & fratrũ supplicaretur suæ Beatitudini pro confirmatione non solum bullarum, & literarum Apostolicarũ, sed etiam exemptionum, & & priuilegiorum regalium; quia Patres ordinis sanctissimæ Trinitatis molestare nostrũ institutum non cessabant. Sanctissimus ergo Eugenius IIII. ad supplicationem Generalis Magistri, & Fratrum nostri ordinis concessit bullas sequentes.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei; dilectis filijs Magistro Generali, & vniuersis fratribus Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quam etiam Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, gra- E to concurrentes assensu personas vestras, & loca, in quibus diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in pręsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis (præstante Domino) poteritis adipisci, sub B. Petri protectione suscipimus atq. nostra Omnesq; libertates, & immunitates a Prędecessoribus nostris, Romanis Põtificibus, siue per priuilegia, vel alias Indulgẽtias vobis, & ordini vestro indultas, neq. nõ libertates, & exeptiones secularium exactionũ a Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rõnabiliter vobis, & ordini vestro cõcessas, specialiter aũt Decimas, possessiones, iura, iurisdictiões, priuilegia, & alia bona vestra, sicut ea iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & p vos eidẽ ordini vestro auctoritate apostolica cõfirmamus, & p̄ntis scripti patrocinio cõmunimus; (salua in p̄dictis Decimis moderatione Cõcilij generalis.) Nulli ergo oĩno hominũ liceat hãc paginã nostrę confirmationis, & cõmunitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Florentiæ anno incarnationis Dominicę 1434. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno 4. A

1434. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro, & Fratribus Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorū, sub regula S. Augustini viuentibus, & ad Romanā Ecclesiam nullo medio pertinentibus, salutem, & apostolicā benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem nostri officij ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates, tam a fœlicis recordationis Bonifacio VIII. Alexandro IIII. & Clemente VI. quam ab alijs Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias Indulgentias vobis, & dicto ordini concessas; neq; non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, & alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & ordini prædicto indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem ordini auctoritate Apostolica confirmamus; & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius, se nouerit incursurum. Dat. Florentiæ anno incarnationis Dominicæ 1435. tertio idus B

1435. Ianuarij Pontificatus nostri anno 5.

Quo Magister Dullan non contentus, vt in sui Magistratus administratione solertior appareret, scripsit ad vniuersos, & singulos ordinis Prælatos, vt ad elemosynas conquęrēdas diligentes destinarent Procuratores, & Nuntios, & ad hunc effectum bullas, & gratias ordinis transsumi, & in auctenticam formam redigi per Diœcesanos procurarent. Ipse vero Magister in Patria sua Bullam Nicolai Papæ IV. (quæ faciebat ad suum propositum) trāssumi fecit per hæc vèrba. C

Franciscus Cedrilles in Decretis Bacchalaureus, Rector Parrochialis Ecclesiæ loci de Pancrudo officialis Turoli pro Domino Dalmatio Archiepiscopo Cæsaraugustano bullam Sanctissimi Domini nostri Nicolai Papæ IIII. Sub datum apud vrbem veterem nonas Augusti sui Pontificatus anno 4. per Dominum Ægidium de muros, Notarium publicari, & auctenticari fecit ad instantiam Domini Fratris Antonij Dullan Generalis Ordinis de Mercede 1436. die videlicet martis intitulata decima mensis Ianuarij.

1436. Sed est aduertendum quod in præfato instrumento, & copia auctentica Magister Dullan Dñus seu Don appellatur. Imo dū potuit, & valuit Titulo de Señoria appellari volebat. Qua deinceps inscriptione, & Titulo Magistri ordinis nonnulli, Barchinonæ sedentes denominari permittebant. D

Hæc omnia Magister Dullan, non Religionis zelo, sed ut subditis suis, maximè Sācto viro Fratri Bartholomęo Blanchij, in Curia Romana degenti, (quem timebat & metuebat) zelator, ac studiosus appareret, operari palam volebat; secreto tamen modo, à malo non declinabat. Quę vera esse inopinata eius Sancti Religiosi mors, manifestè indicauit. Qui quātò a fratribus omnium Prouinciarum ob suæ vitę candorem, Sanctimoniā, & reliquas virtutes in magno pretio habebatur, & ęstimabatur, tanto Magistro Dullan formidabilis erat. Sāctus igitur vir, videns Religionem oppressam, & conculcatam, voluit nationem, patriam, & commendam suam relinquere vt a tyrannide ordinem redimeret. Magna apud Summū Pontificem Eugenium IIII. pollebat auctoritate, eumque nonnulli S. R. E. Cardinales plurimi faciebant, pręsertim Dominus Ioannes de Rupe scissa, Archiepiscopus Rothomagensis, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Laurentij in Lucina, qui huius sancti viri Consilio in sacris Canonibus, & historicis rebus vti sæpe solebat. Eius mors Cardinali pijssimo maximopere displicuit, qui in vltima infirmitate sępe numero eum visitans, suauibus verbis, & prudenti, ac amicabili colloquio consolabatur. Generosa ingenuaque manu toto ęgritudinis tempore infirmo amico suis proprijs expensis ministrari iussit; & post mortē honorificè humari fecit. E

De quo notæ sanctimoniæ uiro inter alia fertur, quod ante quā de hoc mundo ad cęlestē transiret patriam, denunciata ei per peritos medicos propinqua morte, nihilo turbatus coram astantibus, sensibus integris dixit. Non de vicina morte dolore afficior, scio enim statutum esse hominibus semel mori; sed inter fratrum meorum manus in aliquo meę Religio-

A nis cœnobio, è vita migrare vellem. Sed fiat voluntas Dei; ob cuius amorem, & paternas mei ordinis leges, & constitutiones, non metui minas Magistri Dullan, & mortem obire (si domino placet) sum paratus, & contentus. Tantùm Supplico Deo, qui potens, misericors, & iustus est, superbisq; resistere solet, vt Magistrum Dullan ad pœnitentiam vocet, & ad viam bonam conuertat, aut de sede deponat, vt religio afflicta, & oppressa respirare valeat.

Et cum paulisper requiesceret, audiuit vocem dicentem sibi. Sicut Dullan te Romam venire fecit, & indebitè alios carceribus mancipauit, sic ipse Romam veniet, & carceribus trudetur. Quod rei probauit euentus, vt inferius dicemus.

Subsecuto tanti viri obitu, & vt Magister Dullan dicere impudenter solebat, hoc obstaculo de medio sublato, cœpit ipse Magister per viam non bonam effrenatus incedere.

B Et tantum abest, quod Magister Dullan admonitus, rogatus, & requisitus viam iniquitatis desereret, vt ordini grauiora dãna inferendo, nulla in eo correctionis spes manere videretur, & inemendabilis redderetur.

Et licet omnibus prouincijs plurima inferret damna, maiora tamen & grauiora (vt ait Magister Gauer) in domibus Regnorum Castellæ, & Portugalliæ intulit detrimenta. Nam ibi ad suum libitum (nulla constitionum seruata forma) Commendatores priuando, alios ad nutum instituendo, honestos, & virtutibus præditos per plures dies carceribus tyrannidè mancipando, ordinem ipsum quasi exterminauerat, & nõ erat, qui posset, aut auderet resistere ei.

Sed Deus benignus, & Clemens dedit virtutem, & fortitudinem suam Religiosissimo Viro Fratri Bernardo de Seuilla, dignissimo in Sacra Theologia Magistro, omni scientia-

C rum genere, & arte oratoria facundo, nostri Conuentus Hispalensis Commendatori; qui similiter volens ordinem oppressum, & afflictum a tyrannide liberare, certior factus de morte Sancti viri Fratris Bartholomęi Blanchij recursum personaliter habuit ad Summum Pontificem Eugenium Quartum Bononiæ cum sua Curia Romana sedentem. A quo summis contendit precibus, vt in caussa Magistri Dullan Iudicem Apostolicum sibi dare dignaretur. Oratoris igitur precibus Sanctissimus inclinatus, caussæ cognitionem cum ampla facultate commisit Domino Dominico Capranica, natione Italo, patria Romano, S. R. E. Diacono Cardinali Tituli Sanctæ Mariæ in via lata; qui fuit postea Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem. Cuius eximia doctrina, & vitæ integritas, plurimùm apud Romanos Pontifices valuit, multùmque pro Romana Ecclesia, & eius pace insudauit.

D Cardinalis igitur Iudex Apostolicus a sua Beatitudine deputatus, in primis, & ante omnia Magistrum Dullan ad personaliter comparendum vbicunque esset Romana Curia, præfigendo ei terminum, citari fecit. Sub datum Bononiæ, quinta die Iunij huius anni 1436. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Eugenij Quarti anno sexto. Has apostolicas commissionis, & citationis literas Commendator Hispalensis Frater Bernardus de 1436.
Seuilla, Fratri Natali Gauer Barchinonæ Priori transmisit; qui similiter hac secunda vice, eas retinuit; ne caussa Magistri Dullan in Romana Curia agitaretur. Sed se excusando, scripsit Commendatori Hispalensi, plures non parui momenti caussas adducendo, quibus motus literas Apostolicas suum sortiri effectum non permiserat. Deinde ascito Magistro Dullan eas literas ostendit, dixitque ei.

Vide pater noster, in quo religio Sancta, a gloriosissima Dei Matre diuinitùs fundata

E (ob tuam culpam) versetur discrimine. Quid tibi dicam, me nescire prorsus confiteor. Nihil aliud auditur, quàm contra te querelę, accusationes, & citationes. Ante supremum in terris tribunal, & Christi Vicarium, tua noua, & vetera innotescunt delicta. Ad preces Commendatoris Valentiæ hisce diebus Apostolicas commissionis literas Archiepiscopo Tarraconensi directas consignare tanto Iudici nolui; ne iterum vt in lite cum Fratribus Sanctissimæ Trinitatis, te excommunicationis nodis ligatum teneret. Quod ob religionis decorẽ, cogitans te, vt pollicitus es, tuos mores in melius mutaturum facere libenter volui.

Sed deinde in regnis prouincię Castellę, quę in electione tui magistratus pro viribus opẽ tibi tulit; ea perpetrare non erubuisti delicta, quę cõmendatorẽ Hispalensem ad Romanã Curiã recursum habere coegerũt. A Gallia, à Bœthica, & ab extremis Religionis, filij tui insur-

gunt contra te. Faxit Deus quod qui sunt a latere tuo persecutionem nouam ne (vt audio) inchoare velint; Quod proculdubio erit tua omninò pernicies. Ipse verò se esse immerentem, & culpæ expertem plurimis adductis excusationibus conabatur. Multum mihi (dicebat) est cum inuidis negotij. Non boni sed inuidi me gratis persequuntur; ipsi liuore disrumpuntur, quòd non ipsis, sed bene merentibus, & solertibus viris officia ordinis contulerim. Attende pater quod, ad meam instantiam, tempore mei Magistratus sedes Apostolica ordini nostro fauores, & gratias contulit plurimas. In Castella, & Francia, qui (me absente) Constitutiones ordinis executioni demandari curarent, & Prouincialibus ad subditorum fauorem (si, & quando ratio necessitasq; exposcerent,) obsisterent, optimos, ac scientia præstantes, Generales constitui Vicarios; eis sub obedientiæ præcepto iniungendo, vt Apostolicis literis in auctenticā formā redigendis, elemosynis procurandis, & Captiuis redimendis operam accuratè nauarent; (vt videre est in patentibus literis a me emanatis.) Quorum in suis respectiuè iurisdictionibus vices meas gerentium, Religionis zelum, animi rectitudinem, & adhibitam in custodiendis Capituli Generalis ordinationibus bonā debitamq; solertiam nonnulli Fratres abhorrentes, & vt liberius, absque obedientiæ iugo, vitam minus religiosam extra claustra degant, Italiam petierunt; grauem in eos, & in me ad Summum Pontificem deferentes querelam. Quæ omnia a me benè gesta licet manifesta, & ad oculum pateant, nihilque ob id esset mihi timendum, de tua tamen sana mente, probataque intentione certior factus, eo quod ad ea, quæ pacis sunt, te propensum sum expertus, immortales tibi gratias ago, tuasque admonitiones mihi factas sicut audire patienter non dedignor, sic opere comp[l]ere promitto.

Ex his Vicarijs Generalibus a magistro ordinis creatis, fuit vnus pro prouincia Franciæ Frater Ioannes Teill, qui iuxta præceptum ab eodē generali Magistro sib. impositum Bullā Eugenij Papæ IV. transsumi, pluraque ex ea in forma auctentica transsumpta per officialem Auenionensem fieri curauit in hunc modum.

Vniuersis & singulis præsens transsumptum, seu vidimus, aut publicum instrumentum inspecturis, visuris, lecturis, atque etiam audituris; nos Ioannes Bianchat[?] Decretorum doctor, Præpositus Ecclesiæ Cauallicen̄, officialis Auenionis, die subscripta vidimus, tenuimus, palpauimus, legimus, inspeximus, ac de verbo ad verbum per Magistrum Gulielmum Laurent[i]j Clericum Auenionen̄, publicum Apostolica, & Imperiali auctoritatibus, Curiæ q; Episcopalis Auenionen̄ Notarium, & scribam iuratum subscriptum, exemplari, & publicari fecimus, & mandauimus quasdam literas Apostolicas in pergameno scriptas à Sanctissimo in Christo Patre, & Domino nostro Domino Eugenio diuina prouidentia Papa Quarto emanatas, eiusque vera bulla plumbea cum filis sericis rubei croceique colorum impendenti, more Romanæ Curiæ bullatas, sanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsùs vitio, & suspitione carentes, nobis per venerabilem Religiosum virum Fratrem Ioannem Teill Vicarium domus B. Mariæ de Mercede, alias de miraculis Auenionen̄ Redemptionis Captiuorum vice & nomine totius ordinis præsentatas. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum, prout ecce.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei: dilectis filijs Magistro, & Fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, sub regula Sancti Augustini viuentibus, & ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus; salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, &c. vt supra. Sub datum Floren-
1435. tiæ anno incarnationis Dominicæ 1435 tertio idus Ianuarij Pontificatus nostri anno quinto.

Cui quidem dictarum literarum Apostolicarum inspectioni, visioni, lectioni, & publicationi nos officialis Auenionen̄ præfatus iuxta siue prope domū nostrā supra quandā sedē lapideā, quē locum ad actum huiusmodi nobis pro tribunali elegimus instante, & requirente dicto Fratre Ioanne Teill Vicario quo supra nomine auctoritatem nostram, & dictę Curię Episcopalis Auenionen̄ interponimus, & tenore pręsentium interponimus pariter & &decretum; & tantā fidem adhiberi volumus, & decernimus huic præsenti transsumpto, seu vidimus, & publico instrumento, quanta adhiberetur literis Apostolicis originalibus præinsertis, videlicet in agendis. De quibus omnibus, & singulis supradictis dictus Fr. Ioannes Vicarius, quo supra nomine petijt, & requisiuit; &c.

Et

A Et nos officialis Aueniones præfatus eidem concessimus fieri, & tradi vnum, & plura publicum, & publica instrumentum, & instrumenta per dictum Notarium, & scribam supra, & infrascriptum vna cum appendeñ bullæ plumbeæ dictæ Curiæ Episcopalis Aueniones, in testimonium præmissorum. Acta fuerunt hæc Aueniones vbi supra præsentibus nobilibus, & dilectis viris hebdomadario de Podio vallis Iacobo Bramabatollis Procuratore Fiscali dictæ Curiæ; Antonio Baudeti, & Henzigueto Carlerij Calsaterio Tutuleñ, & laudaneñ Diœcesum habitantibus Aueniones testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis. Sub anno incarnationis Domini 1436. indict. 14. & die xij. mensis Iulij, Pontificatus præfati Domini nostri Eugenij Papæ Quarti anno sexto, &c. Eugenius Papa Quartus ad supplicationem Generalis Magistri Dullan confirmat nostra priuilegia, &c concessa a Romanis Pontificibus suis prædecessoribus, & in specie ab Alex. IV. Clemente V. Vrbano IV. & Nicolao III. Cuius Bullæ tenor talis est.

B Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Magistro, & Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus; salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates, tàm à fœlicis recordationis Alexandro Quarto, Clemente Quinto, Vrbano Quarto, & Nicolao III.) quàm ab alijs Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, siue alias Indulgentias vobis, & dicto ordini concessas neque non libertates,

C & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & præfato ordini indultas, sicut eas iustè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem ordini auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Bononiæ anno incarnationis Dominicæ 1436 quinto nonas Octobris, Pontificatus nostri anno 6.

Frater Antonius Dullan Magister ordinis celebrauit quandam Congregationem die 27. Aprilis 1437. in villa Acrimontis; in qua fratres definitores Prouinciarum Franciæ, 1437.

D Cathaloniæ, Aragoniæ, & Valentiæ interesse voluit: Alij etiam patres grauissimi, licet non definitores, accedere voluerunt, pro caussis suis ibi tractandis. Nihil in hoc Capitulo Magister proposuit, quod in decorem vtilitatemque cederet Religionis; aut aliquo modo constitutionum obseruantiam, vel ordinis reformationem (vt in capitulis fieri solet,) sapere videretur. Sed omnia à se intentata, aut procurata in propriam ipsius vtilitatem venire volebat.

Et ob id quidam Sanctimonia, & scientia præstantes Patres, videlicet Frater Laurentius Company, Commendator Sanctæ Mariæ de Podio, Frater Bartholomæus Dalmatij Decretorum doctor, Frater Laurentius Filol Commendator Vicij, Frater Franciscus Podij Commendator Maioricarum, & alij, nouitatibus à Magistro Dullan propositis suum assensum dare recusantes, ad Magistrum Gauer Barchinonæ Priorem accedentes,

E modesta verborum forma, & modo increpabant eum dicentes; quod iustitiæ executionem retardando, omnium malorum, quæ in religione fiebant, erat potissima caussa, eorumque particeps. Pro Religionis honore, ac commodo (dicebant) & pro fratribus nostris a Tyrannide liberandis meliores nostræ Religionis Patres in longinquam regionem abierunt, & animas suas ponere non dubitarunt; nos tamen intra nostræ patriæ fines, in domibus nostris degentes, his qui Religionem defendunt, opem ferre nolumus.

Denique Priorem instarunt, vt ad instar suorum Prædecessorum Religionem tutaretur, eiusque susciperet defensionem; & secùs faciendo, se ad Sedem Apostolicam contra ipsum Priorem recursum habituros interminati sunt. Tunc Prior instatus, & requisitus aduocauit secretò in eodem Capitulo Magistrum Dullan, & postea in eccle-

fia coram duobus testibus ipsius Magistri amicis, vt adimpleret de correctione præceptum (à quo nullus etiam Superior si ita expediat, liber esse debet,) dixitque ei, ne tot in ordine perpetraret nouitates, sed reformationi, qua religio indigebat, sedulò nauaret operam. Quæ cum nihil proficerent, Magistro, & Definitoribus capitulariter Congregatis præsentauit Prior quandam præmonitionem, seu editionem in scriptis viginti duo in duobus folijs capita continentem. Quæ omnia similiter Magister ordinis parui pendendo, finem Capitulo imposuit dicendo; non est modò tempus in tàm morosa, & longa tot capitum recitatione immorandi; ad alia grauiora, quæ instant peragenda, negotia pergamus. A

Sed dum hæc diffidia, & dissensiones in dominio Regis Aragoniæ sedantur, aut (nostris exigentibus demeritis) augentur, ad Castellam reuertamur. In qua Patres (ne Religio quasi fracta & rupta maius detrimentum pateretur) suis conabàtur viribus, eam nouis gratijs, & Regum fauoribus firmam reddere, atque solidare. Sed qui hoc negotium maiori conatu suis humeris imponere voluit, sicut in maiori dignitate, strictiorique obligatione astrictus, fuit venerandus Pater Frater Petrus de Valentia, in Sacra Theologia dignissimus, & consultissimus Magister, qui eam per plures annos docuit, & legit; famosus Concionator quem Reges, & Principes, ac Magnates audire, neque non Populi quibus ad templa introire licebat summa dulcedine, & ingenti applausu, auidissimè auscultare nitebantur; eo quod in concionibus ita disertus, & sententiosus vultu sereno voceque suaui se astantibus accommodabat, vt nihil in homine desiderari posset. Vnde apud omnes erat valde gratiosus, & sua auctoritate, ac publica adepta fama, quod magister suis actibus destruebat, Castellæ Prouincialis reparare curabat. Accessit igitur Prouincialis ad Regem, & ab eo omnium priuilegiorum per suos Prædecessores nostro ordini concessorum confirmationem sibi concedi humiliter supplicauit. Cuius supplicationibus Rex inclinatus, suis Consiliarijs videnda, examinanda, & confirmanda nostra priuilegia commisit. Quā regiā commissionē, & priuilegium inde in amplissima forma expediendа, & omnium Consiliariorum subscriptionibus roboranda idiomate antiquo Hispanico sicut in auctentica forma extraximus, hìc ad maiorem rei veritatem inserimus. B C

Yo el Rey fago saber à vos el mi Chanciller, y Notarios, y Escriuanos que estan a la tabla de los mis sellos, que el Mastro Prouincial dela orden de Santa Maria de la Merced, me fizo relacion por su peticion, que ante mi presento en el mi consejo, diziendo que la dicha orden tiene ciertos preuilegios de los Reyes de esclarecida memoria, donde io vengo, con que se execute la demanda dela Redempcion de los Captiuos, y que por estar en muchas cartas, y preuilegios, que se les siguen grandes costas, y missiones, y la demanda no ha la execucion que deue. E pidiome por merced, que sobre ello le mandasse proueer, mandandole dar mi carta para vosotros sobre esta razon, y yo tuue lo por bien, por que vos mando, que veades las dichas cartas, y preuilegios que sobre esta razon vos seran mostrados. E si tales son que merecen auer confirmacion que gelos confirmedes todos en vno en la forma comun, y acostumbrada, no embargante, que el tiempo por mi limitado, que mande confirmar los preuilegios de los mis reynos es passado. E los vnos, nin los otros non fagades, nin fagan en de al, so pena de la mi merced. Fecho en 29. dias de Junio año del D E

1437. *nascimiento de nuestro Señor Jesu Christo 1437. Yo el Rey. Yo Gomez Fernandez de cordoba la fize escriuir por mandado de nuestro Señor el Rey. Acordada en Consejo. Toletanus. Registrada.*

Ob:

A Obtenta præfata regia prouisione,& fauorabili cedula dictus Fr. Petrus de Valentia Prouincialis Castellæ nullis parcens laboribus, & quascunque parui pendens expensas, omnibus, & singulis sui Prouincialatus scripsit Monasterijs, eorum ordinarijs Superioribus iniungendo, sedulò darent operam, vt in auctenticam formam omnia priuilegia regia nostro ordini ab Hispaniæ Regibus concessa, ad Monasterium nostrum Vallisoleti transmittent. Quæ domorum Commendatores, seu Præsidentes transmittere non tardarunt. Tunc Prouincialis ad maiorem abundantiam ex his priuilegiis sexaginta fieri iussit transsumpta; eaque singula singulis personaliter distribuit Consiliarijs, rogans eos, vt ordinem nostrum commendatum habere, & institutum nostrum de redimendis Captiuis, fauoribus prosequi, ac nostra priuilegia confirmare dignarentur. Quæ per eos bene visa, & attente considerata, discussa, & euentilata, digna iudicata sunt, vt a Rege confirmarentur. Vnde Regi relata, solemni applausu,& voto confirmata sunt, & suis subscriptionibus in amplissima forma
B roborata. Cuius confirmationis priuilegij tenor idiomate Hispanico antiquo hic appositus, talis est.

E agora el Maestro Fray Pedro de Valencia Prouincial de la orden de Santa Maria dela Merced por si, y en nombre dela dicha orden de Santa Maria dela Merced, y de los Frayles della, pidiome Merced que les confirmasse las dichas cartas, y preuilegios de suso encorporadas, y todo lo en ellas, y en cada vna dellas contenido, y cada parte dello, y gelo mandasse guardar, y complir. E yo el
C sobre dicho Rey Don Ioan por fazer bien, y merced al dicho Maestro Prouincial, y ala dicha orden de Santa Maria dela Merced, y frayles della, touelo por bien, y confirmoles las dichas cartas, y preuilegios, y cada vna dellas, y todo lo en ellas, y en cada vna dellas contenido, y cada parte dello. E mando que les vala, y sea guardado si, y segun que mejor, y mas cumplidamente les valio, y fue guardado en tiempo del Rey Don Enrique mi visabuelo, y del Rey Don Iuan mi abuelo, y del Rey Don Enrique mi padre, y mi Señor de esclarescida memoria, que Dios aya, y delos otros Reyes passados mis antecessores, y en el mio Fasta à qui. E de
D fiendo firmemente, que ninguno, nin algunos non sean osados deles yr, nin passar contra las dichas cartas, y preuilegios, nin contra alguna dellas, nin contra lo en ellas, y en cada vna dellas contenido, nin contra parte dello; è a qualquier que lo fiziesse habria la mi yra, y pecharmeya las penas en las dichas cartas, y preuilegios contenidas, y al dicho Prouincial, y orden, y frayles della, o aquien su voz touiesse, todas las costas, y daños, y menoscabos que por ende recibiessen dol la dos. E de mas mando à los de mi consejo, y oydores dela mi audiencia, y al mi justicia mayor, y alos mis adelantados, y merinos, y a sus lugares tenientes, y a todas
E otras, y qualesquier justicias, y officiales dela mi casa, y corte, y chancilleria, y delos mis reynos, y señorios do esto acaesciere, assi alos que agora son, como alos que seran de aqui adelante, y a cada uno dellos, que gelo non consientan, mas que los defiendan, y amparen en lo en las dichas cartas, y preuilegios contenido, y en cada parte dello, y con ellas en la manera que dicha es; y que prendan en bienes de aquel, o aquellos que contra ello, o contra parte dello fueren, a paßaren por las dichas penas contenidas en las dichas cortas y preuilegios y las guarden para

fazer

fazer dellas lo que la mi merced fuere; y que emienden y fagan emendar al dicho Prouincial, y ala dicha orden, y frayles della, o aquien su voz touiere delos dichos daños y menoscabos, que por ende rescibieren doblados como dicho es. Edemas por qualquier, o qualesquier por quien fincare delo ansi fazer, y complir, mando al home que les esta mi carta de preuilegio, o el treslado della, autorizado de manera, que faga fee mostrare, que los emplaze que parescan ante mi en la mi corte del dia que los emplazare fasta quinze dias primeros siguientes sola dicha pena à cada vno adezir por qual razon non se comple mi mandado. E mando sola dicha pena a qual quier escriuano publico que para esto fuere llamado que dè ende al que vos lo mostrare testimonio signado con su signo, por que yo sepa en como se cumple mi mandado. Edesto les mande dar esta mi carta de preuilegio escripta en pargamino de cuero, y sellada con mi sello de plomo pendiente en filos de seda. Dada en la noble villa de Valladolid, 20 dias del mes de Mayo año del nascimienco de nue-
1438. *stro Saluador Iesu Christo de 1438.*

E yo el sobre dicho Rey Don Iuan reynante en vno con la reyna doña Maria mi muger, y con el Prencipe Don Enrique mi hijo en Castilla, en Leon, en Toledo, en Galizia, en Seuilla, en Cordoua, en Murcia, en Iaen, en Baeça, en Badajoz, en Algarue, en Algezira, en Vizcaya, en Molina; otorgo este preuilegio.

Confirma Don Aluaro de Luna Conde estable de Castilla, Conde de Santisteuan.

Confirma Don Fadrique primo del Rey, Almirante mayor de la mar.

Confirma Don Juan Conde de niebla vasallo de Rey.

Confirma Don Luis de Guzman Maestre dela orden dela Caualleria de Calatraua.

Confirma Don Rodrigo Alphonso Pimentel Conde de Benauente vasallo del Rey.

Confirma Don Luis de la Cerda Conde de Medina celi vasallo del Rey.

Confirma Don Juan Conde de Armeniaque y de Cangas y Tineo vasallo del Rey.

Confirma Don Juan Manrique Conde de Castañeda Chanciller mayor del Rey.

Confirma Don Pedro Ponçe de Leon Conde de Medellin señor de Marchena.

Confirma Don Pedro Niño Conde de Huelua señor de Cigales.

Confirma Don Iuan Arçobispo de Toledo primado de las Españas Chanciller mayor de Castilla.

Confirma Don Lope de Mēdoza Arzobispo de Sātiaga Capellan mayordel Rey.

Confirma Don Alonso de Santa Maria obispo de Burgos.

Confirma Don Gutierre obispo de Palencia.

Confirma Don Alonso Carrillo Protonotario de nuestro padre administrador perpetuo dela Iglesia de siguenza.

Con-

A *Confirma la Iglesia de Segouia vaca.*
Confirma Don Aluaro obispo de Cuenca.
Confirma Don Fray Diego obispo de Cartagena.
Confirma Don Gonzalo obispo de Cordoua. Confirma Don Juan obispo de Cadiz. Confirma Don Gonzalo obispo de Jaen.
confirma Don Diego obispo de Calahorra.
Confirma Don Juan de Ceruantes Cardenal de S. Pedro, Administrador perpetuo de la Iglesia de Auila.

B *Confirma Don Gonzalo obispo de Placencia.*
Confirma la Iglesia de Seuilla vaca. confirma la Iglesia de Leon vaca.
Confirma Don Diego obispo de Ouiedo. confirma Don Pedro obispo de Osma.
Confirma Don Pedro obispo de Zamora. confirma Don Sancho obispo de Salamanca. Confirma Don Fray Juan obispo de Badajoz.
confirma Don Diego obispo de Orenes. Confirma Don Sancho obispo de Astorga. Confirma Don Alonso obispo de Ciudad Rodrigo.
Confirma Don Juan obispo de Tuy. confirma Don Pedro obispo de Mon-
C *doñedo. Confirma Don Aluaro obispo de Lugo. confirma la Iglesia de coria vaca. confirma Pedro Sarmiento Repostero mayor del Rey.*
Confirma Juan Ramirez de Arellano Señor de los Cameros.
Confirma Iñigo Lopez de Mendoza Señor de la Vega.
Confirma Don Pedro de Gueuara Señor de Oñate vassallo del Rey.
Confirma Pedro de Ayala Merino mayor de Guipuzcoa.
confirma Pero Lopez de Ayala aposentador mayor del Rey y su alcalde mayor de Toledo.

D *Confirma Don Alonso de Guzman Señor de Lepe, vasallo del Rey.*
Confirma Don Alonso de Guzman Señor de Orgaz Alguazil mayor de Seuilla vasallo del Rey.
confirma Pero Aluarez Osorio Señor de villalobos y de castrouerde Alferez mayor del Rey del pendon dela deuisa.
Confirma Pedro de Quiñones Merino mayor de Asturias.
Confirma Pero Garcia de Ferrera Mariscal de Castilla vasallo del Rey.
Confirma Diego Fernandez Señor de Vaena Mariscal de Castilla.
E *Confirma Don Fray Gutierre de sotomayor Maestre de Alcantara.*
Confirma Don Fray Rodrigo de Luna Prior de la casa de San Iuan.
Confirma Pero Manrique Adelantado, y Notario mayor del Reyno de Leon.
Confirma Perafan de Ribera Adelantado, y Notario mayor del Andaluzia.
Confirma Diego Sarmiento Adelantado mayor de Galizia.
Confirma Alfonsianes Fajardo Adelantado mayor del reyno de Murcia.

Confirma Don Pedro de Stuniga Conde de Ledesma, Justicia mayor de casa del Rey. A

Confirma Don Pedro Fernandez de Haro camarero mayor del Rey.

Confirma Sancho de Touar Señor de Ceuico Guarda mayor del Rey.

Yo Garci Sanchez de Valladolid escriuano del dicho Señor Rey Lofize escriuir por su mandado. Jannes licentiatus. Ferdinandus legum Doctor.

Quia Concilij Basileensis acta, & Fœlicis quinti Antipapæ gesta, valida fuerunt, nostroque ordini aliqua concesserunt, ideo circa eius Concilij erectionem, & durationem, ac præfati Antipapæ creationem aliqua in medium adducere oportet. B

Martinus igitur Papa V. iuxta Sacræ Constantiensis Sinodi præscriptum ad mores, tàm clericorum, quàm laicorum componendos, & ad alia reformanda Concilium Basileæ celebrari iussit; & Iulianum Cęsarinum, patria Romanum, Episcopum Cardinalem Tusculanum, maiorem pęnitentiarium Archipresbyterum Sancti Petri Legatum ad hoc Concilium mandauit.

Subsecutò deinde huius Pontificis obitu Eugenius Papa Quartus, qui (vt diximus) Martino successit, idem Concilium confirmauit, eidemq; legato, vt in eo præesset suam similiter facultatem dedit. Quod Concilium auctoritate Apostolica indubitati Romani Pontificis fuit inchoatum 14 Cal. Augusti anno Domini 1431. & durauit vsq; ad annum 1443. die 17. Calen. Iulij.

1443.

Hoc Concilium Eugenius Papa IIII. ob nonnullas caussas suum animum mouentes (Legato Apostolico reuocato) dissolui iussit, & Ferrariam transtulit. At verò repentina in Ciuitate Ferrariæ ingrauescente peste Florentiam transferri voluit. C

Quam translationem Patres Concilij Basileensis ægrè ferentes, contra suum legitimum Pastorem, & verum Ecclesiæ caput insurrexerunt; & Ludouicum Alamanum Archiepiscopum Arelatensem, natione Gallum, Presbyterum Cardinalem Sanctæ Cæciliæ in suum Ducem, & Pastorem elegerunt. Quo non contenti verum Christi Vicarium Eugenium Quartum, quem venerari, vt suum Superiorem debuerant, (ac si esset subditus,) vt ad concilium vnà cum suis Cardinalibus accederet, sæpe citare non erubuerunt. Imo (quod grauissimum fuit) Summum Pontificem accedere recusantem ausi sunt in publica sess. 34. habita die 7. Cal. Iulij 1439. de facto licet non de iure Papatu priuare. Ea stante priuatione Cardinalis Concilij Præsidens, & multi alij Episcopi ibidèm Congregati ad nouum Pontificem creandum processerunt. D

Et Constantiensis Concilij æmulatores, & imitatores effecti, ex quatuor nationibus, quę ibi aderant Italica scilicet, Gallica, Hispanica, & Germanica octo pro vna quaq; natione, duos, & triginta viros, Episcopos, & Abbates in ordine Sacerdotali cõstitutos in noui Pontificis Electores deputarunt.

Hi igitur Electores vnà cum Concilij Præsidente pro loco conclauis Palatium Episcopale elegerunt. In quo omnes Congregati Amedeum olim Subaudiæ Ducem, in solitudine vitam sanctam, ab hominibus segregatam, & Eremiticam degentem suæque spirituali saluti intentum in totius orbis caput, & Summum Pontificem contra Eugenium Quartum, legitimum Papam eligere non renuerunt. Qui electioni de sua persona factæ suum consensum præbens, Fœlix quintus appellari voluit; & ac si esset verus Pontifex, & non esset alius in terra, viginti quatuor in diuersis temporibus creauit Cardinales. Sed post Eugenij Papæ mortem, in summum Pontificem Nicolao Quinto suffecto, tunc Fœlix antipapa ad supplicationem Friderici Imperatoris se Pontificatu, quem vsurpauerat annos nouem, menses quinque, & dies septem spontè abdicauit. Cuius rei caussa rebus sedatis Nicolaus Papa Quintus gesta a Concilio Basileensi, & a Fœlici Antipapa, confirmauit. Cuius confirmationis bullæ tenor (multis breuitatis caussa demptis) talis est. E

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, &c. vt pacis qua nihil desiderabilius in vniuersali Ecclesia, amplissimè diffundatur, & perduret Serenitas, &c. Dum percepimus Amedeum primum Cardinalem Episcopum Sabinensem, in nonnullis prouincijs Apostolicæ

A licæ sedis Legatū, Vicariumq; perpetuum, Fœlicem Papā V. tunc in sua obedientia nominatum, iuri quod in Papatu asserebat se habere ad huiusmodi pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse; eos vero qui Basileæ, postmodum lausanæ sub nomine Generalis Concilij hactenus Congregati permanserunt, ordinasse & publicasse nobis tamquam vnico, ac indubitato Summo Pontifici obediendum esse a cunctis fidelibus, & præfatam Lausanensem dissoluisse congregationem; omnia per Amedeum, aut per Concilium Basileæ facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata etiam si maiora, aut alterius cuiuscunq; naturæ a pręmissis existant, & specialem requirant expressionem (quæ volumus, & decernimus pro expressis specificè haberi cum omnibus, & singulis inde secutis;) ac etiam omnia, & singula per ordinarios in dictis locis facta pro bono pacis, & vnionis Ecclesiæ motu proprio de consilio, & assensu venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, præsentium serie approbamus, ratificamus, & etiam confirmamus, rataq, & firma haberi volumus. Sub datum Spoleti anno incarnationis Dominicæ 1443 quatuor decimo Cal. Iulij Pontific. nostri anno 3.

B Dum Generale Concilium Basileæ celebrabatur, tanta erat apud omnes in æstimatione, vt Principes terræ, Ecclesiæ Pastores, & Religiosæ personæ illud venerantes in caussis suis ad illud confugerent. Cum igitur Magistri Generalis Dullan delinquendi consuetudo ita naturam eius deprauasset, ut mala opera à se cōmissa, aut nulla, aut parua esse crederet; nullaque iàm quod in rectā veritatis viam redire vellet, remaneret spes; surrexerunt contra eum tres Religiosissimi viri, Fr. Antonius Agramunt Vicarius perpetuus Podij, Fr. Guilelmus Balaguerij, & Fr. Lupus de Ossacia, qui ad pręfatum Concilium Basileæ recursum habētes, adminiculo secretò Domini Georgij Episcopi Vicensis, in eo Concilio Alphonsi Aragonū Regis Ambasciatoris, neq; non Domini Bernardi de Busco Canonici Ilerdensis, ac Raymūdi Allioli canonici Tirasonensis magna æstimatione auctoritateq; inter patres ibi congregatos pollentium, impetrarunt Iudicem cōtra magistrum Dullan, qui fuit Archiepiscopus Cęsaraugustanus, vel officialis Tarraconensis, quilibet eorum insolidum; sub datum Basileæ 6 Idus Aprilis huius anni 1438. Quæ commissio (vt partes litigantes liberiùs, facilius, & commodius ad Iudicem delegatum toties quoties esset opus accedere illumq; informare valerent,) fuit præsentata officiali Tarraconensi, de mense Iunij eiusdem anni. Quam commissionem Apostolicus Iudex acceptauit, & vigore eius Magistrum Dullan ad personaliter comparendum citauit, & coram se venire iussit; sub datum Tarraconæ die 5. Iulij eiusdē anni. Qui citatus Iudicis rectitudinem formidans comparere recusauit, appellando ad idem Concilium melius informandum. Qua appellatione interposita, ac admissa Vicarius, seu Rector perpetuus Podij Fr. Antonius Acrimontis reuersus est ad concilium. Et licet a nonnullis nostri ordinis Fratribus esset instatus, vt ad Fœlicem V. Antipapam ad Hispanię res valde propensum haberet recursum (qui die 17. Decemb. 1439. electionē de sua persona per patres Concilij factam acceptauerat,) ad idem Concilium vbi antea beneuolos inuenerat Iudices adire decreuit; in quo iam Fratrem Ioannem Segales ordinis Procuratorem omnium virtutum genere præditum, magna æstimatione virum, moram ibi trahentem adinuenit. Hi igitur boni patres ne in litibus, & sui ordinis obliti tēpus inutiliter cōterere viderentur; pro confirmatione nostrarum Indulgentiarū instarunt. Quorum precibus concilium inclinatum confirmauit omnes & singulas nostri ordinis indulgentias, gratias, & priuilegia in amplissima forma; vt videre est in actis eius concilij; sub datum die 8. idus Februarij 1440. Cuius confirmationis tenor talis est.

C ... 1438. — D ... 1439. — 1440.

Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitimè congregata vniuersalem Ecclesiam repręsentans, dilectis Ecclesię filijs Generali Magistro, & fratribus ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ministerium nostrum quo vniuersali Ecclesiæ afficimur, ad debitum perducatur effectum. Sanè pro parte vestra nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus vobis, ordini vestro, & Ecclesijs, ac Monasterijs vestris super priuilegijs, Indulgētijs, bonis, libertatibus, immunitatibus, consuetudinibus honestis, & præscriptis dudum vobis concessis, (vt illibata permaneāt) robur nostræ cōfirmationis, & renouationis adijcere de benignitate nostra dignaremur. Nos igitur, qui pro tuitione, & defensione Ecclesiarum, bonorū, & consuetudinum præscriptarum, ac personarum ecclesiasticarum feruētur laboramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes libertates, gratias, immunitates, prærogatiuas, consuetudines laudabiles, & præscriptas indulgentias, bona, priuilegia, & indulta a Roma-

nis Pontificibus per Apostolicas, aut alias quascunq; literas vobis, ordini vestro, & ecclesijs, A
ac Monasterijs vestris prædictis concessas, & concessa; nec non libertates, & consuetudines laudabiles, exemptiones, & saluaguardias secularium exactionum a Regibus, Principibus, vel alijs Christi fidelibus vobis, ordini vestro, & eisdem vestris ecclesijs, ac Monasterijs indultas, & concessas, tenores omnium habentes præsentibus pro expressis, sicut ea iustè & pacificè possidetis, vobis, ordini vestro, & eisdem vestris Ecclesijs, ac Monasterijs auctoritate nostra confirmamus: illaque & ea renouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam nostræ confirmationis, renouationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & vniuersalis ecclesiæ se nouerit incursurum. Datum Basileæ octauo idus Februarij, anno à natiuitate Domini 1440.

Eodem etiam tempore idem concilium concessit aliud priuilegium confirmationis multarum bullarum Summorum Pontificum ad fauorem eorum, qui suis elemosynis operi Redemptionis opitulantur, concessarum. Quod priuilegium summatim ad me transmisū, seruatur modò originaliter, & de verbo ad verbum in Monasterio nostri ordinis S. Eulaliç Barchinonæ. Obtinuerūt etiā ab eodē cōcilio Iudices cōmissarios videlicet Archiepiscopū Cæsaraugustanū, & Episcopum de Tortosa, quemlibet eorum insolidum, aduersus omnes & singulos Debitores, & detentores, & eos qui bona ordinis occupabant, qui eos ad soluendum & eadem bona ordini restituendum cogerent. Vt in eisdem concilij act.; sub datum B
1440. nonas Maij eiusdem anni 1440.

Barchinonæ Prior Magister Gauer principaliores nostri ordinis Hispaniç citerioris Galliæq; patres Barchinonam accedere rogauit. Ex quorum voto duo statuta, & ordinata sunt; primum vt lis grauis contra Magistrum Dullan debito honore tractaretur, ne religio sancta & sana (ob unius putridi membri, valde indigni quod totius ordinis esset caput) detrimentum aliquod pateretur, sed reus solùm arceretur, & expelleretur, quod ad præfatum concilium destinaretur Riligiosus Frater Bernardus Cathalani eximius in Decretis Doctor, magnæ æstimationis blandæque conuersationis uir, qui vnà cum Fratribus nostri ordinis Basileæ degentibus ordinem defenderent, & a Tyrannide liberarent, ac Patribus concilij concordiam pacemq; esse in corpore religionis (Magistro Dullan dempto) significarent. Alterum fuit Sanctum virum Fratrem Laurentium Company cum suo socio in Redemptorem deputare, qui pro Monasterijs citerioris Hispaniæ, & Franciæ Redemptionem faceret. C

Prouincia Castellç sui instituti non oblita, publicatis per nostri ordinis Nuntios Summorum Pontificum bullis, & Regum Hispaniæ priuilegijs, ingentem pecuniarum, & donorū recepit summam; quam Prouincialis Fratri Francisco de Toro & Fratri Didaco Ceruantes Redemptoribus consignauit. Hi igitur solertes, ac charitate feruidi viri hoc & præterito anno in duabus redemptionibus in Africa, & parte Hispaniæ a Saracenis possessa, operatis, D
Liber. 443. 443 Christi fideles redemerunt.

Eadem Castellæ Prouincia, Hispaniæq; vlterioris Patres Congregationem, & suum similiter consilium inter se habuerunt, & decreuerunt contra Magistrum Dullan, suum Procuratorem constituere, & in Italiam mittere, ei iniungentes, vt nullo modo ad Basileç concilium neque ad Fœlicem Papam, seu potiùs antipapam ab eo Concilio creatum, sed ad verum & indubitatum Diui Petri successorem, Eugenium Papam IIII. suos direxisset gressus, ad eumq; & non ad alium recursum haberet. Et sic vniuersus ordo pro depositione Magistri Dullan fortiter instabat, & viriliter insudabat. Concilium Basileense (auditis pluriès Magistri Dullan demeritis, & oppositis ipsiusq; Procuratoribus, & eorū allegationibus similiter visis, & auditis) a Magistratu eum deposuit, & generalatu priuauit. Sub datū E
1441. Basileæ 8 idus Aprilis huius anni 1441. De qua priuatione Orator Domini Alphōsi Aragonū Regis, certior statim factus, antequā literæ expedirentur, Patribus Concilij supplicauit, quatenus dignarentur in locum Magistri Dullan Priorem Barchinonæ Fratrem Natalem Gauer tanto munere dignum sufficere. Cuius precibus cōcilium annuens, illum Magistrū Generalem creauit; vt videre est in actis eiusdem concilij die mense, & anno quibus supra.

Dum hæc in concilio Basileæ agebantur, Procurator Castellæ in Romana Curia nō dormiebat, imo coram Sanctissimo Pontifice expeditionem eius caussæ exorabat. Sed Summus Pontifex memoriale sibi a Procuratore Castellæ porrectum remisit Fratri Ioanni de Turrecremata, ordinis Prædicatorum religioso dignissimo S. R. E. Cardinali meritissimo, Tituli Sancti Sixti. Ex relatione igitur tanti Cardinalis sua Sanctitas cum amplissima facultate

& po-

A & potestate in Iudicem Apostolicum, & delegatum deputauit Episcopum Oxomensem. Et cum Episcopus commissionem acceptaret, virtute eius citauit ad comparendũ Magistrum Dullan, seu eius legitimum Procuratorem, & processu demeritorum, de quibus accusabatur omninò confecto, eum priuauit die 29. Maij eiusdem anni 1441. Et ne Religio destituta (vt Iudex in sententia definitiua dicebat) & sine Pastore maneret, ad instantiam Regis Castellæ Ioannis II. Commendatorem Guadalaxaræ Fratrem Petrum de Huete in Sacra Theologia Magistrum, totius ordinis Generalem creauit Magistrũ. Vnde Religio nostra quę priùs B vnum dolosum, & infirmum habebat caput, cœpit deinde pro vnò Magistro priuato duos ad instantiam duorum Hispanorum potentissimorum Regum Generales habere; Magistrũ Gauer ad preces Alphonsi, & Magistrum Huete Ioanne procurante. Tempore Magistri Dullan de potestate Inimicorum nostrorum liberati sunt 863. Christi fideles. *Liber. 863.*

Cap. XV. de xix. Generali Magistro Gauer. Alphonsus Rex priuilegium fauorabile concedit. Quod similiter exhibent Rex Castellæ, & Fœlix Antipapa, & Nicolaus Papa V. qui defuncto Eugenio Papæ IV. successit. Et duo nostri ordinis Fratres martyrio coronantur.

C BASILEENSIS Concilij stante priuatione, & Magistri Dullan depositione, ac exinde Magistri Gauer secuta promotione, principaliores Hispaniæ citerioris, ac Prouinciæ Galliæ patres ad Magistrum Gauer accedentes rogabant eum, vt Generalatum ordinis a sacro Concilio honorificè sibi collatum continuò admittere, & acceptare, ac eo fungi officio propter bonum vniuersi ordinis non recusaret nec tardaret. Quem ad instar sui Sancti Magistri Taxal sic respondisse ferunt. Tollatur priùs de medio hoc præsens Religionis schisma, & quicquid patres mei mihi iniungitis, opere complere statim vobis promitto. Fas enim non est, vestris dictis, & iussionibus satisfaciendo, diuisionem augere, duo capita in ordine constituere, & horrendum fabricare monstrum. Quo responso non contenti patres, præcipuè qui erant D ex Aragoniæ Regis Dominio, literas, seu supplicationem suis subscriptionibus fulcitam, per specialem Nuntium ad Alphonsum Regem miserunt; in qua à Rege ordinis Patrono, ac fundatoris successore, summis contendebant precibus, vt Fratri Natali Gauer Barchinonæ Priori, ad ipsius Regis instantiam à Basileensi Concilio in Magistrum ordinis tamquã benemerito electo, sua auctoritate præciperet, & quòd ordinis regimen & administrationem acceptaret, eum compelleret. Quorum supplicationibus Rex libenter annuendo Magistro Gauer scripsit, hortans eum, vt si a sua Religione diuisionem auferri cupiebat, Magistratũ ordinis suis humeris imponere non dubitaret, hac enim via faciliùs prouinciæ omnes ad aliquam concordiam, & veram pacem deuenirent. Quod si (vt sperabat) literis receptis cõtinuò expleret, suum regium fauorem sibi pollicebatur; omniaque prosperè & fœliciter euenire non dubitaret.

E Præfatas igitur literas (in quibus supplicatio originalis nomine illorum Patrũ Regi porrecta, inclusa erat) cùm Prior Barchinonæ Frater Natalis Gauer recepisset, non potuit non tanti Regis iussis obtemperare. Et vt omnia suauiter maiorique cum reputatione fierent omnes Definitores totius ordinis Magister Gauer citauit, & conuocauit, mittensq; ad singulos eorum Apostolicæ prouisionis in sui fauorem à pręfato Basileensi Concilio emanatæ singula in forma auctentica trãssumpta, eos rogabat, vt pro bono pacis, & Religionis cócordia Barchinonã ad diẽ 26. Ianuarij huius anni 1442. omnes conuenirẽt. Ea ergo die S. Policarpi Episcopi, & Martyris missa a Priore decantata, & tanto salutari sacrificio expleto, omnes Definitores librariam ingressos, cunctosq; cõticentes sic Prior alloquutus est. Qui ex vobis (Reuerendi patres) hoc in eodem loco ab hinc tredecim annis electioni Magistri Dullan ad- 1442.

adfuiſtis, & qui deinde Romanã Curiã, & Concilium Baſileæ ſecuti eſtis, ac deniq; qui vnã mecum, ne malefacta à Magiſtro Dullan perpetrata in lucem extra ordinem prodirent, pro viribus laboraſtis, rectè noſtis, quam alienus a totius ordinis regimine animus fuerit meus. Quod ſi eam dignitatem exoptarem, non eſt dubium quin regis noſtri præcepto minimè expectato, ſed ſolùm meæ nominationis teſtimonio recepto, ſtatim Magiſtratum amplecterer, & tali munere fungi inciperem, & per nouem menſium ſpatium acceptationem eius nullo pacto procraſtinarem, aut differrem. Sed his omnibus omiſſis, quæ parùm ad rẽ pertinere videntur, legat dominus Ferrarius Verdegarius publicus eius ciuitatis Notarius à me rogatus, & vocatus præfatum meę ad Generalatum aſſumptionis teſtimonium, eoq; audito vnuſquiſq; ſuam proferat ſententiam. Quo lecto omnes iam de eo de eiuſq; firmitate notitiam habentes, in obedientiæ ſignum à maximo vſq; ad minimum genuflexi, noui Magiſtri manum deoſculati ſunt. De quibus omnibus extat in eodem Monaſterio auctenticum teſtimonium per præfatum Notarium confectum die, menſe, & anno quibus ſupra. B

Deinde Generalis Magiſter Gauer in Redemptorem pro prouincijs, & Monaſterijs ſuæ obedientiæ videlicet citerioris Hiſpaniæ, & Franciæ Redemptorem deputauit Sanctum virum Fratrem Laurentium Company, qui erat Conuentus Sanctæ Mariæ de Podio Commendator, & Rector. Hic (vt infrà dicemus) fuit ordinis Magiſter & in generalatu immediatè Magiſtro Gauer ſucceſſit. Plures vſq; in hanc diem redemiſſe Captiuos noſtræ antiquę hiſtoriæ referunt; ſed in duabus redemptionibus in Africæ partibus operatis (quas ſuo loco collocare non potuimus, quia de eis confusè ſatis, nulla temporis ſeruata ſerie ſcriptores no-
Liber. 229. ſtri loquuntur) Fratrem Company de poteſtate Inimicorũ noſtrorum liberaſſe conſtat 229 Chriſti fideles. Hoc igitur anno cum ſuo ſocio Fratre Petro Boffer Gallo Commendatore in Numidiam profectus eſt. Et ex illis Africæ partibus ſoluta pecunia, & loco eius in parte
Liber. 87. mercibus traditis 87 liberauit Captiuos. Qua redemptione expleta, dum proſpero vento in Hiſpaniam cum Captiuis redemptis tendunt, & Chriſtianum litus ferè attingunt, Boreali in primis frigido, & ſicco à terra ſpirante vento portum tenere non valuerunt; ſicque deinde maris procellis flamineq; potenti hinc inde agitati, & concuſſi, in Africam reuerſi non procul a terra naufragiũ fecerunt. Et in eminenti ſaxo, ſeu ſcopulo nauigio fracto, plurimiſque Chriſtianis ſubmerſis, Pauci, & inter eos noſtri Redemptores tunc auidiſſimi maris voracitatem vitare (ſicut Domino placuit) potuerunt. Sed eos quibus edacitas maris pepercit, Tuneti milites, qui parùm diſtabant, ad barbarum, & maurum Regem Captiuos duxerunt. Et ſic hoc anno (vt referunt Fr. Ioannes Martinez auctor noſtri ordinis veridicus in ſua breui narratione, & Fr. Petrus Cijar Commendator Cæſarauguſtanus, in tractatu de excellentia noſtri inſtituti, & Magiſter Guimeran Epiſcopus de Xacca in ſua hiſtoria tertia parte, c. 3. §. 3.) incepit afflicta & miſera Captiuitas Sancti viri Fratris Laurentij Cõpany in poteſtate Regis Tuneti detenti; in quo calamitoſo, & erũnoſo ſtatu ſexdecim ſumma patientia conſumpſit annos. Sed Sanctum virum Company afflictũ relinquamus, (quia Dominus memor eſt eius, & cum ipſo eſt in tribulatione) & Barchinonam reuertamur.

Magiſter ergo Generalis Gauer pro ſui muneris debito, ac ordinis reformatione ad Co-
1442. mitia Generalia die 21. Aprilis eiuſdem anni 1442. Barchinonæ celebranda electores omnium Prouinciarum ſuauibus verbis, ac paterna charitate ſuis patentibus literis conuocauit. Ea igitur die omnes omnium Prouinciarum Definitores (præter Definitores Caſtellæ, & Portugalliæ, qui Magiſtro Fratri Petro de Huete parebant) ad Generale Capitulum conuenerunt; in quo multa valde vtilia pro Religionis pace, vnione, & reformatione euentilata, & ordinata fuerunt. In eodem Capitulo fuit lecta (licet vilipenſa) quædã proteſtatio, ſeu appellatio pro Caſtellæ Prouincia interpoſita, in qua aſſerebatur omnia in ea Congregatione agenda, & ordinanda fore inualida, & nullum pręter Magiſtrum Huete eſſe verum totius Religionis caput. Et licet plurimæ in ea proteſtatione adducebãtur rõnes, hæc tamẽ potior erat. Quod Eugenius Papa Quartus erat legitimus Chriſti Vicarius, & oĩa per eum geſta, ſeu per Delegatos ordinata roboris debebãt habere firmitatẽ; ergo Magiſter Huete nominatus & creatus a Delegato Apoſtolico ampliſſima facultate fungẽte, & vices in ea parte Summi Pontificis gerente eſt verus totius ordinis Magiſter. Inſuper ſubſecuta ſtanteq; Magiſtri Dullan priuatione, eo caſu ad ſolum Romanum Pontificem pertinebat, eratq; noui Generalis creatio, & nominatio deuoluta, &c.

In eodem Generali Capitulo, Magiſter ordinis declarauit Domũ Barchinonæ ordinario Prelato, ſeu Priore ob ſuã ad Magiſtratũ ordinis promotionẽ, & acceptationẽ carere. Quod ſi

opus

A opus esset ad maiorem abundantiam Prioratu quem rexerat annos 12. menses sex, & dies sex se abdicare voluit. Cuius renunciationi, & abdicationi capitulum dare suum consensum renuit, quousque tota religio esset in pace composita. Ipse tamen Magister maximoperè exoptabat, doctum sanctumque virum Fratrem Ioannem Segales in Prioratu habere successorem, vt verè & realiter ei successit. Cuius labores pro religione perpessos Magister Gauer in suis annalibus § de xxj. Barchinonæ Priore breuiter sic commemorat. Vigesimus primus Prior Fr. Ioannes Segales fuit electus absens, & existens in Curia Romana pro negotijs Ordinis, cuius erat Generalis Procurator. Per annos tres dum Procuratoris Generalis offició fungitur, morabatur in regio Palatio cum Illustrissimo Rege Aragonum cum sua regali Curia Neapoli regnante, quem Regem Procurator pro negotijs ordinis sequebatur.

Deinde de voluntate dicti Serenissimi Regis, & cum suis literis ad Papam adiuit, ibique B moram traxit vltra annum; & multoties iuit de Curia Romana ad dictum Regem, & de Rege ad Summum Pontificem. Et bis pro ordinis negotijs cum regalibus literis se contulit ad Basileæ Concilium; primo vnà cum Vicario perpetuo Sanctæ Mariæ de Podio, Fratre Antonio Acrimontis de anno Domini 1439. & deinde de Concilio Basileæ ad Regẽ Neapolis adiuit. Post modum in Aragoniæ regnum reuersus per breue tempus in Hispania moram traxit; nam cum Commendatore Ilerdæ Fratre Bernardo Cathalani Decretorum doctore, iterum Basileam petere eum oportuit. Erat tùnc primò Commendator Castilionis empuriarum vbi multa bona (quæ Magister Gauer in loco citato enumerat,) perfecit. In Capitulo vero generali de anno Domini 1442 Barchinonæ celebrato, dum ipse moram in Italiæ partibus trahebat, Commendator Perpiniani creatus est; cuius corporalem possessionem nunquam recipere potuit, quia in Italiæ partibus, vt supra commora- C batur. Imo absens (vt supra) prior deinde summa concordia creatus est. Hucùsque Magister Gauer loco citato. Cũ Superioribus annis (anno scilicet 1599) literis patẽtibus Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Inici de Aualos S. R. E. Cardinalis, ac nostri ordinis protectoris Monasterium Neapolis visitassem, eiusque depositum, & scripturas euoluissem quoddam priuilegium originale in charta membrana adinueni tenoris sequentis.

Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum Siciliæ citra & vltra farum, Valentiæ. Hierusalem, Hungariæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corcicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarũ, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rosyhonis, & Ceritaniæ; vniuersis, & singulis officialibus, & subditis nostris maioribus, & minoribus, quocunque nomine censeantur, eorumq; loca tenentibus præsentibus, & futuris ecclesiasticis, & sæcularibus vbilibet in nostra ditione atque Dominio, & signanter in hoc nostro citra farum Siciliæ regno constitutis, & consti- D tuendis, ad quem seu quos præsentes peruenerint, & fuerint quomodolibet præsentatę gratiam nostram, & bonam voluntatem. Maiores nostri compatientes afflictis Christianis apud barbaras nationes Captis Captiuatisq; ordinem B. Mariæ de Mercede in ciuitate Barchinonæ primùm statuerunt; ipsiq; ordini hoc est suo Generali, Vicarijs, Prioribus, & Fratribus auctoritatẽ, & licentiã contulerunt, vt a Christi fidelibus liberè pias elemosynas peterent in redemptionem Captiuorum Christianorum, ne fidem Sanctam Catholicam abnegent in periculo positorum pro maiori parte conuertendas; nam etiam aliqua pars elemosynarum in conseruationem, augmentationem, & commoda dicti ordinis solet conuerti.

Creuit postea ordo iste mirabilis per varias orbis terrarum partes; propagatusq; adeò est, quod iam vbique ferè sunt de ipso ordine, qui consimiles elemosynas petunt.

E Nos igitur maiorum nostrum vestigijs inhærentes Monasterium eius ordinis in hoc regno in quo nullum erat apud ciuitatem Neapolis in campo veteri, vbi prius quam ciuitatem ipsam Neapolis adepti fuissemus, castrametati eramus, construi fecimus; cui Sancta Maria de pace de Mercede est inditum nomen. Vt igitur Monasterium ipsum magis, ac magis in dies crescat ad opus illud Sanctum Redemptionis Captiuorum Christianorum apud barbaras nationes exequendum, vobis & vestrum singulis præsentium serie de dicta nostra scientia expressa dicimus, & mandamus sub iræ, & indignationis nostræ incursu, pœnaque mille vnciarum auri à vobis, & vestrum singulis (si secus feceritis) irremissibiliter habendarum, nostroque ærario applicandarum, quatenus Vicario, Priori, & Fratribus dicti Monasterij de pace, suisq; Procuratoribus, (quos vobis constiterit legitimos procuratores esse) præsentibus, & futuris, elemosynas prædictas petentibus, seu de cetero petierint,

rint, si & quoties opus fuerit, & eritis requisiti omne auxilium, consilium, & fauorem impendatis, maximè ad extirpandum quosdam falsos procuratores, qui (vt audiuimus) cum literis nostris fauorabilibus vadunt per regnum consimiles elemosynas quærendo; & ad faciendum etiam quod, quicquid per illos malè quæsitum fuerit, istis, qui erunt veri, & legitimi Procuratores Sanctæ Mariæ de pace tradatur. (Literis ipsis nostris fauorabilibus, quas serie præsenti reuocamus, in aliquo non obstantibus.) Hoc tamen intelligimus dicere de his, qui sub hoc prætextu elemosynas petunt absq; aliquo legitimo titulo Generalis, seu alicuius ex alijs Vicarijs, seu Prioribus ordinis supra dicti. Et non contraueniatis aliqua ratione, vel caussa si gratiam nostram charam habetis, iramque & indignationem nostram, ac pœnam prædictam cupitis euitare. Per has tamen literas non mandamus, vt elemosynas erogetis; (hoc enim voluntarium est;) sed vnusquisque iuxta conscientiam suam ad hoc pium opus manus suas extendat adiutrices. In cuius rei testimonium pręsentes fieri iussimus, magno maiestatis nostræ sigillo impendenti munitas. Quas post earum opportunam inspectionem singulis vicibus restitui volumus præsentanti. Dat. in terra nostra Baroli die 13. mensis Decembris, sexta Indict. anno a Natiuitate Domini 1442. regnorum nostrorum anno 27. huiusmodi verò regni Siciliæ citra farum, octauo. Rex Alphonsus.

1442.

Frater Natalis Gauer ordinis Magister nullum quod bonū Pastorē decet, prætermisit officiū, omnes semꝑ ad verā pacem excitabat, ad diuisionemq; tollendam prouincias inuitabat; cuius rei caussa ad Capitulum Generale in ciuitate Oscæ in fęstiuitate Penthecostes die

1443. octaua Iunij hoc anno 1443 celebrandum Definitores cunctarum prouinciarum citauit, & conuocauit. In quo capitulo inter alios adfuerunt pro Prouincia Cathalonię Fr Bernardus Gralera, Monasterij Barchinonæ maior sacrorum custos, qui Sacristiam plurimis, ac pretiosis rebus, cultui diuino deseruientibus mirificè auxit; (erat enim in tota ciuitate valde cognitus, & ab omnibus dilectus.) Pro prouincia Franciæ Frater Lupus de Sacra, apprimè in sacra pagina versatus. Pro prouincia Aragoniæ celebris Decretorum doctor Frater Bartholomæus Dalmacij, Vicarius perpetuus Montisfloretti. Pro prouincia Valentiæ Frater Antonius Acrimont s Vicarius perpetuus Sanctæ Mariæ de Podio. Sed pro prouincia Regnorum Regum Castellæ, & Portugalliæ nullus adesse voluit.

In eodem capitulo Patres attendentes Fratrem Antonium Dullan, sæpe ad pacem inuitatum, & admonitum vt iam quiesceret, & spirituali saluti suę consuleret, nouos de nouo moliri rumores, excitareq; dissensiones, & nullam quod ad bonam frugem rediret, esse spē; Prouincijs, & singulis Domorum superioribus curam demandarunt, vt eum diligenter cōquirerent, & nullo habito respectu compręhenderent, ac carceri manciparent. Quod capituli Generalis decreti cum ad aures Dullan notitia deueniret, ad Italiam aufugit. Et in his Italiæ partibus moram trahendo, videns se suprema ordinis dignitate priuatum, & exutū, per alienas regiones vagantem, & magistratum, quo ipse solus frui solebat, inter duos litigantes diuisum, quid faceret, aut quò se verteret nesciebat. Et inuidia liuidus, & quasi a communi sensu alienus in prunas se iniecit. Abijt enim Florentiam vbi tunc erat Romana Curia, ibiq; per plures dies totum animum intendit, ad perditi officij recuperationem. In quo cum nimiúm grauiter oppugnationem reperiret, cępit competitorum suorum nominationes infirmare, & irritas esse ostendere.

In primis nominationem Magister Gauer ex eo probabat inualidam fore reddendam, eo quod aduersarij in suæ Sanctitatis contemptum, ac vero Christi in terris Vicario omninò spreto, ad Basileam recursum habuerant. Cōmendatoris vero Guadalaxaræ Magistri Huete, Generalis asserti, prætensi, & intrussi creationem fundamento, & firmitate carere affirmabat; quia Episcopus oxomensis Iudex a Sua Beatitudine deputatus in regno Castellæ, nō poterat formare processum neq; proferre sententiam priuationis contra Oratorem natione Aragonem in Dominio Regis Alphonsi. Insuper pręfatus processus graues, & intolerabiles continebat nullitates; & inter alias quod Delegatus in gratiam Regis Castellæ, & vt ei morem gereret, commiserat examen testium Magistro Huete ad Generalatum aspiranti, Oratoris Inimico, qui ob eas caussas testes extorquebat, & ad suam voluntatem eorum depositiones ordinabat, & trahebat. Cuius precibus Sanctissimus inclinatus (nulla facta mentione de nominatione, quam concilium ad fauorem Magistri Gauer fecerat) suspendit nominationem ab Episcopo factam.

Sed cum Fratri Petro de Huete sui Tituli quo in Castella, & Portugallia fruebatur, suspē-

sio

A sio, seu priuatio esset denunciata, ad sanctissimũ melius informandũ, & probandũ alata à Magistro Dullan esse omninò a veritate aliena, appellauit; & cũ appellatione ad Sanctissimum transmisit aliquorũ delictorũ a Magistro Dullan in Castella, & Portugallia commissorũ breue compendiũ. Ob id (vt ait Magister Gauer) Iussu ordine sanctissimi fuit Magister Dullan diligenter conquęsitus, ac die 24. Octob 1443. inuentus; & cũ de aliquibus culpis, de quibus accusabatur, conuinceretur, fuit iuxta demerita sua emendatus, & die 13. Ianuarij huius anni 1444. carceri obscuro traditus In quo abiecto loco in terra aliena cum se contẽplaretur cũ Rege Antiocho Machabeorũ, 1. c. 6. dicebat. In quantã tribulationẽ deueni, & in quos fluctus tristitię, in qua nũc sum; qui iucundus erã, & dilectus in potestate mea? nunc verò reminiscor malorũ, quæ feci in Religione sancta, vnde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erãt in ea, & misi auferre, & amouere cõmentatores sine caussa; cognoui ergo 1444.
B quia propterea inuenerũt me mala ista; & ecce pereo tristitia magna in terra aliena. Hunc infœlicem finem habuit superbus iste homo.

Eugenius Papa 4. omnia ordini nostro a Concilio Basileensi concessa approbat, & confirmat. Sub datũ Romę eodẽ anno, & sui Põtificatus anno 14. Quę Bulla Barchinonę seruatur.

Generalis Magister Gauer pro Prouincijs sibi subiectis celebrauit in fœstiuitate Penthecostes eius anni die 9. Maij Capitulum in nostro Monasterio Gerundę. Cuius definitores fuerunt Fr. Bernardus Banyolls Cõmendator Dartusę superior Conuentus Barchinonę, & regens Prioratũ, pro quo fuit Definitor Fr. Franciscus Iaphe Commendator del Almario, Fr. Petrus de Basso, seu de Besso solemnis, ac famosus in sacra Theologia Magister, Commendator Tolossæ, & Fr. Bernardus Cathalani Decretorum doctor, Commendator Valentiæ.

Ludouicus Sabaudię Dux maximoperè exoptabat quod Fratres nostri in suo Dominio
C Monasteria fundarent. Eam ob caussam Fœlici Papę V. seu potius Antipapę supplicauit, quatenus dignaretur eã facultatem ordini nostro concedere. Cuius supplicationibus Fœlix inclinatus, ampiã licentiã Superioribus nostræ Religionis concessit qua possent, & valerẽt monasterium fundare Allobrogibus, seu in Sabaudiensi Dominio. Sub datum Gebennis 16 Cal. Octob 1444. & sui antipontificatus anno 5.

Generalis Magister Gauer refert in suis Annalibus vbi agit de sua per Conciliũ Basileę ad Magistratum promotione, quod Eugenius Papa IIII. ad supplicationem Alphonsi Aragonũ Regis confirmauit suã prouisionem, & generalatus dignitatem ab eodẽ concilio in sua persona factam, sub datum 5. Cal Nouembris eius anni 1444.

Eodem mense, & anno Fratres Conuentuales Monasterij Barchinonæ, capitualiter Congregati elegerunt in Priorem eius domus R Patrẽ Fratrẽ Ioannẽ Segales abientẽ in Italiæ 1444.
partibus commorantem, qui erat Conuentus Perpiniani Commendator die 24 Octob Quã
D Generalis Magister Gauer die 28. eiusdem mensis & anni ratam habuit, & literis patentibus confirmauit.

Feruentissimum & charitatis ardore affectum magistrũ ordinis Gauer maximoperè pudebat, quod propter dissensiones & lites institutum nostrum cum miserorum Captiuorũ detrimento refrigesceret, ob id inter mille Fratrem Laurentiũ Company viru Sanctũ, & doctum in Redemptorẽ elegit. Hic igitur bonus Religiosus, sui muneris mirificus zelator (de quo 1445.
sępe mentionem faciemus, quia fuit dignissimus ordinis magister,) ad Ciuitatem Algariæ profectus, ex ea, & alijs Africæ partibus 118 Christi fideles Captiuos redemit, & libertati perfectæ restituit. Liber. 118

Hoc anno 1445. die 20. Augusti Generalis Magister Gauer finem, & vltimam manum imposuit suis Annalibus, & nostri ordinis historiæ. A quo auctore fateor libenter me plu-
E rima deprompsisse, prius tamen bene & accuratè comprobata Summorum Pontificum bullis. temporumq; serie seruata. Cui noster Ordo plurimùm debet, quia ipse primus chronicam cõposuit; in qua vt in plurimùm veridicus solersq; extitit auctor, & nobis viam aperuit, & lumen dedit, licet nullam de sanctis ordinis nostri, neque de Redemptionibus per fratres nostros operatis, fecerit mentionem.

Generalis Magister Gauer pro reformatione religionis, suę curę demãdatę, & vt ab ordine commẽdarũ perpetuitas semoueretur, omnesq; Fratres intra claustrũ vitã exẽplarem, & religiosam viuerẽt, fecit auctoritate Baiuli Barchinonę, seu Iudicis trãsumi, & plura trãsũpta fieri, a quodã transumpto sumpto de duabus originalibus bullis Clementis Papæ VII. sub datum Auenione 6. idus Decemb. sui Pontificatus anno 15. & Martini Papæ V. sub datum Florentiæ 2. idus Aprilis sui Pontificatus anno tertio. Quæ transumpta de transumpto

benè fideliterq; esse comprobata(ita vt eis tanta fides plenaria ab omnibus exhiberetur, quã- A
ta originalibus literis (si essent ostēsę) fidē faciunt Marcus Cauyjs auctoritate regia Notarius
publicus, regens scribaniam Curiæ Baiulæ Barchinonæ pro honoranda domina Eleonora
vxore honorandi Ioannis de Media Villa, & Ferrarius Verdaguerius auctoritate regia Nota
rius, Ciuis Barchinonæ; sub datum Barchinonæ die 20. Octobris anno à natiuitate Domini
1446. 1446. Quæ transsumpta idem Generalis Magister Prouincialibus, & nonnullis Monaste-
riorum Cōmendatoribus distribuit, ut illi Apostolica mandata exequerentur, & obseruarēt,
& ut hi commendas, & officia manualia esse intelligentes, ne perpetuitatem procurarent.

Generalis Magister Gauer in festiuitate Penthecostes huius anni 1446 Capitulū celebra-
uit in Monasterio S. Mariæ de Podio Valentiæ. Eius Capituli Definitores fuerunt Fr. Ioan-
nes Segales, Prior Barchinonæ pro Prouincia Cathaloniæ; Fr. Bartholomęus Dalmatij Vi-
carius perpetuus Montis Floretti, pro Aragonia; Fr. Antonius Acrimontis, Vicarius perpe-
tuus Pod j Valentiæ, pro ea prouincia; sed pro prouincia Franciæ Fr. Gualleandus Ferrari B
in Sacra Theologia Bachalaureus formatus.

Solertia studioq; diligenti Magistri Fratris Petri de Huete, (qui adhuc in Hispania vlte-
riori Generalis Magistri titulū, & nomen retinebat, & officium exercebat,) Redēptores eius
Prouinciæ Fr. Ludouicus Sarmiento, & Bartolomęus de Segobia redemerūt ex regnis Mar-
Liber. 129 rochij, & Fessi in duabus redemptionibus 189. Christi fideles, eosq; Ispalim primum inco-
1447. lumes duxerunt, & libertati donarunt hoc anno 1447.

Sanctissimus Eugenius Papa IV. vir bonus, & Sanctus, in actionibus suis fortis, & intrepi-
dus, ac rectitudinis amator, postquàm summū Pontificatum per annos 15. menses xj. & dies
21. tenuerat atq; defenderat, humanis huius mundi, miseria plenis, ac caducis rebus excessit
in sua Ciuitate Romæ 7 Cal. Martij eiusdem anni 1447. Cui meritò successit pridie nonas C
Martij eius anni Thomas Lucanus presbyter Cardinalis Tituli S. Sabinæ, vir doctissimus;
qui Nicolaus Papa V. dici voluit.

Hic Summus Pontifex ad supplicationem; & instantiam Regis nostri Alphonsi initio sui
Pontificatus dedit, & concessit nostro ordini in Protectorem D. Alphonsum Borja S. R. E.
Presbyterum Cardinalem Tituli Sanctorum quatuor coronatorum, qui (vt statim dicemus)
immediatè in Papatu successit Nicolao, & Calixtus III. fuit appellatus, sub datum Romæ
1447. die 5. Aprilis 1447. Quo Protectoris munere statim vti cœpit, vt patet per rescriptum,
quod ad hęc tempora Barchinonæ dicitur seruari.

Hic Summus Pontifex Nicolaus V. confirmauit sententiā Eugenij Papæ IV. sui imme-
diati Prędecessoris latā contra Magistrū Fratrem Antonium Dullan; & voluit ad imitatio-
nem suorum Prædecessorum, quod ordinis commendæ, & beneficia essent annualia, & ma D
nualia, deputando in Iudices conseruatores, Abbatem Montis Serrati, & alios. vt patet per
suam Bullam datam Romę apud S. Petrum 1447 idibus Aprilis anno sui Pontificatus pri-
mo. Idem Summus Pontifex ad supplicationem Domini Regis Alphonsi aliam bullam
nostro ordini concessit, instituto nostro de redimendis Captiuis valde fauorabilem; cuius
tenor talis est.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Magistro Generali, Prioribus,
Commendatoribus, & Fratribus ordinis Beatæ Marię de Mercede Redemptionis Capti-
uorum vbilibet consistentibus, salutem & Apostolicam benedictionē. Sacrę religionis sin-
ceritas sub qua mundanis abiectis illecebris deuotum, & sedulum exhibetis altissimo famu-
latum, non indignè meretur, vt petitionibus vestris, illis pręsertim, quæ ad fidelium pro
tēpore Captiuorum liberationem & redemptionē cedere noscuntur, quantū cum Deo pos- E
sumus fauorabiliter annuamus. Cum itaq; sicut exhibita nuper pro parte vestra petitio con-
tinebat, Ordo B. Mariæ de Mercede Redēptionis Captiuorum, ad hoc principaliter cano-
nicè dudum institus fuerit, ut illius pro tempore religiosi circa redemptionem vtriusque
sexus fidelium, qui essent pro tempore ab Infidelibus Agarenis, seu Saracenis in Captiui-
tate detenti, iuxta posse intendere debent, nos ad ea, quę ad ipsorum pro tempore Captiuo-
rum commodiorem, & celeriorem liberationē cedere noscūtur, fauorabiliter prouidere vo-
lentes necnon de solicitudine, & virtutibus vestris, ac successorū vestrorum pro tēpore exi-
stentium dicti ordinis Magistrorū Generaliū, Priorum, Commendatorū, & Fratrum ple-
nam in Domino fiduciam obtinentes, charissimi in Christo filij nostri Alphonsi Re-
gis Aragonum illius, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis, & suc-
cessoribus supradictis omnibus, & singulis, vt singuli ex vobis, & ipsis, qui ad id iuxta di-
cti ordinis statuta pro tempore deputati fuerint per se, vel alium, seu alios omnia

&

A & singula pecuniarum quantitates, res & bona mobilia, & immobilia per quoscunq; tàm incolas & habitatores fideles regnorum, ac terrarum totius Hispaniæ, quam Portugaliæ & alias in illis tunc existentes præsentes & futuros ad redemptionē, seu liberatione Christi fideliu a Sarracenis, seu Agarenis prædictis in Captiuitate huiusmodi pro tēpore detentoru per testamēta, codicillos, seu vltimas volūtates, aut alias quomodolibet in perpetuū, vel ad certu tēpus, siue ad certa tēpora (præter quæ pro personis nominatim expressis,) pie hactenus relictis seu legatis, & de cætero similiter perpetuis tēporibus legandis, seu relinquendis ab omnibus, & singulis vtriusq; sexus personis, tam laicalibus, quam clericalibus et a regularibus pecunias, res & bona prędicta vbilibet etiā extra huiusmodi Hispaniā consistentia pro tempore habētibus possidentibus, seu detinētibus cuiuscunq; dignitatis nobilitatis, pręeminentię, status, B gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, quoties expedire videbitur petere, exigere, & percipere, ipsosq; pro tēpore possessores, seu detētores omnes, & singulos (vt præfertur) pro ut opus extiterit, ad faciendū deputari ex vobis, ac successoribus pro tēpore supradictis, vel cuiusuis eorundē, & non alij, vel alijs, de pecunijs, rebus, & bonis per eos pro tēpore habitis, possessis, seu detentis præfatis, integrā assignationē per censurā ecclesiasticā, seu alias cogi, vel cōpelli facere; nec nō ad id auxiliū sæcularis brachij inuocare, aliaq; desupèr necessaria, & opportuna etiā facere liberè, & licitè possint, & valeant, plenā & liberā auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus, & ēt facultatē. Volētes nihilominus, quod pecunię, res, bona, & alia prędicta, quæ pro tēpore perceperitis, (vt præfertur) ad liberationē, seu redēptionē fideliū pro tēpore Captiuorū prędictorū, & non alias effectualiter & integraliter cōuertantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac præfati ordinis iuramento confirmatione apostolica, vel quacunqne firmitate alia roboratis statutis, & con-C suetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuscunq; Datis Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicę 1448. septimo idus Martij Pontificatus nostri anno 2. 1448.

Quidā Illustris vir, Dominus Raymūdus de Morello, verus & legitimus dñus loci vulgariter dicti (Algar) ī Diœcesi Valētina cōstituti, inter alias quibus erat ornatus virtutes misericordia erga indigētes & pauperes refulgebat magna. Quā ob causā de bonis suis (quę p multa erāt) cōstrui fecit hospitale illud B Marię de Arguines eiusdē valentinę Diœcesis, in quo summa charitate pauperes cuiuscūq; nationis recipiebātur, & recreabātur. Sed cū prouētus proprij præfato hospitali assignati, pro tanta Pauperū numerositate vndiq; illuc cōfluentiū, minimè sufficerent, prędictus D. Raymundus annuos redditus loci, seu Alcarię de Algar assignare, & tribuere pro expensis hospitalis voluit. Solebat ēt Raymūdus pro sua magna deuotione, ac beneficijs acceptis nō semel, nec bis, sed sępe p singulos annos pulcherrimā virginis Ma-D rię imaginē nostrę ecclesiæ de Podio inuisere, ibiq; sua peccata Religiosissimo uiro Fratri Laurētio Copany aperire. Cuius cōfessarij sanctis documētis excitatus, ac pia Fratrū eius domus cōuersatione allectus, religionē nostrā ingredi voluit. Et ante ingressū, suū testamentū cōdendo, donauit, & pro remedio aīæ suæ nostro ordini in perpetuū dedit, hospitale, & Alcaria de Algar. Quam Religio nostra honorificè possidet; nā Magistri nostri ordinis iure Generalatus, eius Alcarię, & subditorū Dñi (quos Barones vulgariter appellāt) sūt concurrere, & assumi ad Magistratus officia, & dignitates Regni Valētiæ, & hac nostra ętate Generales Magistri Maldonado & Zumel Deputati eius regni fuerūt. His sanctis, ac charitatis operibus intentus religiosus Vir Raymundus Morello in pace quieuit, pręmiū ęternū, ac gloriā cęlestē pro laboribus suis, & pro tot bonis operibus (vt piè credimus) a Domino recipiens.

Huius boni ac illustris viri exēplū plures nobiles Hispani, præsertim Valētini, potētes, & E diuites secuti, illiusq; ęmulatores effecti, bona sua ad pedes Generalis Magistri Gauer ponētes, religionē nostrā profiteri, ac institutū nostrū sequi elegerūt. Quo nō cōtenti, maiori humilitatis, & abiectionis signo de licētia suorū superiorū in eodē hospitali pauperibus summa charitate magnaq; solertia ministrabāt. Quod ciues Valētini attendētes, & suos cōciues Religiosos effectos respicientes, larga, & ingenua manu quotidianas elemosynas, dona, & munera tàm pro ecclesiæ ornatu, & ipsorū Fratrū sustentatione, q̄ pro pauperibus cōuenientibus, ad Monasteriū mittebant. His bonis adminiculis plures in ea domo Fratres, vitā religiosam; missas celebrādo, cōfessiones audiēdo, horas & diuinū officiū deuote recitādo, & cātando, ac pauperibus deseruiēdo degebāt. Et licet ea domus in loco solitario, & inhabitabili esset sita, plures vtriusq; sexus Christi fideles voti, & religionis caussa ad visitandā gloriosissimæ Virginis Mariæ imaginem miræ pulchritudinis in ea depictam, quæ plurimis, & frequētibus coruscabat miraculis ad ecclesiam non vacui confluebant.

Quae omnia cum ad aures Inimicorum nostrorum Saracenorum deuenirent, vt deuotionem fideliumq; frequentiam impedirent, & de medio tollerent, nec non bona eis (quorum audissimi semper extiterunt) surriperent & furarētur, multi ex eis manu armata, & tumatim noctū Monasteriū obsederunt. Et nihil curantes de hospitali, nec de pauperibus in eo iacentibus (quia ipsi quaerebāt, & volebant diuitias) fores Monasterij clausas funditùs euertentes, & Monasteriū intrantes duos tantùm inuenerunt Fratres senes: (quia reliqui partim ad elemosynas redēptionis procurandas, & partim pro Infirmorū ministerio, ac rebus necessarijs emendis, & procurandis foras exiuerant) Fures ergo Saraceni, & inhumani Tyranni ad eos Fratres senes accedentes, vt à fide Catholica apostatarēt, & Sectę Machomettanae adhęrerent tùm blanditijs, ac promissis pręmonebant eos. Quae cum nil proficerent, minis ostendendo eis gladios; & arma denudata eos deterrere nituntur. Sed eos Agareni in fidei constantia, & S. R. E. confessione firmos reperientes funibus ligarunt; quos ad nauim, Maurorum Dux duci iussit. At socij Duci minimè hoc expedire dixerunt. Ad quid (inquiunt) canes isti senes valde inutiles, nobis vtiles erunt? Ad quid hoc molestissimo pondere nostrū paruum nauigium onerare volumus? Melius est enim vt illud bonis, & diuitijs (quibus hęc domus abundat, vt relatum est nobis) continuò repleamus & citò discedamus, est enim in mora euidens periculum; & hos Christianos, (qui diù super terram vixerunt) occidamus. Et sic illos Sanctos fratres manibus à tergo ligatis, genuflexos, dulcissimum nomen Iesu saepe inuocantes, ac se gloriosissimae Virgini Mariae Commendantes crudeliter occiderūt. Quo flagitio non contenti, in peius ruentes, in templum ingressi, auiditate, & insatiabili siti nihil pretiosum intactum relinquendi, vas aureum, quo asseruabatur ineffabile, ac Sacrosanctum altaris Sacramētum suis sacrilegis manibus surripuerunt, & hostiam cōsecratam ex eo extrahentes suis nefandis pedibus calcarunt. Lampades argenteas, & oīa bona, (quae per multa erant) latrocinari, atq; ecclesiam suis ornamentis sine obstaculo spoliare potuerunt.

Quę omnia cum diuulgari cępissent, fideles Hispanos maximè Valentinos (qui de bonis suis nostram ecclesiam ditauerant, & ornauerant) magno dolore affecerunt. Quid de fratribus nostris praesertim Generali Magistro? qui prae magnitudine sceleris, & Christiani nominis dedecore pęnam cordis sui dissimulare non valens (licet posset aliquo modo consolari, quod tempore sui magistratus Religio nostra duorum martyrum sanguine purpurari meruerat,) ad Sanctissimum Nicolaum Papā V. recursum habuit, rogans humiliter eum, quatenus dignaretur tot malis paterna dilectione obiare. Cuius precibus Sanctissimus inclinatus concessit bullam tenoris sequentis.

Nicolaus Episcopus seruus seruorū Dei, dilecto filio Abbati Monasterij S. Bernardi extra muros Valentiñ, salutem & Apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis, illis praesertim, quae ad monasteriorū, & aliorum religiosorum locorum quorumlibet commodum & vtilitatem cedere noscuntur, libenter intendimus, eaq; fauoribus (quantum cū domino possumus) prosequimur opportunis. Sanè pro parte dilecti filij Natalis Gauer Magistri Generalis totius ordinis B. Marię de Mercede Redemptionis Captiuorū Sacrę Theologiae professoris nobis nuper exhibita petitio continebat; quod licet dudum quidam Raymundus de Morello laycus condens in eius vltima voluntate testamentum, inter alia quandam possessionem Alcariam Algar nuncupatam in Dioecesi valentina consistentem, ad eū tunc legitimè pertinentem hospitali pauperum B. Mariae de Arguines eiusdem dioecesis, (quod per antea construi fecerat) dederit atq; legauerit; necnon tam hospitale, quam Alcariam huiusmodi, ordini supradicto, seu domui Barchinoñ eiusdem ordinis (se tunc in ipsius ordinis Fratrem etiam offerendo) submiserit, donauerit atq; reliquerit; tamen a nonnullis annis citrà euenisse dinoscitur; quod quidam Saraceni prope illas partes moram trahentes, ac se tunc ad dictum hospitale (quod in loco solitario, & inhabitato consistit) seditiosè, & furtiuè conferentes, illius ecclesiā ornamentis ecclesiasticis spoliarunt. Et quod magis dolendum est, ex ea sacratissimum corpus Dominicum subripuerunt, nec non etiā duos praefati ordinis Fratres in dicto hospitali ad illius gubernationem, seu custodiam tunc commorantes crudeliter occiderunt.

Cum autem sicut eadem petitio subiungebat dictus Generalis pro inde consideret, quod si omnia & singula praefati hospitalis mobilia, & immobilia bona, ac iura, ad domum de Arguines dicti ordinis Segobriceñ dioecesis ab eodem hospitali per vnū milliare, vel circa, seu paulò vltra distantem, transferrentur, ipse Generalis operam efficacem adhiberet, quod in certa parte eiusdem domus de Arguines, seu per illam vnum hospitale pro pauperibus inibi reci-

A recipiendis, & benigne pertractandis construeretur, seu ordinaretur; adeò quod ex inde similia pericula de cætero euitari, pluraq; vtilitates, & commoda pauperibus ex tunc in antea inde transeuntibus succurrere valerent. Quare pro parte dicti Generalis nobis fuit humiliter supplicatum, vt super hoc opportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, ac dicti Generalis considerationē huiusmodi (si ita est) plurimùm in Domino Commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantijs vniuersis auctoritate nostra diligenter te informes; & si per informationem huiusmodi ea vera esse, ac infra scriptam translationem (si fiat) in euidentem pauperum vtilitatem cedere reperies, (super quo tuam conscientiam oneramus) bona omnia & singula supradicta ad eandem domum de Arguines transferre, nec non quod
B in ea hospitale huiusmodi ordinetur, seu de nouo construatur (vt præfertur,) & quod in illo dumtaxat, & non vltra ex tùnc in antea perpetuis futuris temporibus omnia & singula, (quæ alias idem Raymundus in dicto testamento quoad hospitale olim constructum præfatum fieri & obseruari voluit, ordinauit, atq; mandauit,) bene & laudabiliter fiant, & obseruentur, statuere, decernere, & ordinare eadem auctoritate procures. Non obstante voluntate, & ordinatione præfati testatoris ac alijs in eodem testamento contentis, necnon constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1448. quinto idus Augusti Pontificatus 1448.
nostri anno 2.

Floruit per hæc tempora in Prouincia Castellæ Fr. Rodericus de Amusco celebris, & famosus verbi Dei Concionator, magnaq; apud Regem, & Castellæ magnates auctoritate
C pollens. Fuit dum vixit nostri de Redimendis Captiuis instituti, & quod elemosynæ pro eorum liberatione diligenter procurarentur, adeò zelator, & studiosus, vt alicuius domus Commendator electus, plures elemosynas in terris, & locis sibi assignatis ipse solus per se, & suos Procuratores, aut Nuntios aggregaret, quàm quatuor aut plures Cōmendatores aliarum domorum. Eam ob caussam Patres Sanctissimæ Trinitatis (qui etiam Captiuos redimere, & Redemptionis Captiuorum Titulo cognominari solent) eum vbicunq; maximè Commendatorem Monasterij nostri ordinis ciuitatis de Logroño per hæc tempora constitutum insequebantur, & pro viribus molestabant. Dum igitur in ea ciuitate, & Episcopatu Calarogæ feruidus Commendator pro futura redemptione in regno Marrocij operanda, elemosynas procurat, quidam religiosi Sanctæ Trinitatis à suo Prouinciali Fratre Ioanne Bonifacio ad eandem Diœcesim destinati, (vbi hic ordo Sanctę Trinitatis Mona
D sterium habebat nullum) elemosynas petere, & in ecclesijs pro elemosynis a fideli populo immittendis capsulas, seu arculas reponere cęperunt. Quod Fr. Rodericus Amusco cùm patientèr ferre non posset, ad Serenissimum D. Ioannem Castellæ Regem eius nominis secundum recursum habuit, eique de iniuria illata porrexit querelam. Ad cuius instantiam, & preces Rex concessit priuilegium tenoris sequentis.

Don Juan por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Toledo, de Galicia, de Seuilla, de Cordoua, de Murcia, de Jaen, del Algarue. De Algecira, Señor de Vizcaya y de Molina; a vos el reuerendo padre Don Pedro obispo de Calahorra mayordomo e refrendario e de mi consejo, a vuestros Vicarios, y prouisores, e a todos los otros Clerigos curas, e otros qualesquier del dicho vuestro obispado, è a todos los concejos è Alcaldes, Alguaziles, Regidores, Caualleros, Escuderos, e omes buenos de todas las ciudades e villas, e logares del dicho vuestro obispado de Calahorra, e à qualquier, e quales quier de vos, a quien esta mi carta fuera mostrada salud e gracia. Sepades que Fray Rodrigo de Amusco Commendador del Monasterio de Sancta Maria de la Merced

ced de la Ciudad de Logroño, me hizo relacion, que no embargante que en el di- A
cho obispado no ay otro Monasterio alguno de la dicha orden de la Merced saluo el
su dicho Monasterio de Logroño, por lo qual deue andar el bacin de la dicha su or-
den, e del dicho Monasterio, e Commendador del, en su nombre, por todas las Igle-
sias del dicho obispado, para la demanda de la Redempcion de los Cautiuos, que
estan en tierra de Moros, y que aora nueuamente los Frayles de la orden dela Tri-
nidad andan con mis cartas poniendo bazines en las Iglesias del dicho obispado,
no auiendo Monasterio alguno de la orden dela Trinidad en todo el obispado. En lo
qual (si asi pasasse,) disque la dicha orden dela Merced reciuiria grande agrauio B
y daño asi por que en el dicho obispado no ay monasterio alguno dela dicha orden
de la Trinidad, e solamente ay en la dicha Ciudad de Logroño (que es dela Dioce-
sis del dicho obispado) el dicho monasterio dela Merced; à la qual orden dela Mer-
ced pertenece poner bazines en cada Iglesia, e demandar, e procurar las limosnas
para la dicha redempcion de Cautiuos, segun las cartas è mercedes, e prouisiones
que tienen de los Reyes onde yo vengo (que Dios dè Santo Parayso) confir-
madas de mi, como por que la dicha orden dela Merced siempre a estado en esta
posesion, y casi posesion delo suso dicho, sin contradicion alguna; e me pidio por mer- C
ced que sobre ello le proueiesse con remedio de justicia como la mi merced fuesse. E
yo tuuelo por bien; por ende ruego a vos el dicho obispo, e mando a vos los sobre
dichos, e a cada vno de vos que de aqui adelante dexedes, e consintades al dicho
Fray Rodrigo Comendador, e a los religiosos de la dicha su orden, que el por si en-
uiare, poner è tener en cada vna de las Iglesias del dicho obispado el dicho bazin, e
demandar, e procurar las limosnas de los fieles para la demanda de la dicha redem-
pcion de los Cautiuos, segun que mejor e mas complidamente en los priuilegios de
la dicha orden se contiene, e lo a constumbraron hazer hasta aqui; e que les non pon- D
gades, ni consitades poner en ello, ni en parte dello embargo, ni contrario alguno;
ni consintades a los de la dicha Trinidad, ni a otros algunos que faygan ni pongan
ni tengan bazines algunos en las dichas Iglesias, ni en alguna dellas, para la de-
manda de los dichos Cautiuos saluo el dicho Comendador de Logroño, e a los Reli-
giosos, que el por si enuiare, pues en el dicho obispado no ay monasterio alguna de-
la dicha orden de la Trinidad. E se otros algunos an tenido algunos bazines en las
dichas Iglesias, o en alguna dellas, e cogido algunos marauedis para la redemp- E
cion de los dichos Cautiuos, recudedes, e fagades recudir con todo ello al dicho Fray
Rodrigo Comendador, o a quien su poder ouiere para la dicha redēpcion; e los vnos,
ni los otros non fagades ende al, por alguna manera, sopena de la mi merced, e de
dies mil marauedis a cada vno para la mi Camara. E de mas por qualquier, o
qualesquier de vos por quien fincare de lo a si fazer, e cumplir, mando al ome que
vos esta mi carta mostrare, que vos emplaze, que parescades ante mi en la mi
corte, del dia que vos emplazare hasta quinze dias primeros siguientes. E man-
do

A *do sola dicha pena aqual quier escriuano publico, que para esto fuere llamado que dè ende alque vos la mostrare testimonio signado con su signo, por que yo sepa en como cumplides mi mandado. Dada en la villa de Nauarrete a quatro dias de Setiembre año del nascimiento de nuestro Señor Iesu Christo 1448. años. Yo el Rey. Yo el Dotor Fernando Diaz de Toledo Oydor, y Refrendario del Rey la fize escriuir por su mandado. Registrada Pedro de Clabixo.* 1448.

B Obtento præfato regio priuilegio dictus Fr. Rodericus de Amusco vires reassumpsit, & in nomine Domini per se, & suos Procuratores in Calahorritana Diœcesi ingentes recepit, & aggregauit elemosynas; quæ Magistro Fratri Petro de Huete (qui adhuc Generalis Magistri Apostolici nomine & titulo fruebatur) fuerunt consignatæ. Sed consonum est, vt ad verum & legitimum Ordinis Magistrum Fratrem Natalem Gauer mea vertatur oratio.

Hic bonus, & vigilans, ac sui Ordinis zelator prælatus cum sæpe vidisset plurimos locorum ordinarios, & eorum officiales Fratres nostros, ac Redemptionis Nuntios ad procurandas elemosynas ad Diœceses missos indebitè molestare, (qua iniuria Redemptionis opus retardabatur) imo quod grauius est contra Fratres nostros excommunicationis sententiam proferre, & in suis Diœcesibus publicè excommunicatos declarare; quæ Episcopi, seu eorum Vicarij contra Apostolicas literas passim committere non sinebant;
C Sanctissimo Nicolao Papæ V. humiliter supplicauit, quatenus dignaretur ordinem nostrum, Personas, & bona ab ordinariorum molestia, & iurisdictione omninò liberare. Quæ supplicatio, vt optatum sortiretur effectum, voluit Magister quod instantia, & precibus Alphonsi Aragonum Regis nostri ordinis patroni, & protectoris interuenientibus, & accedentibus fulciretur. Ad tanti ergo Regis preces Sanctissimus inclinatus bullam exemptionis valde fauorabilem nostro concessit ordini; quæ est tenoris sequentis.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Laudibus, & honore dignissima à cunctis fidelibus de Mercede Redemptionis Captiuorum religio, ab eius institutione fœlici cum celeri gloria totum fuit diuulgata per orbem, ac immensitate virtutum contra hostes orthodoxæ fidei militando, semper emicuit, promeretur, vt ipsam eiusque loca, personas, & bona, libera, & exempta faciamus, eaque reddamus ab omni perturbatione secura.
D Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Alphonsus Rex Aragonum Illustris, nobis significari curauit; quod licet dudùm Prædecessores, seu Reges Aragonum, qui fuerunt pro tempore, zelo deuotionis excitati, quamplurium Christi fidelium, quos impij Saraceni fidei Catholicæ hostes assiduè capiebant, Captiuitati compatientes, illorumque redemptioni suis & aliorum Christi fidelium suffragijs consulere satagentes, Apostolicæ sedis ad id auctoritate suffulti, Monasterium B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Barchinonen. de nouo fundauerunt, & erexerunt, instituentes inter cætera, quod Fratribus, & Religiosis dicti Ordinis officium, curaque assidua circa Captiuorum prædictorum redemptionem, & Christi fidelium elemosynarum ad redemptionem eandem summè necessariarum existeret; ex quo quidem ordine, qui per diuersas mundi præsertim totius Hispaniæ partes, ac prouincias ampliatus existit, eiusque monasteria iam
E pluribus notabilibus ædificijs constructa reperiuntur; tamen Fratres, & Religiosi ordinis prædicti à locorum in quibus degunt Ordinarijs, ordinem ipsum, & illius Fratres, ac Religiosos sibi, eorumque iurisdictioni ordinariæ subiectos esse prætendentibus, super charitatiuis subsidijs alijsque tributis, & exactionibus per ecclesiasticas suarum Diœcesum personas non exemptas eisdem ordinarijs persolui solitis, similiter per Fratres, & Religiosos dicti ordinis de bonis per ipsos à Christi fidelibus pro dictorum Captiuorum redemptione elemosynaliter, & ostiatim mendicatis exsoluendis per amplius grauantur & inquietantur; persæpè etiam Magister Generalis, Priores, siue Commendatores ordinis, & religionis huiusmodi in eorum iurisdictione circa dicti ordinis eis subditas & inferiores personas ad ipsorum ordinariorum curias illicò confugientes inuisitationibus, & correctionibus faciendis multipliciter impediuntur, vnde dictorum Captiuorum redemptionis fructus adeò salutiferus, & necessarius aliquando diminuitur; vnde Ordo, Religio, Monasteria, & illius illorúq;

reli-

religiosæ personæ, ac bona, si à prædictorum ordinariorum iurisdictione plenariè eximerentur, absque dubio fructus huiusmodi non parùm ampliaretur. A

Quare pro parte eiusdem Regis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictum ordinem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ac illius Religionem, necnon præfatum B. Mariæ de Mercede Barchinoneñ (quod eiusdem ordinis caput existit) omniaq; illius domus, & loca, necnon Magistrum Generalem, Priores, Præceptores, siue Commendatores, Fratres, Religiosos, aliasq; personas, & bona tam mobilia, quàm immobilia præsentia, & futura ordinis, monasteriorum, domorum, locorum, Magistri Generalis. Priorum, Præceptorum, Commendatorum, Fratrum, & Religiosorum prædictorum præsentium, & futurorum vbilibet consistentium ab omni superioritate, iurisdictione, subiectione, & obedientia, tàm presentium quàm futurorum Archiepiscoporum, & aliorum quorumcunq; ordinariorum locorum, in quibus religio, monasteria, domus, & loca, necnon Magister Generalis, Priores, siue Commendatores, Fratres, & Religiosi; ac illorum bona prædicta existant perpetuo eximere, & liberare, aliasq; in præmissis opportunè prouidere de benignitate apostolica dignaremur. B

Nos igitur attendentes quanta vtilitas, quantusq; honor fidei Christianæ ex huiusmodi religione prouenit, huiusmodi supplicationibus inclinati prefatum B. Mariæ omniaq; alia, & singula illius Monasteria, domos, & loca, necnon Magistrum Generalem, Priores, seu Commendatores, Fratres, & Religiosos aliasq; personas, & bona tam mobilia, quàm immobilia præsentia, & futura ordinis, monasteriorum, domorum, locorum Magistri Generalis, Priorum, Præceptorum, siue Commendatorum, Fratrum, & Religiosorum prædictorum præsentium, & futurorum vbilibet consistentiū ab omni superioritate, iurisdictione, subiectione, & obedientia quorumcūque tàm præsentium, quàm futurorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcūque ordinariorum locorum, in quibus Ordo, religio, monasteria, domus, & loca, Magister Generalis Priores, & siue Commendatores, Religiosi, ac eorum bona prædicta existunt, siue pro tempore extiterint auctoritate apostolica tenore præsentium plenariè eximimus, & liberamus, ac exemptos, & exempta perpetuò esse decernimus, atq; declaramus. Nec non illos, illas, & illa, ac bona & res huiusmodi Sedi Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subijcimus. Non obstantibus fœlicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, & alijs Apostolicis constitutionibus, necnon monasteriorū, & ordinis prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate, roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, constitutionis & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotētis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, C D E
1448. se nouerit incursurum. Datis Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1448. quinto idus Augusti Pontificatus nostri anno 2.

Idem Generalis Magister Fr. Natalis Gauer in compendio bullarum nostro ordini concessarum refert quod idem Pontifex Nicolaus Papa V. confirmauit omnia, & singula priuilegia per suos Prædecessores Romanos Pontifices nostræ Religioni concessa, eamq; sub
1448. Beati Petri, & sua protectione suscipit. Sub datum Romę Anno Dominicæ incarnationis 1448. tertio nonas Decembris sui Pontificatus anno 2.

Cap. XVI. Ioannes Rex Castellæ fauoribus ordinem prosequitur, cui filius Henricus succedit. Frater Petrus Bosses mirabilia operatur, & martyrio coronatur, & duo Redemptores in mari demerguntur. Nicolao Papa V. Calixtus III. & Calixto III. succedit Pius II. qui plura bona ordini conferunt; & Alphonso Regi Aragoniæ, Ioannes Frater, nostri ordinis valde studiosus, succedit.



A INTER posita pro parte Magistri Fratris Petri de Huete prænarrata appellatione, & coram Sanctissimo Romano Pontifice pendente, ipse Magister in ordinis schismate, & scissura officio Magistri Generalis fungebatur, in prouinciaq; Regnorum Castellæ, & Portugalliæ Magister Generalis ab omnibus habebatur, & appellabatur. Fuit semper magnæ auctoritatis vir, & doctus valde, & in Sacra Theologia (quam per plures annos docuit) omnium eius sæculi facilè princeps. Quod
B si pacificè totius ordinis magistratu potiretur, nullum proculdubiò religio nostra detrimentum pateretur: quia dum vixit augendæ religionis, ac operis Redẽptionis extitit zelator, & a Principibus in magno pretio habitus. Lites cum patribus ordinis S. Trinitatis non paucas habuit, & ordinem viriliter defendere studuit. Maximopere dolebat, quod bona vaga (quæ Hispani Mostrencos, idest bona Domino carentia appellant,) & quinta pars bonorum ab intestato decedentium alius quam noster Ordo haberet; cùm ab immemorabili tempore ea habendi, & recipiendi possessionem, Regum Hispanię priuilegijs approbatam pacificam haberet. Quibus non obstantibus, cùm tam a prædictis
C ordinis Sanctæ Trinitatis patribus, quam ab alijs etiam sæcularibus personis indebitè molestaretur; eum super hoc, pro opportuno remedio ad Regem Castellæ recursum habere oportuit. Ad cuius preces Ioannes Castellæ Rex, eius nominis secundus concessit nostro ordini priuilegium tenoris sequentis.

D *Don Iuan por la gracia de dios Rey de Castilla, de Leon, de Toledo, de Galicia, de Seuilla, de Cordoua de Murcia, de Jaen, del Algarue, de Algezira, y Señor de Vizcaya, y de Molina; a los Duques, Condes, Prelados, Marqueses, Ricos homes, Maestres delas ordenes, Priores, Comendadores, Subcomendadores, Alcaydes de los Castillos, y casas fuertes, y llanas, y alos prouisores, y Vicarios dela Yglesia dela muy noble Ciudad de Burgos Cabeca de Castilla mi camera, y al cõcejo, Alcaldes, Alguaziles, Regidores, Caualleros, y Escuderos, y homes buenos dela di*
E *cha Ciudad de Burgos, y a todos los Cõcejos, alcaldes Alguaziles Regidores, escuderos, y homes buenos de todas las otras ciudades, villas, y lugares de los mis Reynos y Señorios, y alos Alcaldes delos Mostrencos, y a qual quier, o quales quier de vos a quien esta mi carta fuere mostrada, o el treslado della signado de escriuano publico salud y gracia.*

Sepades que el deuoto y honesto Don Fray Petro de Huete Maestro en Theologia, General dela orden de Santa Maria dela Merced, por si, y en nombre dela dicha su orden, me embio a fazer relacion, que como quier que la dicha su orden tiene preuilegios delos reyes de gloriosa memoria donde yo vengo, y confirmados de mi; y an estado, y estan en pacifica possession, y casi possession, y vso, y costumbre antigua, y legitima prescrita de tanto tiempo aca, (que memoria de homes non es encontrario,) de predicar la demanda y limosnas para le redempcion de los Christianos, que estan Captiuos en tierra de Moros por todas las Ciudades, y villas y lugares de los mis Reynos, y señorios; y assi mismo de auer y lleuar los legados, y mandas fechas alugares inciertos por amor de dios en sus testamentos; y an si mismo de auer y lleuar para la dicha redempcion la quinta parte delos bienes delos que finan y mueren ab intestato; y assi mismo los mostrencos, y bienes delos desemparentados, y Algariuos; que agora nueuamente algunas personas en deseruicio de Dios, y mio, iperjuyzio dela dicha orden, y contra los dichos preuilegios, y costumbres, y possession, non lo pudiendo, nin deuiendo fazer de derecho, se han entremetido, y entremeten de gelo embargar, y perturbar; en lo qual si assi passasse, diz, que la dicha Rdempcion de los Captiuos padesceria gran detrimento, y la dicha su orden agrauio, y injuria, y otro si seriamos deseruidos en ello, y cessaria la dicha Redemption, y la procuracion, y demanda della; y me enuiaron à supplicar, y pedir por merced que sobre ello les proueyesse como la mi merced fuesse, y yo tuue lo por bien. Por que uos mando a todos, y a cada uno de uos que defendades, y amparedes al dicho General, y Prouincial, y Frayles dela dicha orden de Santa Marià de la Merced en la casi possession, que an estado, y esta la dicha orden de procurar, y lleuar lo suso dicho, y cada cosa dello por virtud delos dichos preuilegios, que en esta razon tienen; y les dedes, y fagades dar, para ello todo el fauor, y aiuda que vos pidieren, y menester ouieren; y que vos non entremetades de gelo embargar, ni empedir, ni consintades, nin dedes lugar, que contra el tenor, y forma delos dichos preuilegios en perjuizio dela dicha costumbre antigua, y casi possession, en que assi an estado, y estan dellevar, y de mandar lo suso dicho. A B C D

Nin dedes lugar, que contra la dicha possession, y costumbre, y priuilegios lleuen, nin demanden cosa alguna de lo contenido en los dichos preuilegios otras personas, nin ordenes algunas, saluo el dicho General, y su Prouincial, y Frayles dela dicha orden que por su mandado, o con su poder lo procuraren. E

E si vos, o qual quier de vos alguna cosa auedes fecho, y inouado contra lo suso dicho, que lo anuledes, y reuoquedes, y yo por la presente lo anulo, y reuoco, y do por ninguno, y de ningun valor, y que lo tornedes, y lo yo torno al primer estado. Por manera que la dicha orden de Santa Maria dela Merced sea restituida, e yo la restituyo

por

A *por la presente en la dicha casi possession, en que ha estado, y esta de procurar, y lleuar todo lo suso dicho, y cada cosa dello por virtud delos dichos preuilegios.*

E mando a vos los dichos Alcaldes dela dicha Ciudad de Burgos, e à vos los dichos Alcaldes delo Mostrenco, y à todas las otras Iusticias delas Ciudades, y villas, y lugares delos mis reynos, y Señorios, que recudades, y fagades recudir ala dicha orden de Santa Maria dela Merced, y à los que por ella lo procuraren, y recaudaren contodo lo mostrenco, y con el quinto delos bienes de aquellos, y aquellas, que an finado, y finaren abintestato, y con todos los legados, y mandas inciertas

B *tas fechas en los testamentos a lugares inciertos, y a personas no conoscidas, (no embargante que los Testadores delos tales testamentos digan, y ordenen, que lo den sus Albaceas donde sea mas seruicio de Dios, y donde ellos quisieren, y por bien touieren,) y contodos los bienes delos desemparentados, y Algariuos; y assi mismo acudades, y fagades a cudir ala dicha orden de Santa Maria dela Merced con los bienes, y cosas, que donan, y dexan en testamentos, y postrimeras voluntades tacite, y calladamente alos incapaces, y alos indignos; e non recudades, nin consintades recudir con lo suso dicho, nin con cosa alguna dello a otra persona, nin or-*

C *den alguna, saluo ala dicha orden de Santa Maria de la Merced, y al General, y Prouincias, y Frayles dela dicha orden.*

Y mando a mi Chanciller, y Notarios, y a los otros officiales, que estan ala tabla de los mis sellos, que vos den, y libren, y passen, y sellen mi carta, o cartas de preuilegios, las que menester ouieredes en esta razon. E los vnos, nin los otros non fagades, nin fagan ende al por alguna manera los Clerigos, y personas Ecclesiasticas sopena dela mi merced, y de las penas en que caen aquellos que no obedecen car-

D *tas, y mandamiẽtos de su Rey, y Señor natural; y los legos, y personas seglares sopena dela mi merced, y de priuacion delos oficios, y de confiscacion delos bienes; y delos que lo contrario hizieredes para la mi Camera; edemas por qualquier, ò qualesquier de vos, o delos por quien fincare delo assi fazer, y complir mando al home que vos esta mi carta mostrare, que vos emplaze, que parezcades ante mi en la corte, do quier, que yo sea, del dia, que vos emplazare à quinze dias primeros siguientes sola dicha pena; sola qual mando a qualquiera escriuano publico, que para esto fuere llamado, que de ende al que vos esta mi carta mostrare, testimonio signado con su*

E *signo por que yo sepa como cumplides mi mando. Dado en la noble villa de Valladolid à quatro dias de Julio año del nascimiento de nuestro Señor Jesu Christo 1449. años. Yo el Rey. Yo el doctor Hernand Diaz de Toledo Oydor, y Refrendario del Rey, y su Secretario la fize escreuir por su mandado. Registrada.*

Dùm Frater Petrus de Huete nostri ordinis Generalis Magister (sic à Fratribus suæ obedientiæ vocatus) in ampliando, & augendo ordine, ac quòd regalibus priuilegijs illu-

ſtretur, totus occupatus, & diſtentus exiſtit, nuntij fratres ordinis Sanctæ Trinitatis ad præfatum R. Fratrem Ioannem Bonifacium eius ordinis in Caſtella Prouincialem accedentes retulerunt ei; quod in Diœceſi Calahorritana a fratribus noſtris impediti, elemoſynas petere non potuerant. Quod Prouincialis æquo animo ferre non valens, Regi Caſtellæ cum querela ſupplicationem porrexit; in qua inter alia affirmabat; præfatū priuilegium ad inſtantiam Fratris Roderici de Amuſco Monaſterij de Logroño Commendatoris expeditum, & conceſſum, fuiſſe ſubreptitio modo, & ſiniſtra informatione, tacita veritate in eiuſdem ſui ordinis detrimentum, & iacturam obtentum; eo quod in præfato Epiſcopatu ab immemorabili tempore Ordo Sanctæ Trinitatis elemoſynas quærendi, & pro redemptione Chriſti fidelium in Eccleſijs arculas collocādi pacificam poſſeſſionem habebat; eam ob cauſſam prædictum priuilegium (quod etiam contra quaſdam Apoſtolicas bullas affirmabat eſſe) infirmari, & reuocari rogabat. Cuius prouincialis precibus Rex Ioannes inclinatus priuilegium noſtrum a ſe dudùm emanatum minimè reuocauit (vt Prouincialis volebat,) ſed Epiſcopum Calahorritanum rogauit, vt Fratres Sanctæ Trinitatis ſicut ante dicti priuilegij datam, elemoſynas petere, & alia, quæ pro Captiuorum redemptione in ea Diœceſi facere ſolebant, ſic deinceps (dicto priuilegio non obſtante) eadem operari permitteret. Sub datum Valliſoleti die 19. Auguſti anno dominicæ incarnationis 1449. A B

Die ſequenti vigeſima Auguſti eius anni, præfatus Magiſter Frater Petrus de Huete Generalis nominatus, ad maius robur, & firmitatem voluit priuilegium, quod menſe præterito die quarto Iulij, de bonis vagis, & de quinta parte bonorum ab inteſtato decedentiam ordini noſtro applicandis obtinuerat, ab eodem Domino Ioanne Caſtellæ Rege; & à ſuis tàm eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus Conſiliarijs approbari, & in ampliſſima forma confirmari. Et ſic ſuper hoc ſupplicationem porrexit Domino Regi, qui eius precibus inclinatus, priuilegium confirmationis conceſſit, quod eſt tenoris ſequentis. C

E agora el dicho Don Fray Pedro de Huete Maeſtro General de la dicha orden de S. Maria dela Marced, porſi, y en nombre dela dicha ſu orden me ſupplico i pidio por merced, que le confirmaſſe el dicho preuilegio i carta de ſuſo incorporada, i todo lo en ello contenido, i cada coſa, i parte dello, i que ſe lo mandaſſe guardar i cumplir. E yo el ſobre dicho Rey Don Juan por hazer bien, i merced al dicho Maeſtro General, i ala dicha orden de S. Maria dela Merced, i frayles della toue lo por bien; y cōfirmòles el dicho preuilegio, i carta, i todo lo en ello contenido, i cada coſa, i parte dello. Y mando que les vala, i ſea guardado el dicho preuilegio, ſi, i ſegun que mejor i mas complidamente les ualio i fue guardado, en tiempo del Rey Don Enrique mi viſabuelo, i del Rey Don Juan mi abuelo, i del Rey Don Enrique mi padre, i mi Señor de eſclarecida memoria que Dios aya, i delos otros Reyes mis anteceſſores, que direron los dichos preuilegios i en el mio faſta à qui; e otro ſi les vala, i ſea guardada la dicha carta que de ſuſo va encorporada en todo, i por todo ſegun, i en la manera, que en ella ſe contiene. D E

Por que vos mando a todos i acada vno de uos, que lo guardedes, i cumplades. y fagades guardar, i cumplir todo anſi ſegun que en ello, i en cada coſa dello ſe contiene; i que les non vayades, nin poſſedes, nin conſintades ir, nin paßar contra parte dello en algun tiempo, nin por alguna manera. è mando, y defiendo firmemente que ninguno, non algunos nin ſean oſados deles ir, nin paßar cantra la dicha carta de preuilegios, nin contra coſa alguna dellos, nin contra lo en ellos, i en cada

vno

A vno dellos contenido por gelo quebrantar, o menguar en todo, o en parte agara, ni en algun tiempo, nin por alguna manera; ca qualquiera que lo fiziesse abria la mi ira, i pagarme ya la pena contenida en el dicho preuilegio, i cartas suso encorporadas; i al dicho general, y prouincial, i ala dicha su orden las costas, i daños que por ende seles siguieren doblados. E de mas por qualquier, ò qualesquier, de vos, o dellos por quien fincare delo ansi fazer, i cumplir mando al home que les esta mi carta de preuilegio mostrare, o el dicho su treslada signado, como dicho es, que los emplaze, que parescan ante mi en la mi corte, do quier que io sea, del dia, que los emplazare, fasta B quinze dias primeros siguientes sola dicha pena. Sola qual mando aqualquiera escriuano publico que para esto fuere llamado que dè ende alque la mostrare testimonio signado con su signo, por que yo sepa como complides mi mandado. E desto les mãdè dar esta mi carta de preuilegio rodato escrita empergamino de cuero firmada de mi nombrr, y sellada con mi sello de plomo pendiente en filos de seda a colores. Dada en la noble villa de Valladolid a 20. dias de Agosto, año del nascimiento de nuestro Senor Jesu Christo de 1449. años. Yo el Doctor Fernando Diaz de Toledo 1449.
C Oydor, i Refrendario del Rey, y del su Consejo, y su Secretario, y Notario mayor delos preuilegios rodados la fize escriuir por su mandado.

E yo el sobre dicho Rey Don Juan Reynante en vno con la Reyna Doña Isabel mi muger, i con el Prencipe Don Enrique mi hijo en Castilla, en Leon, en Toledo, en galizia, en Seuilla, en Cordoba, en Murcia, en laen, en Algarue, en Algezira, en Badajoz, en Vizcaya, en Molina otorgo este preuilegio.

Consiliarij Ecclesiastici confirmantes hoc priuilegium.

D DON Ioan de Ceruantes Cardenal ostiense, Administrador perpetuo dela Iglesia de Seuilla. Don Iuan Carauajal Cardenal de S. Angel, Administrador perpetuo de Placenzia. Don Alonso Carillo Arcobispo de Toledo, primado delas Españas Chancillero mayor de Castilla. Don Rodrigo de Luna administrador perpetuo dela Iglesia de Santiago, y Capellan mayor del Rey. Don Alonso de Santa Maria obispo de Burgos. Don Pedro obispo de Palencia. El obispo de Segouia. Don Fray Lopez de Barrientos obispo de Cuenca. Don Fernando de Luxan obispo de ciguenza. Don Alonso de fuente secca obispo de Auila. Don E Diego obispo de Cartagena. Don Sancho obispo de Cordoua. Don Gonzalo obispo de Jaen. Don Pedro obispo de Calahorra. Don Gonzalo Vanegas obispo de Gadiz. Don Pedro Vacca obispo de Leon. Don Jñigo Manrique obispo de Ouiedo. Don Roberto de Moya obispo de Osma. Don Juan de Mella obispo de Zamora. Don Gonzalo obispo de Salamanca. Don Alonso Enrique obispo de Coria. Don Lorenzo Suarez de figueroa obispo de Badajoz. El obispo de Orenes. Don Aluaro Osorio obispo de Astorga. Don Alonso obispo de Ciudad Rodrigo. Don Garcia obispo de Lugo. Don Pedro obispo de Mondoñedo. Don Luis Pimentel obispo de Tuy.

Con-

Consiliarij ordinum militarium hoc priuilegium confirmantes. A

DON Aluaro de Luna Maestre dela orden dela Caualleria de Santiago Condeestable de Castilla. Don Pedro Giron Maestre dela orden dela Caualleria de Calatraua. Don Fray Gutierre de soto mayor Maestre de Alcantara. Don Fray Gonzalo de Quiroua Prior de San Juan.

Consiliarij sæculares hoc priuilegium confirmantes. B

DON Fadrique primo del Rey Almirante mayor dela Mar. Don Juan de Guzman Primo del Rey Duque de Medina Sidonia Conde de Niebla, vassallo del Rey. Don Juan de Luna Conde de Luna, y Conde de Alburquerque. Don Alonso Pimentel Conde de Venauente. Don inigo Lopez de Mendoza Marquez de Santillana, Conde del Real de Manzanares, Señor delas casas de Mendoza, y dela Vega, vaßallo del Rey. Don Juan Pacheco Marques de Villena, vasallo de Rey. Don Gaston dela Cerda Conde de Medina Celi, vassallo del Rey. Don Diego Gomez de Sandoual Conde de Castro, Adelantado Mayor de Castilla. Don Juan Conde de Almeñaque, y de Cangas y Tineo, vasallo del Rey. Don Juan Manrique Conde de Castañeda Chanciller mayor del Rey. Don Juan Ponce de Leon Conde de Arcos, vassallo del Rey. Don Fernando Aluarez de Toledo Conde de Alua, vassallo del Rey. Don Pedro Aluarez Osorio, Conde de Trastamara, Señor de Villalobos, vasallo del Rey. Don Diego Sarmiento Conde de S. Martha, Adelantado mayor de Galizia, vasallo del Rey. Don Pedro de Villandrando, conde de Ribadeo. Don Pero Niño, Conde de Huelua Señor de Cigales. Don Pedro de Acuña Conde de Valencia. El Conde Don Gonzalo de Gusman, vasallo del Rey. Don Pedro Señor de Monte Alegre. Don Diego Manrique, Adelantado mayor del reyno de Leon. Perafan de Ribera Adelantado, y notario mayor del Andaluzia. Pero Faxardo, Adelantado mayor del reyno de Murcia. Iuan de Silua Alferez mayor del Rey, y notario mayor de Toledo. Pero Sarmiento respostero mayor del Rey. Juan Ramirez de Orellano, Señor delas cameras, vasallo del Rey. Don Pedro de Gueuara Señor de Oñate, vasallodel Rey. Pedro de Ayalla merino mayor de Guipuzcoa. Pero Lopez de Ayala Apesentador mayor del Rey, y su alcalde mayor de Toledo. Dō Aluar Perez de Guzman Señor de Orgaz Alguazil mayor de Seuilla. Dō Pedro Señor de Aguilar vasallo del Rey. Pedro de Quiñones Merino mayor de Asturias. Diego Fernandez Señor de Vaena, Mariscal de Castilla. Pedro de Mendoza Señor de Almazan, Guarda mayor del Rey. Juan de Touar Señor de Berlanga vasallo del Rey. El dottor Fernādo Diaz de Toledo Relator

del

A *del Rey, y su notario mayor delos priuilegios rodados. Don Pedro de Stumiga Conde de Placencia, Justicia mayor de casa del Rey, Don Pedro Fernandez de Velasco Conde de Haro Senor de la casa de salas Camarero mayor del Rey, iuan de Touar Señor de Ceruico Guarda mayor del Rey. Ruydiaz de Mendoza mayordomo mayor del Rey. Iuan de Silua Alferez mayor del Rey. El signo del Rey Don Iuan.*

Hæc & alia priuilegia non vt in area communi depositi monasteriorum sub tribus clauibus includerentur, tanto labore, solertia, atque expensis Magister Huete obtineri curauerat, B sed ut ex eis plurima fierent transsumpta, quæ per fratres grauos, suæ obedientię subiectos, in Castella, & Lusitania commorantes, populo Christiano, & deuotis personis sedulò publicarentur, & ex inde copiosiores quam antea fierent Redemptiones, maiorque Captiuorum redimeretur numerus. Quæ feruidus Pastor, ac nauus Prælatus cúm probe attenderet, dedit continuò operã, vt mostrena (bona scilicet legitimo Domino carentia,) inquirerentur, & quinta pars bonorum decedentium ab intestato, recuperaretur, ac legata pia benignitate Regum nostro ordini pro redimendis Captiuis applicata, haberentur. Qua bona adhibita solicitudine, & cura, ingens bonorum, & elemosynarum aggregari potuit copia; quibus ex regnis Marrocij Frater Alphonsus de Valuerde, & Frater Dominicus Ispalensis, Redemptores hoc anno 1450. a præfato Magistro Huete deputati, redimere 114. Christi fideles potuerunt; quos diuina gratia Ispalim incolumes duxerunt, & perfectæ libertati restituerunt. 1450. Liber. 124.

C

Quotiescunque uitam, & gesta B. Laurentij Company à grauissimis nostri ordinis scriptoribus maximè a magistro Guimeran Episcopo de Xacca, a Magistro Rodriquez Episcopo Rosciensi, & Magistro Zamel conscripta, pro mea consolatione tacitus lego, primum Sancti senis Tobiæ caput præ manibus habere, & legere mihi uidetur.

Cum igitur noster Valentinus Laurentius captus esset, in captiuitate positus uiam veritatis non deseruit. Imo in eo misero, & infœlici statu (ut ait Frater Ioannes Martinez in breui uitæ eius narratione a præfato Episcopo de Xacca citatus) Sarraceni ipsi uidentes bona opera, quæ faciebat, & quot Christiani Captiui propter uitam honestam, & laudabilem sermonem eius, mores suos composuerant, ac peccandi licentiam omiserant, publi- D cè eum virum sanctum, & Christianorum speculum appellabant. In primis per captiuitatem deueniens, cum ibi essent plures Christiani, qui propter metum Maurorum, & ciborum egestatẽ, ac magnam necessitatẽ quam patiebãtur (quia prohibiti, & in parua solũ quantitate cibi apponebantur eis) ederent tempore quadragesimali, & in temporibus, ac Sanctorum vigilijs ex cibis illarum gentium, iste perfectus Christianus, & timoratus uir custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Quo singulari exẽplo Captiui Christiani commoti, iam prius fame perire, quam prohibitis per legem nostram cibis vesci eligebant. Et quoniam memor fuit in toto corde suo Domini dicentis, in viam gentium ne abieritis, dedit illi Deus gratiam in conspectu Regis Tuneti; qui dedit ei potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Quod E attendentes mercatores Christiani ibi commorantes, imo ipsimet Sarraceni pecunias, elemosynas, & dona dabant ei, quibus posset suis Concaptiuis benefacere. Ob id B. Laurentius Tobiæ imitator effectus pergebat quotidie per eam regionem, & mœrore afflictos Christianos uisitabat, & consolabatur eos; diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibus sibi collatis. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat. Tantam inquam gratiam in conspectu Barbari Regis adinuenit, vt ipse in Captiuitate honesta remanens Captiuus 83. Christi fideles partim gratis, partim non magno pretio, ac sua industria hoc anno Liber. 83. 1451. liberare, & cum vno mercatore Gotholano ad fidelium terras transmittere valuerit. 1451.

Et

Et non solum ob miracula,& ægregia opera, quæ B. Laurentius faciebat, erat in conspe- A
ctu Regis,& Principum gratiosus, sed Maurus ille populus,& infideles Sarraceni ad exem-
plar potentium in magno pretio,& æstimatione habebant eum,& communi vocabulo Pro-
phetam Christianorum vociferabant eum; & nullus erat, qui in conspectu Laurentij iniu-
riam Christianis inferre auderet. At peruersi, flagitiosi, & maligni Sarraceni, ad malum
semper prochues, quos per uias, & extra hominum habitationem Christianos offendebant,
crudeliter offendere, iniurijs afficere, iniquè tractare, & inhumaniter lædere, imo eos occi-
dere sæpe solebant; vt accidit Sancto viro Fratri Petro Boffet, Beati Laurentij socio; cuius
agonem,& pro fide Catholica, ac fratribus suis Captiuis certamen,& summatim uitam eius,
narrare modò incipiam.

Plures erant in Hispania nostri ordinis Fratres zelo fidei accensi, & virtutibus condeco-
rati, qui B. Laurentium Company comitari, & socium eius in Redemptionis munere esse B
exoptabant, & totis viribus procurabant; Sed præfati Petri Boffet sanctimonia cognita,
charitatis ardor,& scientiæ præstantia, (qui deprauatos mores,& falsam Sarracenorum se-
ctam caluerat) Magistrum ordinis Gauer magnoperè effecerunt, & commouerunt, ut eum
in socium Laurentij deputaret.

Fuit Petrus a natura mitis, & suauis; nullis nocere, sed omnibus prodesse accuratè stu-
duit. Ex nobilibus parentibus in Gallia originem duxit; sed vera nobilitas eius fuit reli-
giosa uita, moribus ornata, & virtutibus præcipuis ualde clara. In ætate florenti patrem
temporalibus bonis affluentem,& matris suæ blanditias ingenuè viriliterque postposuit, vt
Patrem Christum benè beatèq; viuendo sequeretur, & Matris diuinæ gratiæ religionem
ingrederetur. In qua toto tempore vitæ suæ terrena calcando,& vitia spernendo religiosissi-
mè vixit. Ad literas,& sacram paginã, qui erat ingenio acutus, & quadam naturali ui sibi in- C
sita pollens, solerter incubuit, & adeò profecit, vt non solum publicè, & priuatè in famosis
Galliæ uniuersitatibus subtiliter disputando gloriam & honorem adipisceretur, sed etiam
docendo in scholis, & solemniter verbum Dei populo annunciando famosos discipulos ha-
buerit,& ingentes vtriusq; sexus personas ad viam veritatis reduxerit. Hunc Sanctũ virum
sibi in socium, & Redemptionis Comitem B. Laurentius habuit, qui suo magistro, charita-
tis amorisque maiori signo munus redemptionis expleuit. Nam licet Magister Company
pro fratribus suis concaptiuis animam suam ponere exoptauerit, non tamen sicut socius eam
ponere meruit (vt citò videbimus) Accidit, quod per hæc tempora Tuneti Rex a Christia-
norum classe grauiter vexatus, cum eis pacem inire, uel ad minus inducias obtinere cuperet
vehementer. Et intra cordis sui arcana hæc cogitanti, & cui hoc serium magnique mo- D
menti negotium committere posset, tacito attendenti noster Laurentius seruus, & captiuus
eius (ob cuius liberationis caussam, sæpe a Principibus Christianis continuas preces, & cõ-
mendatitias literas receperat) oblatus est ei. Quem asciuit, dixitque ei; non quod te oderim
neque in tuæ professionis,& religionis contemptum, & multò minus in Principum Chri-
stianorum despectum, a me quotidie libertatem tuam poscentium, in patriam tuam redeun-
di copiam tibi concedere renui, tu scis benè quomodo te non vt seruum captiuum in regno
meo habuerim, sed vt vnum ex amicis,& Consiliarijs meis honestauerim, cuius rei caussa
ea ampla ad libitum tuum per totum meum dominium liberè, & sine impedimento pro-
grediendi, & incedendi facultas, ac alia plurima a me tibi præstita beneficia (etiam si maio-
ra tibi proculdubio debeantur) quæ obijcere, aut exprobrare fas non est, euidens veritatis te-
stimonium ostendunt: sed moram in regno meo te trahere mihi, & rebus publicis summo
emolumento esse cum iudicarem, Regum Principumq; Christianorum precibus annuere E
renui. Imo (si veritatem fatear) ipsimet Christianorum Captiuorum Domini me ad liber-
tatem tibi concedendam propensum esse suspicantes, instarunt, meq; per singulos dies ve-
hementer vrgent, ne te in Hispaniam reuerti faciam. Et inter alia de te dicunt, quod suos
Captiuos non ad fugam mones, sed ad tolerantiam moues; docesq; eos, quod sobrij,& tem-
perati sint, & aliena non furentur, & quod Dominis suis parere, & obedire debeant; quæ
omnia cum vera sint, quis dubitat, quin hæc monita, vtilitatem, & commodum ipsis Do-
minis afferant, & ipsimet Captiui tuis dictis acquiescendo pœnas effugiunt, & uitant. Sed
(his omissis.) ecce iã modò Principes Christianos inuisendi tibi opportuna se offert occasio;
plurimum enim tuæ prudentiæ, & dexteritati, ac fidelitati fidens, quantumq; in Hispania,
& alibi possis,& valeas, mecum attendens, te meum Ambasciatorem apud Christianos Re-
ges

A ges maximè Regem Neapolis oblegare volo, vt significes eis, has meas militũ copias (quarũ rumor ad eos peruenit) non vt bellum cõtra eos suscipiam, (pacem enim volo) sed pro mea & regni mei defensione tantummodò me ordinasse. Ob id cum eis, & alijs vicinis Principibus verã amicitiam, & pacẽ me inire velle dices eis. Quod si hoc fuerit denegatũ, (quod te procurante minime autumo) poteris ab eis nomine meo inducias per aliquot annos tibi benè visos, petere, & tua subscriptione firmare: ad quæ & alia peragenda in amplissima forma à me, & a consilio regio tibi necessaria facultas concedetur. Persuasum igitur mihi habeo, quod tua oratione, ac sermone Regẽ Alphonsum, & circumuicinos Principes (ad quos accesseris) ad preces meas, & ad id quod omnibus vtile erit, induces eos. Tu scis rectè quibus damnis atq; incommodis bella ipsa, & prælia mortales afficiant, nã inquietudines excitant, rapinas, & scelera gignunt, innumera mala creant, regiones vastant, regna destruũt, intolerabiles expensas efficiunt, noua tempore belli B vectigalia imponuntur, & milites licentiosam vitam degentes, non est malum in terra, quod ipsi non aggrediantur. Legationis igitur munere fœliciter (vt spero) ex pleto, licet libertas tua, nulli debeat cõparari auro, mundus tamen agnoscet, eam cum alijs a me tibi exhibendis gratijs, & fauoribus minimè conferri debere.

Quod legationis munus honorificũ, in Captiuitatis statu B. Laurentius (præstito priùs in lege nostra de redeũdo iuramẽto) libenti aĩo suscipere voluit, vt hac via Regẽ Maurũ deuinxisset, & Christianos aliquos de potestate eius liberare valuisset. Sed antequã discederet, sociũ suũ Fratrem Petrũ Boffet cũ lachrymis amplexatus est, quasi vaticinari volens, futurã citò crudelẽ eius mortẽ, & quod ampliùs in hoc sęculo eũ non esset visurus. Et cùm vix a lachrymis se temperare posset, hęc pauca ad Christianos, qui aderant cõuersus, protulit verba. C A Rege Funeti missus, ad Regẽ Alphonsum vado, & citò (si Deus voluerit) veniã ad vos, & gaudebit cor vestrũ. Patientia vobis necessaria est, vt Captiuitatis miserias supportetis. Sociũ meũ, cõmendatũ uobis esse volo; quodcũq; dixerit vobis facite, quia salutẽ aĩarum vestrarum exoptare, & de vestra Redemptione anxium esse, sum expertus; valete, & pro me orate.

Sed dum B. Laurentius infructuosè pro Rege Mauro (vt inferius dicemus) Neapolim tendit, eius sociũ Fr. Petrum Boffet per Africam comitemur, eiusq; actiones attendamus, & describamus. Cũ igitur vir bonus sine magistro, & ductore destitut⁹ maneret, nõ ob hoc, aĩo cadere voluit, sed diuina gratia roboratus, sui magistri vestigijs inhęrendo, vt Christianorũ Captiuorũ spirituali saluti, & corporali remedio (iuxta vires suas qui nõ erat in tãta ęstimatione sicut B. Laurẽtius) operã nauaret, & Sarracenorũ conuersioni aĩum intenderet, cępit nõnulla eius Regionis de licentia Mauri Regis (cui nomen erat Octumenus) perlustrare loca. D Et dũ est in via, & iter per loca plana pedibus cõficit, ac quoties ei per tẽpus licebat, cęlestium ciuiũ consortiũ contẽplando, Captiuorũ miserũ statum deplorans, sic dicebat. Quãti mercenarij in domo, & Religione patris mei, Generalis Gauer, scientiæ, & sanctimoniæ pane cęlesti abundant, qui in hac errorũ silua multo fęliciùs, maioriq. fructu, populo Christiano afflicto, famelico, & sitienti, in hacque solitudine, & deserto inter animalia degenti, prospicere, & ꝓuidere poterãt, ego aũt ignarus, qui doctrinę fame pereo, fui inter mille (nescio quo iure) in sociũ tanti magistri electus, quasi nunquã tanti luminis, & solis, essẽ visurus occasum. Sed sol ille iustitiæ Deus noster illuminet sensus, & cor meum, vt eius patrociniũ sentiã, & comitatu Angeli custodis, iacula impiorũ Sarracenorũ non timeã, imo eos de tenebris suæ ignorantiæ ad agnitionem veritatis, gratia diuina confortatus, conuertam.

Et vos Angelici spiritus, qui estis in loco refrigerij, lucis, & pacis, miseris Captiuis in re- E gione vmbræ mortis iacẽtibus, manus porrigite salutares; vos qui meretis esse superni ciues, & domestici Dei, ac perfrui æternę claritatis gloria, intercedite pro istis miseris Christianis, qui Captiui & ligati tenentur, ut misericors Deus de cauernis, de balneis, ac fętidissimo carcere eos educere dignetur; quia quotidie trementes, & pauentes, mortem, quam Mauri vbicunq. minantur, in męrore expectant. Hæc dum (iam declinata die) intra se tacitus, mente pertractat, occurrit ei quidam Christianus, natione Hispanus, ex Valentiæ regno oriundus, nudis pedibus, sed ferreis catenis oneratus, sacerdotali honore insignitus, pannis obsitus, & penè nudus, ac prę nimia fame quasi deficiens in via, qui dixit ei, more Christiano salutationem exhibendo; est ne (bone pater) aliquid tibi, quod manducem, quia per totam diem laborando, nihil cibi, benè tamen ad laborem plures pedibus impulsiones recepi; nolunt enim isti Sarraceni, (qui iuxta sectam suam totam diem ieiunant) antequam ipsi edant, aliquid nobis præbere; & tunc non nisi atrum fetariumque

panem in mensura cũ sola aqua recipimus. Quid de alijs intolerabilibus iniurijs nobis illatis, A
dicã? quotidie nouis doloribus affligimur, suspicationibus inquietamur, sollicitudinibus p̃mimur, uix respirare, & in libertatis spem aĩum inducere prę nimio, & cõtinuo labore, valemus. Quę mala, infortuniaq; in hac lacrymarũ valle homini mortali cõtingere possunt, quę Captiuitati quã patimur, queant cõparari? O magnũ miseriarũ profundum, o infęlicitatũ pelagus, ò imum oĩum calamitatũ mare; plures (dum chara libertate fruebar) me legisse rectè memini, quos sacra pagina historięq; prosanę referunt, qui mori potius, quam in hanc miseriã, in hunc statũ, & in suorũ Inimicorũ manus incidere maluerunt 2. Regũ c. 1. & 24. & in Machabæorũ libris de hac re plura nõ desunt exẽpla; Romanorũ quoq; & Carthaginẽsiũ gesta plures famosos uiros, & strenuos Duces pręconijs celebrãt q̃ mortẽ Captiuitate tolerabiliorẽ iudicantes, magis semel mori, quã sæpe in longa captiuitate aĩam agere elegerũt; quos nimia fames, (qua vexor) in mediũ adducere minimè sinit, nec permittit. Non a veritatis via B
(frater noster respondit) multùm diuiasse videtur, hi famosi viri, qui eiusmodi electionẽ fecerũt, Captiuitas enim potius mors, quã uita dicenda est. Hoc insinuare videtur Baruch Propheta 3. quando deplorans Captiui populi Dei afflictionẽ, dicebat ad Dñum; & nũc Dñe omnipotens, Deus Israel, aĩa in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te, audi nũc orationẽ mortuorũ, idest audi Israelitas tuos, in Captiuitate orantes, qui prę nimia angustia, & anxietate inter mortuos deputari debẽt. Et paulò inferius in eodẽ cap. postquã alloquutus fuerat Dñum, conuersus ad Captiuũ populum idẽ ostendit; quid est Israel quod in terra Inimicorũ es? inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cũ mortuis, deputatus es cũ descendentibus in infernum. Captiuũ Dñus dum in Captiuitatis profundo iacet, mortuũ appellat, non quod sit verè & realiter mortuus, qui adhuc totã aĩam retinet, sed eum cum mortuis deputando, & descendentibus in inferno cõparando, vicinã Captiui mortẽ, discrimen, in quo versatur, ac C
similitudinẽ quam Captiuus habet cũ descendentibus in infernum, idest cum his, qui morti appropinquant, & in agonia laborant, insinuare videtur.

Hi in fine vitæ constituti, non se mouẽt, sed mouentur; id, quod operari vellent, opere cõplere nequẽt, quia libertate ob uiriũ defectũ sunt destituti, os habẽt, & non loquũtur, oculos habẽt, & nõ uident, q̃ videre exoptãt, bene tñ Inimicorũ horribiles apparitiones. Aures habẽt, & nõ audiũt, nisi Dęmonũ importunas accusationes, & querelas. Nares habẽt, & nõ olfaciunt, nisi cõmissorũ criminũ graueolentem fętorem, manus habẽt, & non palpant, quia ad operandũ, eas habent frigidas, & gelatas Pedes deniq; habẽt, & non ambulant, nisi ad appropinquantẽ, & vicinã mortem. Sic fratres nostri Captiui inter mortuos deputantur, & his, qui in extremis laborant, rectè assimilantur. Non se mouent, sed ab alio mouentur. Cũ erãt iuniores, & in libertate cõstituti cingebãt se, & ambulabant quò volebãt, cũ aũt senuerũt, & D
per Captiuitatẽ, morti appropinquarũt, alius catenis cinget eos, & ad laborẽ quò ire nolunt, ducet eos, vbi os habẽt, & tamquã muti non loquuntur, quia Sarraceni (si hi moribundi labia sua aperiunt,) os eorum pugnis crudeliter tundunt. Oculos habent, & non vident, quæ videre solebant in patria, tẽpla sacra, & loca sancta, ubi Christus Deus noster a fideli populo liberè nemineq; impediente debito honore colitur; bene tamen passim vanitates, & abominationes (quas ipsa natura abhorret) cernere coguntur. Aures habẽt, & non audiunt verbum Dei, monita salutis, & animę salutaria; bene tamen blasphemias, opprobria, contumelias, & conuitia. In captiuitate positi, licet habeant nares, non suauitatem odoris, sed balneorũ (vbi ad instar animalium includuntur) intolerabilem odorantur fętorem. Manus habẽt, & nihil aliud palpant, quam ligones, sarcula, palas, & alia grauiora ad laborandum incessanter instrumenta. Licet habeant pedes amabulare non possunt, quia vinculis grauibus, & ferreis catenis detinentur. E

Et denique sicut in extremis positi, parum cybi, aut nihil degustant, sic fratres nostri Concaptiui fame pereunt sicut ego scio, & tu etiam mihi significasti; quo commota sunt omnia viscera mea, præsertim, quia fami, & necessitati tuæ, qua uexaris, succurrere, & opem ferre nequeo, quia in hac regione omnes sumus a patria exules, & humano adminiculo destituti. Si tu es Cristianus, Christianus sum, & ego; si minister Christi, minister sum, & ego; si Captiuus, Captiuus, & ego; si fame peris, fame pereo. Sed voluntas mea, & cybus meus est, vt faciã voluntatem Patris mei Magistri Cõpany, tui cõterranei, qui Neapolim profecturus, curã de nostris Captiuis mihi cõmisit. Appropinquemus igitur ad illud Castellum, quod propè est, quò alias cum meo magistro petiuisse memini, vt tuæ nostrorumque Captiuorum necessitatibus succurrere, & maurorum conuersioni

in-

A incumbere valeamus. Sed vt ad laudem Dei proſperè cuncta eueniant, ante ingreſſum ali-
quantulum oremus, nam oratio cum ieiunio magnam habet virtutem. Tunc genuflexus
noſter Frater cum orare pro afflictis Captiuis, & Maurorum conuerſione cępiſſet, eo animi
ardore diuinam implorauit clementiam, ut facie ſua mirum in modum lucem emittente,
ſupra terram in altum toto corpore attolleretur, quo Sacerdos valentinus territus, & admi-
ratus cognouit eum eſſe uirum Dei. Sed cum ſic ſublimè elatus, vnam circiter horam oran-
do inſtitiſſet, & timeret ſacerdos, ne inſolita mora a Sarraceno Domino vocatus, & quæſi-
tus crudeliter puniretur, Sanctum Virum ab extaſi excitauit, aut in ſe ipſum iam reuertentē
ſic affatus eſt. Vt uideo magna eſt tuæ orationis uis, multum vales apud Deum: ora igitur
pro me miſero peccatore, qui in mœrore, & in anguſtijs, necnon in euidenti animæ corpo-
riſq; periculo uitam miſerabilem dego. Vale, & tuis ſanctis orationibus me commendo.
B Peruenit igitur Frater Petrus ad Caſtellum de ſerò; in quo Sarraceni omnes poſt ieiunium
eius diei vario, & diuerſo, ſplendidoq; cyborum genere, corpora ſua replebant, & intempe-
ranter latèque nimis magno iubilo, & lætitia conuiuantes, ventri laxabant habenas; præter-
tim in domo cuiuſdam Sarraceni diuitis, in qua B. Laurentius Company benigne ſatis ho-
ſpitari ſolebat.

Eam domum ingreſſus, vehementer dolens de cyborum ſuperfluitate, & attendens Ca-
ptiuorum Chriſtianorum miſeriam, egeſtatem, & famem, quas patiebantur, non potuit
non conuiuas ſicut ſues in cœno ingurgitantes, grauibus arguere verbis; quod totam noctē
cum magna Dei offenſione in conuiuijs, ſuorum Captiuorum (qui fame peribant) imme-
mores, damnoſè ſatis conſumerent. Nullus (dicebat) inter uos reperitur, qui ad ueſtros
Captiuos tota die inceſſanter laborantes, penè mortuos, in veſtris fætidiſſimis, & obſcuris
valneis, & in lacu incluſos, de his, quæ cadunt de menſa veſtra aliquid tranſmittat? ſed
C Chriſtus Redemptor noſter, æterni Patris, & virginis Mariæ filius, ſecunda Sanctiſſimæ
Trinitatis Perſona, qui pro impiorum, & noſtra redemptione in cruce mori dignatus eſt, ipſo-
rum miſerebitur, eoſq; conſolabitur; nam eſurientibus eſt panis, ſitientibus aqua, in tene-
bris lumen, nudis pretioſa veſtis, & iucunda in ſolitudine habitatio; & ſicut ad Danielem
Captiuum in leonum lacu poſitum, cybum per Abacuc Prophetam tranſmiſit, ſic idem Do
minus magiſtrum Laurentium, & me indignum Sacerdotem, ſuos coadiutores in hanc re-
gionem venire permiſit, vt Captiuos Chriſtianos in lacu miſeriæ degentes conſolaremur,
& miſſas celebrando in memoria paſſionis eius, ſpirituali corporis Chriſti cybo (in quo verè
Deus ſumitur) eos recrearemus, & reficeremus. Cui ac ſi blaſphemias, protuliſſet, quidam
Sarracenus quaſi decrepitus in ſua lege peritus (quem reliqui percolebant) ſic reſpondiſſe
fertur. Tuum Magiſtrum Laurentium tecum comitatum ad nos ſępe perueniſſe bene me-
D mini; numquam tamen has ſtoliditates, & fatuitates, quas tuo ore nunc protuliſti, ab eo
emanaſſe auribus noſtris audiuimus. Quomodo Deus ſimplex actus cum ſit, filium natu-
ralem habere poteſt? Quomodo in Deo, in quo eſt vna eſſentia ſummaq; ſimplicitas, Per-
ſonarum collocas trinitatem? Quomodo in Chriſto (qui verè fuit magnus Propheta, & na-
tus ex Maria virgine, veridicus Euangelij auctor, & dator, (ut lex noſtra confitetur) diuinam
ponis eſſentiā, cū appellando Deū, æterni patris filiū? Et quō Chriſtū fuiſſe pro generis hu-
mani redēptione in cruce paſſum, aſſerere non te pudet? Et q d ſibi vult ille Chriſti cybus, in
quo Deus ſumitur, quo veſtros Captiuos recreare, & reficere ſoletis? Si res ita ſe habet, ut
tua enarrat lingua hoc tuos quem tecum habes, cybo poteris ſaturare Captiuos. Nos autem
qui uſque ad hanc horam (iuxta ſanctam legem noſtram) ieiunauimus manducare nō pręe-
pedias. Sed ne ex hoc diſputationem ſubterfugere videar, aut victorioſus euaſiſſe credas,
E dum ſocij mei iuuenes primoribus acutis, & maxillaribus fortibus præditi dentibus, vires
ſuas prænimio ieiunio debiles, cybis optimis reſtaurant, ego ualde ſenex, eos defendere, &
contra tè in arenam deſcendere eligo.

In primis te ſcire volo Machometo noſtro Sancto Prophetæ (in quem meritò vniuerſus
ferè credit orbis, fuiſſe a Deo per Angelum Gabrielem ſibi reuelatum, miſſum, & datum
Sanctum Alchoranum (qui Arabicè collectio mandatorum interpręttatur.) In cuius ſecun-
da Azoara, ſeu capite, nobis ſic præcipit Deus; tota die ieiunantes nocte ieiunium ſoluite,
comedentes, & bibentes quantum libuerit, ferè vſque principium horæ, quæ ſolis ortum
antecedit. Itaque nos legis Machometanæ ſectatores, qui propter Dei præceptum, & no-
ſtri Alchorani adimpletionem, nihil tota die deguſtauimus, modo in hac hora ſine murmu
re, & placidè edere decet. Tuis vero Captiuis Chriſtianis (præter id quòd eis, vt ſeruis no-

stris in singulos dies inuiti dare solemus) nihil per nos porrigi speres. Nam isti Captiui sunt A
Inimici nostri, nos odio habent, insidias, & omne malum aduersus nos quotidie parant; & hisce diebus fugam multi ex eis capere intentarunt. Quod si fœliciter (vt sperabant) accideret eis, multi boni uiri, eorum Domini, suis mercibus, & lucro in his mancipijs posito, destituti modò manerent. Sed placuit Deo, & Sancto Prophetæ, quod (proditione detecta,) non impunè abirent, imo vsq; ad sanguinis effusionem, pœnas pro huiusmodi crimine iustissimè luerunt. Eam ob causam Inimicis nostris nos odio habentibus, bonaq; nostra surripere intentantibus, par referre tenemur; sic enim in eodem secundo Alchorani capite, iustus Dominus omnia in recta ponderans mensura, in quo dolus non est, nobis expresse præcipit dicens. Inferentem vobis iniurias, atque molestias consimilibus pœnis afficite. Cui Fr. Petrus respondit; rectè scio (qui vestrum Alchoranum sæpe euolui, ac perlegi) hanc in eo contineri doctrinam, seu potius manifestam (inter alias) falsitatem, quam dolosè, & falsò Propheta vester sibi a Deo fuisse reuelatam testatur. Quæ ut manifestè probem, & a me B deducta, & in medium allata, in te nulla negandi maneat facultas, sed qui in tenebris per tot annos usq; ad decrepitam ætatem ambulasti, ueritati lucidissimæ deinde acquiescas, in principijs conueniamus.

In primis ad probandum post ieiunium diei, vobis licere, totam noctem in huiusmodi conuiuijs consumere, & vestros Captiuos Christianos, veluti Inimicos odio habere, ius esse, attulisti mihi, secundum tui Alchorani caput, & omisisti primum, quod à principio tui sermonis in parte tetigeras. Quæ omnia certè crede mihi, sunt clarum figmentum a tuo Machometo suasione, & adminiculo sui magistri, perfidi sergij, falsissimi monachi, & Nestoriana hæresi infecti, fraudulenter fabricatum, & a me religioso Christiano, ut per os meũ proferatur, ualde indignum. Nihilominus ut in aliquo conueniamus, & te tuo gladio iugulem, C ac debilibus tui Alchorani armis vincam, nonnulla tui Prophetæ dicta, quæ negare non poteris, ac (dum in tenebris extiteris) tueri teneris, in medium adduco.

In primis in præfato tui Alchorani capite primo introducitur (vel ut melius dicam) introduci fingitur Gabriel Angelus ad vestrum prophetam sic loquens. Tu fidem Creatoris illis prædicans, penitus persuade, ut libris tibi diuinitus missis, Abrahæ quoq;, ac Moysi, & Christi, cæterorũq; Prophetarum libris fidem firmam adhibere teneamini. Ex quo euidenter sequitur, quod uetus, & nouum testamentum confiteri (secundum prophetam uestrũ) tenemini. Rursus in plurimis alijs vestri Alchorani locis, seu Azoaris, aut capitulis idem, & alia quæ nostro Euangelio non repugnant, continentur; Videlicet quod Christus est Virginis Mariæ filius, cui diuinus spiritus auxilium, atq; testimonium extitit. Quod de eo sic dicat Deus; omniũ Prophetarũ alio super alio per me sublimato, vim atq; virtutẽ præ cæteris ei D tribuimus. Quod cęcos curauit, & mortuos viuificauit, & vetus testamentum confirmauit. Quod Christus, (cui commisit Deus Euangelium, quod est lumen, & confirmatio testamenti, castigamen, ac recta uia timentibus Deum) ad legis Iudęorum supplementum missus est à Deo; omnis ergo Euangelij seruus, ipsius præcepta sequatur, alioquin malus erit. Et denique vt multa alia omittamus in Azoara xiij. expresse dicitur, quod Deus Christum Mariæ filium cui tradidit animam mundam, ac benedictam qua iuuenes, & infantulos affatus est, qui cęcum natum, ac leprosum curauit, mortuos suscitauit, quem etiam librum, & sapientiã, & testamentum edocuit, affatus est &c. Hæc & alia testimonia cum præconijs Virginis Mariæ, & Sancti Ioannis Baptistæ, ac eorum parentum, vester Propheta in suo Alchorano recitat, & de nostro Saluatore Christo manifestè affirmat. Sed cum ipse esset Nestorianus (vtpote discipulus perfidi sergij) diuinitatem in Christo confiteri recusauit, asserendo esse Dei nuntium, sed purum hominem, magnorum signorum operatorem, sed quod non fuit cru- E cifixus, neque a Iudæis occisus. Et negando deitatem in Christo, negat etiam in Deo Trinitatem, & multa diuina misteria in Euangelio contenta, in quo passim sibi contradicit. Vide quid dicas (Infidelis maurus asseruit,) in lege Sancta, nostro veridico Prophetæ a Deo data, nulla est contrarietas, sed a prima Azoara vsque ad vltimam summa in ea conuenientia resplendet, nullãq; in uerbis ipsis (et in minimis) repugnantiã reperies. Quomodo nullã in minimis, (noster frater respõdit.) ingẽtes ĩ maximis, quarũ nõ est numerus, nec dissimulari possũt (si aperis oculos) in lege tua repugnãtias inuenies. Nonne verũ est, ut nuper dicebã, iuxta uestrũ Prophetã fore à uobis sequacibus suis, fidẽ firmam adhibendã dictis Prophetarũ, ueteri testamento, ac sacro sancto Christi Euangelio. Quis de hoc dubitare poterit, senex Sarracenus respondit, sed quid ex hoc in tuũ fauorẽ contra nostrũ Prophetã, vel legem eius, dedu-

A deducere cogitas. Cogito rectè (Religiosus subdidit) & cogitationes meæ, non sunt sicut cogitationes vestræ, pronæ ad malum, ad odium, & ad malam voluntatem.

Ego igitur ex ipsius veteris, & noui testamenti auctoritatibus, & dictis Prophetarum errores legis vestræ patefaciā; vt vel sic ad verā fidē, & ad veritatis agnitionem deueniatis. Nuper rogabā & propter amorē Dei summis à vobis precibus contendebā, ut fratribus meis Captiuis, ac seruis vestris (quos fame perire scio) aliquid de superfluis his conuiuijs, quibus vestri saturati canes, ad uomitū redeūt, porrigi iuberetis; & mihi respōdistis hoc charitatis opus tuta consciētia à vobis fieri nō posse; quia Captiuis Christianis, vtpote Inimicis vestris benefacere prohibet Deus; vt in prȩallegata vestri Alchorani azoara. Hoc, modo dixistis, sed hāc blasfemiā dixisse, quomodo vos non pudet? Propter hanc blasphemiā, si eā protulit Machometus, ipsum auctorē, & legem eius omittere tenemini. Qūo (quæso) Deus per suā naturā inspirator boni, incōmutabilis, in consilijs firmus, perseuerator ȩternus, summa veritas, veritas
B certissima, & caussa immutabiliter manens benefacere Captiuis prohibere pōt; si prohibendo, & hoc præcipiēdo, sibi esset contrarius? Si in lege veteri, & in sacrosancto Christi Euangelio benefacere, & diligere præceperat, qūo eundē Dominū in vestro Alchorano cōtraria iubentē asserere propter odiū, & malā voluntatē vestram, nō veremini? Si Deus est diues in misericordia, munificus in gratia, misericorditer saluās peccatores, qui in perditione nō delectatur, sed propter scelera nostra iratus, misericordiæ recordatur, imo parcēdo misericordia manifestat, & non a creaturis, neq; aliunde, sed ex se ipso occasionē, & materiā miserendi sumit, quia ipsi propriū est misereri; quomodo actum contrariū, vindictā scilicet de inimicis, eisq; iuxta iniuriā, consimilē pœnam inferre, præcipere, aut cōsulere potest? Si Deus est irreprehensibilis, quia nihil prȩcipit, nihil agit, aut consulit nisi iustè, & optimè, qūo in Alchorano malum agere præcipit, & benefacere prohibet? Si à Deo cuncta bona, & recta pro
C cedunt, quomodo vindicta, quæ malum, & peccatum est, emanare poterit; cū sit ipse veniæ largitor? Si Deus virtus est incōmutabilis, & rerū tenax vigor, qūo Machometus mutabilē, variū, leuē volubilem, & inconstātem, contraria, & inter se repugnantia præcipientē efficit, & cōstituit. Audite Dñum leuit. 9. prȩcipientē, & dicentē, non quæras vltionē, nec memor eris iniuriæ. Et prouerb. 19. Si ceciderit Inimicus tuus ne gaudeas. Si in veteri testamēto nō solū vltionē prohibet Deus, sed ēt pcipit ne iniuriæ acceptȩ, & in nos illatæ memores simus, nec de Inimicorū damno gaudeamus, qūo contrariū in Alchorano præcipere potest? Dauid Propheta vir iustus, & mandator Dei diligens obseruator, iuxta legem Dei, & dominicū præceptum de iniurijs acceptis non sumebat vindictam; sed sicut surdus non audiebat, & sicut mutus non aperiebat os suum. Et uos dicitis, inferentem vobis iniuriā consimili pœna afficite. Hoc non est esse mutum, aut surdum, sed uindictam sumere quod etiam à benigni-
D tate Christi ualde alienum est. Cum enim a Iudȩis fuisset comprehensus, Petro suo discipulo prȩcepit, vt gladium mitteret in uaginam, quia nolebat uindictam. Multa o Christiane (Sarracenus dixit) falsa, cum ueris miscendo, tuo ore protulisti, quæ, si nostri Sancti Prophetæ sanam, & iustam mentem teneres, proculdubio non proferres. Malum & malos diligere nefas est; qui a nobis bona nostra tollunt, & nos odio habent, sunt in statu damnationis, & grauiter peccant, ergo eos, qui mali, & peccatores sunt diligere, & eis benefacere malum, & nefas est, quia obiectum dilectionis, bonum debet esse. Et ad tuas auctoritates, & loca si fideliter ex veteri, & nouo testamento ea eduxisti non deerit crastina die cum distinctione, respondendi tempus. Ad diem crastinam appellas (frater noster subiunxit,) ut uideo responsionem differendo, mei argumenti, & veritatis uim proculdubio subterfugere videris, aut eā ignoras dū ad manifestam, & indubitatā ueritatem cum distinctione non modò, sed
E deinde respondere polliceris. At ecce ego non differendo, sed nunc respōdendo cum distinctione, tuæ obiectioni satisfacio. In hoc se fundat (ut nuper mihi dixisti) vestrum erga fratres meos Captiuos odium, & eos persequendi caussa, quia ipsi vos oderunt, & fugam capere intentarunt. Si ex hoc malefaciendi, & iniuriam inferendi occasionem sumitis, non rectè iudicatis, nec iusta decernitis; nam primum præsuppositum est falsum, & secundum, Captiuis facere licuit; falso enim præsupponitis, quod Christiani, uos odio habeant. Nam secundum legem Dei, & Christi Domini nostri Euangelium, Christiani Captiui vos Sarracenos a Charitate, & dilectione excludere non possunt; habemus enim, & imitandum nobis ponimus eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro suis Inimicis, nedum amicis uitam in ara crucis profudit, nobisque præcepit, quod eos diligeremus, eisq; benefaceremus.

Vnde vos secundum naturam vestrãm, qui ad imaginem Dei creati, & vitæ æternæ capaces estis, nostri Christiani Captiui diligunt, & conuersionem, ac spirituale salutẽ animarũ vestrarũ optãt, & procurãt, sed odiũ vestrũ, malitiã, inimicitiã, prauos mores, ac crudelitates in Christianos Captiuos, si odio non haberemus, grauiter Deũ offenderemus; quia malũ diligere, nefas est. Itaq; nos Christiani Captiui tenemur (iuxta Dominicũ præceptũ) mala opera vestra odio habere; vos uero, & quoscũq; alios proximos, nos etiam odientes, charitate diligere; licet ipsa charitas, (quæ principalis virtus est,) cũ diligendo, rationabiliter procedat suum ordinem habere, & tenere debeat, ex affectu in effectum procedentem. Nullam igitur de odio & mala vestra voluntate excusationem allegare potestis; nam si à seruis, & Captiuis vestris aliquod prauum opus perpetrari cernitis, illud detestando, odioq; habendo, eos diligere debetis. Vester vero Propheta, qui omnium principalium hæresiarcharũ errores, & hæreses resorptas euomit, & suscitauit, voluit etiam in suo Alchurano renouare, suscitare, & sequi falsissimam interpretationem Iudæorum, qui ex eo quod in lege antiqua præcipiebatur proximi dilectio, inferebant ipsi falsò Inimicos odio esse habendos; quod Deus nullo modo, præceperat, vt uidere est in toto veteri, & nouo testamento. Si ergo ibi in Inimicos non reperitur odium, neque eis benefaciendi denegatio, sed expresse contrarium, vt prouerb. c. 25. si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit da ei aquam; quare Captiuis esurientibus, & sitientibus (quos Inimicos appellatis) aliquid porrigere, non uobis licere dicitis? Et vt alteri de intentata Captiuorum fuga, (quam vt grauissimum crimen ponderatis) fundamento, & præsupposito vestro satisfaciam, scire vos volo, Deum creatorem nostrum, qui propter nimiam suam dilectionem misit Christum in mundum, vt uiam bonam, per quam ambularemus, nos doceret, non præcepta nociua, sed vtilia nobis reliquisse, & dedisse. Isaiæ c. 48. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambules. Si ergo ex dictis constat Deum præcepisse, quod inimicos diligeremus, & quod eis benefaceremus, eos diligere, & eis benefacere vtile erit, & e contra Inimicos persequi nociuum proculdubio erit, quod ipsa experientia docet. Nam propter vindictã, & odium vestrum Captiuos Christianos crudeliter tractando, & inhumaniter fame, & siti afficiendo, & debilitando, eis fugiendi, & fugam, & intolerabiles vexationes vestras redimendi maximum incentiuum præbetis; quam fugam proculdubio non caperent, sed patienter Fratris Laurentij Company, & mei ordinis Redemptorum aduentum expectarent, si eis vos Sarraceni, ut proximis vestris, ad similitudinem Dei factis compateremini.

Si vos igitur tota die Captiuos vestros exulceratis, & diuexatis non est mirum quin huiusmodi crudelitates fuga ipsi redimere velint; quam fugam eos, in vestra infideli custodia detentos, (quos vt audio ad apostatandum a fide nostra compellere soletis) capere sine vllo peccato, & tuta conscientia decet. Ecce quomodo Christianos a facie & potestate vestra fugere, crimen non est, & cum eis mitius, & benigne agere, utile vobis est. His tuis præstigijs, & fallacibus verbis (Sarracenus dixit) nos decipere, & seducere non valebis; nos enim legem nostram adimplendo, experientia satis experti sumus, quomodo seruos nostros castigando, & humiliando, ac abstinentijs macerando superfluis expensis parcimus, eosque ad obediendum promptos, & ad laborandum aptos efficimus. Hæc est nostra vtilitas, in hoc nostrum consistit lucrum, & commodum. Nam cum abstinentia sit optima virtus, & sanitatis mater, nostros seruos abstinentia maceramus, vt prospera sanitate vtantur, superbia non intumescant, & a carnalibus vxorum, & ancillarum nostrarum desiderijs se abstineant, ac ad laborandum promptiores reddantur. Quando enim furtim in balneis, cybo, & potu corpora sua replent, die sequenti, ad laborem etiam punctionibus, & flagellis excitari nequeunt. Si sic (Vir Dei subiunxit) abstinentię uirtutem commendas, quid sibi vult, hoc ieiunium diei, & nocte ieiunium soluere, & hic in terra iacentes comedere, & bibbere ferè vsque ad principium horæ, quæ solis ortum antecedit.

Hoc non est ieiunium, nec virtuosa abstinentia, sed tota nocte adorare ventrem, qui vester Deus est, & gloria in confusione, qui terrena sapitis. Nonne absurdum, & ridiculum est, hanc vestram in die, cyborum subtractionem, appellare ieiunium, si deinde noctem comedendo, & bibendo, maiori appetitu, immoderata, atque æstenti intemperie, damnosè consumitis, & carnem vestram, vt cum pluribus vxoribus, atque ancillis concubare, & omni libidinum turpitudini, atque voluptatibus vacare queat, aptam redditis? O vos infoelices Sarraceni, videte, & attendite, quod in hoc vestro ieiunio, non Dei, sed vestra reperitur voluntas; suæ enim diuinæ maiestati maximoperè displicet, si ea, quæ in die ven-

tri

A tri vestro subtraxistis, postmodùm duplicata, ventri offerenda, tempore nocturno custoditis; quo peccata non euitantur, sed multiplicantur. Ieiunium vero perfectũ, à Deo institutum, non occasio mali, sed boni caussatiuum debet esse, castum, simplex, purum, moderatum; & cum sit optima virtus, cæterarum virtutum firmium est fundamentũ; mors culpæ, basis honestatis, radix gratiæ, excidium delictorum, humilitatis signum, salutis remedium, optima ab iniquitatibus; & illicitis voluptatibus abstinentia, peccatorum ablutio; quo non solum de peccatis commissis dolor habeatur, sed futura, quæ committi poterant, repellantur.

Hoc est excellens fidei vexillum, fortissima Dei arx contra fortium armatorum incursus, castitatis trophæus, debita pro commissis satisfactio, ianua paradisi, futuri sæculi forma. Verum & perfectum ieiunium (ò uos) miseri, cognosci debet ab effectu quem caussat;
B si onere leuando ventrem per diem, in nocte purgat mentem, si sensus vestros subleuat, si carnem vestram spiritui subijcit, si corda uestra humiliat, si concupiscentiæ nebulam dispergit, si libidinis ardores extinguit, si superbiam spernit, si orationem iuuat, si mentem placidam reddit, si corporis passiones sanat, si fiduciam donat, si orationis seruorem roborat, si criminum caussas propellit, si famem, & sitim in die, mentis placiditate in nocte compensat, si sensualitatem rationi obedire facit, si mentem ad cęlestia desideria eleuat, & virtutes acquirit. Illud denique ieiunium Deus approbat, quod fit in charitate, quando scilicet, quod tibi subtrahis, indigentibus largiris, ut unde caro tua affligitur, inde proximi Captiui indigentis corpus reparetur. Hoc ieiunium Deo est acceptum; & qui hoc modo ieiunat, sedebit ad mensam cum Christo, quam ipse disposuit his, qui cum eo permanserunt in tentationibus, & laboribus, ut edant, & bibant super mensam eius in regno suo. Edant inquam, & bibant æternaliter, & spiritualiter Deum videndo, Deum habendo, &
C Deum contemplando; in quo nostra refectio, nostra fœlicitas, noster potus, & cybus consistunt. Quomodo spiritualiter (subiunxit Maurus,) ergo beati, & Deum timentes, in cęlesti patria, mirifica, & singulari gustus, & tactus delectatione destituti manebunt, quod proculdubio summa esset miseria, veraque infœlicitas. Si sine Dei offensione dum sumus in uia, possumus uxores nostras, & nostras ancillas non solum videre, sed tangere, ad easque prohibito accedere; & pretiosis, ac delicatis cybis moderatè vesci, nobis licet, quomodo in Paradiso potest esse summum bonum, Deum solum spiritualiter videndo, si corpora nostra his oblectationibus, quæ in gustu tactuque consistunt, numquam potientur? Audi (miser Christiane) nostrum veridicum Prophetam beatitudinem veram sequacibus suis promittentem.

Prædicate (inquit in prima azoara) qualiter Deus bonos inducturus est paradiso, ubi dul-
D cissimas aquas, poma multimoda, varios fructus, decentissimas, ac mundissimas mulieres, omneque bonum in æternum possidebunt. Et azoara 97. timentes inquit Deum possidebunt in paradiso hortos palmarum, & uinum, puellasque consocias papillis breuissimis; & hoc est donum, & remuneratio optima Dei. Optimam certe remunerationem appellat hanc beatitudinem noster sanctus Propheta; nam consonum est beatos, qui Deum timuerunt, & mandata eius custodierunt, & ieiunio, ac abstinentijs corpora sua afflixerunt, ac cum uxoribus alienis non sunt coinquinati, in cęlesti patria dulcissimas aquas, uinum optimum, & uarios fructus degustare, puellasque consocias papillis breuissimis possidere. Ego igitur (vt veritatem tibi dicam) quoties me contemplor primoribus, & maxillaribus dentibus fortissimis carẽtẽ, & in memoriã reuoco, quibus in iuuẽtute mea pulcherrimis vxoribus speciosisque potiebar ancillis, ad quas ob virium defectum accedere non ualeo, mœrore ma-
E gno crucior, ac uehementer exopto ex hac mortali discedere uita, ut cum meo sancto Propheta in alterum uirum mutatus, & renouatus, iam fortissimis dentibus præditus, uigore iuuenili, ac viribus adeptis, consocias puellas breuissimis papillis exornatas in æternum possidere, ac dulcissimis, & delicatis cybis, & potibus vti ualeam, præsertim optimo vino quod per octuaginta fere annos non degustaui. O detestabilis fœlicitas, o beatitudo bestialis (Frater Petrus respondit) quã vester idumæus, & carnalis Propheta sequacibus suis promittit. Quod Dominus noster bonos, ac beatos Deum timentes sit in paradisum gloriæ suæ introducturus, nostra sancta confitetur Ecclesia; ubi mansiones multæ sunt, ibique vnusquisque in sua mansione collocatus optimam habebit quietem, regnum diademæ, regnum decoris, regnum omnium sæculorum, lucem sine tenebris, lumen indeficiens, lucem inextinguibilem, sũmam securitatem, actionem quiescentem, negotium otiosum, opus vacãs,

sa-

salutem sine timore, vitam sine morte, fœstiuitatem minimè interruptam, serenitatem sine nube, æternitatẽ sine labe, regnũ sine fine, vitã sine termino, diuitias inextimabiles, satietatẽ sine fastidio, desiderium cum satietate, abundantiam sine defectu, tranquillam fęlicitatem, portum optatum, epulas sine molestia, inscrutabilia, magna, & mirabilia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendunt, quæ præparauit Deus timentibus se. Sed hæc sine fastidio satietas, epularum abundantia, desiderium cum satietate, trãquilla fœlicitas, atq; præsens semper delectatio, non consistent (sicut ait vester propheta) in dulcissimis aquis, in diuersitate pomorum, neq; in fructuum varietate; non in suauitate vini, non denique; in detestabili mulierum, & puellarum accubitu, sed in sola clara Dei visione. A

Hoc est donũ, hæc est optima Dei remuneratio, quam præparauit Deus diligentibus se in patria cęlesti; vbi amicti lumine sicut vestimento, semper facie ad faciem vident Deum, & faciem Domini requirunt. In hac visione grandi, & in ostensione faciei diuinæ, & in splendore vultus eius nostra consistit Beatitudo. Ipsemet Deus est donator, & donum; ipse remunerator, & optima remuneratio. Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs (sicut vos eam ponitis;) sed Beati, & iusti, induti dominum Iesum Christum, carnis curam non facient in desiderijs. Itaq; cum homo constet anima, & corpore, & anima corpori præstet, essentiale præmium, & summa beatorum fœlicitas in deitatis clara, & fruitiua visione consistere debet. Suum etiam præmium corpora ipsa, quæ rationi deseruierunt, & labores sustinuerunt, proculdubio habebunt; non in carnali puellarũ cura, & desiderijs, sed in indumento corporis Iesu Christi. Aliquod huius spiritualis fœlicitatis, fruitionis, & Deificæ visionis vestigium Viri iusti adhuc in hac mortali vita degentes, degustarunt. Nam quanto ipsi (spiritu degustato) gloriam Dei, eiusq; excellentiam profundius contemplabantur, & ardentius dulciusq; cęlestia delibabant, tanto plus terrena desideria, & delectamenta veneræa (in quibus principaliter vester propheta suam Beatitudinẽ collocat) aspernabantur. Nam spirituales delitiæ, si degustatæ, sunt multum intensæ, mentem omnino rapiunt in se, & carnis delitias, quæ in gustu, & tactu consistunt, tanquã bestiales, abiectas, indignas, & viles despiciunt. Quas spirituales delitias nullus in vestra secta, neq; ipse Machometus delibare meruit; nam si eas expertus fuisset, non ita brutaliter esset locutus. Ad quid, (dicite quæso mihi) deseruiet in cœlo ille venereus mulierum, puellarumq; vsus, qui in hac corruptibili vita ad speciei conseruationem deseruire solebat, si in illa cęlesti patria erunt Beati sicut Angeli Dei, qui neq; nubunt, neque nubentur, & suas species conseruant, Matth. c. 22. Et ipsemet Christus Lucę c. 10. ait; filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias; illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; nubunt, neq; ducunt vxores, neque vltra mori poterunt; æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei. Ac si diceret, si Beati ad instar Angelorum, & filiorum Dei, nec mori, nec corrumpi possunt, non opus est, vxores ducere. Eadem prorsus ratione si Beati in cœlo ab omni fame, & siti, & quacunq; alia imperfectione, sunt valde remoti, eorumq; corpora crescere, aut augeri nequeunt, ad quid deseruiet illa comestio pomorum, & fructuũ, illaq; dulcissimarum aquarum, & vini potatio? Nos enim in hac mortali uita, qui ad corruptionem tendimus, cibis vescimur, ne continuò corruptio sequatur, quæ (deficientibus cibis) ex consumptione humidi radicalis, sequeretur; & etiam cibis vtimur, vt corpora nostra ad congruam magnitudinis quantitatem perueniant; quibus omnibus Beati, in conspectu Domini constituti, cum sint vndequaque perfecti, minimè indigent. Illa enim diuina visio cum sit incessabilis, clarissima, fruitiua, deliciosissima, ardentissimaq; contemplatio, erit ita vehemens, potens, valida, & copiosa, vt in corpora Beatorum redundans, omnem cibi sumptionem, vini, & aquæ potationem, & veneræum vsum vehementer detestari, & despici efficiet.

B — ad Rom. 13. — C — D — E

Hæc excellentissima redundantia, Beatorum corpora in conspectu domini semper constituta, quatuor inseparabilibus, & permanentibus dotibus exornat, ipsa gloriosa perficientibus; quæ sunt claritas, subtilitas, agilitas, & impassibilitas, quas Apostolus ad Corinthios scribens c. 15. enarrat; ibi enim grauissimis verbis, ac efficacissimis argumentis (ut solet) mortem Christi, resurrectionem, & eius in cęlos ascensionem, nostramq; resurrectionem probans, præfatas quatuor collocat dotes. Alia (inquit) claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum; stella enim ab stella differt in claritate: sic resurrectio mortuorum: seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate surget in glo-

ria

A ria: seminatur in infirmitate, furget in virtute; seminatur corpus animale, furget corpus spirituale. A claritatis dote sumpsit Paulus suam probationem, & comparationem, quæ alijs tribus dotibus præstare videtur, de qua sapientiæ c. 3. & Marci c. 13. Fulgebunt iusti sicut sol.

Omnes igitur Sancti, & Beati fulgebunt in cœlo, & claritatem habebunt; quia cum apparuerit sol iustitiæ Christus Deus noster, similes ei erimus. 1. Ioan. 3. Sed licet omnes gloriam, & claritatem habeant, quia omnes facie ad faciem Deum videbunt; alia tamen erit claritas solis humanitatis Christi Domini nostri; de cuius solis claritatis plenitudine, reliqui Planetæ, & Stellæ claritatẽ recipient; alia claritas Lunæ Virginis Mariæ, quæ virginitatis laureola, & honestatis splendore, ac virtutum plenitudine post Christum Iustitiæ solem magis resplenduit; alia claritas Stellarum, qui sunt Sancti. Et sicut Stella ab Stella differt in claritate, sic Beati in cœlis; quia licet omnes clarè, & perfectè videant Deũ, non tamen ęqua-
B liter, sed inæqualiter; quæ inæqualitas prouenit, ex eo quod vnus Sanctus maiorem virtutẽ, & facultatem habet, quam alter.

Hãc autem facultatẽ, & virtutẽ vidẽdi Deum, non habent Beati secundum suam naturam, sed à lumine gloriæ, de quo qui plus participat perfectius videt Deum; plus autem participant de lumine gloriæ, qui maiorem habent charitatem. Vnde qui maiorem habent charitatem, perfectius vident Deum. Attendite igitur vos Sarraceni, qui consimilem iniuriam inferre, & vindictam secundum legem vestram repetere soletis, quantum à veræ beatitudinis consecutione estis alieni. Sed deueniamus ad eas quatuor dotes, quibus Beatorum corpora illustrantur, & decorantur. Seminatur (inquit Paulus loquẽdo de mortuorum resurrectione) in corruptione, surget in incorruptione, ecce incorruptibilitas; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, ecce claritas; seminatur in infirmitate, surget in virtute, ecce subtilitas;
C seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, ecce agilitas.

Si ergo post resurrectionem mortuorum, Beati, qui in hac vita corpora sua ieiunijs, abstinentijs, orationibus, disciplinis, & alijs macerationibus afflixerunt, habebunt ea in cœlesti patria perfectissima, quæ nec crescere, nec augeri poterunt, gloriosa, quæ neq; fame, siti ue, neq; alijs miserijs molestari valebunt, agilitate prædita, subtilitate adornata, claritate illustrata, & impassibilitate decorata, quæ nec pati, nec corrumpi, nec amplius corruptionem videre poterunt; quid opus habebunt sua corpora sericis omnis coloris induere vestimentis, omnibus ciborum vesci generibus, & alijs abominabilibus vti voluptatibus, quas Propheta vester, verus Epicuri discipulus suis sequacibus in paradiso promisit? Quæ omnia dum lego, & vestri Alchorani capita euoluo miror vehementer, quod tot hominum millia Machometo talia proferenti credere, & fidem adhibere velint. Fratres igitur mei, vultis ne vestras saluare animas, & gloriam sempiternam adipisci, credite in Iesum Christum, filium Dei, Deum
D verum, qui etiam pro vobis mortuus est, & resurrexit, & sedet ad dexteram Dei patris sui, vt in Euangelio Sancto continetur. In hoc cognosco (senex Maurus respondit) quod in lege Sancta nostra non es peritus, neq; eam (sicut te iactas) euoluisti. Christum Sanctum Prophetã credimus fuisse natum ex Maria Virgine, de quo nullus Sarracenus dubitat. Quod autem Iudæi eum crucifixerint, hoc negamus; nam non eum occidere potuerunt, sed alium in lineamentis similem ei, crudeliter peremerunt. Deus enim talem virum Sanctum, magnorum signorum operatorem, incolumem de potestate Iudæorum liberauit, & ad paradisum traxit. Si ad paradisum traxit, & ipsemet Christus, vt de manibus Inimicorum suorum posset eripi, potentia diuina eguit; ergo non erat Deus, quia vnus est Deus, & solus Deus: & contrarium huic veritati non potest reperiri in Euangelio Sancto, quod de
E ore Christi exiuit. Euangelium vero, vel melius, literam eius qua vos vtimini, est corrupta, & inficiata, & a vobis ficta.

Tunc Frater noster Sancto Euangelij diuini zelo accensus exclamauit, & dixit; o blasphemi quis talia vos docuit, fundamentum fidei nostræ euertere nitimini? Quis (dicite mihi) fuit ille nouarum doctrinarum inuentor, qui Euangelium Iesu Christi, quod de ore eius exiuit ausus est corrumpere, nouique testamenti scripturas sacras immutare, addere, minuere, aut inficere temerariè non dubitauit? Quod lucrum aut commodũ reportare poterat, in lucẽ edẽdo Mysterium Sanctissimę Trinitatis, & diuinitatem in Christo, passionẽ eius, ineffabile corporis Christi in altaris Sacramẽto Mysteriũ, & alia plurima Christianę religionis dogmata, q̃ uos negatis, & ab aliquo Christiano fuisse inuẽta affirmatis? Rursus cũ hęc nostrę fidei Mysteria sint difficillima, & naturali rõni cõtraria, quo aĩo impulsus ea euulgare,

fingere, & prædicare quis auderet? Erant ne Reges, Principes, & Gentes, immo vniuersus mundus, (quibus fides Christiana prædicabatur, & annunciabatur) scientia, sapientia, & potentia carentes? Et denique hæc quæ vos superaddita, & inuenta appellatis, quibus vester Alchoranus obstinatè repugnat, cum humano intellectui, carnali appetitui, & mundanis illecebris aduersentur, non est credendum quod homines ad malum, & ad carnalia desideria procliues, & pronos, quis cū tanto fructu docere auderet, si vera, & a Deo data non essent. Sed vt vos ad veritatis agnitionem deueniatis, & diuinitatem in Christo, passionem, & mortem eius, ac reliqua mysteria, quæ de eo dicuntur, & denique Euangelium immutatum esse credatis, patienter audite me, & meo sermoni finem imponere sinatis, & deinde replicare, contradicere, & de me ad libitum vestrum (ecce in potestate vestra sum) facere poteritis. Tunc sic incepit: scire vos volo, omnia in Euangelio de Christo contenta, multo antea a sacris Prophetis, & ueteris testamenti patribus, in suis veridicis libris fuisse multifariam, copiosissimè, & minutatim prænunciata, & præsignata, quæ ipsi spiritu prophetico, & viderunt, & cecinerunt; quæ omnia cum ordinate verè, & realiter in eodem Christo impleta esse videritis, credere, & proferre tenemini in Euangelio de Christo contenta, & narrata, non ab aliquo inuēta, aut superaddita, uel mutata, sed uerissima esse. Legite ante omnes Isaiam Prophetam, qui licet in suis 66. Capitulis de Hierusalem, & Iudea, de decem tribubus in captiuitate ductis, & de alijs multis fuerit vaticinatus, speciali quodam modo, & principaliter agit de Domini Nostri Iesu Christi aduentu, ac de gentium vocatione: quem si Iudæi rectè intellexissent, Mesiam vsque modo non expectauissent, nec vos eius diuinitatem, passionem, & crudelem mortem eius nō negauissetis. In capite igitur nono describendo venturum Mesiam de eo sic ait. Paruulus datus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius, admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Quòd in hoc Isaias loquatur de Mesia desiderato (cuius aduentum omnes gentes auidissimè expectabant,) non solum nostri scriptores Christiani, & Catholici, sed Hebræi, & omnes alij manifestè testantur. Per paruulum natum, & filium datum Virginis Mariæ filius intelligitur; nobis inquam natus, & datus, & non sibi, quia propter nostram salutem uenit in mundum. Huic igitur dedit Deus suum Imperiū; da Imperium tuum puero tuo; & factus est pater futuri sæculi, & Princeps pacis, & Rex pacificus, qui legem suam, & suaue iugum suum non per uiolentiam, & armata manu timorem incutiendo, (vt vester propheta in suo Alchorano præcipit,) sed in verbo veritatis, & blando sermone nobis imposuit. Puer iste vocabitur etiam Deus fortis, quia est filius Dei, & sicut pater æternus, a diebus æternitatis generatus; vt Michæas, & tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis. In qua auctoritate Propheta laudando paruulam Ciuitatem, in qua natus est Christus, spiritu prophetico prænunciat Dominatorem Christum, in ea natum secundum carnem, ab æterno secundum diuinitatem fuisse generatum.

Isai. c. 9. — Mich. c. 5.

Si ergo vos Sarraceni fidem adhibetis Isaiæ prophetæ asserenti capit. 7. Christum natum ex Maria Virgine, quæ natiuitas naturæ repugnat, quare eidem prophetæ in capit. 9. diuinitatem in Christo fatenti credere recusatis? Sunt & aliæ plurimæ auctoritates, & testimonia in eodem Isaia, Hieremia cap. 23. in lib. Psal. 71. & 109. & 27. & similiter in alijs Prophetis, qui ad literam loquentes de Christo, eum Deum, & hominem appellant. Quo non contenti acta Christi, & diuersa eius tormenta, sibi a Iudęis illata ita clarè prædixerunt, & manifestè prophetarunt, ut uos gratas, & attentas aures mihi porrigentes fateri teneamini non aliquem hominem similem Christo, sed eundem Christum fuisse pro salute nostra passum. Christus Dominus Noster post resurrectionem suam apparens discipulis suis de nece ipsius valde mœstis, dixit eis. Hæc sunt verba, quæ locutus sum, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me; quoniam oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis. Itaq; passionem Domini nostri, & omnia acta eius prædixerunt, & scripserunt Patriarchæ, Prophetæ, & psalmi; ac ea omnia sicut spiritu prophetico viderant, in suis libris mandarunt. Eā ob caussam, vt veridici redderentur Prophetę, necesse fuit Christū pati. Quam necessitatem non intelligere debemus ex parte Iudæorum, & secundum rationem caussæ efficientis, quia nulla creatura, quæ in cœlo, vel in terra est, poterat eum ad moriendum cogere; quia vt ait ipse Isaias, oblatus est, quia ipse voluit; volens esuriuit, uolens sitiuit, & volens se morti obtulit, quia si inui-

Hier. c. 23. — Isai. c. 53.

A inuitus, non benè ageret, nullum enim bonum, nisi voluntarium, neq; eam necessitatẽ ponimus secundum rationem caussæ materialis, qui innocens erat, & dolus, aut culpa non reperiebatur in eo; neque secundum rationem caussæ formalis, quia (vt dictũ est) non coacte, sed liberè mori voluit; sed propter salutem, & redemptionem nostram descendit de cœlo, & homo factus est. Et statim animalia irrationalia cognouerunt eum; nam natum in eadem Ciuitate Bethelem, Mater eius Maria in præsepio inter animalia collocauit, quæ suo modo eum adorauerũt, & suum Dominum esse cognouerunt; sicut prædixerat idem Isaias cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. *Isai.*

Fuit deinde post dies octo circumcisus, vt Abrahæ Patriarchæ fuerat reseratum. Reges Tarsenses Arabum, & Saba de longinquo (stella duce) diuinitùs venientes, procidentes adorauerunt eũ, & apertis thesauris suis mysticas munerum species obtulerunt, vt Dauid Propheta clara verborum expressione decantauerat. In templo deinde præsentatum non solũ Simeon venerandus Senex esse mundi Redemptorem agnouit, & adorauit, sed multo antea Malachias Propheta eam in templo præsentationem prophetauit. Et cùm Puer Iesus factus esset annorũ duodecim, fuit a Matre sua in medio Doctorum inuẽtus, ut Dauid Propheta: Deus stetit in Sinagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Quid autem fecerit vsque ad annum suæ ætatis trigesimum, sicut neq; in Euangelio, sic neq; in Prophetis, nobis aliquid esse scriptum innotescit. In initio huius trigesimi anni, (quę est perfecta ætas ad prędicandum, & docendum, immo ad regnandum, triginta enim annorum erat Dauid quando regnare cępit in Israel, & castus Ioseph tot habebat annos quãdo cępit regnare in Agypto, & similiter triginta annorum erat Ezechiel quando docere, & prophetare cępit) noster Saluator Rex Regum, & Propheta magnus, qui natus fuerat Rex, & Imperator vniuersi, regnum suum suscepit ministrandum, non in superbia, & maiestatis ostentatione, sed in humilitate, & animi abiectione. Et sic antequam Baptismum, (qui est Ecclesiæ, & sacramentorum ianua) institueret, voluit ipse prius a Ioanne Baptista baptizari, nobis singulare humilitatis relinquens exemplum. Hoc Christi baptisma (quo anima mundatur, & nisi eo quis fuerit renatus, non potest introire in regnum Dei) Ezechiel propheta prędixerat effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Post baptismum Christi, in quo magna signa apparuerunt, quæ Euangelistæ Sancti commemorant, voluit ipse Dominus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunare; non quod ea abstinentia indigeret, ad refręnandam sensualitatem, quę rationi perfectissimo modo obediebat, neq; ad mentis eleuationem, quæ verbo æterno vnita erat, neq; ad virtutes acquirẽdas, quę omnes (modo perfectissimo) in ipso reperiebãtur, sed ieiunare voluit, & post ieiuniũ D esurire, vt nos filios, & discipulos suos bonus Pater, & magister instrueret. Quod prophetauit Dauid psal 68. operui in ieiunio animam meam. Qui psalmus literaliter exponitur de Christi laboribus, doloribus, & passione, ac morte eius. Post ieiunium cępit Iesus doctrinam, quam a Patre acceperat, ac Sanctum Euangelium gentes docere. Cui loquens pater dicebat; dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et in alio loco, ecce testem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus. Et Ieremias idem apertissimè prȩuidit, & dixit; dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eã, & ero eis in Deũ, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit vltra vir proximum suũ, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscẽt me à minimo eorum vsq; ad maximum, quia spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus ad annũciandũ mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prędicarẽ Captiuis indulgentiã, E & clausis apertionem. Ecce miseri Sarraceni, in quo est salus, & liberatio vestra, in Christo, quem spiritus Domini vnxit annunciandũ, & prædicandum Captiuis indulgentiam. Hæc Christi prædicatio, & euangelica lex est perfectissima, & vltima, cui vestra secta succedere minimè debebat. Nostram igitur solã, & non aliã amplecti tenemini, in qua salui facti sunt Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, habentes fidem de hoc legis Euangelicæ datore futuro. Et cum hæc euangelica lectio, & omnia in ea contenta, quæ credenda proponebãtur, sint prorsus supernaturalia, & incomprehensibilia, oportuit propter gentium, & audientium incredulitatem, & ad veritatis fidei Christianæ testimonium, quod Christus Dominus noster sequentibus signis vteretur, hoc est miraculis euidentibus, tamquam opportunis medijs, & efficacissimis argumentis Euangelio sancto proportionatis. Quę miracula per Christum operanda Isaias præuidit dicens.

Gene. 17. Psal. 71. Malach. c. 3. Psal. 81. Ezech. c. 36. Psal. 68. Isai. c. 49. Isai. c. 55. Ierem. c. 31.

Isaie.c.35. Dicite pusillanimes, confortamini, & nolite timere: Deus ipse veniet, & saluabit nos; A tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quod autem Christus esset duodecim electurus Apostolos, in actorum suorum veridicos testes, & suæ Sanctæ prædicationis coadiutores, qui essent noui ciues, & gubernatores ciuitatis nouæ, & Ecclesiæ Sanctæ ad quam fundandam venerat, in plurimis Sacræ scripturæ locis continetur. Quod hæc ciuitas, & regnum esset Daniel c. 2. in æternum duraturum; Daniel prædixit, suscitabit Deus cęli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Sed iniqui Iudæi regnum Ecclesiæ dissipare conantes, in Christum Ecclesiæ caput irruere cœperunt; eiq; inuidia liuidi insidias Iob. c. 30. parauerunt Iob. c. 30. insidiati sunt, & præualuerunt mihi. Et Dauid Propheta clarè prę-Psal. 2. uidit consilium, quod Farisæi aduersus Christum collegerunt Psal. 2. Quod vnus ex discipulis suis proditionem aduersus suum Magistrum esset operaturus, idem Propheta enarrat. B Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supPsal. 40. 54 plantationem; nam auaritia ductus triginta argenteis vendidit suum Magistrum Iudæis. Quam vendit onis mercedem, & pretium Zachar. exprimit; appenderunt mercedem meā Zach. 11. triginta argenteis. Quod Christo Domino à Iuda fraudulenter tradito, & statim à Iudęis crudeliter comprehenso, reliqui Apostoli, qui antea cum eo mori, & ad mortem ire promiserant, cum deseruerint, & fugerint, Ieremias Propheta animo amaro suspirans, & eiulás, Threni. c. 1. flebili lamentatione plangebat. Threni c. 1. Quam etiam discipulorum fugam Dauid Propheta recordatus beneficiorum, quæ magister in eos esset collaturus, per hęc verba depinxit. Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli, non custodierunt testamentum Dei, obliti sunt benefactorum eius, quæ ostendit eis. Quod (iuxta C Psal. 58. Regis prophetiam Christo a Iudæis capto, & ad Iudicum tribunal deducto ministri Iustitię Michę. c. 5. colaphum incuserint, recordatus est Micheas c. 5. Faciem Christi derisam, & consputam Isaias c. 50. ab increpantibus, vidit in spiritu Isaias c. 50. Flagellationem eius describit Dauid Psal 72. Psal. 72. Ignominiosam, & tribulatione plenam coronationem Christi enarrat Isaias c. 22. Eiusdem Isai. c. 22. viri Innocentis condemnationem ad mortem regius propheta præuidit. Quod dum ad mortem ducebatur, (quam propter iniquitates, & scelera nostra tulit) non erat in eo spePsal. 53 cies, decor, neque aspectus, audite apertissimè Isaiam c. 53. non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum, despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum; verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Isai. 54. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; liuore eius sa- D nati sumus; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Quid (quæso o Sarraceni) clarius dici, aut cogitari potest de passione vera, & reali Christi, quam hæc prophetia. Ponderate verba, & notate misteria, & nolite obdurare corda vestra. Quod a Iudæis Michę. c. 1. fuerit ignominiosè denudatus, & spoliatus Micheas propheta in 1. cap. expresse declarat. Christum in ligno crucis fore suspendendum, Spiritu prophetico prædixerat Iob. c. 7. eleIob. c. 7. git suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Quod manibus, & pedibus esset perfoPsal. c. 21. randus, & transfigendus, continetur in libro psal. 21. Quod in ligno crucis exaltatus, & crucifixus, pro Inimicis, & transgressoribus exorauerit, aperte in fine eiusdem capitis Isaiæ Isai. 53. 53. declaratur. Quod conuersus ad Deum lamentabili voce carnis veritatem demonstrauerit, in psal. 21. prædixit Dauid. Quod nostram salutem sitiens, felle, & aceto fuerit poPsal. 21. Psal. 68. tatus, idem Propheta præuidit psal. 68. Quod tradiderit spiritum, & sua morte nos redemerit, legite eundem Isaiam c. 63. Quod post mortem eius, vnus militum lancea latus eius E Iob. c. 16. aperuit, meminit Iob c. 16. concidit me vulnere, irruit in me quasi Gigas. Quod descenderit ad inferos, & ex limbo Sanctos Patres Patriarchas, & Prophetas gloriosus extraxerit Zach. c. 9. clarè declarat Zacharias c. 9. Quod post mortem fuerit sepultum corpus eius integrum, & sine diminutione, fuerat anteà figuratum in Deuteronomio, c. 21. & in Exodo c. 12. Quod Deut. c. 21. Exod. 12. corpus illud sanctissimum, in triduo, licet ab anima separatum, diuino tamen verbo vnitum, non viderit corruptionem; non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum Psal. 15. tuum videre corruptionem, psal. 15. Quod morte sua Christus de Dæmone, & morte triumphauerit, prædixerat Habacuch c. 3. Quod tertia die resurrexerit a mortuis, præuidit Habac. c. 3. David Psal. 3. Dauid in libro psalmorum 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me. Quod ad cœlos ascenderit, & ad dexteram Dei patris sederit, idem Propheta

A ta prædixit Psal. 46. ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ, & psal. 109. Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis. Sancti spiritus, in discipulos missionem apertè prophetauit Ioel Propheta cap. 2. effudam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri. Si hæc omnia per omnes Sanctos Patriarchas, & Prophetas minutatim præuisa, prædicta, & prolata in Christo Domino nostro impleta sunt, in Hierusalem, quæ est terrę vmbilicus (vt Dauid pronunciauerat psal. 73. Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terræ) quare vos Sarraceni non creditis, Christum fuisse crucifixum, & reliqua nostræ fidei misteria in Euangelio contenta, quæ a Christo dum erat in humanis, & post suam resurrectionē fuerunt prolata, & immediate a Sanctis Apostolis, & Euangelistis spiritus Sancti gratia repletis, prædicata, & in omnem terram diuulgata, ac sequentibus signis, & miraculis confirmata?

Psal. 46. & 109. Ioel. c. 2. Dauid psal. 73.

B Rursus Sancti Apostoli, & discipuli Domini, non (vt vester Pseudo propheta) armorum potentia, non aliqua violentia, non per maleficia, incantationes, facturas, signaturas, & infestationes, uel alia opera mag..a arte diabolica (pacto expresso, uel tacitò præcedente) facta, ad Ecclesiæ Sanctæ ouile gentes venire faciebant; non humana facundia, aut subtilibus scientiæ adeptę argumentis legem Euangelicam introduxerunt in orbem terrarum; sed in simplicitate, patientia, paupertate, & in omni humilitate cum mansuetudine populos trahebant.

Et qui erant illiterati, & simplices corde, ac armorum potentia inermes, ardentissimo diuinæ gratiæ feruore repleti, totius Sacræ scripturæ admirando modo notitiam infallibilem habuerunt, constantissimè Christum Deum, & hominem, & hunc crucifixum prædicarunt, ac cęlesti fortitudine, & robore illustrati, idola comminuerunt, & in confessione C veræ sempiternæque trinitatis baptizantes, mirabilia magna in populis faciebant. Et tot signa & prodigia operabantur Apostoli, quod ad eos ciuitates turmatim concurrentes, suos ægrotos ferentes, in vijs, & plateis in grabatis ponentes, expectarent, vt saltim eos vmbra discipulorum prætereuntium obumbraret, & sanarentur. Hæc fiebant in eadem ciuitate Hierusalem, in qua Iesus Christus (in cuius uirtute, & nomine infirmi sanabantur) paulo anteà passus, & crucifixus fuerat.

Deinde Apostoli ad prædicandum misterium sanctissimæ Trinitatis, Diuinitatem in Christo, ineffabile corporis, & sanguinis eius in altaris sacramento, & reliqua, quæ nostra confitetur Ecclesia, diuisi sunt; & in diuersas prouincias à se inuicem separati, & directi idem Euangelium, quod a Christo audierant, & ea misteria, quæ proprijs oculis prospexerant, Gentibus annunciabant. Ad quorum prædicationem Reges, Principes, & regna fi- D dem nostram susceperunt, & Euangelio crediderunt; quod super omnia signa & prodigia, maximum miraculum est; videlicet, quod omnes nationes ad prædicationem pauperum Apostolorum crediderint Christum esse Dei filium, passum, crucifixum, & sepultum, (qđ vos concedere obstinatè renuitis,) & credendo in Christum; superstitiones, & idolatriam reliquerunt. Roma ipsa, in qua Dæmonum cultus, omnium sacrilegiorum impietas, superstitionum collectio, vanorum errorum institutio, frementium bestiarum silua, & scelera omnia reperiebantur, ex magistra erroris, facta est magistra ueritatis, Euangelium Christi amplectendo; quod vsq; in præsentem diem retinet, & Christum crucifixum adorat. Quid igitur Apostoli suis prædicationibus, credentibus pollicebantur? uxorum pluralitatem, temporalia bona, regna terrena, aut vestram vestri Pseudo prophetæ bestialem Beatitudinem? minime gentium. Sed Populis prædicabant castam, & honestam vitam, mundi E contemptum, passionum tollerantiam, & martyrij ardens desiderium. Erant ne Reges, & Principes, ac Populi quibus hæc difficillima annunciabant, uiri indocti? Erat ne indocta plebs, quæ Apostolorum suasioni consensit? minimè certe. Imo pręstantissimi Philosophi, & doctissimi uiri, ac nobilissimi Principes Christum crucifixum, & legem eius, venerati sunt. Et vt alios omittamus, qui in celeberrima, & doctissima Athenarum vrbe, fidem in Ecclesiæ exordio, susceperunt, fuit Dionysius, vnus ex Areopagitis iudicibus, omni doctrinæ genere instructus, qui tanta doctrina pollebat, cum adhuc in gentilitatis errore versaretur, vt eo die quo Christus Dominus Cruci affixus est, solem pręter naturam defecisse animaduertens, exclamauit, & dixit; aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluitur.

Hic igitur Vir Doctissimus ad prædicationem Apostoli in Christum credidit; & factus ex famosissimo philosopho, & clarissimo astrologo, humilis Christi discipulus, ita feruen-

ter, & ardenter prædicationi operam dedit, vt suam Atheniensem Ciuitatem, & non paruã eius Regionis partem, Christianæ fidei subiugauerit, & opuscula dignissima in fauorem, & defensionem fidei Catholicæ ediderit, de Ecclesiastica Hierarchia, de cęlesti Hierarchia, de diuinis nominibus, de mystica Theologia, & de sanctissima Trinitate pro cuius fidei confessione martyrio coronatus est. A

Si ergo sacrosanctum Trinitatis mysterium, quod ab Apostolis Dionysius didicit Vir doctissimus, inter sua dignissima opera, ad hæc vsque tempora incorruptè perseuerat, idemq; in sanctorum Euangelistarum lectionibus continetur, & doctores Catholici, qui Apostolis, Euangelistis, & Dionysio successerunt, idem fatentur, & pro confessione eorum, quæ in Euangelio continentur, plurimi ex eis sanguinem suum fuderunt; & ante suam passionem, & in ipso agone, & martyrio mortuos suscitauerunt, leprosos sanarunt, claudos ambulare, cœcos videre, & mutos loqui effecerunt; ac in aquis, & ignibus illesi manserunt, B neque à leonibus, & bestijs tangebantur; quare vos dicitis, literam Euangeliorum, & textum esse corruptum? Possunt ne hæc miracula ita euidentia, in testimonium falsitatis fieri, aut vester falsus Propheta fuit Diuo Dionysio, & Ecclesiæ Sanctæ Doctoribus, qui fidem nostram susceperunt, & in eius confessione decesserunt, doctior, qui literas non didicit, & cum plurimis fœminis vitam inhonestam, & lasciuam duxit? Quibus dictis Sarraceni indignati, maximè quod ad prędicationem viri Dei, nonnulli sunt ad fidem conuersi, carceri fœtidissimo ea nocte fratrem nostrum mancipari iusserunt. Ad quem quidam Christianus (qui ut Captiuitatis incommodum, & Sarracenorum crudelitates euaderet, a fide Romana apostatauerat) accessit, dixitq; ei; male, & audacter in terra aliena locutus es, ad grauissima te tormenta exposuisti, quorum Captiui Christiani (quos adiuuare excogitaueras) participes erunt. C

Nullus te molestia affecit, nemo ad apostatandum te coegit, quare Machometi legem execratus, & detestatus es, qui simulando poteras nos, sicut Frater Laurentius consolari? Putas ne me, qui vitam, & vestitum Sarraceno modo dego, & gesto, non esse Christianum? sum equidem. Immo omnes, qui Baptismatis vnda abluti, à religione Christiana defecerunt, & qui Sarracenos, & Mauros se esse fixerunt, & simularunt, fidem in corde retinent; & quantumcumq; de Machometi secta se esse asserant, hoc totum, coactè operantur. Quidquid faciunt de ritibus huius sectæ, pro nihilo ducunt; & sæpe sæpius quando ab aliquo audiri non possunt, Machometo, & legi eius maledicunt, & ego sum primus, qui maledico diem, & horam, in qua natus est iste falsus Propheta, qui ob licentiosam, & lasciuam, quam sectatoribus suis concedit, & permittit vitã, me Religionem Christianam, & honestos mores eius, ad tempus deserere fecit. Cuius rei me maximopere pęnitet; scio enim apertè, sectam istam esse detestabilem, & abominabilem, & in Alchorano, (qui credendus nobis proponitur) quam plures contineri errores, & contrarietates, esseq; manifestè sectam istã non solùm nostro Sacro Euangelio, sed dictis Prophetarum aduersantem, & repugnantem. Ex quo deduco perfidum, & sceleratissimum Machometum tantæ falsitatis auctorem, non posse esse nuntium, aut Prophetam Dei, sed mendacem, & seductorem, immo omnium seductorum caput, quos Christus Dominus noster post se venturos discipulis suis prædixerat. Si autem dicas mihi; quod magna est iniquitas mea, & quod sceleris mei nullam excusationem vllo tempore afferre possum, qui nõ ignoranter, sed scienter viam veritatis deserendo, & in erroris tenebris ambulando, ad Ecclesiæ Sanctæ Dei ouile, (à qua apostatando deuiaueram) reuerti, & venire crastino, & de die in diem differo; tibi respondeo, & audi (quęso) dilationis meæ occasionem, & caussam. D

Matthæi c. 24.

E

Ab hinc annis viginti cum ego valde iuuenis cum alijs socijs, & condiscipulis meis, tempore intermissionis a studio in Tarraconensi agro venationi operam nauarem, ferasq; auidissimè indagarem, cuidam oblatæ feræ insidiando, omnes nos omnino defessi, non procul a litore maris a labore feriari voluimus. Et dum defatigatis animis aliquam dabamus requiem, a superuenientibus Mauris primo diluculo capti fuimus; qui ad suas triremes ictibus, & pugnis ante solis ortum nos adire compulserunt. Vbi duo ex socijs blanditijs, & promissis atracti (ante quam litus Africanum tangeremus) à fide apostatarunt. Quos Mauri statim sericis vestibus induerunt, ac delicatis cibis ad mensas suas sedentes recrearunt. Nos autem qui Romanam Ecclesiam animo constanti fatebamur, compedibus ferreis, flagellis, iniurijs, fame, & siti affecerunt. Quo non contenti, in noctis silentio ad

fidem

A fidem nostram labefactandam, ipsosmet, quos recenter ad sectam suam reduxerant, ad nos venire cum cibarijs delicatis iusserunt. Vnde me, quem nulla uis, nullæ minæ, nullaq; Sarracenorum flagella instabilem reddere potuerunt, condiscipulorum, iam Maurorum, suasio, seu (vt verius dicam) mea de eis inuidia labefecit. Confiteor tibi meam imbecillitatem, & debilitatem, quod furibundos, & minantes Mauros contempsi, & suasioni debilium sociorum acquieui. Magno quippe de eorum apparente gloria, & fœlicitate afficiebar dolore, & liuida disrumpebar inuidia, videns eos infimo, & abiecto genere ex Parentibus labore manuum suarum, quotidianum victum quæritantibus procreatos, iam cum primoribus, & magnatibus ad mensas sedentes, & in magno pretio ab eis habitos. Vnde verbis istorum mihi dicentium, nos imitare, simula te esse Sarracenum, sicut nos fecimus; bonis plurimis abundabis; in patria nostra ægebamus; in victu, vestitu, & in omnibus rebus necessarijs patiebamur; hic vero (sicut vides) facti sumus Domini: ecce nùmos in quantitate possidemus, quos
B in domo nostra tangere non valebamus; meum præbui consensum, ac Sarracenum esse vsq; in hanc diem me simulaui. Traditus fui Magistro, qui in Alchorano me instrueret, & eius falsos errores, ac abominabiles ceremonias me doceret.

In primis Magister iste falsitatis, mihi dicebat, antequam fili mi Templum, seu Mezchitam ingrediaris, sic te præparare decet; laua prius manus, faciem, aures, occiput, & pedes. Quinquies vnoquoque die in templum intrabis, videlicet ante solis ortum, in meridie, ad vesperas, ad solis occasum, & hora noctis secunda. Prima die qua ingressus sum Mezchitam, non potui me a lachrymis abstinere. Quod Agareni attendentes, ad inuicem dicebant, me fore magnum suæ sectæ defensorem, valdeq; studiosum; & meo magistro, qui talem, ac tantum habebat discipulum, gratias agebant. Ego autem maximè flebam, ad memoriam reducens Christiani templi munditiam, & ornatum, pulcherrimas Christi, Gloriosissimæ Virgi-
C nis Mariæ, & aliorum sanctorum imagines, ad deuotionem excitantes, & sanctitatem ex se emittentes. In hoc vero abominationis templo, nulla imago, quæ mentem ad deuotionem eleuet, nullusque ornatus respiciuntur, sed lampades quædam nudos parietes, & pauimentum, lapidesq; illustrantes. In quolibet templo (sicut te scire suspicor) Musfti, (qui inter Sacerdotes supremum obtinet locum) duos creat Ministros, qui templis deseruiant. Primus qui, Ymar appellatur, vices Sacerdotis gerit, alter qui Messim dicitur, Sacerdoti deseruit eique ministrat.

Hic igitur Minister Messim ad præfatas horas supra templum ascendit, (vbi nulla potest esse campana) & vociferando, Populum ad orandum inuitat: Quo ingresso Sacerdos, ymar in anteriori parte collocatus, vt ab omnibus videri, ac imitari possit, cum suo ministro memoria recitat suas orationes, cuius ceremonias, actiones, & genuflectiones, omnes, qui sunt in templo imitantur, & faciunt. Fœminis ad templum venire prohibitum est, sed in do-
D mibus suis, quando ad orandum populus inuitatur, ipsæ orant. Si aliquis aliquod occultum committit peccatum, vt immunis, & mundus reddatur, ad Thermas, seu balnea se confert, vbi ablutus, a labe, & peccati macula creditur absolutus. Non post multos meæ captiuitatis dies vxorem ducere uolens, accessi ad Caddi, qui in Ciuitatibus, & terris castigandi, & matrimonia faciendi, habet potestatem, & vnam puellam valde pulchram, in vxorem habere mihi concessit.

Deinde cum ad pinguiorem fortunam deuenirem, alteram paris pulchritudinis de iudicis Caddi licentia similiter duxi. Et denique ditior effectus tertiam habere fuit mihi concessū; quibus modo non in eadem domo (ad euitandas rixas) sed in diuersis ciuitatis regionibus, & partibus ad libitum fruor.

E Et præter has vxores, duabus etiam ancillis formosis valde, potiri (secundum sectam istā) mihi licet. Quæ omnia etiamsi horribilia, detestabilia, & abominabilia esse iudicauerim, libidine tamen, & lasciuia, nec non blanditijs harum fœminarum, & ancillarum detentus, & irretitus, per tot annos in hoc misero statu sordui, & viā me de hac labe liberādi penitus ignoro, qa plures ex eis procreaui filios, quos nō possum nō diligere. Sed ò me miserū, vehementer timeo, & quotidie mortis timor, & infernales pœnæ meis delictis debitæ, terrent me. Nā Superioribus mensibus cum simili desiderio ad sacrosanctam Ecclesiam reuertendi, & pœnitentiam agendi, quidam Concaptiuus meus, qui a fide deuiauerat, & vxores duxerat, ex hac vita discessit.

Hic grauissimo morbo oppressus, me de nocte ad se venire iussit, meq; exorauit, vt in abscondito, & secretò modo aliquem Sacerdotem cui sua aperire posset peccata solertèr vocarem;

carem; quod & feci, sed tempore nocturno nullus Sacerdos Captiuus accedere potuit, A
quia erant omnes sub bona custodia in obscuris cauernis, ferreis catenis detenti. Aduentante aurora, Sacerdotem quendam mihi bene cognitum, ad fodiendam terram Domini sui festinantem aduocaui, & ad domum Infirmi introduxi. Sed proh dolor, mortuum inuenimus, uxoribus, & filijs circundatum, magnum planctum facientibus super eum. Cuius corpus (vt scias alias superstitiosas ceremonias) aqua calida, & sapone bene lauerunt, & in superiori parte coxarum, in auribus, & sub brachijs Gossipium, & telam lineam immisserunt, & veste alba indutum ad Campos in loco deputato sepelierunt, & in gyro tabulas posuerunt, ne terra aliquam cadaueris partem tangere posset. Sunt & alia multa immunda, diabolica, & superstitiosa in hac lege, quæ iam meus abhorret animus, & viam Saluationis meæ a te scire volo, sed ne a carceris custodibus audiar, te suppliciter exoro, vt pro me misero peccatore preces ad dominum effundas, & crastina die ad te reuertar ea animi præparatione, & B
obedientia, vt quidquid præceperis, opere complere studebo.

Sed reuertamur ad Sarracenos, qui verbis & correctione Fratris nostri Petri indignati valde, mortem ei dare firmo animo proposuerunt in cordibus suis; sed indignationem Regis, valde timentes, modum quo eum de medio tollerent, secretis studijs procurabant. Quibus senex ille, (ad quem vtpote sectæ Mauritanæ doctorem, Frater Petrus speciali quodam modo verba sua dirigebat) valde indignatus sic locutus est; nobis filij mei propter præceptum Domini nostri Regis, non licet propria auctoritate quemquā occidere Christianum; sed propter publicas blasphemias quas suo temerario ore in Prophetam Sanctum, & legem nostram iste Christianus proferre non erubuit, iustissimè carceri tradi meruit, quod Rex de iniurijs certior factus, ratum, gratumq; habebit. Sed timeo maximopere, quod Dominus Rex, qui pacem cū Regibus Christianis inire exoptat, & in dies Laurētij Company ad Alphonsum Regē Oratoris destinati aduentū auidissimè, expectat, liberum istū scelestum, & C
impurum hominem abire permittet. Ideo mea sententia est, quod in ipso carcere, tali mortis genere de medio tollatur, quod in eius corpore vestigium occisionis appareat nullum. Et in apertum diuulgare poterimus, quod à carceris custodibus mortuus repertus est. Cuius consilium Sarraceni sequentes carceris custodes mutarunt, & alios tutos, quibus perpetrandum scelus committere possent, de nouo adhibuerunt; qui Fratrem nostrum cum nemine loqui, effecerunt, & in fœtidissimo loco nihil cibi, & potus afferentes inclusum per nonnullos dies tenuerunt. Ad quem quotidie maior custos accedere solebat, non vt eum consolaretur, aut cibo aliquo recrearet, sed vt iniurijs afficeret, & an esset extinctus, videret. Quo crudelissimo tormento post paucos dies ad cœlos refulgentes ex obscuro carcere gloriosus euolauit. Tunc Sarraceni illud Sanctum cadauer ad nobiliorem, & meliorem carceris locum asportarunt, iuxta quod aliqua cibaria optima adhibuerunt, publicantes, D
1452. quod iustus Dominus morte repentina blasphemos homines passim castigare, & punire solet. Accidit mors huius Sancti viri hoc anno 1452. de cuius sanctitate, & martyrio breuiter agunt inter alios Fr. Petrus Cijar Commendator Cęsaraugustanus, qui floruit suo tempore in opusculo valde docto de perfectione nostri ordinis, Magister Guimeran Episcopus de Xacca in regno Aragoniæ, & Magister Rodriguez Episcopus Rosciensis in sua Animæ agricultura, & nonnulli alij nostri ordinis scriptores.

Cijar in opusculo tātū quinq; conc. 3.

1453. Nonnullæ nostri ordinis historiæ ferunt in initio huius anni 1453. Fratres ad redimendum a Magistro missos, (quorum nomina ibi non exprimuntur) maris procella, & magna ventorum vi, cum ingenti rapidaq; pluuia fuisse cum nauigio quo vehebantur, in medio mari cum pecunijs, & mercibus summersos. Cuius infęlicis euentus nuncius alatus summo dolore vniuersum ordinem repleuit, præsertim Generalem Magistrū, qui prę nimio mœrore in E
grauissimum incidit morbum. Sed post paucos dies (diuina fauente gratia) pristinæ sanitati restitutus est.

Ioannes Castellæ Rex, eius nominis secundus magnis naturæ, ac virtutum donis abundans, princeps religiosus, orationi assiduus, diuinis, humanis, ac moralibus literis valde deditus, postquam ab ipsa infantia, & ab incunabulis per quinquaginta ferè annos regnauerat,
1454. obijt hoc anno 1454. Cui successit eius primogenitus filius Henricus IV. qui regnare cępit de mense Iulij eiusdem anni.

In summario, & compendio bullarum, breuium, & literarum Apostolicarum ad fauorem nostri ordinis concessarum, quæ Barchinonæ asseruantur, continetur memoria literarum compulsorialium Nicolai Papę V. ad fauorem nostri ordinis, contra Religiosos fratres ordi-

A nis Sanctissimæ Trinitatis. In quibus sub grauibus pœnis, eis præcipitur, ne elemosynas pro redimendis Captiuis petant, aut recipiant. Sub datum Romæ apud Sanctum Petrum die 13 Nouembris 1454. sui Pont. anno 8.

Alphonsus Aragonum Rex eius nominis quintus benigne satis Fratrem Laurentium Cōpany Regis Tuneti Ambasciatorem, & Oratorem susceperat, & Neapoli in suo regio palatio pro rostris cum Consiliarijs, & alijs magnatibus audiuerat. Cui Laurentius legationis suę verba, & petitionem exponens, & pacem veram, aut ad minus per aliquot annos inducias postulans, inferebat totum hoc ad laudem Dei, & Christiani nominis commodum, ac in miserorum Captiuorum cedere vtilitatem. Rex enim Maurus (dicebat) ad Christianorum res procliuis est, & qui me in toto suo Dominio prædicare permisit, facillimo negotio Catholicis Concionatoribus verbum salutis Sarracenis gentibus annunciare, & aliquod templum Tuneti fundare permittet; quæ conuentio, & pactum in pacis conditionibus apponi B poterit. Cui Oratori, fuit nomine Regis responsum, hoc ita serium negotium fore prius maturo adhibito consilio discutiendum, & cum suis Consiliarijs euentilandum; & quidquid sic decretum, & statutum fuerit Regio Oratori denunciandum. Sed cum per plures dies Frater Laurentius responsum Regis differri videret, sæpe sæpius regiam maiestatem alloquutus pro ineunda pace instauit. Cui Regem sic respondisse ferunt; Tu bone pater qui simplicitate cordis, & animi integritate polles per annos tredecim cum Mauris conuersando, mores eorum calere non valuisti. Scire te volo Othumenum Tuneti Regem, à quo missus es, esse hominem vaferrimum, ualdeque astutum, qui vna manu faciem abluit, altera vero ensem stringit. Si Rex Maurus (quem ad res Christianorum procliuem esse dicis) pacificus est, & pacem quærit, ac petit, quare insolitas, & in magno numero (dum de pace agit) armatorum turmas molitur, & instruit? Quomodo possum veram amicitiam cum hoc C infideli Rege modò inire, qui, dum in meo Aragoniæ regno sedebam, antequàm huius magni Regni essem possessor, in nullis etiam minimis mihi placere dignabatur; & quod ad maius dedecus reputo, meis literis, quibus tuam libertatem ab eo exposcebam, respondere noluit; & nunc me per gratiam Dei, fœliciter, & pacificè in tot regnis, & Dominio regnantem formidat, & præ timore mecum pacem inire desiderat. Non fiet sic, sicut ipse exoptat, sed diuino suffultus auxilio, meaq; duplicata potentia regnum Tharsense auferam de manu eius. Et tu qui ingenuus natus es, & liber de matre libera, iterum ad Captiuitatem non redibis; sed in meis triremibus ad tuam religionem iuuandam, quæ te auidissimè expectat, tuaque ope, prudentia, bonoque regimine indiget, in Hispaniam reuerteris. Quibus verbis Laurentius contristatus est valde propter iusiurandum, & propter fidem, & promissionem, quam Mauro Regi de ad Africam (legationis munere expleto) redeundo, coram testibus fe- D cerat. Non me (quæso dicebat) domine mi Rex liberum esse appelles, si nemine cogente, sed animo libenti sub mea Christiana fide vinculis fortissimis me ipsum deuinxi, atque constrinxi, quibus tuta conscientia, nisi promissum adimplendo, eripi possum. Cui Rex subiunxit, Mauris fœdifragis, indebitis Detentoribus, qui te non in iusto bello, sed tempestate secuta naufragium patientem, & cum saluo conductu (naui in trasuersum iactata,) & in Africano mari repertum inhumaniter ligarunt, & per tredecim annos vsque ad præsentem diem Captiuum tenuerunt, fidem seruare minime teneris.

Sed ob tuæ conscientiæ quietem inter huius regni mei famosiores Theologos, & Canonistas præstantes hoc dubium, & tuæ conscientiæ scrupulum discutiendum proponam, & quidquid per eos iudicatum, & decretum fuerit, sub lęthalis peccati pœna exsequi teneris; vel ad maiorem abundantiam de tuo iuramento in potestate Inimicorum E facto, (recursum ad Superiores, ad quos expectat habendo) relaxationem meo nomine peti, & obtineri curabo. Timeo enim quod Rex a quo missus es, meo responso ira incensus, & valde indignatus, quod pacem cum eo inire contempserim, te perimi iubeat, quod proculdubio euitare, & propriæ vitæ consulere teneris. Gratias interim immortales Deo agere debes, qui libertatem diu optatam possidere, & Christianæ gentis loca tenere meruisti. Quod ego vadam in Africam (Laurentius subiunxit) & iterum Captiuitatis miserijs me subijciam, ac crudeliter nimis a Rege Sarraceno affligar, aut occidar, parùm interest; dummodo nomen Domini apud barbaras nationes non blasphemetur. Quid (quæso) barbari dicent, si me quem ipsi, Catholicæ veritatis obseruatorem semper habuerunt, & Christianæ legis studiosum esse crediderunt, falsum iurantem, fidem frangentem, honorificum

inter eos legationis munus mihi in Captiuitatis statu commissum, fraudulenter, & proditoriè exercentem viderint? Tunc proculdubio, meritissimè indignati, fratrem Petrum Bosset socium meum, & reliquos Christianos iniurijs, blasphemijs, ac diuersis tormentis sęuissimè afficient. Quæ vt euitentur, summis a te contendo precibus, vt profectionem meam in Africam, non præpedias, & quod tuæ maiestati placitum fuerit, Regi Tuneti respondeas; in quo non solum miseris Captiuis meum aduentum auidissimè expectantibus, valde utile & iucundum, & apud Deum meritorium opus impendes, sed tuum Sanctissimum de Mercede ordinem, quem Patres tui, ac prædecessores, Barchinonæ fundarunt, specialibus fauoribus prosequeris; nam deinceps Infideles Sarraceni Redemptoribus, & fratribus Religionis nostræ se credent, & res magni momenti committent. Quibus verbis magnus ex tempore in ipso Rege animi motus apparuit. Nam mutauit consilium, & Regi Tuneti literas valde fauorabiles, & commendatitias ad fauorem fratris Laurentij misit, in quibus eum commendatum esse volebat, eiusq; (vt gratissimum munus) libertatem poscebat. Et ut res magno apparatu, maiorq; fieret ęstimatione, in suis regalibus triremibus cum nonnullis muneribus fratrem Laurentium in Africam reuerti voluit, cum aliqua pacis ineundæ, vel ad minus inducias concedendi bona expectatione, atq; spe. De hoc legationis munere nec non de nõnullis miraculis valde celebribus a B. Laurentio operatis mentionem facit Magister Zumel in vita vigesimi Magistri cum reliquis nostri ordinis scriptoribus; Epistolam vero Regis Alphonsi in qua a Otumeno Tuneti Rege summis precibus liberationem fratris Laurentij contendebat sub datum Neapoli die 2. Martij huius anni 1455 originaliter in Monasterio nostri ordinis Valentiæ uidisse, & in sua potestate tenuisse referunt Reuerendissimus Magister Fr. Philippus Guimeran Episcopus de Xacca, in historia nostri ordinis 3. parte, cap. 3. § 6. & Frater Iacobus Tenza in Sacra Theologia Magister, Commendator domus Valentiæ in Compendio Indulgentiarum nostri ordinis, & alij.

Nicolaus Papa V. migrauit ad Dominum 9. Cal. Aprilis huius anni 1455. Cui successit quarto idus Aprilis Alphõsus Borgia natione Hispanus, Episcopus Valentinus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli Sanctorum quatuor coronatorum, qui Calixtus III. appellari voluit, qui actualiter erat nostri ordinis Protector. Quod protectionis munus, & ordinis tutelam per plures annos vsque ad Summum Pontificatum tenuit. Imo Pontifex creatus ad memoriam reducens stupenda, & mirabilia opera, quæ quotidie per fratres nostros fieri prospexerat, & labores, ac pericula, quæ in Redemptionis munere patiebantur, plurima nostro ordini concessit priuilegia. Et in initio sui Pontificatus nostrum ordinem magnificare, & decorare cœpit. In primis ad supplicationem Generalis Magistri concedit bullã tenoris sequentis.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro, & Fratribus B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinẽtibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates, tàm a fęlicis recordationis Bonifacio octauo, quàm Alexandro quarto, Nicolao tertio, Clemente sexto, Gregorio XI. Martino quinto, Eugenio quarto, Nicolao quinto, Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, siue alias Indulgentias, vobis, & dicto ordini cõcessas, (quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum insertæ fuissent) neq; non libertates, & exemptiones secularium exactionum, a Regibus, & principibus, ac alijs Christi fidelibus, rationabiliter vobis, & præfato ordini indultas, sicut ea iustè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem ordini auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & cõmunitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1455 quarto nonas Maij. Pontificatus nostri anno 1.

Idem Summus Pontifex inserendo bullas Bonifacij VIII. (qui in literis Apostolicis per errorem scriptoris Bonifatius quintus appellatur) Alexandri IIII. Clementis VI. Gregorij XI. qui Gregorius inserit bullas Nicolai IIII. & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum eas confirmat: Bulla Calixti III. talis est.

Ca-

A Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Dispositione diuina (quamuis immeriti) Dominico Gregi Præsidentes, dum præclara dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum B. Mariæ, Redemptionis Captiuorum opera,atq; merita, infra nostræ mentis archana recensemus, & commẽdabiles quibus eorum ministerijs erga Deum,& homines indesinenter exuberant fructus, dignè nostros diffundimus cogitatus. Votis illis gratum libenter offerimus auditum, per quæ ipsorum statui, indemnitatibus, & commoditatibus consulitur, hospitaleq; eiusdem B. Mariæ, nec non domus, & loca specialiter, & temporaliter proficiant; & quæ propterea medijs exquisitis processisse comperimus per nostri partes ministerij iugiter inualescant. Dudum siquidem quædam literæ à fœlicis recordationis Bonifacio VIII. Alexandro IIII. Clemente VI. Martino V. Gregorio XI. Eugenio IIII. Prædecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, quas diligenter inspici,& examinari, & illarum tenores (subscriptionibus, & caracteribus omissis) præsentibus inseri fecimus,in hęc verba emanarunt.

B Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, cæterisq; Ecclesiarum Rectoribus, Presbyteris, Curatis, & non curatis, & omnibus alijs ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Querelam grauem suscepimus ex parte dilectorum filiorũ Magistri, & Fratrũ Beatæ Mariæ de Mercede, aliàs Sanctæ Eulaliæ Captiuorum Barchinoñ Diœcesis ordinis Sancti Augustini, quam præ magnitudine culpę,& Pauperum Captiuorum in manibus Inimicorum captorũ, & detentorũ dispẽdio dissimulare nolumus neq; debemus. Proposuerunt si quidem iam dicti Magister, & Fratres quod cum pro elemosynis, votis & legatis dictorum Captiuorum requirendis (iuxta consuetudinẽ suam auctoritate Apostolica confirmatam) ad Ecclesias quorundam Presbyterorum accedunt, eos audire non verentur, cum deberent eos

C benigne, & patienter audire,& Parrochianos suos ad conferendum dictis Pauperibus elemosynas ardentius exhortari. Accedit autem quod idem presbyteri quandam partem dictorum pauperum Captiuorum elemosynarum ardore auaritiæ ardentes exigunt impudenter, & vt possint extorquere, quod quærunt, (Parrochianis suis proclamantibus) dictorum Captiuorum obsequium impediunt.

Vnde cum tantum grauamen & pauperum Captiuorum dispendia, clausis non debeamus oculis pertransire,imo ex debito nostri pastoralis officij patrocinium nostrum teneamur cum omni solertia impertiri; vniuersitati vestræ ad instar fœlicis recordationis Innocentij Papæ V. & Clementis IIII. Romanorum Pontificũ prædecessorũ nostrũ per Apostolica scripta mãdamus firmiter & districte pręcipimus quatenus vniuersis Presbyteris vestrę potestati subditis sub pœna beneficij priuationis iniungatis, vt prædictos Fratres, vel eorum Nuncios ad

D opus dictorum pauperum Captiuorum in manibus Sarracenorũ Captiuorũ, & detẽtorum in Ecclesijs suis recipiant fauorabilitèr, & benignè,& a subditis suis recipi, & audiri faciant sine impedimento, & contradictione (quibuscumq; omnibus alijs Quæstis, & Quæstoribus illa die cessantibus penitus, & amotis;) iuxta quod dicta Sedes Apostolica indulsit. Taliter in his vos habeatis, vt dicti fratres, vel eorum nuncij pro defectu iustitiæ ad nostram præsentiã non cogantur laborare. Datis apud vrbem veterem idibus Octobris Pontificatus nostri anno 3. *vide etiam in 1. lib ad an. 1296.*

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris,cęterisq; Ecclesiarum Rectoribus, & omnibus alijs ad quos præsentes literæ peruenerint salutem,& Apostolicam benedictionem. Prout scriptura testatur, particeps mercedis efficitur, &c. Sub *& pag. 91 litera C.*

E datum Perusij quinto nonas Maij Pontificatus nostri anno 4.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Non obstantibus constitutionibus olim per Dominum Clementem bonæ memoriæ Papam V. &c. Sub datum Romæ quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno IV.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei,vniuersis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ peruenerint salutem,& Apostolicam benedictionem. Licet indigentibus vniuersis aperire teneamur viscera charitatis, illis tamen specialius, & abundantius quodammodo liberaliter debemus gratiam exhibere,qui cum sint pauperes spiritu, spontè subeunt onera paupertatis, vt Pauperibus possint copiosius subuenire,&c. Sub datum Romę apud S. Petrum 3. idus

Maij. Pontificatus nostri anno 3.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, tenorem quarundam literarum fęlicis recordationis Nicolai Papæ IIII. prædecessoris nostri, in registro ipsius prædecessoris repertum, de registro ipso, de verbo ad verbum transcribi, & ad dilectorũ filiorum Magistri & fratrum domus S. Eulaliæ de Mercede, Captiuorum Barchinoñ ordinis S. Augustini, qui se dictis literis asserunt indigere, supplicationem, & instantiam annotari fecimus, qui est talis. A

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Archipresbyteris, & Ecclesiarum Rectoribus præsentes literas inspecturis salutẽ, & Apostolicam benedictionẽ. Dilectos filios Magistrum, & fratres domus S. Eulaliæ, Barchinoñ, ordinis S. Augustini, de Mercede Captiuorum, salubri studio pietatis, misericordiæ intendentes operibus sincerè complectentes in domino charitate, ac eos, qui erga Captiuos pia gestantes viscera pro ipsis ab Infidelibus redimendis bona, quæ obtinent, ac quæ possunt acquirere, continuè impendunt, quinimo superimpendunt, interdum semetipsos fauore beneuolo prosequentes, non possumus non turbari, cũ aliqui corde peruersi elemosynas quas ipse Magister, & Fratres, vel eorũ nũcij pro redemptione ipsorũ Captiuorũ acquirunt, eis malitiose surripiunt, vel defraudant. Sane dilectorum filiorũ Magistri, & fratrum conquestio nobis exhibita continebat, quod nonnulli vestrum, siue operarij ad vestrarũ Ecclesiarum fabricas constituti partẽ elemosynarum, quas ipsi, vel eorũ nuncij per dictas ecclesias pro dictis Captiuis redimendis colligunt, occasione operis ecclesiarum ipsorum, vel aliqua de causa indebitè exigunt, & extorquent in eorũ Magistri. & fratrum præiudicium, & grauamen, & dictorũ Captiuorum non modicum detrimentũ; nos igitur volentes huiusmodi fratres nullatenus defraudari, nec à prædictis Magistro, & fratribus de prędictis elemosynis partẽ aliquam occasione dicti operis, vel ẽt ex quacunq; alia caussa exigere, vel extorquere quomodolibet præsumatis, vobis auctoritate præsentium districtius inhibemus. Datis apud vrbem veterem 12. Cal. Augusti Pontificatus nostri anno quarto. B C

& pag. 120 litera C.

Cęterum vt earundem literarum tenor prędictus hic insertus, omnimodã rei, seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eamque vim eundemq; vigorem dictus tenor per omnia habeatq́, quem haberent originales literæ prædictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocũq: & ubicũque siue in iudicio siue alibi vbi fuerit exhibitus, vel ostẽsus, & eidem stetur firmiter in omnibus, & per omnia, sicut staretur originalibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotẽtis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Auenioni octauo idus Ianuarij Pontificatus nostri an. 4. D

& Pag. 188 litera A.

Martinus Episcopus seruus seruorũ Dei. Ad futurã rei memoriã. Ex apostolicæ Sedis prouisione, Personarum, & præsertim sub regulari obseruatione Domino famulantium studio piæ vitæ, deuotionisq; prouenire dignoscitur, vt Romanus Pontifex quandocũq; Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innouet, restauret, aut auctoritate apostolica fulciat innouata. Sanè pro parte dilectorum filiorum Magistri Generalis, & fratrum ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum sub regula S. Augustini degentium nobis extitit humiliter supplicatum, vt fęlicis recordationis Clementis Papæ IIII. Prædecessoris nostri, eis qui tunc, Magister & Fratres Hospitalis S. Eulaliç, Barchinoñ nuncupantur cõcessas literas, cum incipiant vetustate consumi innouare de benignitate apostolica dignaremur, quarum tenor (signis & caracteribus exceptis) sequitur in hæc verba. E

& Pag. 234 litera A.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem, & apostolicam benedictionem. Si iuxta sententiam sapientis, inter tẽpus seminandi, discernimus, & metendi; seminare debemus in terris, quod cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, facientes nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus, in ęterna tabernacula nos admittant: Sic enim Thesaurizamus nobis Thesauros in cęlis, vbi fures non effodiunt, nec furantur, sic terrena in cęlestia, & transitoria in ęterna fęlici cõmertio cõmutamus. Licet aũt indigẽtibus vniuersis aperire teneamur viscera charitatis, illis aũt specialius, & abũdantius quodãmodo liberalitatis debemus gratiã exhibere, qui cum sint pauperes spiritu, sponte subeunt onera paupertatis, vt pauperibus possint

& Pag 96 litera A.

co-

A copiosius subuenire; dum tamquam nihil habentes, & omnia possidenres, volunt penuriã pati, & abundantiam habere.

Vnde dum abundant pauperibus, sibi egẽt, & in se aliorũ infirmitatẽ assumunt, vt ex indigentia liberalius ministrent hospitibus, & ægenis. Hæc vero quamuis multi laudabiliter exequantur, illi tamen student laudabilius adimplere, qui hospitalitati vacantes, non solum suscipiunt hospites, sed attrahunt, illud propheticum exequentes, frange esurienti panẽ tuum & ægenos vagosq; induc in domum tuam; cum videris nudum cooperi eum, & carnem tuã ne despexeris. Hi enim pascunt esurientes, sitientes potant, & colligunt hospites, nudos vestiunt, & non solum infirmos visitant, sed eorum infirmitatem assumunt. Ministrant in carcere positis, & quibus in infirmitate participant, communicãt in sepultura defunctorum; & omnia illa exequuntur propter quæ Dominus in vltimo districtionis examine remuneraturum se bonos, & malos puniturum asserit

B Cum igitur dilecti filij Magister, & Fratres Hospitalis Sanctæ Eulaliæ, Barchinoñ, ordinis Sancti Augustini, in quo pro redimendis Captiuis de manibus Paganorum, diuinis vacent obsequijs, ad hoc totis viribus elaborent, vt vndique confluentium ægenorum, pariter, & egrorum necessitatibus se exponant; monemus vniuersitatem vestram, & hortamur in Domino, ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus cooperatores sitis operum pietatis; accedentes ad vos eorum nuntios (dummodo non sint Quæstuarij) in Ecclesijs vestris benigne recipere ad Indulgentias sibi concessas à Sede apostolica exponendas, cunctis eisdem subsidia, & pias elemosynas conferendum, vt quod pauperibus contuleritis, per manus eorum in terris, uobis per manus pauperum thesaurizetis in cœlis; cum Apostolo scientes quoniam qui parce seminat, parce, & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet vitam æternam. Nos enim de omnipotentis Dei miseri-
C cordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac ea quam Dominus indulsit potestate confisi, omnibus, qui de facultatibus suis congruè ipsis subuenerint, & in tam sancta fraternitate statuerint se collegas, eisque beneficia porrexerint annuatim (dummodo de peccatis suis vere contriti fuerint, & confessi) ad instar fœlicis recordationis Innocentij IIII. Alexandri IIII. & Vrbani IIII. Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Septimam partem iniunctæ pœnitentiæ relaxamus; auctoritate apostolica statuentes, vt vt si ijs, qui eorum fraternitatem assumpserint, Ecclesiæ ad quas pertinent, fuerint interdictæ ipsosque mori contigerit (nisi excommunicati nominatim fuerint, interdicti, aut etiam publici vsurarij, aut etiam eis a iure fuerit ecclesiastica sepultura interdicta,) eadem sepultura (prætermissa omni solemnitate solita) non negetur. Receptores quoque fraternitatis, & collectores ipsos (saluo iure Dominorum suorum) sub Beati Petri, & nostra
D protectione suscipimus. Statuentes, vt si qui fratres ad easdem fraternitates missi fuerint, vel Collectores in quãlibet Ciuitatem, Castellum, vel vicum interdictum aduenerint, in eorum iucundo aduentu semel aperiantur Ecclesiæ, atque (exclusis excommunicatis, & nominatim interdictis eiectis) diuina ibi officia celebrentur, ut verbo diuino proposito per locorum Diœcesanos, aut ipsarum Ecclesiarum Rectores, vel eosdem fratres (dummodo idonei, & bonæ opinionis existant) prædicta Indulgentia exponatur. (salua in omnibus supradictis declaratione Concilij Generalis. Date igitur elemosynam, vt omnia munda sint vobis; quoniam elemosyna a malo liberat, & illa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Quia sicut aqua ignem ardentem extinguit, sic elemosyna peccato resistit. Datis Viterbij tertio nonas Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.

E Nos igitur vestris huiusmodi supplicationibus inclinati, literas ipsas, quas diligenter inspici, & examinari fecimus, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum (si quod sit) tantummodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, & communitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum quintodecimo Calen. Maij Pontificatu nostri anno I. *Greg. XI.*

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Magistro, & fratribus B. Mariæ de

& pag. 251 litera C. de Mercede Redemptionis Captiuorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est, &c. Datis Bononiæ anno incarnationis Dominicæ 1436. nonis Octobris Pontificatus nostri anno 6. A

Nos igitur singulas literas prædictas vberiori apostolici muniminis præsidio fulcire volentes, ipsorum Magistri, & fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, præceptum monitiones, concessiones, relaxationes, & remissiones huiusmodi, necnon omnia, & singula in dictis literis contenta, & inde secuta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia approbamus, & confirmamus; & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernentes illa perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter obseruanda, prout hactenus ritè & pacificè fuerunt obseruata; nec eis, vel effectui literarum prædictarum per quasuis, aut Sedis Apostolicæ legatorum literas, seu dispensationes quorumcunq; tenorum fuerint, & quascunq; derogatorias clausulas contineant, nullatenus indebitè detrahi, vel derogari debere. Nec non irritum, & inane quidquid secus à quoquam iniustè quauis auctoritate scienter, vel ignoranter quauis auctoritate contigerit attentari; (Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis literisq; contrarijs quibuscunque.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1455. quatuordecimo Cal. Ianuarij Pontificatus nostri anno 1. B

In Conuentu Barchinonensi nostri ordinis reperitur originalis bulla huius Summi Pontificis Calixti III. in qua præcipit Generali Magistro Fratri Natali Gauer quatenùs debeat ordinem vniuersum (iuxta eiusdem ordinis constitutiones) visitare. Sub datum Romæ die quinta Martij 1455. sui Pontificatus primo. vt patet ex compendio ad me delato in forma 1455. auctentica. C

In alio etiam compendio ex Hispania de ordine Generalis Magistri Monrroy extracto, & ad me transmisso, continetur, qualiter Calixtus Papa tertius in sua bulla, quæ sic incipit; ex apostolicæ sedis prouisione, &c. omnes terras, possessiones, & bona, &c. Prouinciæ regnorum Aragoniæ, (ea proprijs nominibus exprimendo.) & similiter possessiones, terras, & bona &c. Conuentuũ Ispalensis, Cordubensis, & Conchensis nostræ Religionis a decimarũ solutione liberat, & sub B. Petri, & sua protectione recipit. Sub datum Romæ anno Domini 1456. sui Pontificatus anno 2. D

1456. Floruit per hæc tempora Reuerendus Pater Frater Macias, seu Mattias de Monterrey in Sacra Theologia Magister celebris, & in Prouincia Castellæ, & Portugaliæ meritissimus Prouincialis; ob literarij ornamenti splendorem, Concionatorij muneris præstantiam, laudabilem virtutum suarum notitiam, & vitæ sanctimoniam apud omnes Hispanos, & Hispaniæ Reges, & Principes magno habitus in pretio.

Hic igitur famosissimus Concionator adeò suis prædicationibus auditores trahere, & commouere solebat, eisq; tantam spiritus deuotionem, & eruditionis voluptatem afferebat, vt nullus sua tempestate eo præstantior, nec maiori concursu fuerit auditus. In permagna apud Ioannem Castellæ Regem, eius nominis secundum, æstimatione erat, cumque Rex libentes audiebat; post cuius obitum Henricus IIII. eius filius, patris vestigia sequendo, maximis fauoribus Prouincialem nostrum prosequebatur; ad cuius preces, illud valde fauorabile priuilegium, nostro ordini concessum, à Ioanne II. patre suo emanatum confirmauit, & illud robur quod (patre suo viuente) habuerat, nunc & deincèps habere decreuit, ac sub grauibus pœnis contra inobedientes; obseruari præcepit: cuius tenor talis est. E

Eagora por quanto uos el Prouincial Don Fray Macias de Monterey, Procial dela orden dela Merced, en los Reynos de Castilla me supplicastes, y pedistes por merced, que uos confirmasse la dicha carta de preuilegio, que de suso ua encorpora-

pora-

A porado, y todo lo en ella contenido, y cada cosa, y parte dello, y vos la mandasse
guardar, y cumplir en todo, y por todo segun que en ella se contiene: E yo el so-
bre dicho Rey Don Henrique por fazer bien, y merced a vos el dicho Don Fray
Macias Prouincial dela dicha orden de Santa Maria dela Merced, y Frales del-
la touelo por bien; y por la presente vos confirmo la dicha carta de preuilegio,
que de suso va encorporada, y las mercedes en el contenidas. E mando que vos
valan, y sean guardadas si, y segun que mejor, y mas cumplidamente vos va-
lieron, y fueron guardadas en tiempo del dicho Rey Don Juan mi padre, y mi
Señor que Dios dè Santò Parayso. E defiendo firmemente que alguno, nin algu-
B nos non sean osados de vos ir, nin passar contra esta dicha carta de preuilegio, y con-
firmacion, que vos ansi yo fago; nin contra lo en ella contenido, nin contra parte del-
lo, por vos la quebrantar, o menguar entodo, o en parte della en algun tiempo, nin
por alguna manera. Ea qualquier, o qualesquier que lo fizieren, o contra ello, o con-
tra alguna cosa, o parte dello fueren, o vinieren, abran la mi yra, y pechar me à an
la pena contenida en la dicha carta de preuilegio; y à vos el dicho Prouincial, o
à quien vuestra voz touiere todas las costas, y daños, y menoscabos, que por
C ende recimieredes doblados. E demàs mando a todas las justicias, y officia-
les dela mi casa, y corte, y Chancilleria, y à todas las Ciudades, y villas, y
lugares delos mis Reynos, y Señorios do esto a caesciere, a si à los que agora son,
como a los que seran de aqui adelante, y a cada vno dellos, que gelo non consientan,
mas que vos defiendan, y amparen con esta dicha merced en la manera, que dicha
es; y que prendan en bienes de aquel, o de aquellos, que contra ello fueren, o
passaren por la dicha pena, y la guarden para fazer della lo que la mi merced fue-
re. E que emienden, y fagan emendar a vos el dicho Prouincial, y alos
D Frayles dela dicha orden de Santa Maria dela Merced, o aquien vuestra voz
touiere de todas las costas, y daños, y menoscabos, que por ende recibieren
doblados como dicho es. E de mas por qualquier, o qualesquier por quien
fincare delo ansi fazer, y complir mandamos al home, que vos esta mi carta
mostrare, o el traslado autorizado en manera que faga fee, que los emplaze,
que parezan ante mi do quier que yo sea del dia que los emplazare a quinze
dias primeros siguientes so la dicha pena a cada vno a dezir por qual razon non cum-
E plen mi mandado.

E mando so la dicha pena a qualquier escriuano publico, que para esto fuere
llamado, que de ende al que gela mostrare testimonio signado con su signo, por
que yo sepa en como se cumple mi mandado. E desto vos mande dar esta mi car-
ta de preuilegio rodado escrita en pergamino de cuero, y sellada con mi sel-
lo de plomo pendiente en filos de seda. Dada en la Ciudad de Palencia,
ocho dias de henero año del nascimiento de nuestro Señor Jesu Christo 1457.
1457.

Yo Diego Arias de Auila Contador mayor de nuestro Señor el Rey, y su Secretario, y escriuano mayor delos sus preuilegios, y confirmaciones lo fize escreuir por su mandado. Diego Arias, Gutierres Bacchalarius, Ferdinandus doctor, Andreas licentiatus, Registrada. Fernan Sanchez. A

Si Religio nostra magnâ lętitiâ recipere solet respiciens Captiuos Christianos, de misera Captiuitate eductos, & a Fratribus nostris Redemptoribus liberatos, quanto iubilo, quanto gaudio, quoue lætitiæ plausu recepisse creditur Fratrem Laurentium Company, qui per annos sexdecim Captiuitatis, tandem hoc anno 1457 ad preces Alphonsi Aragonum Regis, de
1457. potestate Regis Tuneti liberatus est, & suæ Religioni restitutus, vt eam regeret, & gubernaret (vt postea dicemus.) B

Per hæc etiam tempora adhuc Magister Fr. Petrus de Huetę in Monasterijs suæ obedientiæ, Castellæ scilicet, Portugalliæ, & Bœthicæ (stante sua ad sanctissimam sedem appellatione,) titulo, & nomine Generalis Magistri fruebatur, & quæ veri Magistri ordinis facere solent, ipse in sua iurisdictione operabatur, & exercebat. Vnde vt bonus, & zelator Pastor super gregem sibi, suæq; curæ demandatum, vigilans, lupos rabidos, & nocentes, qui agnos inquietare & bona gregis perdere solēt, ab eo arcere modis omnibus studuit. Diuisione igitur durāte duos Generales habuit Procuratores; vnum in Romana Curia, alterum vero in Curia regia, quos passim de ijs, quæ opportuno indigebāt remedio certiores faciebat. Accidit quod quidam non Religionis, sed iniquitatis filij, & falsi Quæstores, præsertim Frater Ioannes Burgensis, sine licentia eiusdem Magistri vagantes, & Indulgentias ordinis publicantes, bona Redemptionis vsurpabant: quos Magister præ manibus habere non poterat, quia uiribus ad id opportunis destitutus erat. Eam ob caussam suo Generali Procuratori in Romana Curia degenti imposuit, vt suo nomine Sanctissimo supplicaret, quatenus dignaretur præfatorum Quæstorum falso titulo elemosynas Redemptionis petentium, & vsurpantium insolentiam, & temeritatem auctoritate Apostolica reprimere, & refrænare. Cuius supplicationibus Sanctissimus Calixtus Papa tertius inclinatus bullam concessit tenoris sequentis. C

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei; Venerabilibus Fratribus, vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, ac Episcopis, ac dilectis filijs locorum ordinarijs tàm vltra, quàm citra montes vbilibet constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Si ad reprimendas insolentias transgressorum, & temeriariorum refrænandam audaciam, neruus publicæ disciplinæ lentescat, eorum ad peccandum voluntas fit laptior, & exemplum iniquitatis periculosius in alios deriuatur. Propter quod ad Præsidentis officium pertinet sic debitam executionem adhibere iustitiæ, quod commissa iam crimina puniat, & committendorum in posterum audaciam interdicat. Sane lamentabilis dilectorum filiorum Magistri Generalis, & fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorū sub regula Beati Augustini viuentium querela ad nostrum peruenit auditum; quod nonnulli iniquitatis, & inobedientiæ filij præter & contra voluntatem ipsorum Magistri, & Fratrum Quęstas, & elemosynas, ac relicta, & legata pro redemptione Captiuorum de manibus Sarracenorum petere, & Indulgentias ipsi ordini per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas prædicare, seu prædicari facere præsumunt, in præfatæ Religionis damnum, atque opprobrium, perniciosum quoque exemplum, & scandalum plurimorum. Quare pro parte ipsorum Magistri, & fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnes & singulos prædictos, & præcipuè Ioannem Burgensem cum suis adhærentibus, & quoscunque alios pro tempore, in præmissis culpabiles, personaliter capi, incarcerari, & puniri mandare, aliàsque super hoc opportunè prouidere paterna diligentia curaremus. D E

Nos igitur aduersus prædictorum, ac Ioannis, & complicium suorum nefariam temeritatem procedere, & remedium apponere cupientes; ac attendentes quod non decet tales, ac pro tempore pręsumptores absque animaduersione debita relinquere incorrectos: huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni uestræ per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus quilibet vestrum per vos, vel alium, seu alios, præfatum Ioannem, & omnes, & singulos fratres dicti ordinis, & alios tàm clericos, quam laicos, seu cuiuscunque alterius Religionis professores relicta, & legata, quæstas, & elemosynas huiusmodi nùnc, aut

A aliàs quandocumque perpetuò in futurum petentes, & indulgentias ipsas prædicantes, seu prędicari facientes, eisque auxilium, consilium, vel fauorem quouis modo præstantes, cuiuscumque dignitatis etiam Pontificalis, Regalis, Reginalis, Ducalis, ac status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per omnes ecclesias, & loca vestrarum ciuitatum, & Diœcesum quoties, & quando perpetuis futuris temporibus super hoc pro parte ipsorum magistri, & fratrum, seu dilecti filij Petri Lucronen fratris dicti ordinis Beatæ Mariæ (quoties super hoc fueritis requisiti, seu aliquis vestrum fuerit requisitus) excommunicetis, & anathematizetis, ac excommunicatos, & anathematizatos publice denuncietis, & faciatis ab alijs denunciari, eosque personaliter apprehendatis, vocetis, & capiatis, & sub custodia detineatis, & incarceretis; seu apprehendi, capi, detineri, & in
B carceribus mancipari faciatis. Processus quoque reales, & personales contra eos donec veritatem negotij habueritis summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij (sola facti veritate inspecta) formetis, & requisitis à iure præmissis vijs, & modis (prout melius expedire volueritis) ligetis, & compellatis Ioannem, & alios Quæstores, & fautores prædictos ad id super quo Magister & fratres, seu Petrus prædicti vobis, vel alicui vestrum informationem dederint, publice fatendum, cognoscendum, & confitendum.

Et nihilominus præfatum Ioannem cum huiusmodi processu, ac omnibus pecuniarum summis, bonis, & rebus suis, etiam per huiusmodi quæstas, & Indulgentias acquisitis, Magistro, & fratribus prædictis, seu dicto Petro exhibitori præsentium literarum consignetis, vt ipsum Ioannem iuxta criminum, & excessuum exigentiam punire possint. Contradi-
C ctores quoslibet, & rebelles per censuras ecclesiasticas, & alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis (illis præsertim, quæ vestræ possint iurisdictioni in hac parte, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obstare,) ac statutis, & consuetudinibus, etiam municipalibus ciuitatum, & locorum, in quibus idem Ioannes, & sibi fauentes, adhærentes, vel consilium præstantes, reperti fuerint; nec non exemptionibus, & priuilegijs etiam personalibus, realibus, & ciuilibus, libertatibusque, & indultis, eis vel ciuitatibus, seu locis huiusmodi etiam per vos, vel sedem Apostolicam concessis, & concedendis; quibus specialiter & expresse hac vice derogamus, & ad tales non extendi decernimus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datis Romæ apud Sanctum Petrum
D anno incarnationis Dominicæ 1457. sexto idus Iulij Pontificatus nostri anno tertio.

Alias etiam bullas, & litteras Apostolicas hic Summus Pontifex concessit nostro ordini, ut quod clerici sub pœna priuationis suorum beneficiorum non impediant fratres, vel nuncios nostros, eleemosynas quærentes. Sub datum apud vrbem veterem, quarto idus Octobris 1457. anno tertio, incipiente bulla; dispositione diuina, &c. 1457.

Et in alia, sub datum Romæ nono Calend. Maij, sui Pontificatus anno quarto; in qua præcipit, ne possessiones, & bona nostri ordinis molestentur, vt patet ex summario & compendio ex Hispania ad me transmisso. Sed non silentio prætereundum, nec summariè, sed de verbo ad verbum collocandam censeo bullam valde fauorabilem, alijs or-
E dinibus non concessam, quam hic Summus Pontifex (qui in Cardinalitia dignitate constitutus, fuerat (vt dictum est) nostri ordinis specialis Protector, & excellentiam nostri sacri instituti satis nouerat) ex certa scientia nobis concedere voluit; tenoris sequentis.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam super gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitùs creditum intenti, speculatoris officium exercentes erga singulos regulares ordines aciem nostræ considerationis intendimus, & eorum status perspicaciter meditamur. Et quia quorum regulæ laxiores, quorumve arctiores existant ex multis argumentis colligimus, personas illas, quæ de aliquo eorundē, in quo sunt superna vocatione vocati, ad alios ordines leuiter transmigrarunt, & quæ per ambitionis deuium, ab eorum obedientijs temerè recesserunt, ad priorem caulam (si arctior fue-

P rit)

A fortiora remedia, nec non contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscunque dignitatis, status, nobilitatis praeeminentiae, vel conditionis fuerint, etiam si pontificali, regali, reginali, aut alia quauis ecclesiastica, seu mundana dignitate praefulgeant, per censuram eamdem appellatione remota compellant. Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis. Non obstantibus foelicis recordationis Bonifacij Papae VIII. praedecessoris nostri, illis praesertim, quibus cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suae dioecesis, ad iudicium euocetur, seu ne Iudices a sede deputati praedicta, extra ciuitatem, & dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ac alij, vel alijs vices suas committere; seu aliquos vltra vnam dietam à fine dioecesis eorumdem trahere praesumant; ac de duabus dietis in Concilio Generali, & personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus, nec non priuilegijs, in-
B dulgentijs, concessionibus, statutis, decretis, ordinationibus, & alijs literis Apostolicis Monachorum, & Fratrum Mendicantium, & alijs ordinationibus supradictis eorumque Monasterijs domibus, siue locis per sedem praedictam, vel legatos eius, aut alios quoscumque, in genere, seu in specie concessis, quorumcunque tenorum existant; statutis quoque, & consuetudinis eorumdem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; quibus omnibus, & singulis (etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda foret, quod ad hoc illis alias in suo robore permansuris) derogamus expresse, caeterisque contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentio-
C nem. Verum quia difficile foret praesentes literas ad singula mundi loca originaliter posse transferri, volumus, quod earum transsumptis auctenticis, manu publica duorum notariorum subscriptis, & sigillo alicuius Praelati, vel Collegij roboratis, plena fides in iudicio, & extra vbicumque exhibita fuerint, adhibeatur, ac si literae originales forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romae apud Sanctum Petrum anno Dominicae incarnationis 1457 pridie Calend. Nouembris Pontificatus nostri anno 3. 1457.

D Hoc anno 1458 Generalis Magister Frater Natalis Gauer celebrauit Capitulum Prouinciale in Conuentu nostri ordinis Castelli empuriarũ in quo Magister praecepit ex praefata Summi Pontificis bulla, plurima in forma auctentica fieri transsumpta, quae ad omnes Prouincias, & ad principaliora ordinis Monasteria transmitterentur, superioribus iniungendo, ne de facili virtute quarti voti, & strictioris vitae, quam Ordo noster profitetur, ac Summi Pontificis declarationis ex certa scientia, Fratres alterius professionis, & Ordinis, ad nostram Religionem admitterent. Non enim (dicebat) Magister Frater Petrus Huete ex Prouincia Castellae, aliàs bonus, & honestus Religiosus in duritia cordis sui insordesceret, & suo vero Magistro obedientiam praestare recusaret, nisi a fratribus alienae professionis ad nostram admissis, adiuuaretur; qui postquàm suas religiones inquietauerant, & deseruerant, ad nostram molestandam, & turbandam ve-
E nerant. In hoc Capitulo mentio facta fuit de laboribus, & discriminibus, quae in Captiuitate sustinuit praefatus Magister Frater Laurentius Company cum suo socio Fratre Petro Boffet Franciae Commendatore. Eam ob caussam nonnulli scriptores martyrium praedicti Fratris Petri, alio anno accidisse affirmant. Quomodocumque sit, ille fuit gloriosus Christi martyr, qui pro praedicatione Euangelica, & pro fratribus suis animam suam posuit. Cuius Martyrium diuersimodè in nonnullis nostri ordinis coenobijs ob diuersa tormenta, quae passus est, depingitur, & inter alios nostri ordinis martyres collocatus respicitur. 1458.

Hoc eodẽ anno duo celeberrimi & famosissimi Hispani, duo nõie Alphõsi, duo mirifici nři Ordinis speciales Protectores, & defensores, extra patrias suas, ĩ regnis, & ciuitatibus quas sua singulari virtute adepti erãt, nõ sine magno totius orbis dolore, ĩ Italia mortui sunt. Alphõsus

quintus Aragonum Rex in Castro nouo regni Neapolis quod adeptus fuerat, animam egit, quarto Cal. Iulij, & cũ nullos haberet legitimos filios, successit ei in regno Neapolitano Ferdinandus Dux Calabriæ, filius illegitimus; Aragonum verò & Siciliæ Regna, & cæteros Principatus reliquit Ioanni Regi Nauarræ fratri suo, sicut Pater eorum Ferdinandus, suo testamento mandauerat. Hic est Ioannes secundus, Aragonum Rex, nostri sacri ordinis studiosissimus, vt ex sequentibus, & dicendis patebit. Alter vero Alphonsus Hispanus, memoria æterna dignus, fuit ille sanctissimus simulq; strenuissimus Princeps, Calixtus Papa tertius, qui licet corpore imbecillus, & valetudinarius, fuit ita animo & mente valens, vt contra maiores, & tunc Christiani nominis fortiores inimicos, infestissimos Turcas, bellum parauerit, & eos vexauerit, ac calamitates magnas huiusmòdi hostibus intulerit; Qui obijt Romæ octauo Idus Augusti cum sedisset annos tres, & menses quatuor. Alphonso Regi successit Ioannes secundus, & Calixto Papæ Pius similiter secundus, qui antea vocabatur Æneas Siluius Picolominæus, Italus Senensis, præsbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Sabinæ, ab eodem Calixto Cardinalis creatus. Qui Summus Pontifex suorum præcedessorum vestigia sequendo Religionem nostram gratijs & fauoribus prosequutus est. Et sic hoc eodem anno quo Pius secundus creatus est, indulgentias, gratias, & priuilegia a Romanis Põtificibus, suis prædecessoribus nostro ordini indulta; similiter Sæcularium exactionum exemptiones Apostolica auctoritate confirmare voluit; cuius bullæ tenor talis est. A B

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs magistro & fratribus Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum, ad Romanam curiam nullo medio pertinentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus C grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates tam a fælicis recordationis Bonifacio octauo, quam Alexandro quarto, Nicolao tertio, Clemente sexto, Gregorio xj. Martino quinto, Eugenio quarto, Nicolao quinto, Calixto tertio, Prædecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, siue alias indulgentias, vobis, & dicto ordini concessas, (quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum insertæ fuissent;) necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum, a Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & præfato ordini indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem ordini auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & D beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romæ apud S.
1458. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1458 Pontificatus nostri anno I. Iam Religiosus lector audiuit Summi Pontificis Pij II. bullam, gratias nostras confirmantis, audiat modo (quæso) priuilegium Ioannis secundi, Aragonum Regis, nostri ordinis Patroni, nostro sacro de redimentis Captiuis instituto valde fauorabile, quod est tenoris sequentis.

Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Nauarræ, Siciliæ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rossilionis, & Ceritaniæ; Reuerendis, & venerabilibus in Christo Patribus, & Religiosis viris, Archiepiscopis, Episcopis, Commissarijs, siue Legatis per sedem apostolicam deputatis, & deputandis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Sacristis, Rectoribus, Vicarijs, & alijs quibuscunque ecclesiasticis Personis; nec non illustribus, spectabilibus, magnificis, nobilibus, & ægregijs Consiliarijs, & fidelibus nostris, dilectisque quibusuis; Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, militibus, & generosis Personis, ciuibus, & burgensibus, cæterisq; subditis nostris, vniuersitatibus, & hominibus ciuitatum, villarum, castellorum, atq; locorum ditionis nostræ, Viceregibus, insuper vicegerentibus, gubernatoribus, Bayulis generalibus, & localibus, Procuratoribus regijs, Secretis Iustitijs, Vicarijs, Cameldinis Marinis, Consiliarijs, Consulibus, Iuratis, alijsq; vniuersis, & singulis officialibus nostris intra dominium nostrum vbiq; constitutis, & dictorum officialium loca tenentibus, vel ipsa officia gerentibus, præsentibus, & futuris ad quos pręsentes peruenerint, seu fuerint præsentatæ salutem, & dilectionem. Et si multa sunt, ex quibus Reges, & Principes in cęlum vsq; pręcipuis laudibus efferuntur, nihil tamen ad immortalem gloriam illius comparandam charius habere possunt, quam si ea, quæ a maioribus suis in chari- E

rita-

A ritatis virtute constituta, & fundata sunt, pro viribus studeant magis, ac magis in dies nedum protegere,& confirmare,sed augere,& ampliare. Considerantibus igitur nobis quemadmodum Religiosissimus,ac Christianissimus Ordo,approbataq; religio Beatę Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum, per Serenissimos Prędecessores nostros memoriæ recolendæ eximia Caristi deuotione effectus, ad Captiuos Christianos redimendos erectus, creatus, atq; fundatus & per Sedem Apostolicam illiusq; beatissimos Præsidentes extitit confirmatus; ad hunc finem successiuis temporibus Fratres ipsius religionis inter Christi fideles, elemosynas, legata, quæstus, aliaq; charitatiua dona faciant, petant, exigant, colligant, atque requirant; quærenda siquidem, & eroganda in redemptionem ipsorum Captiuorum, quos Agarena,& Maurorum perfidia tenet miserabiliter Captiuatos; nec alijs quibusuis Personis, laicis, clericis, seu cuiuscunque alterius religionis Professoribus similes elemosynas, legata, charitatiua dona recipere, quęrere, petere, vel requirere licitum, vel permissum, prout B in priuilegijs tam publicis, quam regalibus plenius continetur; de quibus nobis facta est fides ocularis,& in eis vidimus contineri. Et quoniam conquestione Religiosi, & dilecti nostri Fratris Natalis Gauer in sacra pagina professoris, ac Generalis Magistri,& Commẽdatorum, & Fratrum dicti ordinis accepimus ab aliquibus citra temporibus, nonnulli qui se dicunt cõfratres Confratriæ Sancti Elmi, tam in Ciuitate Barchinonæ, quàm alibi per diuersas ecclesias, & loca principatus Cathaloniæ, nec non quam plures alij, non modo in dicta ciuitate, sed in aliis regnis, ciuitatibus,& terris, villis, castrisq; nostri Dominij, elemosynas cũ patera siue Bacinis requirunt, atq; petunt, illasq; atq, etiam quam plura, Quæstus, legata, charitatiua dona recipiunt, & congregant pro redemptione (vt asserunt) Captiuorum; quibus quidem elemosynas ipsas, & alia petentibus, & recipientibus vos, seu aliquis vestrum aditum præstatis, & patienter tolleratis, vt in ciuitatibus, villis, & locis tam nostris, quàm alijs quas C possidetis, eorumq; Ecclesijs elemosynæ ipsę, & alia prædicta per eosdem Confratres, & alias personas petantur, & requirantur, quæ omnia redundant proculdubio in præiudicium, iacturam, & eneruationem priuilegiorum eiusdem ordinis, siue religionis & illius desolationem. Volentes præterea, vt pius pater ipsum ordinem, seu Religionem ita laudabiliter,& piè per nostros Prædecessores introductam, institutam, & fundatam, atq; erectam in omnibus conseruare, nec pacto aliquo tolerare, quod si prædicta per nos, qui huiusmodi Sanctissimæ religionis Protectores, & defensores sumus; tolerarentur, & alij ad consequentiam trahentes similia,& alia maiora introducerentur, & penitus præfata Sacra Religio per nostros fundata penitus euelleretur, & priuilegia eidem ordini, & religioni concessa aliquatenus infringerentur, seu infringantur, vel nimiam suscipiant sinistram interpretationem; sed circa illorum obseruantiam penitus intendentes, considerantesque dudum, quidem Bernardus D Parato Presbyter Regni Maioricarum instituere velle, seu ordinare quandam Confratriam sub nomine, seu inuocatione Hebdomadæ Sanctæ, vt illius Confratres elemosynas requirere possent pro ipsis Captiuis redimendis, pariterq; licentiam à Serenissimo Domino Rege Petro proauunculo nostro memoriæ recolendæ, pro ipsa Confratria instituenda, eidem Bernardo Parato fuit super petitis, vel super suppositis impositum silentium sempiternum; prout in sententia olim data Barchinonæ die 26. Augusti anno Domini 1370 nobis exhibita auctentice plenius continetur.

Aduertentes præterea quod ex quo nonnulli, qui se fratres Sanctissimæ Trinitatis cognominabant,& alij quamplures elemosynas, & alia charitatiua dona cum Pateris siue Bacinis publicè per Ecclesias, & alias a Christi fidelibus, pro ipsorum Captiuorum redemptione petebant, & requirebant, facta de his per eundem ordinis Magistrum Genera- E lem querelosa insinuatione Serenissimo Domino Ioanni, Régi Aragonum proauunculo nostro memoriæ recolendæ, fuit per eum iustissimè prouisum; vt dicti Fratres Sanctissimæ Trinitatis, alijq; ipsas elemosynas petentes, de cæterò similia non attentarent, nec per officiales regios, hæc eis aliquantulum pertinerent; sed Fratres de Mercede ipsas elemosynas, & charitatiua dona reciperent; & pateram, siue baccinum in singulis Ecclesijs retinerent; prout in prouisionibus eiusdem Regis Ioannis, dat. Barchinonæ 10. die Aprilis anno Dominico 1387 nobis exhibitis plenius continetur. Inhęrentes præterea huiusmodi Regum sententiæ,& prouisionibus, habitis primitus pro reuocatis, cassis, irritis, atq; nullis quibusuis priuilegijs, rescriptis, & prouisionibus, sub quacunq; forma,& expressione verborum,& clausulis quantumcunque derogatorijs eisdem Confratribus Confratriæ Sancti Helmi, & eius Rectoribus per nos, seu per Prædecessores nostros concessis, quæ hic haberi volumus, &

& iubemus pro penitus insertis, &c. prout illa, ac illas tenore præsentium scienter, & proprio motu, deliberatè, & consultè reuocamus, irritamus, & annullamus, ac viribus, & efficacia vacuamus, tamquam facta, concessa, & emanata in præiudicium, & iacturam eiusdē ordinis, seu Religionis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum. Requirendos, & hortandos ex vobis requirimus, & hortamur; vobisque cæteris alijs, & vnicuique vestrū de eadem certa scientia, & proprio motu, & expresè dicimus, & districtè præcipiendo mandamus ad pœnam quinque mille florenorum auri de Aragonia nostris erarijs irremissibiliter inferenda, quatenus acceptis præsentibus, de cætero nullo pacto patiamini, vel permittatis eosdem Confratres Confratriæ Sancti Helmi, & illius Rectores, vel alios quosuis Confratres cuiusuis, & alterius Confratriæ, vel alias quasuis Personas regulares, Ecclesiasticas, vel laicas (cuiusuis religionis, siue ordinis, & conditionis existant) dictas elemosynas, Quæstus, charitatiua dona, atque legata, in quibusuis nostri dominij ciuitatibus, terris, villis, atque locis, & illarum Ecclesijs cum eisdem pateris, siue baccinis, aut aliter quærere, requirere, exigere, congregare, atque recipere pro eisdem Captiuis vniuersaliter, vel particulariter redimendis, vel alias quouis modo, (etiam si dicti Captiui fuerint forsan à dicta Captiuitate liberati, & pecuniam eorum redemptioni per mendicata suffragia petierint,) quinimmo illis similia faciendi interdicatis, & prohibeatis, prout nos interdicimus, & prohibemus serie cum præsenti, Sed ipsas elemosynas, Quæstus, charitatiua dona, legata, laxias, & ad dictorum Captiuorum redemptionem misericorditer largienda cum baccinis, & alias per eosdem fratres ordinis, siue Religionis prædictæ, vel quos duxerint ordinandos, & per nullos alios in tota ditione nostra peti, quæri, Congregari, exigi, atque recipi sinatis, & permittatis, tam in ecclesijs, quàm alibi earumdemque ciuitatum, villarum, atque locorum omnibus, & singulis diebus, præsertim Dominicis, atque fœstiuis liberè & absque aliqua sinistra interpretatione, obstaculo, vel conditione. Itaque Pateræ, siue baccini eiusdem ordinis ad dictos Captiuos redimendos post pateras proprias quarumlibet ecclesiarū in ordine veniant, & sequantur.

Et vbi plures quam duo baccini pro elemosynarum elargitione ordinati fuerint, baccinus pro elemosynis faciendis pro redemptione dictorum Captiuorum deputatus, & per fratres, seu nuntios eiusdem ordinis ordinatus, tàm diebus Dominicis, fœstiuis, quàm non fœstiuis, sit, & esse debeat in ordine secundus; sibique solum baccinus illius ecclesię, & non plures, vel alij præferantur.

Item primus in ordine sit, & esse debeat omnibus alijs baccinus pro redemptione ipsorum Captiuorum deputatus, & de cætero deputandus; adeò vt latior baccinus ipse in dicto ordine positus cum sit, fidelium manus promptis elemosynis sentiat adiutrices. Quo fit vt ipsis crescentibus elemosynis facilius, & liberius liberationi dictorum Captiuorum prouideatur. Cæterum ad maioris gratiæ cumulum eodem tenore præsentium, proprio motu de dicta nostra scientia, & deliberatione, ea omnia tàm per summum Pontificem, quàm per Serenissimum Regem Alphōsum fratrem nostrum memoriæ celebris, & eius prędecessores memoriæ diuæ, & per nos tunc eius Locumtenentes Generalem, tanti pij operis & charitatis laudabili respectu mox ordini, & religioni, quam plura priuilegia, bullas, & rescripta, benigniter concessa fuere; cupientes tanti meriti, & pij operis, atque charitatis officij participes esse; quique vestigia Domini Regis fratris nostri, & prædecessorum suorum, atque nostrorum serie præsenti laudantes, approbantes, ratificantes, & confirmantes protectiones emparamenti, & salua guardiæ, cartas, donationes quascumque, & aggregationes siue dicto ordini, & Religioni, Magistro Generali, & Priori, & Conuentus Barchinonæ Conuentualibus, Prioribus, & alijs fratribus, Aduocatis, Procuratoribus, operarijs, familiarijs, Baccinerijs, Acaptatoribus, & alijs ministris, & seruitoribus suis; & omnia alia priuilegia, rescripta, per nos, & per Serenissimum Regem patrem nostrum, & eius prædecessores, & nostros concessas, & indulta (quæ hic volumus haberi pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad uerbum inserta fuissent) quæ omnia etiam ad cautelam de nouo confirmamus, & approbamus, concedimus, atque damus pro maiori vtilitate tanti pij operis, & charitatis augmento. Et vt prædicti Priores, Vicarij, Commendatores, Fratres, Prędicatores, Procuratores, Nuntij, Baccinerij, Acaptatores, & alij Ministri, & aliæ Personæ dicti ordinis, & Religionis, qui per venerabiles, & Religiosos, & dilectos nostros Magistrum Generalem, aut alios Commendatores, seu Priores dicti ordinis ad hæc constituti, missi, & deputati, seu ordinati sint, & pro tempore fuerint; quandiu in vsu, & ser-

A seruitio prædictorum manserint, & donec inde amoti fuerint, sint franchi, liberi, & immunes; eosque liberos, & immunes facimus, tamquam familiares & commensales nostros ab omni solutione, & præstatione Bari, Pontagij, Portalagij, Lezdæ, Barchæ, ac Marchæ, pro quibus nil soluere teneantur. Liceatque eis arma prohibita ad defensionem Personarum suarum deferre de die, & de nocte, & tam in loco honesto, quam inhonesto (prohibitionibus, & ordinationibus quibuscumque in contrarium factis, & fiendis, atque pœnis in eis adiectis nequaquam obstantibus.) Volumus etiam quod sint franchi, & exempti ab omni hoste, exercitu, & caualcatura, & redemptione eorumdem; & quod nullos possit ipsos arreptare ad aliquod officium ciuitatis, villæ, seu loci recipiendum, vel regendum. Quare vobis dictis officialibus nostris dicimus, & mandamus quod protectionem guidaticũ, custodiam, franquitatem, & immunitatem, & alia omnia & singula supradicta, & in priuilegijs, & gratijs prædicto ordini, & Religioni concessis tàm per nos, quam per quosuis Prædecessores nostros memoriæ celebris, & omnia & singula in eis contenta, & supradicta, (uti si hic de verbo ad verbum essent expressa) firmiter obseruando, & faciendo inuiolabiliter obseruari, dictis Procuratoribus, Prædicatoribus, Nuntijs, Baccinerijs, & Acaptatoribus, Collectoribus, & alijs ministris, & seruitoribus, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint ordinis supradicti, in, & super prædictis, & in diuersis priuilegijs dicto ordini, siue Religioni concessis (vt supradictum est) opem, operam, consilium, & fauorem præstetis, si, & quando, & quoties per eos, vel aliquem, vel aliquos ex eisdem fueritis requisiti. Nec non eos manuteneatis, & defendatis, & præseruetis, & præseruari faciatis de grauaminibus, & de impedimentis, ac iniurijs quibuscumque. Volentesq; etiam, & vobis expressè iniungentes, quod ipsius Confratriæ S. Helmi dictæ ciuitatis Barchinonæ Confratres, atq; Rectores, & alios etiam quoscumq;, qui ad dictorum Captiuorum redemptionem, elemosynas petierint, & illas, atque etiam legata, Quæstus, & alia dona charitatiua receperint, & exegerint, ad dandum, atq; reddendum eidem Generali Magistro, seu Priori, & Fratribus Conuentus dictæ ciuitatis Barchinonæ, aut Commendatori si in territorio alicuius commendæ interueniat, seu eorum legitimo Procuratori, & sic in singulis regnis nostris, computum, & rationem de exactis, habitis, atq; receptis (iunctis remedijs) compellatis, & astringatis à die videlicet, quo dictas incæperint petere elemosynas, & legata, & alia charitatiua dona recipere, & Congregare, vsq; in diem redemptionis dicti computi. Et ipsa ratione reddita, si quid ex perceptis, aut exactis retinuerint, illud quantumcumque fuerit eidem Generali Magistro, siue ordini, & Religioni, & illius Rectoribus, & Priori Monasterij, & Conuentus eiusdem ciuitatis Barchinonæ, vel Commendatoribus, vel dicti ordinis Collectoribus, singula singulis Prioribus dicti ordinis, vel Collectoribus singulorum Regnorum nostrorum referendo, D vel eorum Procuratoribus reddi, & restitui, atq; assignari faciatis simpliciter quidem, summarie & de plano, sine strepitu, & figura Iudicij sola facti veritate attenta, malitijs, & subterfugijs omnibus resecatis; vt proinde dicta exacta, atq; percepta conuerti possint per ordinem sæpe dictum, & Rectores, & alios in his ordinatos in dictorum Captiuorũ redemptionem. Valentes etiam, & decernentes expresse, scienter, motu proprio, & consultè, quod si forte de cætero aliqua priuilegia, literas, aut prouisiones a nobis, & nostra curia emanari cõtingat, aut cum quibusuis clausulis quantumcumque derogatorijs, ac nostræ prouisioni fortè contrarias, vel derogatorias, etiam si in eis tenor præsentium esset insertus, habeantur, & reputentur pro nullis, & irritis, & inaduertenter emanatis; neq; earum prætextu aliquid contra eundem ordinem possit fieri, & ad executionem deduci; nisi ex ipsis priuilegijs, literis, & prouisionibus impetrandis, & emanandis apparuerit eundẽ Magistrum Generalem, E vel eiusdem ordinis, & Religionis Procuratorem, vel Procuratores fuisse in illorum emanatione personaliter vocatos, & plenè auditos. Et de cætero si emanauerint, vel fuerint expedita, illa pro cassis, reuocatis, irritis, atq; nullis habemus, & reputamus. Sic enim in fauorem tanti pijssimi operis iustitia suadente, & pro obseruantia priuilegiorum eiusdem ordinis fieri volumus, atq; iubemus. Neq; contrarium præmissorum faciatis, uel fieri permittatis pro quanto gratiam nostram charam habetis, iramq; & indignationem, & pœnam præscriptam cupitis non incurrere. Dat. Barchinonæ 10. Ianuarij anno a Natiuitate Domini 1459. Iacobus Cant. Bernardus Auditor ex alia simili iam expedita, quæ visa fuerat per Thesaurarium, & villa Aduocatum fiscalem. 1459.

Per hæc tempora floruit ille sapientissimus vir, nunquam satis laudatus, in artibus, & Philosophia, & in Sacra Theologia Magister Frater Petrus Citiarij, seu ut alij volunt Cijar,

seu Cixar, Commendator meritissimus Sancti Lazari Ciuitatis Cæsaraugustæ. In cuius regimine fuit satis prudens, valde solers, atque diligens. Qui non solum in obseruantia A
regularis disciplinæ, sed in sacræ scripturæ, & Theologiæ lectura subditos suos docendo A
diligentiam adhibuit magnam.

Fuit in disputationibus doctor subtilis, & in responsionibus ad obiectiones aduersariorum valde acutus, & promptus, ita vt auditores in admirationem raperet. Nonnulla opuscula in lucem edidit, in quibus veridicum, Religiosum, atque doctum se auctorem ostendit; sed temporis iniuria, nullum aliud, (quod ego sciam) tanti viri reperitur opus, præter opusculum illud admodum celebre, quo memoriam perpetuam suo nomini comparauit, cui Titulus est; opusculum tantum quinque per conclusiones de perfectione nostri instituti, & non-
1460. nulla alia quæ enarrant nostri scriptores, & Magister Zumel. Et licet deinceps pluribus superuixerit annis, vt ex sequentibus patebit, hoc anno 1460 de eo facere mentionem volui; quia a Magistro ordinis in Romanam Curiam destinatus, honorem sibi, & non modicum B
commodum vniuerso ordini nostro comparauit. Romæ enim disputando, & arguendo in publicis vrbis locis, & Monasterijs Purpuratos Sacri Collegij Patres, & aliorum ordinum, & status Doctores, & prestantes viros stupore, & admiratione repleuit; apud eosque in magna æstimatione habitus est; maximè apud Fratrem Alexandum de Oliua virum doctissimũ, sanctimonia præditum, Augustinianæ familiæ Priorem Generalem, S. R. E. dignissimum Cardinalem Sanctæ Susanæ. Qui cum esset paupertatis amator, & charitate incensus Religiosos aduenas, scientia condecoratos mirificè diligebat, & facultatibus suis adiuuare solebat. In oculis igitur tanti Ecclesiastici Principis Frater Petrus Cixar gratiam, & fauorem adinuenit. Quo intercedente, & Fratre nostro instante Summus Pontifex Pius Papa Secundus, inserendo de verbo ad uerbum plures valde fauorabiles suorum prædecessorum bullas, eas confirmat. Cuius Pij Papæ Secundi bullæ tenor talis est. C

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ad fructus vberes quos sacer Ordo, Beatæ Mariæ de Mercede Captiuorum, in agro militantis Ecclesiæ, pia institutione plantatus, velut arbor bona produxit hactenùs, & producit, nostra consideratione intuitum extendentes, ac repetentes animo; quod dicti ordinis professores circa redemptionem miseræ conditionis fidelium, quos dura sors in Infidelium seruitutem adegit, operas suas iugiter impendendo, & bona sinceris mentibus exponendo, incessanter laborare non desinunt; dignum dicimus, vt eorum petitiones in his præsertim per quæ Indulgentiæ, immunitates, & gratiæ, eis a Sede Apostolica concessæ nostræ confirmationis super addito robore diutiùs perpetuari, & subsistere valeant, ad exauditionem gratam fauorabiliter admittentes. Sane dudum Bonifacius Octauus, & Alexander IIII. ac Clemens VI. & Martinus V. necnon Gregorius XI. & Eugenius IIII. Romani Pontifices, prædecessores nostri, pro fœlici statu, & amplificatione dicti ordinis tunc Magistro, & fratribus D
eiusdem ordinis varia priuilegia, Indulgentias, & literas Apostolicas concesserunt; quas postmodum piæ memoriæ Calixtus Papa III. etiam Prædecessor noster immediatus per suas literas ex certa scientia confirmauit, & approbauit, ac in eisdem literis de verbo ad verbum inseri fecit, prout in illis plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum moderni Magistri necnon præceptorum, & fratrum dicti ordinis nobis humiliter fuit supplicatum, vt omnibus, & singulis Indulgentijs, & gratijs, alijsque in dictis literis contentis pro illorum omnium subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adijcere, & vt illa viribus perpetuo subsistant, decernere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui præfatum ordinem, & personas eiusdem propter pia ipsorum opera gerimus in visceribus charitatis; quinque dictarum literarum tenores diligenter inspici, & E
examinari, ac præsentibus de verbo ad uerbum (subscriptionibus, & caractenbus duntaxat omissis) similiter inseri fecimus, huiusmodi supplicationibus inclinati Indulgentias, & gratias, & alia quæcumque in dictis literis contenta, rata habentes, & grata illa omnia, & singula, ac easdem literas cum omnibus in eis contentis clausulis auctoritate apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere, & perpetuo viribus subsistere decernimus; mandantes contenta in eis perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruari. Itaque illis, vel eorum effectui per quasuis alias apostolicas, aut sedis Apostolicæ legatorum literas, (quorumcumque tenorum fuerint, & quascumque in se derogatorias clausulas continentes) derogari nõn possint, nisi de præsentibus de verbo ad

ver-

A verbum, & earum data, ac Magistri dicti ordinis existentiam, nomine & cognomine facta fuerit mentio specialis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis cæterisque contrarijs quibuscumque. Tenores vero dictarum literarum tales sunt.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, dispositione diuina (quamuis immeriti) Dominico Gregi Præsidentes &c. in qua bulla Calixti continetur bulla Bonifacij VIII. quæ sic incipit, querelam grauem suscepimus &c. Sub datum apud vrbem veterum 4. idus Octobris sui Pontificatus anno 3. Bulla etiam Alexandri IV. Quæ sic incipit; prout scriptura testatur &c. Sub datum Perusij quinto nonas Maij, sub Pontificatus anno quarto. Bulla etiam Clementis Sexti, quæ sic incipit; non obstantibus constitutionibus, &c. Sub datum Romæ quinto nonas Octobris sui Pontificatus anno 4. Alia
B etiam bulla eiusdem Clementis, quæ sic incipit, licet indigentibus vniuersis &c. Sub datum Romæ 3. idus Maij sui Pontificatus anno 3. Bulla etiam Gregorij xj. quæ sic incipit; Tenorem quarundam literarum. Sub datum Auenioni octauo idus Ianuarij, sui Pontificatus anno 4. In qua bulla inserta est de verbo ad verbum bulla Nicolai Quarti, sub datum apud vrbem veterem duodecimo Calen. Augusti, sui Pontificatus anno 4. In bulla etiam Calixti III. inserta est bulla Martini Quinti, quæ sic incipit; ex apostolicæ Sedis prouisione. Sub datum Romæ 15. Calen. Maij anno quinto. In qua Martini Quinti bulla inserta est de verbo ad verbum bulla Clementis Quarti sic incipiens, si iuxta sententiam sapientis. Sub datum Viterbij 3. nonas Nouembris Pontificatus sui anno 3. In eiusdem Calixti III. literis inserta est etiam bulla Eugenij Quarti, quæ sic incipit; Cum a nobis petitur, &c. Sub datum Bononiæ 1425 quinto nonas Octobris anno sui Pontificatus sexto. Data vero
C bullæ Calixti III. præfatas bullas continentis, fuit Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini 1455. quatuordecim Calen. Ianuarij sui Pontificatus anno primo, vt ad eum annum adnotauimus. Pius vero Papa secundus approbando, & confirmando tàm Calixti, quàm cæterorum suorum Prædecessorum literas apostolicas cum earum insertione sic terminat bullam suam. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, confirmationum, approbationum, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1461. quinto idus Iunij Pontificatus nostri anno 3. 1461.

In quodam compendio bullarum, & literarum apostolicarum de ordine Reuerendissi-
D mi generalis Magistri Monrroy ex Prouincia Castellæ extracto, & ad me dum in Romana Curia moram trahebam, trasmisso, inter alia continetur; qualiter Sanctissimus Pius Secundus confirmauit ordinationem factam ad fauorem Prouinciæ Castellæ; quod videlicet Commendatores Monasteriorum Guadalaxaræ, Vallisoleti, Ispalis, & Huete vocem haberent in Capitulo Generali. Quod nullus quacumque dignitate præditus, bona ex vna Prouincia extrahere, & ad aliam transportare auderet. Quod medietas bonorum Commendatorum decedentium Redemptioni Captiuorum applicari deberet. Et denique quod monasteria Regnorum Prouinciæ Castellæ, & Portugalliæ solus Prouincialis, aut Deffinitores eiusdem Prouinciæ visitare deberent. Sub datum Romæ idus Iunij 1461. sui Pontif. an. 3. 1461.

Cum Ioannis secundi Aragonum Regis priuilegium, (quod audistis,) valde fauorabile, per Magistrum ordinis Gauer in dominio eiusdem Regis Solertissimè publicari ordinaretur, &
E omnes cuiuscumque dignitatis, status, & conditionis, domini Regis voluntatem, & quo nostrum institutum speciali amoris signo, & singularibus fauoribus amplectebatur, attenderent, nullus erat a maximo vsque ad minimum, qui totis suis viribus operi Redemptionis non faueret. Vnde breui temporis spatio in Barchinonensi Monasterio ingens pecuniarum summa aggregata est; quæ a magistro Gauer consignatæ fuerunt discreto Viro Fratri Gregorio Cors in Sacra pagina licentiato; qui a Magistro benedictionem, & a Sancto viro Fratre Laurentio Company literas commendatitias recipiens, suos in Sarracenorum terras, & Africæ partes, gressus direxit. Vnde Deo opitulante 184. Christi fideles a misera seruitute redemit. 1462. *Liber. 184.*

Ad Prouinciæ Aragoniæ æmulationem, Castellæ Regna ex pecunijs in Monasterio Vallisoleti pro redemptione Captiuorum depositis suam similiter liberationem fecerunt, redemptoribus, (vt ferunt) Fratre Christophoro, seu Martino de Solis, & Fratre Alphonso Perero, qui ex terris a Mauris in Hispania, & Africa possessis 186. Christianos redemerunt. *Liber. 186.*

Floruit per hæc tempora perdoctus vir Frater Paschasius Martinez. famosus verbi Dei concionator, & in sacra pagina celebris doctor. Magno pretio ob suas singulares virtutes apud magnates æstimabatur, maxime apud Ferdinandum Neapolis Regem, qui libenter eum concionantem audiebat, & pro Monasterio nostri ordinis Sanctæ Mariæ de Pace in eadē Neapolis Ciuitate sito, (cuius præfatus Paschasius fuit Cōmendator) magnos & singulares fauores cōtulit. Et inter alios cōcessit ei amplissimā in Neapolitano regno per se vel suos Procuratores, & Nūtios elemosynas a Christi fidelibus pro Captiuorū redemptione petendi, procurandi. Qua regia facultate non contentus, vt maiori reputatione, & redemptionis commodo, atque vtilitate, Nuntij, & Procuratores a se, ad elemosynas petendas destinati possent elemosynas quærere, ac nostrum institutum publicare, scripsit nobili, & discreto viro Alphonso de Hermes decretorum Doctori, suo in Romana Curia Procuratori, vt apostolicas bullas ad fauorem nostri ordinis concessas, in forma autentica ad se transmitteret. Ad cuius preces Reuerendissimus Dominus Cameræ apostolicæ Auditor literas concessit tenoris sequentis. B

In nomine Domini amen. Nouerint vniuersi & singuli præsentes literas, seu præsens publicum transsumpti instrumentum lecturi, visuri, & audituri, qualiter nos Iacobus Mucarellis de Bononia vtriusque iuris doctor, Basilicæ principis Apostolorum de vrbe Canonicus, Domini nostri Papæ Capellanus, ipsiusque, ac eius cameræ, neq; non curiæ caussarum Cameræ apostolicæ Generalis Auditor ad venerabilis Fratris Paschasij Martini Prioris Beatæ Mariæ de pace Neapolis ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum instantiam, omnes & singulos quorum interest, intererit, aut interesse poterit in futurum, eorumque Procuratores, si qui essent in Romana Curia pro eisdem, ad videndum, & audiendum quoddam sumptum ex registro Magnifici viri Domini Georgij de Piccolominibus, Domini nostri Papæ Secretarij extractum, clausum, & sigillatum (vt moris est) produci, & postquam fuerit productum, recipi iuramētum, & adiurandum admitti nonnullos testes idoneos, super recognitionem sigilli dicti sumpti in cera rubea impressi; & postquam sigillum huiusmodi recognitum fuerit, ipsum sumptum aperiri, & exemplari, & transsumi, & in publicam transsumpti formam redigi mandari, nostramq; & dictæ curiæ caussarum Cameræ apostolicæ auctoritatem ordinariam (vt moris est) interponi; vel ad dicendum caussam, si quam habent rationabilem, quare id fieri non debeat; allegandum, per audientiam publicam literarum contradictarum Domini nostri Papæ; citari mandauimus, & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem, & horam infrascriptas. Quibus aduenientibus comparuit in iudicio coram nobis venerabilis vir Dominus Alphonsus de Hermes decretorum Doctor, Clericus Conchēñ Diœcesis dicti Fratris Paschasij Prioris Procurator assertus, & certam dictæ audientiæ citationis schedulam in ipsa audientia lectam, debite exsecutam facto representauit, citatorumque in eadem contentorum, non comparentium contumaciam accusauit, ipsosque contumaces reputari; & in eorum contumaciam quoddam sumptum de registro dicti Domini Georgij Secretarij (vt præfertur) extractum, clausum, & sigillatum exhibuit, & nonnullos testes idoneos super recognitionem dicti sigilli in ipso sumpto impressi, produxit, quod ad iurandum compelli, & admitti super huiusmodi recognitionem; neque non postquam sigillum huiusmodi recognitum fuerit, prædictum sumptum per nos, seu de nostro mandato aperiri, & ipsum transsumi, & exemplari; & in publicam transsumpti formam redigi mandari, nostramque & dictæ curiæ caussarum Cameræ Apostolicæ auctoritatem ordinariam pariter & decretum (vt moris est) desuper interponi per nos, instanter postulauit. C D

Nos Iacobus Auditor præfatus dictos citatos, & non comparentes &c. reputauimus meritò (exigente iustitia) contumaces: & in eorum contumaciam huiusmodi sumptū sic (vt præmittitur) clausum, & sigillatum de dicti Domini Alphonsi de Hermes manibus, ad manus nostras recepimus, vidimus, tenuimus, palpauimus, & diligenter inspeximus sanum, & integrum, non vitiatum, non cancellatum, neque in aliqua sui parte suspectum; sed omni prorsus vitio, & suspitione carens reperimus; ipsumque productum primitùs nonnullis testibus fide dignis de, & super recognitionem sigilli in dicto sumpto impressi, per nos admissis, & forma iuris iuratis, & interrogatis, sigillum huiusmodi debitè (vt moris est) recognouerunt per prouidum virum Magistrum Ciacium de Viterbio dictæ curiæ caussarum Cameræ Apostolicæ notarium infrascriptum aperiri, & E

post-

A postquàm apertum fuerit transsumi, & exemplari, & in publicam transsumpti formam redigi, ac de verbo ad verbum debitè collationari, & fideliter auscultari mandauimus, & fecimus. Cuius quidem transsumpti tenor sequitur, & est talis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ad fructus vberes &c. vt supra ad annum 1461. Sumptum de registro literarum apostolicarum de mandato Domini nostri Pij Papæ Secundi apud me registratarum, collationatum concordat. G. de Piccolominibus. Quibus omnibus, & singulis supradictis in eodem iudicio coram nobis, tamquam Romanæ Curiæ iudice ordinario ritè & legitimè celebratis, atque factis nos Iacobus auditor præfatus nostram, & dictæ curiæ caussarum Cameræ Apostolicæ ordinariam auctoritatem interponimus, pariter & Decretum. Volentes nihilominus, ac B auctoritate nostra, ac dictæ Curiæ decernentes, quod huiusmodi transsumpto publico in iudicio, & extra iudicium vbicumque locorum exhibitum, & productum fuerit, de cetero detur, & adhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta ipsi sumpto originali coram nobis (vt præfertur) exhibito, atque producto, ac superius de verbo ad verbum fideliter collationato, & auscultato data fuit, & adhibita, ac daretur, & adhiberetur, si in medium produceretur. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes literas, siue præsens publicum instrumentum huiusmodi, nostrum transsumptum in se continentes, seu continens exinde fieri, & per præfatum magistrum Cincium Notarium scribi, & publicari mandauimus, sigillique proprij dictæ curiæ, quo vtimur iussimus, & fecimus appensione communiri. Datis & actis Romæ apud S. Petrum in palatio caussarum apostolico, in quo iura reddi solent; nobis inibi mane horæ audientiæ caussarum consueta ad iura reddendum, & audiendum pro tribunali sedentibus; sub anno a Natiui-
C tate Domini 1463 indictione vndecima, die vero veneris tertia mensis Iunij Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Dñi, Domini nostri Pij diuina prouidentia Papæ II. anno 5. 1463.

Floruit per hæc tempora grauissimus Pater, illustris Dominus, admodumque Reuerendus, ac perdoctus in Sacra Theologia Magister Frater Gomesius de Bosega, natione Hispanus, ex Cantabria, qui in plurimis Hispaniæ partibus diu fuit præceptor, & famosus Cathedraticus. Per nonnullos annos philosophiam, & deinde prçclarè super sententiarum libros cum mirifico scholasticorum fructu legit, & docuit; sed concionandi munus, & in eo exercendo gratiosus lepor famosiorem ipsum effecerunt, & Ioannis Nauarrç Regis animum ita mouerunt, vt ascitum plurimis fauoribus prosecutus sit eum. Quem Concionatorem, regiumque Capellanum deputauit, & quod in domo regia moram traheret, voluit. Multa
D bona in eo regno ad laudem Dei, & pro pace & bono regimine fecit, dixit, & consuluit; sed Alphonso quinto, vt diximus de medio sublato, & Ioanne Nauarræ Rege, eius fratre, ad Aragoniæ, & alia regna sublimato, Magister Gomesius sua auctoritate, & Religionis zelo maiora in vniuerso ordine facere studuit. A quo Magister Generalis Gauer summis contendit precibus, vt si Ordini, & religioni suæ opus gratum sibique placitum facere vellet, Domino Regi supplicaret, quatenus dignaretur Monasterium in Siciliç regno ædificandi, facultatem concedere. Quod Magister Bosega libenti animo opere compleuit, & eam facultatem à Domino Rege petijt. At Rex sui Capellani meritis exemplari uita, & animi dotibus bene sibi notis eumdem Magistrum in fundatorem deputauit, ac Prouincialē primum in regno Siciliæ summo honore creauit, ea spe, vt ad altiorem dignitatē in eo regno, vel alibi promoueret eum. Tenor vero regij priuilegij de verbo ad verbum a suo originali ex-
E tractus, sequitur, & est talis.

Nos Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Nauarræ, Siciliæ, Valentiæ, &c. Quia Prędecessores nostri Aragonum Reges immortalis memoriç fundatores in his regnis fuere ordinis Sanctç Mariç de Mercede, nos, successoresque nostri Protectores eiusdem Ordinis esse debemus. Ad ingentem prçterea, quam erga Dei genitricem gerimus deuotionem, neque non ad pium charitatiuumque opus, quod in Captiuorum redemptionem per vos Religiosos, & dilectos nostros Prouinciales, Commendatores, Priores, & fratres ordinis eiusdem continuo in exaltatione orthodoxç fidei exercetur; supplicationibus religiosi, & dilecti de nostra capella fratris Gomesij de Bosega dicti Ordinis, cui summopere complacere cupimus ipsius meritis, quç accepimus per eum in nos impensis seruitijs annuentes benignè, tenore prçsentium, deque nostra scientia expressa vobis dictis Prouincialibus, Commendatoribus, Prioribus, & fratribus Ordinis prædicti licentiam, & facultatem concedimus, ac plenum posse impartimur, vt in-

nostro Siciliæ regno prædicto, ac in ea ciuitate, villa, vel loco vbi malueritis, ac vobis bene uisum fuerit libere ædificare, atque construere possitis, & valeatis monasterium quoddam dicti ordinis sub inuocatione Beatæ Mariæ de Mercede. Quod quidem Monasterium vti, frui, atque gaudere volumus omnibus immunitatibus, priuilegijs, exemptionibus, & alijs concessis, & datis ab alijs Regibus prædecessoribus nostris Quæ religio (cum sancta sit) volumus quod se exerceat in prædicationibus, &c. Reuerendos præterea in Christo, ac dilectos Consiliarios nostros Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, harum tenore requirimus, & affectuosè hortamur; magnificis vero nobilibus, dilectisque Consiliarijs, & fidelibus nostris in nostro Siciliæ regno Viceregi, nostro Iustitiario, eiusque Locumtenenti, nostris rationalibus, magnifico Portulano, & Consiliario nostri Patrimonij, &c. dicimus, & expresse mandamus de nostra certa scientia ad pœnam mille vnciarum secus agenti irremissibiliter exigendarum; quatenùs licentiam, & concessionem nostram huiusmodi, vniuersaque & singula in ea contenta teneant firmiter, & ad vnguem obseruent; tenerique, & obseruari faciant inuiolabiliter per quoscumque. Insuper sub eadem pœna dicimus, iubemus, atque mandamus quibusuis collectoribus, exactoribus, & receptoribus perpetuarum collectarum pro redemptione Captiuorum ad dictum ordinem expectantium in regno prædicto constitutarum quatenus (amota dicta collecta, & exactione) de cætero, & in futuro euentu ea non vtantur, sed per collectores a Prouinciali, Prioribus, Commendatoribusque, & fratribus eiusdem ordinis deputandos fieri permittant.

Et nihilominus per hanc eamdem eligimus, & constituimus in Prouincialem ordinis eiusdem præfatum fratrem Gomesium de Bosega, qui vti possit, & gaudeat omnibus his, quibus cæteri Prouinciales dicti ordinis vsi sunt, & vtuntur, & gaudent in alijs prouincijs, &c. In quorum &c. Datum in nostra villa Oleti Regni Nauarræ die prima Iulij vndecima indict. ann.

1463. Domini 1463 regni Nauarræ trigesimo octauo, aliorum vero regnorum anno sexto

✠ loco sigilli. Rex Ioannes

A *Cap. XVII. Pius Papa II. obijt, cui Paulus II. & Paulo secundo Sixtus IV. succedunt, qui plurimis gratijs Ordinem condecorant. Nonnulli Fratres nostri in diuersis prouincijs florent. B. Laurentius quasdam preces à se in Captiuitate fabricatas recitat. Discordiæ, & lites in religione excitantur, quas Magister Gauer Guadalaxaræ concordia sedat, & religiosissimè obijt.*

B

DVM Pius Papa II. ad imitationem sanctæ memoriæ Calixti Papæ III. sui immediati prædecessoris magnum aduersùs Turcas Orthodoxæ fidei hostes bellum parat, in grauissimum incidit morbum; quo oppressus, & extinctus Anconæ obijt hoc anno 1464 die 17. Cal. Septem-
C bris, cum sedisset annos sex, tribus diebus minus; cui successit pridie Calen. Septembris eiusdem anni Petrus Barbus Venetus Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marci, qui Paulus II. dici voluit. 1464.

Per hæc tempora multi in diuersis prouincijs, & Cœnobijs floruerunt nostri ordinis Patres, qui eũ mirificè illustrarunt; sed in Castellæ prouincia non infimũ 1465.
inter eos occupauit locum præcipuus Philosophus, & celebris in Theologia Magister, Frater Petrus de Logroño, vir ingenio, summoq; eloquio clarissimus, atq; politissimus, & verus in omnibus moribus, & actibus suis religiosus, & ingeniosus. Et cum esset nostri sacri instituti studiosus, pacisq; amator, & zelator, maximo flagrabat desiderio, vt vniuersus Ordo, ab vno solo Magistro regeretur, atq; gubernaretur; ex quo in ipso, in ordinis diuisionem odium magnum omnes agnoscebant. Multùm insudauit, vt partes litigantes ad
D veram pacem deuenirent; & ad concordiam adducere nullis parcendo laboribus, pro viribus studuit. Ad Magistrum, Barchinonæ commorantem, & ad alios grauissimos Patres adiuit, præcipue ad Sanctum Virum Fratrem Laurentium Company, quem etiam magnates, & sæculares Personæ venerabantur. Cum hoc sanctissimonia prædito viro, (quem videre, & alloqui exoptabat,) colloquium habuit, eumque exorauit, vt sua auctoritate, atque opera schisma, & religionis diuisionem semouere (vt honestum pacisq; amatorem viros decet) conaretur. Et cum per aliquot dies in ea Valentiæ prouincia, vna ambo commorarentur, & de concordiæ conditionibus loquerentur, vt Magister Logroño quadam die à Beato Laurentio de Captiuitatis misero statu, & quid in tam longa sexdecim annorũ in Captiuitate facere, aut in quo, tempus consumere soleret, minutatim edoceri voluit.
E Cui Laurentius respondit, Captiuitatis miserias scire, & audire vis, eas lingua mea ex tempore enarrare non sufficit. Sed (Deo dante) quædam de calamitoso, & erumnoso Captiuitatis statu, ac de Sarracenorum conditione, & moribus, quæ existens Captiuus adnotaui, euulgare intendo, vt Catholici Reges, Principes Christiani, ac Christi fideles ad auxilium eleemosynasque porrigendum, promptiores reddantur; & nostri fratres suum libentiùs munus expleant. Ad illud vero quod a me contendebas, quid videlicet in tam longa mea Captiuitate egerim, aut perpessus fuerim, tibi respondeo me inutilem Christi seruum nihil boni egisse, aut mali sustinuisse extimo, dũ in tanto tempore pro Concaptiuis Fratribus, animam meam, (sicut socius suam,) ponere non merui. Sed quis valet inscrutabilia Dei iudicia calere? Placuit altissimo socium meum fratrem Petrum Boffet, martyrio illustri, breui temporis spatio decorare, & me post longam Captiuitatem liberare, ac Religioni nostræ me incolumem restituere. A principio in Captiuitatem deueniens, cum alijs Concaptiuis Christianis, simul arabam, terram fodiebam, & quidquid Maurus Domi-

nus

nus præcipiebat, (quod non esset contra legem Dei) manus istæ operatæ sunt. Quibus re- A
bus, cum non essem suetus, eaque explere perfectè nescirem, non paucas iniurias, alapas
plurimas, inhumana flagella, & percussiones sustinui. At deinde in Tunetis Regis gratiam
deueniens, cœpi ab omnibus in magno pretio haberi, & sicut amicus Regis æstimari. Quem
honorem non propter me, qui ob legem Dei mei, tormenta, & opprobria, atque dedecus
tolerare potius volebam, sed propter fratrum meorum Captiuorum, & proximorum salutem
gratanter ferebam; hac enim via cum mihi liberè conuersari, & incedere liceret a miserrima
Dœmonis seruitute, ad Christi obsequium eos traducere conabar. Auidissimè (Deus scit)
Captiuorum tum spiritualem, tum corporalem salutem sitiebam, ac Sarracenorum conuer-
sionem vehementer cupiebam. B

Vnde in illa mea 10. annorum ociositate, qui ad literas incumbendum libris eram destitutus, ex his, quæ aliquando populo Christiano concionando, aut in scholis me dixisse, vel audiuisse recordabar, ad diuinam opem implorandam, pro Christianorum redemptione, & Maurorum conuersione, quasdam fabricaui preces, easque singulis noctibus, antequam mentaliter orarem, recitare solebam; & sunt quæ sequuntur; si eas audire, non te tędet.

PRECES, ET LITANIAE

AD IMPLORANDAM DIVINAM OPEM,

pro afflictorum Captiuorum liberatione &c.

CHIRIE eleison. Christe eleison. Christe audi nos, qui precibus nostris aures tuas accommodas. Christe exaudi nos, qui Peccatores exaudire soles. C

PATER de Cœlis Deus. Qui eduxisti filios Israel de potestate Ægyptiorum libera Captiuos Christianos de potestate Sarracenorum.

FILI Redemptor mundi Deus, qui pretioso tui sanguinis pretio nos de potestate Dœmonis redemisti, de potestate Sarracenorum libera eos.

SPIRITVS SANCTE DEVS, qui es dexteræ Dei digitus, & dies diei eructans verbum, eijce, & eructa de angusto carcere afflictos Captiuos.

SANCTA TRINITAS VNVS DEVS, in qua vna persona aliam non præcedit æternitate, neque excedit magnitudine, nec superat potestate, de potestate Sarracenorum libera eos.

SANCTA MARIA oppressorum defensio, Debilium fortitudo, refugium miserorum, solatium afflictorum, & Redemptrix Captiuorum, libera eos. D

SANCTA DEI GENITRIX, vera Orphanorum, & Captiuorum Mater. libera eos.

S. VIRGO VIRGINVM, fons honestatis, & puritatis, de turpissima simulq; immundissima Sarracenorum potestate libera eos.

S. MICHAEL, Archangele Dei, qui Draconem vicisti, veni in adiutorium populo Christiano, & sta in auxilium pro Captiuis fidelibus, & libera eos.

S. GABRIEL fortitudo Dei, qui vt inter Angelos summus, sic ad Mariam inter mulieres primam missus, fœliciter legationem expleuisti, esto afflictis Captiuis lætus suæ redemptionis nuntius, & libera eos. E

S. RAPHAEL medicina Dei, qui filium Tobiæ saluum in patriam reduxisti, hos Captiuos in patrias suas lætos reduc.

OMNES SANCTI ANGELI, & ARCHANGELI, intellectu perspicaces, memoria sine obliuione tenaces, voluntate pollentes, arbitrio liberi, summo Regi semper ministrantes, gloria inenarrabili æternaliter frementes, super vno peccatore conuerso maximopere

A re gaudentes, in angustijs, & carceribus solertes adiutores, his miseris Captiuis in obscuris carceribus detentis, & atrocissimis pœnis cruciatis, auxilium vestrum impendite.

OMNES SANCTI BEATORVM SPIRITVVM ORDINES, qui in in tres Hierarchias diuisi (quarum vnaquęque in se tres ordines, & mysterium Sanctæ Trinitatis continet) nouem miro ordine constituitis ordines, nobisque ad nostram estis custodiam præpositi, hos afflictos saluate Captiuos. Seraphini primi, primæ Hierarchiæ charitate, & amore igniti, Cherubini scientia, & cognitione præstantes; Throni æquitate condecorati, illa æquitate, quæ Patri, cognitione, quæ Filio, & charitate, quæ Sancto Spiritui tribuitur, hos liberate Captiuos. Dominationes maiestate Præsidentes, Principatus laudabili dispositione, & rectitudine prædıti, potestates assidua solicitudine de salute nostra satagentes, maiestate, B quæ Patri, rectitudine, quæ Filio, & solicitudine, quæ Spiritui Sancto tribuitur, hos liberate Captiuos. Virtutes cœlorum excellenti fortitudine, & concussa in operando pręstantia roboratæ, Archangeli dono summa mysteria reuelandi, illustrati, & Angeli pietate insigniti, fortitudine, quæ Patri, reuelatione, quæ Filio, & pietate quę Sancto tribuitur Spiritui, hos liberate Captiuos. O vos ordinatę cęlorum militiæ, nobilissimi spiritus, nobis beneuoli, & affecti, si afflictæ, abiectę, atq; derelictę Agar Ancillę, consolationem attulistis, si Iacob in Mesopotamiam Syrię pergenti, in uia defesso, capiti suo duros lapides supponenti, bonum, per scalam descendentes denunciastis; si filijs Israel in deserto valde timentibus, mortemque in diès crudelem expectantibus, eos tùm pręcedentes, tùm subsequentes in obscuris noctis tenebris lucidissima nubis columna fuistis; si Iudith virilem fœminam in euidenti mortis periculo iacentē, euntem, cōmorantē, & ad suos cū magno gaudio pergentē, custodistis, & comi- Gene. 16. Gene. 28. Exod. 14. Iudith. 13.
C tati estis; si cū Azaria, & socijs eius in fornacem descendentes, flāmam ignis, ne eos tangeret, excussistis; & ad Danielem, fame in lacu leonū pereuntem per Abacuc prādium asportastis; hos miseros Christianos, cum Agar seruos, & ancillas, cum Iacob defatigatos, & in terra sub duris lapidibus iacentes, mortem crudelem cum filijs Israel quotidie expectantes, cum Iudith in potestate Sarracenorum detentos; cum Azaria, & socijs in Captiuitatis fornace immissos, & in lacu miserię, & tenebrarum cum Daniele collocatos; eos (quęsumus) consolamini, suę liberationis bonum nuntium eis denunciate, in tenebris illuminate, cum gaudio ad patriam reducite, a flammis libidinis defendite, & ne fame pereant, cominini, & exhilarate. Daniel. 3. Daniel. 14.

SANCTE IOANNES BAPTISTA, qui fuisti à Deo missus, Angelus Dei, magnus coram Domino, in vtero sanctificatus, lętificatus, & Spiritu Sancto repletus, admiran-
D do modo ex patre sene, & matre sterili natus, inter natos mulierum maior, cunctis mortalibus antelatus, virgo sine macula, castitatis exemplum, scala virtutum, magisterium vitę, sanctitatis forma, iustitię norma, pudicitię Titulus, humanorum limes meritorum, fidei disciplina, pœnitentię uia, silentium Prophetarum, a summo Deo fidelissimo laudatore, summè commendatus, lucerna ardens, & lucens, legis summa, & Euangelij sanctio, diuinus pręco, humilis confessor, Eremita sanctus, & austerus, Patriarcha fidelis, plusquam propheta, martyr Dei inclytus, & vox clamantis in deserto, qui pręparasti uiam ante Dominum; sonet vox tua in auribus nostris, qui sumus Captiui, & prępara viam nostrę libertatis. Et sicut descendens ad limbum, Patres nostros tristitia plenos, & Dei visione carentes, tuo iucundo aduentu confortasti, bonumque nuntium de aduentu Saluatoris asportasti, sic nos Captiuos visita, vt qui hucusque fuimus muti, nostra ora aperiamus, & cum Patre tuo Zacharia
E (cui adinuocationem tui nominis apertum est os suum) intonare, & pro nostra redemptione gratias Deo agere possimus, dicentes; Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit Redemptionem plebis suę; vt deinceps sine timore, de manu Inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Illumina igitur hos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedens; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

OMNES SANCTI PATRIARCHÆ, ET PROPHETÆ; nobilissimi Patriarchæ, Præsignatores ecclesiæ, hæreditas Domini, Armentarij fideles super excelsam terram, vt comedatis fructus agrorum, & suggeratis buthyrum, & lac fidei, & charitatis, cōstituti, semina sanctorum, montes antiqui de vertice contēplationis, Porticus Templi Salamonis, qui prius lumen solis, illam scilicet ecclesiæ partem, quæ Domini incarnationem pręcessit primi, & ante omnes suscepistis, o vos Patres populi Dei, nos filios vestros Captiuos in afflictione clamantes exaudite; quia licet in abiecto loco iaceamus, pars sumus hęredi-

tatus

tatis Domini, & oues de eius armento, & intra templi Salamonis ianuas Ecclesię Sanctę Dei A collocati; nos igitur fidei, & charitatis lacte, & buthyro recreate. Prophetę Sancti, futura præscientes, signa salutis, testes Domini, oracula Sancti spiritus, Auditores Dei, qui a Deo, abscondita audiuistis, Brachia Domini, fundamenta orbis terrarum, Nuntij certissimi, & Cristalini cęli, pluuiam terræ tribuentes, hanc siccã & aridam terrã (quæ præ nimia ariditate naturalem humorem amisisse videtur) humetate, & irrigate, vt quæ erat arida, fit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum, & seruus claudus saliat, & mutorum lingua aperiatur.

SANCTE PETRE PRINCEPS APOSTOLORVM, Antiochenæ, & Romanæ Ecclesiæ fundator, Magorum præcipitator, caput ecclesiæ, veræ fidei confessor B singularissime, fundamentum, & prima ecclesiæ petra, Martyr Dei gloriosissime, Pastor ouium, & clauiculari regni cęlorum, cui a Domino collatis clauibus ligandi, atque soluendi traditum est pontificium, ac Christi oues pascendi cura est demandata, Captiuis solue vincla, easq; oues signaculo Sanctissimę Trinitatis signatas, ad verum Pastorem conuersas, à luporum faucibus libera.

SANCTE PAVLE, qui es vas electionis, doctor gentium, prædicator veritatis, acerrimus Christi defensor, duodecimi Throni possessor, lumen orbis terræ, scripturarum sanctarum armarium, euangelica tuba, Christi Præco, inuictissimus religionis Christianæ miles, virginalis munditiæ retentor, ad tertium vsque cęlum etiam in hac mortali vita mirabiliter raptus, nomen Iesu coram gentibus portans, natione israelita, genere illustris, ciuis dignitate Romanus, gloriosus capitis abscisione martyr; qui dum eras in humanis, probatus es in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, flagellatus, cæsus, lapidatus, siti, fame, frigore, & nuditate maceratus, reminiscere afflictorum Captiuorum in tot miserijs iacentium.

SANCTE ANDRÆA, qui es verus Dei amicus, Doctor bonus, Christi famulus, dignus, & primus ad Apostolatum vocatus, maior Simonis Petri Germanus, & in passione socius, ac ad viuum in crucis supplicio, filij Dei imitator, Sancti Ioannis Baptistæ discipulus, cum quo conuersando Sanctus effectus es, nobis relinquens exemplum, vt cum bonis conuersemur, & bonorum virorum consortia frequentemus, hos miseros Captiuos, (ne cum peruersis Sarracenis conuersando, peruertantur, & corrumpantur,) a Captiuitate libera. C

SANCTE IACOBE, qui es Zebedæi filius, Sancti Ioannis Euangelistæ Germanus, ad Apostolatum, & ad magnam familiaritatem à Christo admissus, Magicæ artis destructor, munificus, & liberalis magnorum munerum largitor, à cunctis fidelibus feruenti deuotione celebratus, ab Angelorum Regina singularibus fauoribus honestatus, primus inter Apostolos martyrio coronatus, & qui primus inter eos in cęlestem patriam fuit translatus, & sicut Hermogenem Magum à vinculis, & dęmonum potestate liberasti, & pluries Christiano populo mirabiliter apparendo, & victoriam tribuendo, de Sarracenorum manibus ingentem fidelium numerum eripuisti, sic nos visitando, de Maurorum potestate libera. D

SANCTE IOANNES, qui ad Apostolatum vocatus, licet inter Apostolos natu minimus, præ cęteris tamen magis à Christo dilectus, quia fuisti Mariæ filius; ex quo ad tãtam dignitatem ascendisti, quod si Gabriel Archangelus ad Mariæ inuisibilem custodiam vt famulus fuit assignatus, tu ab ore altissimi, vt filius matri est datus; magna mysteria prophetico ore protulisti, virginitatis laureola te perpetuo exornasti; inter Euangelistas Euangelium nouissimus scripsisti, sed sublimius, & altius scribendo superuolasti, quia in cęna super pectus Domini recumbendo, de ipso sacro diuini pectoris fonte, fluenta Euangelij potasti; in feruentis olei dolium missus, martyr puro corde extitisti, & calicem Dominicum E tibi a Magistro tuo assignatum bibisti; tu qui Domitiano persecutionem mouente relegatus, ligatus, & flagellatus fuisti, his afflictis Captiuis à patria relegatis, vinculis ferreis ligatis, & quotidie crudeliter flagellatis exoratus compatere; tu deniq; nobilissima aquila agnosce hos pullos tuos in Captiuitate positos, & per ignem probatos, qui solis iustitiæ radijs oppositi, non acie palpitantes, dubitantes, aut vacillantes, sed firmè semper, fidem Catholicã retinentes, te patrem inuocant, & quærunt.

SANCTE THOMA, Discipule, & Apostole Domini, qui incredulitatis laqueis, qui-

A quibus tenebaris, omnino solutus, quando Christum hominem vidisti, & Deum credidisti. Post acceptam Spiritus sancti gratiam Parthos exules cum Pardis, aspidibus & serpentibus habitantes, Medos ob nimiam rerum humanarum opulentiam nimis superbos, Persas arti magicæ deditos, Hyrcanos crudeles, & inhumanos, & infideles Indos in Christianæ Religionis documentis erudisti, eisque veræ fidei, & æternæ vitæ præcepta tradidisti, te suppliciter rogamus, vt Mauros Populos a cęlesti patria exules & immundis Dæmonum serpentibus habitantes, nimis elatos, magicæ arti deditos, Hyrcana feritate infectos, Machometani erroris sectatores ad religionem Christianam reducas, vt Christiani Populi in eorum potestate detenti, liberationis suæ sentiant effectum.

SANCTE IACOBE, quia Christo Domino, tuo secundum carnem sobrino, ad B Apostolatus fastigium vocatus, ob vitæ sanctitatem iustus appellatus est, & Ierosolymorum Episcopus creatus, tanta in Concilio ibi celebrato propter scientiæ præstantiam, prædicationis excellentiam, & tuas insignes virtutes auctoritate valuisti, vt Principis Apostolorum sententiam secutus, tua concione gentium vocationem probando; & Mosaicæ legis iugum ad ecclesiam venientibus minimè esse imponendum, iudicando, contrc uersiam ortam sedasti; nostros Captiuos intra Ecclesiam constitutos, a Captiuitatis iugo tua oratione libera; cui adeò assiduus incumbebas, vt callum in genibus sua duritie pellem cameli imitaretur. Tu qui in iustitia, & sanctitate tua omnibus diebus vitæ tuæ, carne abstinuisti, vinum & siceram non bibisti, famem, sitim, nuditatem, & alias miserias patienter tolerasti, & christo consanguineo tuo, ita in facie, & corporis delineamentis, similis esse meruisti, ac si eiusdem vteri frater esses, & ad tui magistri imitationem pro ueritatis confessione dum moriebaris, semiuiuus manus tendebas ad cęlum, Deumque pro Inimicis præcipitantibus C te, his verbis deprecando dicebas; ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt; & tot tormentis peracto cursu vitæ tuæ iustus in perpetuum viuis, & merces tua magna est apud Dominum; memor esto Captiuorum, non inimicorum tuorum, sed te in tribulationibus suis inuocantium. Tu denique iustus, qui hæreditasti terram viuentium, & inhabitas in sæculum sæculi super eam, reminiscere Christianorum, in terra aliena miseriæ, & tenebrarum degentium, vt nomen tuum laudemus in æternum dicendo; in memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit.

S. PHYLIPPE, qui Bethsaidæ natus, a Christo Domino ad Apostolatum est vocatus, & innumeras Scythiæ, (quæ tibi ad prædicandum Christi Euangelium obtigera) barbaras, & indomitas gentes, ad bella, crudelitatemq; magis, quàm ad humanitatis studia idoneas, (quippe, quę Darium Persarum Regem fugarunt, Cyrum cum exercitu trucidarūt, D & copias Alexandri Magni deleuerunt,) tua prædicatione domuisti, & ad Christianam fidem conuertisti, & postremò cum Hierapolim Phrigiæ ob eamdem caussam venisses, ad similitudinem tui magistri cruci affixus es; te supplices deprecamur, vt pro conuersione Sarracenorum, & Captiuorum Christianorum redemptione intercedas ad Dominum, quem in ignominiosa crucis morte imitatus es.

S. BARTHOLOMÆE, Apostole Domini, qui cum in India Citeriori aduentum Iesu Christi prædicando, plures Infideles de Dæmonum catenis eripuisses, & in Armenia maiori de Potestate Berith, & Astaroth, & in alijs Gentium simulacris, & falsis Dijs, idem mirabiliter effecisses; tantæ liberationis, & redemptionis magnitudo in te, Sacerdotum Idolorum inuidiam adeò concitauit, vt viuus pelle crudeliter per plures horas detracta, capitis abscissione martyriū gloriosè compleuisses, vt igitur destructis E (te intercedente) Machumetanæ sectæ erroribus, Mauri Christum, Deum esse agnoscant, & Christiani fideles ad optatam libertatem redeant, te humiliter exoramus.

SANCTE MATTHÆE, qui perfectè religiosus ex peccatore, & publicano effectus ob tria vota, quæ emisisti, tria dignissima præconia Apostoli, Euangelistæ, & Martyris obtinuisti. Obedientiæ votum, quando a Christo vocatus, libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter, & perseueranter secutus es eum; Paupertatis votum, dum Telonium ad quod sedebas, cum diuitijs (quibus publicani abundare solent) animo ingenuo omninò reliquisti; & denique castitatis votum, quando honestissimè viuendo, pro eiusdem castitatis religiosæ, & virginitatis defensione, ac

commendatione, Martyrij palmam adeptus es. Propter has igitur virtutes, & laudes, quas nos indigni recolimus, te suppliciter exoramus, vt hi Sarraceni ex peccatoribus, & publicanis, abominabilis luxuriæ, & immunditiæ vitio mancipatis (te intercedente) Sacrosancto Iesu Christi Euangelio, quod tuo digito scripsisti, lingua tua prædicasti, & sanguine tuo miniasti, libenter obediant, & Captiui Christiani libertati donentur. A

SANCTI SIMON, ET IVDA dignissimi Apostoli Domini, Simon in Ægypto, Iudas Thadæus in Mesopotamia, qui Euangelium Christi, semen bonum disseminantes, multum fructum Ciuibus cælestibus collegistis, & posteà in Persidem simul conuenientes, idola, & simulacra gentium comminuistis; & in Captiuitate positi, sub potentissimo Duce Baradach, concaptiuos vestros liberari fecistis; ac os infantuli vnius diei (vt captiuum Christianum in euidenti mortis periculo constitutum ab infami morte liberaretis) diuinitus aperuistis, & tandem glorioso martyrio nomen Iesu Christi illustrastis, nostros Captiuos Christianos in magno mortis discrimine collocatos, vestris orationibus liberate. B

SANCTE MATTHIA, Apostole, & martyr gloriosissime, qui (Deo reuelante, & Apostolis orantibus) Apostolatum accipere, dignus fuisti, mereamur nos Captiui tuis orationibus libertatem obtinere.

S. BARNABA, qui cum Antiochiæ cum cæteris Prophetis, & Doctoribus in ieiunio, & oratione Deo deseruires, socius Pauli, & ad opus conuersionis gentium, Apostolus à Spiritu Sancto assumptus, & deputatus, discipulos tuos docebas, vt suis facultatibus Christianos afflictos propter metum Infidelium latentes, sustentarent, & in fide Catholica solidarent, quod tu prius singulari exemplo, agro vendito, quem habebas, opere compleueras, & pro Christianis, vt fidem Catholicam retinerent, eamq; Iudæi, & Gentes sequerentur, gloriosum martyrij genus substinuisti, te humiliter pro Captiuorum Redemptione, & Maurorum conuersione rogamus. C

SANCTE LVCA, qui non solum (vt excellens medicus) instrumentum naturale Dei, & Artifex naturæ morbo periclitantibus remedio opportuno assistendo, ac contra dolores, & cruciatus consurgendo, extitisti, & ægrotis pauperibus, ac impotentibus mederi gratis voluisti, sed tua prædicatione, & euangelij à te ordinati publicatione, plures in anima infirmos a langoribus suis liberasti, te exoramus, quærimus, & consulimus, vt afflictos Captiuos in animæ corporisque periculo iacentes, hilarando, & consolando, a cunctis periculis miseratus eripias.

SANCTE MARCE, Euangelista Domini, qui leoni propter excellentes eius animalis virtutes meritò assimilaris; solet enim leo prostratis parcere, & benefacere catulos suos dormientes excitare, atq; viuificare, & Captiuos obuios, vt in patriam redeant, permittere. Sic tu gratiose, & magnanime Leo, miseris Captiuis ad terram prostratis misericordiam petentibus, auxilium porrige salutare; ecce filios, quasi catulos semimortuos, & in captiuitate per tot annos dormientes, tuæ feruentis orationis rugitu, & potenti vocis tuę fremitu, (quę sonet in auribus eorum) excita, viuifica, & ad libertatem reuoca, ac eos ad patriã redire permitte. D

OMNES SANCTI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ, Apostoli dignissimi, à Christo Domino, in omnem terram missi, tamquam Duodecim Moysis exploratores, vt eam consideraretis, & de terræ fructibus aliquid asportaretis; circuistis omnem terram, & reuersi animas iustorum, fructus suauissimo quos colligere potuistis, (quia cultores terræ, & habitatores erant fortissimi) Domino obtulistis; Vos duodecim Patriarchas, filios Iacob, Iesu Christi Domini nostri præcipuos, & charissimos filios veneramur, & tamquam Christiani populi patres a Christo descendentes in nostris tribulationibus inuocamus; Vos duodecim viri iussu Domini inter plures, electi, qui in humeris vestris, duodecim lapides portastis, qui sunt duodecim fidei Catholicæ articuli, vera firmæ Ecclesiæ fundamenta, quos fixistis, atque plantastis in loco castrorum Ecclesiæ Sanctæ Dei; vos duodecim boues mansuetissimi, & ad tolerandum labores valde propensi, qui in dedicatione templi, & Ecclesiæ, corpora vestra immolastis, & obtulistis; Volens enim Christus verus Elisæus, qui Deus Saluator interpretatur E

Num. 13. *Genes. 49.* *Iosue 4.* *Num. 7.* *Regum c. 19*

A tatur, terram arare, duodecim iuga boum elegit, vobisque iugum suum suaue imposuit, tamquam agnos vos, mansuetos reddendo. Vos deniq; qui fuistis duodecim Duces, & Doctores quibus ecclesia multiplicata creuit in gentem magnam, nos miseros Captiuos quando terram exploratis, vestris orationibus fructus dignos reddite, qui Domino offerri queant; *Genes. 17.* sicut filios Ecclesiæ consolamini, nosque ò vos Doctores pijssimi ad portum salutis adduci, te, ac vt solertes, & vigiles Piscatores hominum, ex mare tribulationis Captiuos Christia nos fluctuantes, vt in mensa Domini reponi mereantur, extrahite. Euangelistæ Sancti, vera mundi lumina, scriptores veridici, Cancellarij fideles, scribæ veritatis. quatuor Paradisi *Gen. 2. 8.* flumina, terram irrigantia, & vos quatuor venti insufflate super interfectos Captiuos Spiritũ salutarem, vt reuiuiscant, & super pedes suos possint stare, qui per tot annos catenis grauati, *Ezech. 6. 37.* iacuerunt.

B OMNES SANCTI DISCIPVLI DOMINI, à Domino Præcursores designati, bini ante faciem suam missi, operarij mercede digni, & tamquam agni inter lupos destinati, pax vestra requiescat super nos, ne ad uos vacua reuertatur. Lupi sunt Sarraceni, *Luca 10.* Dæmones seminatores zizaniæ, vos diuini operarij & messores, messis est Christianus populus in captiuitate positus, qui est in tenebris, habitatq; in regione vmbræ mortis; rogate *Isaia 9.* ergo Dominum messis, vt lupi qui prius rapiebant, & dispergebant oues, ad fidem conuersi, prædam dimittant, habitent cum agnis, & pascantur simul cum eis, vt de tanta vbertate & affluentia lætemur coram Domino, sicut qui lætantur in messe, & sicut exultant victores *Isaia 65.* capta præda.

OMNES SANCTI INNOCENTES, peccati expertes, agni immaculati, qui morte vestra vitam nostram reparastis, quando pro liberando Domino, de potestate Herodis, iniqui Regis, animas vestras immolastis; modò in Cęlo gloriosi regnantes & viuentes,

C pro captiuis Christianis liberandis eumdem Dominum rogate.

SANCTE STEPHANE, qui inter Martyres patientissimus Prothomartyr, inter *Actorum c. 6.* septem Diaconus primus, fide & Spiritu Sancto plenus, scientia & in sacris literis præstantissimus, prodigiorum, & signorum magnorum operator, facie angelica illustratus, intendens in cœlum, cœlos apertos vidisti, & filium hominis stantem a dextris Dei; & pro his, qui in te impetum vnanimiter fecerunt, teque lapidabant, positis genibus voce magna clamabas & orabas, modò in gloria coronatus, aperi cœlos & descende in adiutorium captiuorum, qui quotidie lapidantur & vexantur.

SANCTE LAVRENTI, leuita fidelis, qui per signum Crucis cœlos illuminasti, mortuos ad vitam reuocasti, Captiuos Christianos in cryptis laborantes recreasti, & elemosynis adiuuisti, qui Thesauros ecclesiæ pauperibus dedisti, propter quod iussu Tiranni in cra-

D ticula positus, per ignem probatus, iniquitas inuenta non est in te, imo tormentorum tuorum incendia superasti, quando laterum tuorum diffusione, ignem magnum extinxisti, B. Laurenti martyr Christi, intercede pro nobis Captiuis pauperibus.

SANCTE VINCENTI, Valerij Episcopi discipule, celeberrime verbi diuini Pręco, qui ob fidei prædicationem, & cõfessionem, verberibus, & equuleo tortus, in craticula super ardentes prunas impositus, ferreis vnguibus excarnificatus, candentibus laminis exustus, & in tenebrosum carcerem testaceis fragmentis stratum ductus, tua pręsentia clarissimo splendore illũ illustrasti, quo afflictos Christianos lętificasti, & in fidei confessione roborasti, Infideles de tenebris ad lucem, & de suorum errorum cæcitate ad agnitionem veritatis venire fecisti, & tandem inuicto animo ad cælestem patriam victor euolasti; te supplices exoramus pro Maurorum conuersione, & Captiuorum Christianorum liberatione.

E SANCTE PLATO MARTYR, qui in vita, & post mortem plura erga Captiuos liberandos miracula operatus es. ora pro nobis Captiuis.

S. PANTHALEO MARTYR, qui plures redemisti Captiuos. ora pro nobis Captiuis.

S. THEODARDE EPISCOPE, & martyr, qui pro ouibus tuis animam posuisti. ora pro nobis.

S. CYPRIANE EPISCOPE, & martyr, qui erga Captiuos ad perseuerantiam, & tolerantiam eos hortando, & pecunijs adiuuando magnam, curam adhibuisti. ora pro nobis.

S. EVSTACHI MARTYR, qui cuncta bona tua pauperibus distribuendo, plures etiam Captiuos redemisti. ora pro nobis.

S. EMMERAME Episcope, & Martyr, qui pro fratribus afflictis liberandis mortem sæuissimam patienter sustinuisti, ora pro nobis. A

S. THRASO Martyr, qui cum miseros Captiuos in Thermis laborantes misericordia, & pietate commotus de facultatibus tuis aleres, martyrio coronatus es, ora pro nobis.

S. THEMISTOCLE Martyr, qui pro liberando afflicto Dioscoro crudelissimum Martyrij genus passus es, ora pro nobis.

OMNES SANCTI MARTYRES, Candidatus Deum Laudantium exercitus, qui stantes ante Thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmas victoriæ in manibus habentes, venistis ex tribulatione magna, & lauistis stolas vestras, & dealbastis eas in sanguine Agni; non solum verbo, & prædicatione, sed ægregijs factis, ac perfectionis maximę actibus nos instruendo, & docendo, persecutionem sustinuistis, famem, sitim, & crudeles tormentorum inuentiones tolerastis. At vero post tribulationem, & dolorem B mors vestra pretiosa est modo in conspectu Domini; qui abstersit omnem lacrymam ab oculis vestris, & mors vltra non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit vltra, quia prima abierunt; pro nostris ergo Captiuis in tribulatione magna, luctu, & dolore iacentibus Dominum rogate.

S. Thomæ 22 q. 124. ar. 3.

SANCTE SILVESTER, qui (te auctore) vno Constantino de potestate Dæmonis redempto, infinitos redemisti Captiuos, & singulari in ægenos, & pauperes benignitatē refulsisti, ora pro nobis.

S. GREGORI, qui verbo, opere, & exemplo plures redemisti, & redimi iussisti Captiuos, ora pro nobis.

S. AMBROSI, qui pro liberandis Captiuis sacra vasa conflari iussisti. ora pro nobis. C

S. AVGVSTINE, qui ad subditorum exemplum calices, & pretiosas Ecclesiæ gemmas vendi præcepisti. ora pro nobis.

SANCTE HIERONYME, Captiuorum, & Pauperum amator, qui ad charitatis opus tuis Epistolis Paulinum famosum Redemptorem commouisti, & qualiter leæna animal ferox Captiuum malchum fugam capientem defenderit, & insequentes occidendo a Captiuitate liberauerit, didicisti, & leonem mansuefecisti; Sarracenos feroces, & inhumanos converte, & ora pro nobis Captiuis:

SANCTE LEO PAPA, qui plurimis præconijs Redemptionis opus commendasti, & pręmium beatitudinis, illud exercentibus, dari affirmasti. ora pro nobis.

SANCTE SYMMACHE PAPA, qui solebas per singulos annos Captiuos Christianos pecunijs, vestitu, ac literis consolatorijs adiuuare, & consolari. ora pro nobis. D

SANCTE PASCHALIS PAPA, in Captiuos valde misericors, qui plures soluta pecunia redemisti. ora pro nobis.

SANCTE AVITE Aruernorum Episcope, qui Captiuis, exoratus opem ferre soles. ora pro nobis.

SANCTE ACACI Amidæ Episcope, qui pro liberandis Captiuis Sacra Ecclesiæ vasa conflauisti, & vendidisti. ora pro nobis.

SANCTE PROSPER Aquitane Episcope, qui Captiuos redemisti. ora pro nobis.

SANCTE PAVLINE Nolæ Episcope, qui in pignus pro Captiuo viduæ filio remansisti. ora pro nobis.

SANCTE GERMANE Anthisiodorensis Episcope, consolator afflictorum Captiuorum, tuum auxilium implorantium. ora pro nobis. E

SANCTE ELIGI Nouiomi Episcope, qui Captiuos à te redentos, domum tuam ducebas, & alebas. ora pro nobis.

OMNES SANCTI PONTIFICES, & CONFESSORES, humiles corde, animarum curę & charitate feruidi. orate pro nobis.

OMNES SANCTI DOCTORES, Columnæ Ecclesiæ, falsitatis Inimici, vestris perlucidis, ac salutaribus documentis ecclesiam illustrantes, virtutibus, & moribus informantes; lucernæ luminosæ, errorum tenebras profugantes, & totum ecclesiæ corpus irradiantes. orate pro nobis.

SAN-

A SANCTE ANTONI, qui vendita re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuisti, & tanta fuit (dum eras inhumanis) tuæ sanctitatis fama, vt per literas Imperatores tuis orationibus se commendarent, modò qui in perpetua mansione regnas. ora pro nobis.

S. BENEDICTE, qui rusticum Captiuum respiciendo, à vinculis liberasti. ora pro nobis.

S. LVDOVICE, qui te, & plures Concaptiuos redemisti. ora pro nobis.

S. LEONARDE, famose Captiuorum Redemptor. ora pro nobis.

S. IOANNICI ANACHORITA, qui plures Romanos in durissima Captiuitate detentos, mirabiliter liberasti, & ad Romanorum fines incolumes duxisti. ora pro nobis.

B S. EPARCHI ABBA, in oratione assidue, & in redimendis Captiuis summè liberalis. ora pro nobis.

S. COLVMBANE ABBA, qui cum esses Captiuus te ipsum, & plures Concaptiuos mirabiliter liberasti. ora pro nobis.

OMNES SANCTI SACERDOTES, & LEVITÆ, Sacerdotes decus ecclesiæ, verbo potentes, & sacra dantes, leuitæ pane cęlesti cibati, & matutinales custodiæ. orate pro nobis.

OMNES SANCTI MONACHI, & EREMITÆ, Carnis correctores, mundi contemptores, & oues Pasquæ Domini. orate pro nobis.

SANCTA THEODORA Virgo, & martyr, quæ pro liberando Dydimo tuo Redemptore, morti te voluntariè obtulisti. ora pro nobis.

SANCTA VRSVLA Virgo, & martyr gloriosissima, quæ plures virgines de Parētum Paganorum potestate eduxisti, easque tecum ad cęlestem patriā fœliciter asportasti. ora pro nobis.

C

SANCTA PAVLA nobilissima Romana, honestissima vidua, & deuotissima peregrina, aduenarum, ægenorum, Pauperum, & in vinculis degentium, vnica consolatio, quæ bona tua pro eorum sustentatione, & remedio, generosa manu erogare solebas. ora pro nobis.

OMNES SANCTÆ VIRGINES, & VIDVÆ. Virgines prudentes; casta generatio; sponsæ Christi; pudore comitatæ; verecundia honestatæ; purpura regali indutæ; quia cunctis eminentiores iudicatæ; laureolam semper virentem, alijs ratione diuturnitatis excellentiorem consecutæ; quæ publicos conspectus, & platearum frequentiam deuitastis; humanæ naturę conditionem supergressæ; libidinem calcantes; Thorum nescientes;

D Christo ornatæ, quia Christus est corona vestra; vberiores desertæ, quàm quæ habet virum; gratiæ spiritualis ornamentum; Ecclesiastici germinis decus; in carne triumphantes, & præter carnem viuentes; libidinis victrices; ad contemplandum ordinatæ; Sanctæ corpore, & spiritu, quæ Dei sunt cogitantes; ambulantes cum Domino in albis, quæ non inquinastis vestimenta vestra; aurum pretiosum sua excellentia omnia excedens metalla; summæ inter lapides gemmæ, immortalitatis, & glorię in hoc mortali sæculo statum repręsentantes; Rosarum iucundissimi, & gratissimi flores; in omni sexu, & gradu obtinentes principatum; sæculi vanitates viriliter contemnentes; a celesti Rege mirificè amatæ; à iudice rectè probatæ; Domino dedicatæ; Deo consecratæ, & fine timore de manu inimicorum liberatæ, ad æternas nuptias cum cęlesti sponso vocatę. Sanctæ etiam viduæ, mulieres cum vidua Iudith (quæ ab impetu Inimicorum populum suum liberauit) fortes; cum Sarepta a Domi-

E no consolatæ; cum Annaprophetissa die ac nocte a templo non discedentes; à Deo commendatæ, quæ sub rationis iugo impetum libidinis, continentiæ cingulo præcinctæ, fręnastis. orate pro nobis.

OMNES SANCTI, & SANCTÆ DEI; qui in carne positi certamen habuistis, qui iustè & sanctè vixistis, qui ordinatam habuistis charitatem, si dum hic adhuc inter mortales degentes, afflictis Captiuis misereri, pro eis orare solebatis, & nonnullos de misero Captiuitatis statu liberastis, nunc in cęlis ante faciem Domini, cum Christo charitatis, & misericordiæ fonte, fæliciter regnantes, qui potentiores estis, quanto amplius, & quanto verius agnoscitis miserias nostras, eò feruētiùs, (qui charitatem minime amisistis, nec mutastis) intercedite pro nobis.

PROPITIVS ESTO; qui in Captiuitate cum Inimicis tui nominis conuersando,

do, multa, cogitatione, verbo, & opere delicta commisimus, Parce nobis domine. A
PROPITIVS ESTO, qui propè es omnibus inuocantibus te, exaudi nos Domine.
AB OMNI MALO; mentis, & corporis, libera nos Domine.
AB OMNI PECCATO, & peccandi occasione, in qua Captiui iacent, libera nos Domine.
AB IRA TVA, quam, prouocando, iustè pro peccatis puniri meremur, libera nos Domine.
A SVBITANEA, & improuisa morte, quam sequitur mors sempiterna, libera nos Domine.
AB INSIDIIS DIABOLI, qui non solùm per se ipsum, sed & per Sarracenos, Captiuos fideles tentat, libera nos Domine.
AB IRA, & odio, & omni mala voluntate, qua nos, Turcæ crudeles opprimere, tyrannica violentia subijcere, fame, siti, & nuditate afficere, flagellis, blasphemijs, & opprobrijs diuerberare non cessant, libera nos Domine. B
A SPIRITV FORNICATIONIS, & ab omnibus carnis immunditijs, quibus sunt mancipati Mauri, libera nos Domine.
A FVLGVRE, & TEMPESTATE, qua similia crimina iustè punire soles, libera nos Domine.
A MORTE PERPETVA, qua Infidelium, & sine pœnitentia discedentium animæ cruciantur, fletu perpetuo proueniente ex dolore, stridore, dentium ex furore, ardore incomparabili, fœtore intolerabili, & igne inextinguibili, libera nos Domine.
PER MYSTERIVM Sanctæ Incarnationis tuæ, qua sumpsit exordium nostra Redemptio, libera nos domine.
PER ADVENTVM TVVM, ad redimendum nos de potestate Dœmonis, libera nos Domine. C
PER NATIVITATEM TVAM, peregrinationem tuam, & actiones, & passiones tuas vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod a Deo exaltatus, nomen Iesu Redemptoris accepisti, quod est super omne nomen, libera nos Domine.
PECCATORES, Captiui in afflictione clamantes, te rogamus audi nos.
VT NOBIS PARCAS, & nobis indulgeas, ac quæ fratres nostri Captiui commiserunt, miseratus remittas, te rogamus audi nos.
VT AFFLICTIS Captiuis Christianis, in tormentis, vexationibus, & laboribus suis patientiam concedere digneris, te rogamus audi nos.
VT IN FAME, siti, frigore, & nuditate tolerantiam habeant, te rogamus audi nos. D
VT FIDEM Catholicam quam confitetur Romana Ecclesia, nostri fratres Captiui retineant, te rogamus audi nos.
VT CVM auxilio gratiæ tuæ ad propria remeandi spem nūquàm amittant, te rogamus audi nos.
VT CHARITATE perfecta te Redemptorem suum diligant, & inter se mutuam charitatem habeant, te rogamus audi nos.
VT CHRISTIANO more viuendo, potiùs mori, quàm a fide apostatare eligant, te rogamus, audi nos.
VT ad veram libertatem nos reducere digneris, te rogamus audi nos.
VT Inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.
VT Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam ad debellandos Turcas donare digneris, te rogamus audi nos. E
VT omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.
VT Fidelibus Captiuis in confessione veræ fidei defunctis, requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.
VT nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
FILI DEI, te rogamus audi nos.
AGNVS DEI, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
AGNVS DEI, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
AGNVS DEI, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Chri-

A CHRISTE audi nos. Christe exaudi nos. Chyrie eleison. Christe eleison. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.

Canticum Graduum 119.

AD Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.
Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar; mul
B tum incola fuit anima mea.
Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Cum Cedar descendat ab Ismael à quo Sarraceni descendũt, hæc est oratio pro liberatione de Captiuitate Sarracenorũ. Sic Burgensis explicat.

SALVOS fac seruos tuos; Deus meus sperantes in te.
ESTO nobis Domine turris fortitudinis, à facie inimici.
NIHIL proficiat inimicus in nobis. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
DOMINE non secundum peccata nostra facias nobis. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
OREMVS pro bene factoribus nostris, & operi Redemptionis opem ferentibus. Retribuere dignare eis propter nomen sanctum tuum vitam æternam.
C PRO afflictis, & Captiuis. Libera eos Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.
OREMVS pro fidelibus defunctis, qui in hoc misero statu discesserunt. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace. Amen.
PRO Fratribus nostris Redemptoribus, vt citò ad consolandos, & adiuuandos nostros Captiuos veniant; saluos fac eos, & mitte Angelum tuum de cœlis, qui custodiat eos in mari, & in terra.
DOMINE exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.
DOMINVS vobiscum. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

D

COncede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio Sanctæ Dei genitricis Mariæ Sanctorumq; omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum nos Captiuos lætificet, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

HOSTIVM nostrorum quæsumus Domine elide superbiam, & eorum contumaciã dexteræ tuæ virtute prosterne.
NE despicias omnipotens Deus oppressos Captiuos in afflictione clamantes, sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus.
DEVS, qui Beatum Apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti, famulo-
E rum tuorum Captiuorum vincula absolue; eosque ipsius meritis illæsos abire concede.
DEVS fidelium animarum adesto supplicationibus nostris, & da famulis, & famulabus tuis Christianis Captiuis, (quorum corpora in regione Infidelium relicta sunt) refrigerij sedem, quietis beatitudinem & luminis claritatem.
DEVS, qui transtulisti patres nostros per mare rubrum, & transuexisti eos per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes, te suppliciter deprecamur, vt fratres nostros Redemptores nauigantes, repulsis aduersitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis.
OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui viuorum dominaris, simul & mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq; vel præsens sæculum adhuc in car-

ne

ne retinet, vel futurum, iam exutos corpore suscepit (intercedentibus omnibus sanctis tuis) pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur per Dominum nostrum, &c. A
EXAVDIAT nos omnipotens, & misericors Dominus. Amen.
ECCE pater mi (B. Laurentius subiunxit) in quo exercitio eas perlongas meæ captiuitatis noctes, vel earum partem, conterere solebam. Benè quidem (Magister Logroño respondit) Sanctorum laudes & præconia redemptioni captiuorum applicuisti, & cum eis procul dubio multiplicatis intercessoribus, eorumq; merita recensendo, vberrimos fructus te in ea Africana regione produxisse mihi persuasum habeo. Sed tu, qui extra claustra, extra patriá, & in captiuitate iacens, pro alijs preces & orationem fundebas, ora modò pro religione tua, in duas partes diuisa, vt ad veram pacem, & concordiam reducatur, tuaq; auctoritate operam nauа, vt tam magister ordinis quam reliqui patres ad quos expectat, generalia comitia celebrent, vbi de huius modi re consultè & maturè agatur. Quod totis suis viribus B. Laurentius se facturum promisit; & sic ad suam Castellę Prouinciam Magister Logroño reuersus est. In qua, (qui erat nostri Sacri Instituti zelator,) mæstum nimis, nuntium recepit; bona scilicet Redemptionis in partibus Galletiæ esse occupata, & vsurpata. Eam ob causam ad Sanctissimum Paulum Secundum, recursum habendo, querelam præsentauit, & pro oppurtuno remedio supplicauit. Ad cuius supplicationem Sanctissimus omnes vtriusq; sextus cuiuscumq; status, gradus, ordinis & conditionis sint, malitiosè & temerè bona quæcunq; redemptionis subtrahentes, surripientes, occultantes, & detinentes, aut eis opem & fauorem dantes, excommunicationis sententia, & nodo ligat &c. Sub datum Romæ die vndecima Ianuarij anno Incarnationis Dominicæ 1466. Sui Pontificatus anno secundo. Idem Summus Pontifex ad supplicationem Generalis Magistri Gauer bullam confirmationis concessit, quæ extat modò originaliter in Barchinonæ Monasterio; quæ est tenoris sequentis. B C
PAVLVS Episcopus seruus seruorũ Dei dilectis filijs Magistro, & Fratribus ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum, quapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & loca in quibus, diuinis estis obsequijs mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationaliter possidetis, & in futurum iustis modis (præstante Domino) poteritis adipisci, sub Beati Petri; ac nostra protectione suscipimus; nec non omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, vel alia indulta vobis & ordini vestro in genere concessas; libertates quoq; & exemptiones Sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, ac alijs Christi fidelibus, rationabiliter vobis, & eidem ordini indultas; specialiter autem terras, possessiones, Domos Vineas, Prata, Pasqua, nemora, & alia bona vestra, sicut ea omnia iustè & pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem ordini auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1466. pridie Calen. Iunij. Pontificatus nostri anno 2. D
1466. BREVI tẽporis spatio Religio nostra in tota Hispania, & Gallia fuit extensa, & in diuersas etiam orbis partes diuisa. A principio in duas principales bipertita erat Prouincias; in Cathaloniam scilicet, & Castellam. Deinde in quodam capitulo Barchinonæ celebrato (his forma & modo alteratis) definitores ibi capitulariter congregati decreuerunt, quod ad electionem Generalis Magistri, Quinq; ordo haberet Prouincias; Cathaloniæ scilicet; Aragoniæ & Nauarræ; Valentiæ; Franciæ; Regnorum Castellæ & Portugalliæ. Commendatores harum quinq; Prouinciarum singulis annis sua Prouincialia celebrabant capitula; & responsiones pro redemptione facienda asportabant; ac per suffragia secreta vnum Religiosum, qui pro sua Prouincia Generali Capitulo interesse, & vocem in electione Generalis Magistri habere deberet, eligebant. Et eodem modo ac forma alium religiosum in socium electoris creabant, qui mortuo, vel legitime impedito principali electore, ei succederet, & E
vocem

A vocem in generali capitulo, & in electione Magistri haberet; ne prouincia aliqua inaudita, & sine voto in electione Generalis Magistri remaneret. Vnde in electione Generalis Magistri, quinque tantum erant electores. Hucusque in hac prouinciarum multiplicatione, nullum graue eis, & earum singulis præiudicium illatum videbatur, quia omnes prouinciæ citabantur, vocabantur, audiebantur, & æqualiter vocem in capitulis habebant. Sed audi in quo Prouincia Castellæ, & Portugalliæ iniuriam, & detrimentum passa est; nam (vacãte ordinis magistratu) Barchinonę Prior, aut Supprior, aut Vicarius, aut antiquior habitu, (iure antiquarum constitutionũ) erat Vicarius Generalis, & totius ordinis caput; & habebat vocẽ in electione Magistri; & non solum hoc, sed etiam ad libitum suum eligere poterat in socium aliquem fratrem ex antiquioribus Barchinonæ, qui socius à se electus, similiter vocem habebat in capitulo, & in electione Magistri. Et insuper ad eumdem Vicarium Generalem electo-
B res pro futura Magistri ordinis electione conuocare, eisque tempus & locum, in quo electio fieri debeat, assignare attinebat; vt in antiquis constitutionibus dist. 2. cap. 4. Quem modum, & formam in electione tenendam seruauit ordo per aliquot annos, & nullus erat, qui in reliquis prouincijs proclamaret, aut suum aperiret os. At (Prouincia Castellæ notabiliter aucta, & nobiliori effecta) quidam grauissimi patres ex ea Prouincia, regis fauore suffulti, aduersus Cathaloniæ prouinciam insurrexerunt, eamque electionis formam infringere procurarunt, afferentes, præfatam constitutionem esse nimis exorbitantem, iniustam, ac in euidens, & magnum suæ prouinciæ præiudicium, & dedecus; hanc (inter alias) caussam adducentes; quod Prouincia sola Castellæ plura & principaliora contineret Monasteria, quàm aliæ quatuor Prouinciæ.

Vnde deducebant, fas non esse, solum Barchinonæ Monasterium duos habere electores, Prouinciam vero Castellę vnum tantum. Et vlterius dicebant, si (Magistratu ordi-
C nis vacante) Prior Barchinonæ tantam adipiscebatur potestatem, vt vsque ad nouam electionem regimen totius religionis spirituale & temporale haberet, ipsique soli competeret, electores conuocare, domum celebrationis eligere, diem assignare, socium, qui in electione noui Magistri vocem haberet deputare, ac capitulo generali præesse, facillimo negotio per hos gradus ad magistratum ascendet; prout experientia docuit, & patet ad sensum de nonnullis Prioribus, qui his medijs & adminiculis, ad magistratum sibi viam pararunt. Eam ob caussam Patres Prouincię Castellæ præsertim Magister Huete ordinarunt, statuerunt, & obtinuerunt, quod Commendatores Guadalaxarę, Vallisoleti, Ispalis, & Huete in electione Magistri vocem haberent; quam nouam ordinationem auctoritate Apostolica (vt superius diximus) Pius Papa II. confirmauit. Ex quo Generalis Magister Frater Natalis Gauer antiquarum constitutionum obseruantiæ zelo commotus, præfatam nouam ordinationem, opera & industria sui in magistratu competitoris Magistri Huete factam, & confirmatam, pa-
D tienter ferre non valens, grauem litem Prouinciæ Castellæ mouit. Sed solerti studio Magistri Logroño, ac B. Laurentij Company, (rebus aliquantulum sedatis) ad diluendam, & semouendam hanc litem, die 26. mensis Septembris præsentis anni 1467. celebratum est capitulum generale in Monasterio ciuitatis Guadalaxaræ, in eoque hoc modo facta est concordia; videlicet, quod prouincialis Prouinciæ Castellæ, & Portugalliæ in sua prouincia haberet omnimodam, & plenariam potestatem in spiritualibus & temporalibus, sicut Generalis Magister. Cui prouinciali pleno iure competeret suæ prouinciæ regimen, cum ampla facultate condendi & statuendi pro sua prouincia quæcunque statuta benè sibi visa. Et quod Generalis Magister in rebus, regimen eius prouinciæ concernentibus, nullo modo se intromittere posset; neque in commendarum & officiorum prouisione, neque in visitationis munere, nisi caussa appellationis. 1467.

E Et denique quod præfata Castellæ Prouincia pro expensis Generalis Magistri soluere teneretur singulis annis 42. duplas. Qua solutione Generalis Magister contentus esse deberet, & nihil aliud petere, aut prætendere posset. Qua concordia stante & durante cum Prouincia Castellæ absoluta & Domina remaneret, nihil curabat, vbi, quomodo, & quando Magistrorum Generaliũ electiones fierent. At concordia sublata, & Patribus prouinciæ Castellæ ad Magistratum etiam ipsi ascendere & concurrere volentibus, grauissimę, & incredibiles suscitatæ sunt discordię, & controuersiæ, quas nulla alia in terris auctoritas, & potentia quam Sixti Papæ V. & Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici dirimere potuit, vt (Deo dante) suo loco ad longum dicemus.

1468. (Subsecuta concordia) anno sequenti 1468. Prouincia Castellæ sua prima comitia celebrare voluit, vbi pro Romana Curia suum generalem procuratorem creauit, & destinauit tresque patres ex peritioribus, & Doctioribus, qui inueniri possent, ad nouas ordinationes condendas, vt eas prius benè discuterent, ac futuro capitulo referent, deputauit. A

Nostrum sacrum institutum, ac principale munus (vt sæpe diximus) in eo consistere debet; vt afflictos Captiuos redimamus, ac de crudeli Sarracenorum potestate eripiamus. Ad quod pijssimum, & summæ charitatis opus perfectè debiteque explendum, (quantum humana fragilitas permittit) Patres nostri antiqui, ac etiam moderni, salubria quædam, opportunaque remedia ordinarunt, & adhibuerunt, peritos medicos imitantes. Nam quemadmodum excellentes, & in medendi arte præstantes, non solum morbis, & languoribus mederi accuratè curantur, vt egroti ad pristinam restituantur sanitatem, sed amicis, quos mirifice diligunt, (etiam si prospera vtantur valetudine,) sapiẽter in posterùm prospiciunt, & consulunt, ne in vniuersales, vel particulares corporis affectiones labantur. Sic nostri periti, ac experti Redemptores, qui super aliorum ordinum fratres in charitatis operibus refulgere debent, non solum ad eos, quos Sarracenorum vincula malè affectos, & ligatos tenent, accedere, eosque visitare, & redimere tenentur; sed proximis nostris, ne in captiuitatem deueniant, prospiciunt, & consuluunt; ac spiritualibus sacrificiorum, orationum, & consiliorum remedijs eos adiuuant. De qua re plurima extant exempla; sed B

1469. liceat mihi vnum, quod hoc accidit anno in medium adducere. Licet verum sit (vt in primo libro recensuimus) ordinem nostrum, suam traxisse originem in Barchinonensi Monasterio, ac in principatu Cathaloniæ ditissima reformatissimaque habuisse cœnobia, quæ ob graues in diuersis temporibus suscitatas ac motas lites, & alia incommoda ad deteriorem fortunam deuenerunt, ac non modicum sui splendoris amiserunt (licet Deo dante hac nostra ætate reuiuiscere ea cernimus,) Prouincia tamen Castellæ & Bæthicę, Regum Castellæ benignitate & fauoribus, ac permultis Christi fidelium largitionibus, longiùs, quàm à principio multiplicata, amplificata, & aucta est; & in suis Monasterijs mirum in modum reformatio semper viguit & floruit. C

Et vt alia omittamus, nostri ordinis Monasterium villæ Carissæ siue de Cazorla (de quo in præsentiarum nobis est sermo) non infimum obtinet locum. Quam domum (si bene memini) tempore fœlicis recordationis Clementis Papæ VIII. ordinum superioribus imponentis, vt quasdam domos pro vnaquaque prouincia deputarent, in quibus fratres degentes, absque vlla dispensatione puritatem regulæ tenerent, ac primæuum institutum ad vnguem obseruarent; eam inquam superiores nostri in prouincia Bęthicæ elegerunt, & pro reformationis domo deputarunt. D

In hac igitur domo studia florent, & copiosus semper adest honestè, exemplariterque viuentium Religiosorum numerus, qui eam celebrem reddunt, & ad alias regẽdas, immo ad gubernandas prouincias assumi solent; quos longum esset recensere. Sed his omissis ad fratres nostros Carissæ villæ reuertamur; quos continuæ Sarracenorum vicinorum incursiones, afflictos maximopere tenebant; formidabant enim, ne fratres suos, & conciues, hostilis Maurorum potentia, quæ erat in ianuis Captiuaret. Ob id boni & charitatiui Redemptores suis sacrificijs, & continuis precibus pręuenientes ac spiritualibus propugnaculis imminens damnum euitare conantes, Dominum exorabant, vt Sarracenorum potentiam, ac superbiam humiliando, & eorum audaciam confringendo, mœrore oppressos Christianos ab imminentibus periculis per merita Virginis Mariæ Dominæ nostræ, ac Sancti Iacobi Hispaniarum Patroni liberare dignaretur. Ad quos sic orantes accessit Dominus Lupus Vazques de Acuña, primus Comes de Buendia, eiusdem villæ Præfectus (quem vulgariter Adelando vocant) nonnullis militibus comitatus, dixitque eis. Non possum non, mœstum nuntium vobis afferre, vt vel sic vos similiter, qui in eodem versamini discrimine, spiritualibus armis, ac salutaribus auxilijs, (ne omnes in potestatem Sarracenorum deueniamus,) patriam vestram, ac fratres, & conciues vestros tueamini. Scire vos volo, Guadixianos ac Baccienses Regulos fœdus ad nostram destructionem & perniciem iniuisse; qui in magno numero ad subiugandam terram istam, magnis itineribus properant. E

Vnde

A Vnde exploratores nostri, reuertentes, retulerunt nobis, quinque millia ex eis, duo videlicet millia equitum, & tria millia peditum suas acies prope villam Quesadæ nocte præterita ordinasse. In hoc igitur tam euidenti periculo, temporis angustia, ac militum Christianorum defectu, & inopia, plus diuino, quam humano opus est nobis auxilio; nam vix post exactam diligentiam omnes nostræ villæ angulos indagando, Ducenarius Dux appellari possum. Ita, vt examinata probè inimicorum potentia, quando manus in belli conflictu conseramus, oportebit, vt vnus ex nostris, contra vigintiquinque Sarracenos in arenam descendat. Cui commendator respondit, bono animo esto strenue Dux, & tuos paucos milites ad bellum viriliter excita, & commoue; nam non in multitudine militum, sed de cœlo victoria belli. Magnus est procul dubio, ac immodicus Maurorum numerus, sed non est gloriosa victoria, vbi non fuerint difficilia, & laboriosa certamina. Non spe dominandi, aut inimicorum

B spolijs potiendi auiditate ducti, bellum asperum sumite; sed ob fidei Catholicæ, & propriæ patriæ defensionem pugnate. Vt igitur cuncta prosperè eueniant, consilium meum do vobis, antequam hinc discedatis, Sacramentali confessione veloces, & ad pugnam agiles se omnes exhibeant, ac pretiosissimo Sacrosancti Altaris cibo vires animæ restaurent; & sic faciendo si aliqui ex nostris in bello vulnerati, postrati, aut conculcati ab inimicorum multitudine fuerint, a vera victoria non fraudabuntur; immo in conflictu occisi, mox coronabūtur. Quod salutiferum consilium omnes sequentes, altera die vndecima Martij, in nostra Ecclesia, præuia Sacramentali confessione, Eucharistiæ Sacramento animas suas recrearunt. Postea Comes de Buendia, strenuissimus parui exercitus Imperator sua excellenti virtute ac animi magnitudine milites suos ad bellum excitando, & hortando, viam in nomine Domini arripuit, quem nonnulli ex nostris fratribus (pro necessitatibus quæ accidere poterant) comitati sunt, reliqui vero in Monasterio remanentes, puro corde, & magno animi ardore fœlicem

C belli euentum Domino commendabant, ac pro obtinenda victoria oratione continua orabant. Peruenit igitur Christianus Dux ad territorium Quesadæ, & Maurorum exercitum benè dispositum, & ordinatum adinuenit in quodam Myrichario vulgariter appellato el Retamal. Et inimicorum multitudine, refulgentibus armis, ac tantorum vexillorum ostensione minime territus, aduersus eos, suos direxit gressus. Quem Sarraceni parui pendentes, ad Christianorum superbiam, & temeritatem (vt ipsi Mauri dicebant) reprimendam & cohibendam centum tantùm equites (vt vnus Maurus gloriaretur, duos vicisse Christianos) adire iusserunt. Sed placuit altissimo quod eos nostri statim (nemine superstite) perimerent. His bonis initijs milites Christiani vires reassumpserunt, Mauri vero indignati, quingentos fortiter munitos, partim equitum, & partim peditum, vt occisorum næces vindicarent, similiter transmiserunt; qui similiter à nostris necati sunt. Quo Sarraceni furore pleni, Castra

D sua mouerunt, & magno impetu conclamando ac vociferando (vt de more solent) vt famelici lupi contra pusillum gregem ad mactandos, & deuorandos agnos accesserunt. Sed vnum inuenerunt lupum, cuius vocem suis ferocissimis aspectibus, ac furibundis clamoribus intercludere non valuerunt. Qui ad suos paucos milites hinc inde conuersus ad pugnam eos excitabat, & ad palmam victoriæ inuitabat. Sed ò mirabile dictu, postquam per plures horas strenuè dimicatum est; nostri tandem Christiani diuino & admirando modo victoriam reportarunt; nam in his tribus conflictibus & certaminibus duo tantùm ex nostris ceciderunt; ex ingenti tamen Maurorum exercitu trecenti solùm equites (reliquis omnibus peremptis) vitas suas ignominiosa fuga saluare potuerunt. Parta victoria Dominus Lupus de Acuña, fratres nostri qui aderant, ac Christiani milites genuflexi omnes gratias Deo eiusque gloriosissimæ Matri, ac Diuo Iacobo (qui à multis magnam occisionem in Mauros facientem

E fuisse visus fertur,) immortales egerunt. Plurima magni valoris spolia ac viginti tria vexilla Christiani obtinuerūt; & cum hoc solemni triumpho ad nostram Ecclesiam S. Iacobo dicatā strenuissimus Dux cum suo victorioso exercitu magno iubilo summaque lætitia peruenit; vbi iterum gratias omnes egerunt. Et ne Dux ac famosus Imperator, qui tam memorabile, & singulare de supernis donum receperat, se ingratum præbere videretur; imò, vt tanti beneficij iugis & assidua in fidelium cordibus remaneret memoria statuit, vt singulis annis decima tertia Martij, quo die comparata fuit victoria in præfata nostra Ecclesia pro gratiarum actione solemnis fieret processio. Et ob id ex bonis suis legauit, donauit, & consignauit decimas vinearum, & viridariorum cuiusdam possessionis vulgariter dictæ *el pago de S. Bartholome*, cum Ecclesia eiusdem Sancti, in eadem possessione, sita. Eo igitur die (qui ibi festus est) à maiori Templo ad nostram vsque Ecclesiam solemnissima fit processio cum præsentia tam

Ecclesiastici, quam sæcularis capituli, Cleri, Religiosorum, & nobilium, qui omnes processionaliter, & ordinatè incedunt. Vbi summo gaudio magnaq; lætitia cernuntur illa viginti tria signa & vexilla, à Mauris sublata, quæ non omnes, sed solùm consanguinei, & propinqui descendentes à primis victoribus, qui in prælio ea acquisierunt, in manibus suis gestare possunt; quod honorificum est. Quod cedat ad laudem Dei, & suæ purissimæ Matris, ac Sancti Iacobi Hispaniarum Patroni. A

POST Capitulum Generale Guadalaxaræ celebratum, & post concordiam ibi factam, superiores feruentius, vt nostrum institutum exerceretur, curarunt. Frater Dominicus Molinar à Magistro ordinis Redemptor deputatus ex Africa, & Frater Gaspar Salmanticensis

Liber. 293. pro prouincia Castellæ ex Regno Granatæ redemerunt hoc anno 293. Christi fideles.

Floruit in Prouincia Castellæ, famosus ille, simulque sanctimonia condecoratus Frater Gabriel de Alarcon in sacra pagina perdoctus Magister, vir valde probus atque eruditus, & ordinis Zelator; qui magna apud Henricum Quartum Castellæ Regem, pollebat auctoritate. Ab eo Rege Magister Alarcon pro fabrica & ædificijs domus nostræ Vallisoleti; cuius B

1470. erat filius plures largitiones, ac magni momenti dona recepit, obijt hoc Anno 1470. bono odore de se relicto.

Paulus Papa Secundus cum sedisset annos sex, & Menses decem obijt Romæ quinto Ca-

1471. len. Augusti huius anni 1471. Cui successit Quinto Idus Augusti Frater Franciscus de Ruuere Sauonensis, ligur, Frater ordinis Sancti Francisci, Præsbyter Cardinalis Tituli Sancti Petri ad Vincula; qui Syxtus Quartus appellari voluit.

Floruit in Prouincia Galliæ Frater Ludouicus Bechofen, Theologus valde insignis, acutissimi ingenij, & in concionibus celeberrimus Quem Ludouicus Francorum Rex Christianissimus, eius nominis vndecimus, in magno semper pretio habuit, & iucundè audiebat, ac erga regimen, & quomodo erga quosdam regni rebelles se habere debebat, salubria consilia libenter ab eo suspiciebat. Hic celebris Magister cum Fratre Iacobo de Luna ex Aragonia C

Liber. 213. à Magistro Redemptor electus, ex terris in Africa à Mauris possessis 213. redemit captiuos.

Fratres nostri ordinis plures Redemptiones fecerunt, & maiorem fidelium captiuorum numerum redemerunt, quàm nostræ Chronicæ (propter scriptorum incuriam) commemorant. Ego autem bullas, & priuilegia nostri Conuentus Panormi euoluens, Sixti Papæ quarti bullam originalem inueni; in qua sua sanctitas mentionem facit de vna Redemptione à Magistro Fratre Francisco de Barthulono operata, vt patet in suis literis, tenoris sequentis, (multis verbis quæ non faciunt ad rem, breuitatis caussa demptis.)

Syxtus Episcopus seruus seruorum Dei, &c. rationi congruit, & conuenit æquitati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem fælicis recordationis Paulo Papæ II. Prædecessori nostro, pro parte Francisci de Bartholono exposito, quod cum aliàs ipse, qui prædicationi verbi Dei pro liberatione Christianorum, qui apud Barbaros Christi nominis inimicos durè carceribus detinebantur, ne fidem sanctam Catholicam, & orthodoxam abnegent, operam dare cupiebat; habitum per fratres ordinis Beatæ Mariæ gestari solitum, suscepisset, & illum per septennium gestauisset, prout tunc gestabat, multas elemosynas à pluribus Christifidelibus in Regno Siciliæ vltrafarum, sibi ad liberationem Christianorum huiusmodi oblatas recepisset, & ex illis triginta Christianos, qui apud Barbaros ipsos graui & intolerabili seruitute detinebantur liberauerat, & in dies plures Christianos cum Dei auxilio, & elemosynis sibi erogandis ab eadem seruitute liberare inten- D

Liber. 30. debat, &c. Sub datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1471. octauo E

1471. Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Idem summus Pontifex ad supplicationem generalis Magistri Gauer, (qui adhuc erat in humanis) inserendo bullas Alexandri IV. Clementis III. & Nicolai III. eas, & omnia à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus nostro ordini indulta, confirmat. Cuius confirmationis Bullæ tenor talis est. Syxtus Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Dilectis filijs Magistro Generali, & Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, sub regula Sancti Augustini degentibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priui-

A privilegia, vel alias Indulgentias vobis, & ordini vestro concessas, nec nō libertates & exemptiones sæcularium exactionū a Regibus & Principibus, vel alijs Christifidelibus, rationabiliter vobis, & ordini vestro prędicto indultas, sicut eas iustè, & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem ordini auctoritate Apostolica approbamus & confirmamus; & de gratia speciali de nouo concedimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; specialiter autem nonnullas gratias, ac alias Indulgentias per Alexandrum IV. Clementem III. & Nicolaum III. Prædecessores nostros misericorditer elargitas (quarum tenores immediate subscribuntur) auctoritate prædicta confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere, & perpetuis viribus subsistere decernimus; mandantes contenta in eis perpetuis temporibus inuiolabiter obseruari. Itaque illis, vel earum effectui per alias quasuis Apostolicas, aut sedis Apostolicæ legatorum literas quorumcunq; tenorum fuerint, & quasuisque in se derogatorias clausulas B continentes, derogari non possit; nisi de eisdem literis Apostolicis de verbo ad verbum, & eiusdem Magistri dicti ordinis pro tempore existentis nomine, & cognomine fuerit facta mentio specialis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrarijs quibuscūque. Volumus etiam & de gratia speciali concedimus pro animarum remedio salutari, quod illa bulla, siue gratia, quæ a Domino Alexandro Papa IV data fuit scilicet plenaria in vita, & in mortis articulo toties quoties benefactores Redemptionis captiuorum Christianorum fuerint in eo constituti, ab omnibus peccatis suis valeant obtinere plenariam remissionem omnium peccatorum suorum corde contriti, & ore confessi. Nec non etiam volumus, quod illa bulla à Domino Nicolao Papa III. concessa, quæ pro viuis & defunctis data fuit, scilicet pro animabus patris & matris, sit generalis etiam pro omnibus animabus defunctorum, siue patris, siue matris, siue viri, siue vxoris, vel generaliter pro illis, qui hoc beneficium contulerint, vel fecerint, in Domino misericorditer relaxamus; pariter & dimit- C timus illam pœnam, quam post lucem pro peccatis purgandis pati mererentur, auctoritate nostra Apostolica, soluēdo pro quolibet defuncto illud pretium designatum à Domino Nicolao Papa III, continens duos florenos auri Aragoniæ, vel eius pretium æquiualens. Volumus etiam, quod si forte aliquis fidelis Catholicus illo pretio nimius grauaretur, videlicet quod non valeat persoluere illud supradictum pretium propter nimiam paupertatem, seu inopiam, quod fratres dicti ordinis possint, & valeant rearbitrari vsque ad medietatem pretij præfati; vel secundum facultatem bonorum gentium. Alexandri Papæ IV. tenor talis est.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, &c. Prout sacra pagina testatur, &c Sub datum Perusij quinto nonas Maij, Pontificatus nostri anno quarto. Clementis Papæ III. tenor talis est.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum D Magister generalis & fratres ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum Christianorum pro Redimendis captiuis de manibus Sarracenorum totis viribus elaborent, & suæ facultates ad hoc exequendum minimè valeant; omnibus & singulis, qui de bonis suis à Deo sibi collatis duos florenos auri Aragoniæ, vel pretium æquiualens dicto ordini contulerint, pro solutione quarūdam exactiorum, quas dicti Sarraceni Christi fidei inimici Redemptoribus dicti ordinis, postquam empti sunt fideles Christi, qui in potestate eorum captiui miserabiliter detinentur, pro vnoquoque iniustè exigunt, vt persoluant, dummodo de peccatis suis corde contriti fuerint, & ore confessi, concedimus, quod confessor idoneus, quem ipsi benefactores duxerint eligendum, peccatorum suorum plenariam remissionem concedere valeat de gratia speciali in mortis articulo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & Indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire, &c. E Sub datum Romę apud S. Petrum 13. Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno secundo. Tenor Nicolai Papæ III. talis est.

Nicolaus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, &c. Cum igitur Magister Generalis & fratres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum pro redimendis Captiuis Christianis de manibus Sarracenorum in agro militantis Ecclesiæ laborent quotidie ponendo corpora sua in periculis mortis, & cum sint propter paupertatem gētium in magna indigentia constituti, ideo postulant magnum auxilium, quia sine magno auditorio, non possunt dictos Captiuos de manibus Sarracenorum liberare; ergo iustum est, & ex debito vnusquisq; tenetur in hac pia elemosina subuenire. Quoniam nos volumus per istam elemosynam res ecclesiasticas alienari, & non solum bona temporalia, & spiritualia, sed etiam personas

nas proprias (si necesse fuerit) quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis; quia magna necessitas magnum requirit auxilium; & vbi sunt maiores necessitates, ibi maiora suffragia debent ministrari. Igitur omnibus & singulis, qui de bonis suis a Deo sibi collatis duos florenos auri Aragoniæ, vel eius pretium æquiualens dicto ordini contulerint, dummodo de peccatis suis corde contriti fuerint, & ore confessi, concedimus, quod possint eligere idoneum confessorem, qui auctoritate nostra Apostolica ipsos absoluat ab omnibus peccatis suis semel in vita, & in mortis articulo toties quoties fuerint constituti. Volumus etiam quod si fortè aliquis prædictam quantitatem dicto ordini contulerit pro animabus patris & matris, qui in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesię, ac obedientia nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contritione vera, atque confessione integra (si tempus adfuerit & possibilitas confitendi) ab hac vita migrauerint; Nos omnibus in Christo decedentibus, de misericordia Dei confidentes, de qua magis ac magis confidimus in cœlis, quàm ipsius auctoritate relaxamus in terris, omnem pœnam, quam post lucem eius sæculi pro peccatis purgandis pati merentur, auctoritate prædicta Apostolica misericorditer in Domino relaxamus, pariter, & dimittimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbij nonas Augusti, Pontificatus nostri anno primo. Nec non etiam dilectis filijs Magistro Generali, siue Præceptori dicti ordinis, & Prioribus, commendatoribus & fratribus personas vestras, & locum in quo estis diuinis obsequijs mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter, & iustè possidetis, aut in futurum iustis modis (præstante Domino) poteritis quomodolibet adipisci, sub Beati Petri, atq; nostra protectione suscipimus; specialiter autem terras, possessiones, domos, vineas, prata, Pasqua, nemora, molendina, & alia bona mobilia, & immobilia ad præfatum ordinem legitimè expectantia, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & concessionis, susceptionis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1472. quarto Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

1472.

Circa has Apostolicas Sixti IV. literas obseruandum est, bullam in eis insertam sub nomine Clementis Papæ III. nullo modo emanare potuisse à Clemente Papa III. qui Ecclesiam Dei regere cœpit anno Domini 1188. Idest per annos triginta antequam ordo noster fundaretur, sed ab alio Clemente videlicet Quarto, vel Quinto, vel Sexto.

Præfatus Magister Fr. Petrus de Logroño impetrauit ab eodem summo Pontifice Sixto IV. ad fauorem, vtilitatem, & augmentum Monasterij nostri ordinis Ciuitatis de Guadalaxara confirmationem, & approbationem cuiusdam Eremitorij, quod ipse sua solertia, atque industria obtinuerat; sub datum Romę apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicę 1473. die 10. Aprilis, Pontificatus sui anno tertio.

1473.

Dum Serenissimus Aragonum Rex suis fauorabilibus & gratiosis literis venerabilem Magistrum Fratrem Gomesium de Bosega, in Italia nostri Ordinis Prouincialem, Regium Capellanum, ac Consiliarium ad se in Hispaniam aduocari iubet, vt pro suis meritis & laboribus aliqua dignitate Ecclesiastica eum insigniret, atque ad aliquam principalem Ecclesiam sublimaret; ac dum tanti Regis iussis Magister Bosega parendo, omnia ad profectionem parat, & iam discedere vult; nostriq; Fratres, immo Magnates & Nobilissimi Panormi habitatores, sibi gratulantur, seque gaudere omnes de tanto fauore à Rege collato verbis testantur, & factis, in grauissimum incidit morbum. Quo post paucos dies extinctus est, ac si iam esset creatus Episcopus, debito honore tumulatus. Quo Religio nostra tanto destituta viro, mœsta nimis remansit. Sed pater consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione, alium similem suscitauit virum, præfatum scilicet Magistrum Barthulono, qui ob sua merita ab eodem Rege Episcopus nominatus est; de quo cito agemus.

Omnes nostri ordinis scriptores plurimis præconijs Reuerendissimum Magistrum ordinis, Fratrem Natalem Gauer magnifacere meritò solent. Fuit enim (si mores eius respicias) exemplaris, & inculpatæ vitæ vir, qui semper in via Domini ambulare studuit, nam vt ait Magister Zumel in breui vitæ eius narratione. In virtute Domini, virtutū signis, & mirabilibus gloriosus effulsit, virisque sanctissimis & religiosissimis comparandus. Ipse enim corpus

A pus suum cũ vitijs & cõcupiscentijs crucifigens, ab adolescentia ipsa à carnibus, & à vini vsu abstinebat. Fuit natione Gotholanus, Barchinonensis, & illius primi nostri ordinis Monasterij habitu & professione filius. In subtilitate ingenij, in quæstionibus agitandis, disputandis, & defendendis nemini inferior. Ob eas admirabiles virtutes optimo iure (cum esset in artibus, & Philosophia, ac in sacra Theologia Magister) ad magistratum ordinis assumptus est. Pro cuius muneris defensione plurima passus, ordinem in duas factiones diuisum, pacatum reddidit, & quod vnum tantum Pastorem agnosceret, sua prudentia & industria effecit. Nemini plus, quam huic clarissimo, & solertissimo Magistro, Religio nostra se obligatam sentit. Ipse enim fuit primus, qui licèt breui stylo quosdam nostri ordinis annales ad compendium ductos, in lucem edidit, & ad preces Fratris Bartholomæi Ledo composuit; vt patet ex prohemio libri; quod sic incipit.

B Frater Natalis in artibus, & Theologia Professor, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia totius Christianissimi, & sanctissimi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Magister Generalis, dilecto in Christo filio Fratri Bartholomæo Ledo, ciuitatis Barchinonæ, filio Conuentus Monasterij prælibati ordinis præfatæ ciuitatis, & eiusdem ordinis expressè professo, etiam à cunabulis nutrito, salutem in Christo Iesu. Dudum fili charissime tuis precibus curabas, &c. Et inferius, ad habendam (inquit) notitiam fundationis nostri sacri ordinis sciendum est, quod incepit anno Domini 1218. quarto idus Augusti; & sic sunt hodie, quæ est septima Aprilis anno Domini 1445. ducenti viginti sex anni, octo menses, & dies viginti octo, quod incepit, &c. Ex quibus annalibus plura nos deprompsimus. Vnde modò quid faciam, quò me vertam, aut quomodo ad præsentem annum 16 8 à fundatione nostri ordinis quadringentesimum impletum peruenire quæam, penitus ignoro. Si enim doctissimi Magistri Zumel in tractatu de vitis Generalium Magistrorum vestigia sequi proposuero, in incertum curro; nam ipse sapiens, potens & valens, quem vniuersus ordo noster in

C magno semper honore habuit, post exactam diligentiam, fatetur expresse in vita huius Magistri, vix certam quorũdam Magistrorum Generalium seriem reperisse, neque ipsorum electionum rationem inuenire potuisse. Ob id ego ex Romana Curia, & ex Ciuitate Panormi meis continuis literis Reuerendissimos ordinis Magistros, & Barchinonæ Priores, ac alios superiores rogaui, & sedulò instaui, vt Magistrorum Generalium creationes, qui post Magistrum Gauer ordinem rexerunt, ad me transmitti iuberent. Et vt hoc meum desiderium, solersque cura ad bonum, & ordinis vtilitatem directa & ordinata, suum facilius consequeretur effectum; nostrorumque superiorum animos ad preces meas inclinarem, per plures menses ne in errorem inciderem, impressionem operis distuli ac patienter expectans expectaui; immo ad eos hortandũ, & excitandum primum librum huius nostræ Chronicæ in hebdomada sancta anni præteriti expletum & impressum, cum alijs folijs secundi libri, etiam im-

D pressis, per nuntium certum destinaui. Sed ipsi nihil horum ad me mittentes, neq; aliud adminiculi genus exhibentes suis iussis per singulos dies me vrgebant, & præmebant, vt Chronicę iam inceptæ vltimum Colophonem adderem. Ob eam caussam magno meo labore, ex coniecturis, ex Pontificum bullis, Regum priuilegijs, atque ex litibus ab eo tempore vsque ad nostra motis, nec non ex breuibus nostri ordinis historijs nonnulla prius à me bene comprobata, indagare, & scribere potui; vt ex sequentibus patebit. Generalis igitur Magister Gauer recolendæ & bonæ memoriæ postquam laudabiliter, & fructuosè satis ordinem rexerat, sanctè obijt in suo Monasterio Barchinonæ hoc anno 1474. suo tempore de potestate 1474.
Sarracenorum liberati sunt 1676. Christi fideles. *Liber. 1676.*

E

Cap.

Cap. XVIII. B. Laurentius Company Magiſter ordinis eligitur. In Sicilia Archiepiſcopus Panormitanus, & in Hiſpania Patres Sanctæ Trinitatis noſtrum inſtitutum retardare conantur. Sed Ioannes Aragonum Rex viriliter noſtrum ordinem defendit. Ad cuius ſupplicationem Sixtus Papa IV. priuilegia noſtra confirmat. A

B



1474. POST mortem Generalis Magiſtri Gauer Comitia generalia in noſtro Monaſterio Valentiæ pro eligendo nouo Magiſtro celebrata ſunt. Vbi de vnanimi conſenſu in totius ordinis Paſtorem & Magiſtrum electus eſt beatus vir Frater Laurentius Company; de cuius ſingularibus virtutibus ac laudibus nonnulla poſt mortem eius tangemus.

Sixtus Papa IV. ad ſupplicationem Commēdatoris, & fratrum Conuentus noſtri ordinis ciuitatis de Segouia facultatem concedit pro dicti Conuentus cauſſis & emergentibus negotijs iudicem conſeruatorem eligendi. Sub datum Romæ, pridie Calend. Septembris, anno Domini 1474. C

1474. Venerabilis & perdoctus Magiſter, Frater Franciſcus de Barthulono, erat per hęc tempora Prouincialis Italiæ, atque Prior Conuentus Panormi. Qui Prioratus magni æſtimari ſolebat; eo quod ſuperior dicti Monaſterij locum, & vocem in conſilio vulgariter *Parlamento* appellato, (quod in Siciliȩ Regno tertio quoque anno celebrari ſolet) ad inſtar Epiſcoporum & Abbatum habere ſolebat. Quam dignitatem, & præeminentiam ignauia atque incuria cuiuſdam Prioris vocati, & citati, non comparentis noſtrum ordinem amiſiſſe ferunt. Magiſter igitur Barthulono multa bona fecit in ſuo Prioratu Panormi. Emit a Monachis Sancti Martini de Scalis viridarium illud prope noſtrum Cœnobium, in quò modo plures cernimus domos per nos & externas perſonas fabricatas ad eiuſdem Monaſterij proprietatem pertinentes, cum inſignibus & ſcuto ordinis patenti loco de more affixis. Fecit ſimiliter priuilegia omnia regia ad ſupplicationem ſui in Prioratu immediati Prædeceſſoris per Illuſtriſſimum D. Lupum Ximenez de Vrrea, in Siciliæ Regno Proregem executoriari, & D iuxta contenta in eis ad vnguem obſeruari. Sub datum die 18 Septembris, octaua indictio.

1474. anno 1474.

Menſe Decembris eiuſdem anni 1474. obiit Matriti Henricus Caſtellæ Rex, eius nominis quartus. Cui ſucceſſit Eliſabeth ſoror eius, ac Ferdinandi Regis Catholici vxor.

Magiſter Fr. Franciſcus Barthulono, in Italia & Siciliæ Regno Prouincialis, ſeu Vicarius generalis, pro ſui muneris debito, ſuos per vniuerſam Siciliam Nuntios, & Procuratores deſtinauit; qui pro redimendis Captiuis, elemoſynas peterent, & ſimiliter ad hunc effectum bullas Apoſtolicas, & Regia priuilegia publicarent, populiſque nota facerent. Nuntij igitur Redemptionis ingentes breui tempore congregauerunt pecunias, vigore ſaluæ guardiæ à Rege Aragoniæ obtentæ. Eam ob cauſſam Vicarius Generalis multorum non potuit effugere inuidiam; qui ex eius in colligendis elemoſynis fœlici euentu, dolore maximo affecti, ad Archiepiſcopum Panormitanum grauem detulerunt querelam, inter alia aſſerentes; Vicarium Generalem ad elemoſynas procurandas homines miſiſſe perditiſſimos; qui bullas falſas, & priuilegia ſimiliter falſa, doloſè fabricata, ſimplicibus, & idiotis populis prædicabant, ac prædicari faciebant. Quibus fraudulentis medijs (in pauperum, & Xenodochiorum maximum detrimentum, & damnum) magnam pecuniarum ſummam, (quæ in poteſtate Vicarij Generalis reperiebatur,) receperant, ac collegerant. E

Archiepiſcopus Panormitanus (quem nonnulli Simonem de Bologna credunt, ſed falsò, quia de anno 1465. obierat) nomine Nicolaus, ſeu Paulus de Vicecomitibus præfata ſiniſtra informatione præcedente, zelo (vt ipſe dicebat) veris pauperibus fauendi, ac falſos & fictos,

qui

A qui se pauperes esse simulant castigandi, & emendādi, commotus, fratrem nostrum, Prouincialem Magistrum, non subditum suum, contra omne ius, ac debitum iustitiæ terminum, de facto, & de potentia carceri mancipari iussit, bonaque Redemptionis ab eo surripiens, in alieno deposito reponi præcepit. Quæ omnia acta fuerunt in ciuitate Panormi mense Decembris huius anni 1475. Sed non defuerunt, qui nomine Magistri Barthulono, Magistro Generali ordinis, hęc omnia nota facerent, vt pro ordinis decore, & instituti nostri defensione laboraret, ac remedium opportunum procuraret. Quod feruidus, & zelator Magister egrè ferens, ad Serenissimū Ioannem II. Aragoniæ, & Siciliæ Regem, querelosam insinuationem præsentauit. (Quo audito) Regem verba minacia protulisse ferunt; & de remedio pro modo culpæ prouidere volens, priuilegium suum expediri iussit tenoris sequentis. 1475.

Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ, Nauarræ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes B Rosilionis, & Ceritaniæ, spectabili Magnifico, dilecto Consiliario, & Camerlengo nostro Lupo Ximenez de Vrrea in dicto nostro Siciliæ Regno Viceregi salutem, & dilectionem. Graui querela exposuit coram nostra Maiestate venerabilis Religiosus, & dilectus Magister Frater Franciscus Barthulono, Prior domus Sanctæ Annæ ciuitatis Panormi, ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, & Vicarius Generalis in partibus Italiæ eiusdem ordinis inquiens; quod licet ipse, & omnes Religiosi, & res huius ordinis sint exempti, videlicet quod nemo de eis cognoscere aut iudicare possit, nisi aut Summus Pontifex, aut Magister Generalis, aut Vicarius Generalis ordinis ipsius, aut nos, vel persona aliqua præeminens nostram Maiestatem repræsentans, & hoc vigore priuilegiorum tam Apostolicorum, quam regiorum per gloriosæ recordationis Iacobum Aragonum, Siciliæ, &c. Regem Proauum, & Prædecessorum nostrum ipsius Religionis fundatorem, ac deinde per alios C eius Successores, nobisque Prædecessores, & per nos Concessorum, atque Confirmatorum; & vigore saluaguardiæ per nos eisdem concessæ à nemine damno aliquo iniuria, aut exactione affici debeant; his tamen non obstantibus Reuerendis in Christo Pater Archiepiscopus Panormitanus, his diebus superioribus, accepit nōnulla legata ad ordinem, & Religionem ipsam pertinentia (eodemque Vicario Generali, ac alijs fratribus Ordinis, & Religionis inuitis;) ac deinde quia idem Vicarius ausus est ad nos confugere, (vt dicebat) ad impetrandum literas pro reparandis legatis ipsis, prædictus Archiepiscopus non solum ei legata restituere tenuit, sed eumdem Vicarium captum detinuit quinque diebus, magnis compedibus vinctum. Præterea eos, qui elemosynas petebant more solito pro Captiuorum Redemptione ab Ecclesia sui Archiepiscopatus expulsit. Quæ omnia si ita sunt, quis dubitat, vt non parum dicto Vicario, cæterisque Religiosis prædicti ordinis, sed magno D damno, & incommodo, verumetiam nostrę iurisdictioni, Religionisque Christianæ ingenti detrimento fuisse; quandoquidem elemosynæ, legata, & cætera omnia dicti ordinis pro augmento, & conseruatione Christianæ fidei inuenta, & dedicata sunt; insuper quia benè ea per dictos Religiosos administrantur; non per Archiepiscopos, aut Prælatos aliquos corrigi, aut emendari debent, sed per eos ad quos pertinet, vt in priuilegijs saluaguardiæ, & alijs prouisionibus illis concessis, & confirmatis ad quæ, & quos nos referimus, continetur.

Quare igitur Vicarius pro parte venerabilis Religiosi, & dilecti nostri Magistri Generalis eiusdem ordinis, & sua, nobis humiliter supplicauit, vt super prędictis legatis restituendis, & alijs damnis, tam illatis, quam, & quæ inferri possent, si non prouideretur, & super pœnis Commissis pro dictorum priuilegiorum, & saluaguardiæ fractione debitè prouidere dignaremur. Cui supplicationi veluti iustæ, & rationi consonæ benignè annuentes, E & præsertim quia est nobis maximè cordi priuilegia, & cætera omnia eidem ordini concessa obseruare, & conseruari facere, iurisdictionemque nostram nullo modo diminuere; immò in eos, qui contra eam quidquam faciunt debito modo animaduertere, & præcipuè in eum pariter, qui contra nos, & Religionem Christianam facere videtur; vobis dicimus, præcipimus, & iubemus sub indignationis nostrę iactura, pęnaque vnciarum mille, vt præsentibus acceptis, in primis dicta Legata eidem Vicario, aut illis eiusdem ordinis Religiosis ad quos spectabit, restitui faciatis; (quosuis detentores pro viribus quibus decet ad restituendum cogendo) Deinde elemosynarum prædictarum petitores, qui (vt dicitur) expulsi fuerunt, & coacti ne peterent, restituatis, ac restitui ad petendum (sicuti solebant) faciatis, & non posthàc prędictum Archiepiscopum, nec alium quemuis Pręlatum aut personam

aliquam cuiuscumq; dignitatis, honoris, & conditionis sit, contra priuilegia, saluaguardiam, &c. ipsis Religiosis, & dicto ordini atq; Religioni concessa quidquam agere, aut attentare permittatis. Immò volumus, & sub dictis pęnis, vobis, (qui vices nostras in isto Regno geritis) præcipimus, vt eosdem Religiosos ab omni damno, & calumnia, vexationeq; eripiatis, & defendatis loco nostri, ad quos facere, & pertinere spectat, & prędicta priuilegia, saluaguardia. &c. illis concessa, & confirmata ad vnguem seruando, & seruari faciendo, & iuxta illorum priuilegiorum, & saluaguardię vires, prędictum Archiepiscopum pro pęnis commissis, ac cęteros omnes, qui contra prędicta priuilegia, & salua guardiam fecerunt, & quidquam attentarunt, aut facient deinde attentare, puniendo eos, & remedijs, quibus, in similibus fieri solitum est, & debet; sic enim pro iustitia faciendo iurisdictionisq; nostrę, ac Religionis Christianę confirmatione fieri volumus, & duximus prouidendum. Ne igitur contra faciatis, aut quidquam in prędictis facere permittatis, si gratia nostra vobis chara est, & dictam pœnam cupitis euitare. Datum Barchinonæ 22. Maij 9. Indict. Anno à Natiuitate Domini 1476. Dominus Rex mandauit mihi Antonio Giraldino. Fuit vis. per Vicl. cui
1476. fuit commissum.

Quod regium priuilegium cum esset ostensum, & præsentatum Eccellentissimis Siciliæ Proregibus, illud de verbo ad verbum inserendo executioni demandari iusserunt in hanc formam. Ioannes, &c. Vicereges, &c. Magnifico, & nobilibus eiusdem Regni Magistro Iustitiario, eiusque in Officio Regio locumtenenti, & Iudicibus Magnę Regię Curię, Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conseruatori Regij patrimonij, eorumque loca tenentibus, & cæteris vniuersis, & singulis dicti Regni officialibus, tam præsentibus, quam futuris, cui, vel quibus præsentes peruenerint, seu fuerint quomodolibet præsentatæ, Consiliarijs Regijsque fidelibus, dilectis salutem, &c. Cum Sacra Regia Maiestas Serenissimi Domini nostri Regis prouiderit, & mandauerit sub forma sequenti. Ioannes Dei gratia, &c. Præterea volentes, (vt tenemur) Regijs parere mandatis prouidemus, vobisque harum serie dicimus, & mandamus expressè, quatenus prouisionem Regiam præinsertam, omniaque & singula in ea contenta præfato Reuerẽdo Fratri Francisco de Barthulono Priori, & Vicario, iuxta sui seriem, & continentiam pleniorem exequi, tenere, & inuiolabiliter obseruari, & per quos decet faciatis, & non secus agatis, aut fieri permittatis pro quanto gratia Regia vobis chara est, pœnamque in eodem præinserto priuilegio, contentam cupitis euitare. Datum Panormi, die 18. Martij. 10. indict. 1477. De Peralta. Pugiades, Domini Vicereges
1477. mandauerunt mihi Gerardo Agliata Prothonotus. Ex libris Officij Conseruatoris Regij Patrimonij extracta est præsens copia. Nicolaus Vincentius Carbonus Coadiutor.

Quidam venerabilis Pater Fr. Simon de Camargo in Regnis Castellæ, & Aragoniæ Prouincialis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, seu R. Pater Frater Gundisaluus de Aquilar minister Monasterij eiusdem Ordinis ciuitatis Toleti, eius Procurator recursum habẽs ad Dominum Ioannem obtinuit ab eo falsa narratiua quasdam confirmationes, prouisionesque Regias in magnum nostri Ordinis detrimentum; & in specie obtinuit confirmationem priuilegiorum, quæ dictus ordo obtinuerat ab Alphonso, & Maria Aragoniæ Regibus (tunc vt supra diximus Fratre Iacobo Ferrada supplicante.) Sub datum Barchinonæ die 14. Iunij huius
1477. anni 1477.

Quæ ægre ferentes Prior nostri Conuentus Barchinonæ, & actualiter Redemptores ad dictum D. Ioannem Regem Barchinonæ commorantem, recursum habuerunt, ei humiliter supplicantes, quatenus commemorata priuilegia ordini Sanctissimę Trinitatis, in magnum nostri ordinis detrimentum concessa, reuocare dignaretur, in reuocatione exprimendo ad solum ordinem nostrum, munus redimendi spectare, & pertinere. Quod Dominus Rex fauorabili priuilegio gratanter concessit; quod est tenoris sequentis.

Ioannes Dei Gratia, Rex Aranonum, Nauarræ, Siciliæ, Valentiæ, Maioricæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rossilionis, & Cerithaniæ; Reuerendis, & venerabilibus in Christo patribus ægregijs, spectabilibus, magnificis, dilectis, Consiliarijs, & fidelibus nostris, vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Vicarijs Generalibus, Officialibus, & alijs personis Ecclesiasticis, Ducibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Nobilibus, Richis hominibus, Militibus Generosis, Officialibus quoquè, & Subdidis nostris quibuscunque, tàm maioribus, quàm minoribus ad quem, seu ad quos huiusmodi nostræ literæ peruenerint, seu præsentatæ fuerint, ac pertinent, seu pertinere quomodolibet dignoscatur, vbicun-

A cunque Regnorum & terrarum nostrarum, & alibi constitutis, & constituendis, dictorumque Officialium Locum tenentibus, præsentibus, & futuris salutem & dilectionem pietatisque semper abundare operibus. Etsi nostram deceat maiestatem Religiosorum ordinum priuilegia, & immunitates potenter tueri, ac defender, multo amplius illorum, quorum ipsa seu Prædecessorum nostrorum memoria indelebilis Regum Aragonum Illustrissimorum fundatrix, ac patrona extitit. Et tanto magis cum ex concessione ipsa laudabile charitatis opus sequatur, quo nullum maius. Nostram etiam decet iustitiam, vt siquid ab eadem importunitate, obliuione, aut arduis quibusdam negotijs præoccupata impetratum fuerit, seu concessum contra priuilegia memorata, illud ipsum ad debitum reducat statum. Cum igitur hactenus à fundatione ordinis Sacri Beatæ Mariæ de Mercede, fratribus ipsius ordinis (cuius Prædecessores nostri, fœlices inuentores, fundatoresque extitere,) diuersis priuilegijs fit
B concessum, vt ipsi soli in regnis & terris nostris, pro Redemptione Captiuorum Christianorum elemosynas petere, ac elargitas exigere absque impedimento aliquo possint, ac in possessione fuerint; Redemptionesque quam plurimas ex prædictis elemosynis, ac elargitionibus fecerint; quod in defensionem fidei Christianæ, gloriam Dei, laudemque nostram, & in remissionem peccatorum nostrorum, ac Prædecessorum nostrorum nemo ambigit; quidam tamen fratres Ordinis Sanctæ Trinitatis, prætextu cuiusdam assertæ sententiæ per quẽdam assertum Procuratorem Monasterij Beatæ Mariæ de Mercede ciuitatis Barchinonæ, & alias quas à nobis nouissimè obtinuerunt prouisiones, sub datum in præsenti ciuitate die 14 Iunij proximè effluxi, vt & ipsi elemosynas pro Captiuorum Christianorum redemptione petere possent: nos attendentes sententiam præfatam toti ipsi ordini præiudicium generare non potuisse, quia latam non vocato eo, qui a toto ordine potestatem haberet, neque visis priui-
C legijs omnibus ordinis eiusdem, minusque etiam Fisci nostri Patrono, cum nostrum magnum verteretur interesse; ordo enim ipse à Prædecessoribus nostris, (vt præfertur) fundationem donationemque acceperit; nosque Patronum, & vt Patrem, ac Protectorem solum habet, nostraque arma pro habitu in pectore portant fratres ipsi; ex quibus & alijs nostrum interesse magnum vertebatur ac vertitur. Nolentesque premissis attentis ac alijs per ipsam prætensam sententiam ipsi ordini cum tanto etiam nostro præiudicio præiudicari, sed potius volentes priuilegia concessa ordini memorato (quibus derogatum per prædictam sententiam non extitit seu potuit,) vt tenemur inuiolabiliter obseruari, & potiùs Redemptionibus Christianorum, (vt frequentius fiant) locum dare, quàm eisdem obiare, quod fieret, si in exigendis ipsis licentia per ipsos fratres Sanctæ Trinitatis impetrata non reuocaretur; propterea venerabilis Prior Beatæ Mariæ de Mercede Conuentus Barchinonæ, vnà cum Redempto-
D ribus dictorum Captiuorum ad nos recursum habuerunt, similiter supplicantes, vt eisdem super dictis debitè prouidere dignaremur. Nosque visis, & diligenter resensitis, atque examinatis priuilegijs, sententia, & alijs prouisionibus prædictis, & signanter nouo priuilegio per nos dicto ordini post dictam sententiam concesso, volentes laudabiliter à Prædecessoribus nostris pro tanto beneficio (vt prædicitur) concessa, rata habere; (præeunte nostri Sacri Consilij deliberatione matura, & digesta) requirendos ex vobis requirimus, rogamus, & monemus attente; alijs vero dicimus & mandamus de certa nostra scientia, & expresse sub nostri amoris & gratiæ obtentu, pœnaque florenorum auri de Aragonia duorum mille, vt ad dictas elemosynas petendas, & elargitas exigendas, Redemptionemque ipsam faciendam Prædictos fratres Trinitatis minimè admittatis, neque permittatis; quinimmo eas per dictos fratres Beatæ Mariæ de Mercede fieri tantummodo (vti consueuerunt) faciatis, & pa-
E tiamini; ipsosque in eorum antiquissima possessione manutenendo, defendendo, & viriliter contra cunctos conseruando, auxilium (si opus fuerit,) & fauorem opportunum requisiti pro eorum parte impendendo, tanti meriti participes futuri, & à contrario peragendo diligenter caueatis, quanto vos Ecclesiasticæ Personæ, & alij nobis morem gerere, cæteri officiales, & subditi nostri prędicti gratiam nostram charam habere; & pœnam pręappositam cupitis non subire. Sic enim fieri volumus, exequi, & seruari omni contradictione, difficultate, & consulta cessantibus; (sententia iam dicta & præmentionata, alijsque quibusuis literis, seu prouisionibus per ipsos fratres Trinitatis impetratis, cæterisque impedimentis allegatis, & allegandis nequaquam obstantibus. ¶Datum Barchinonæ, die quinta Septembris, anno à Natiuitate Domini 1477. Rex Ioannes. Dominus Rex mandauit mihi Ioanni Christiani vidit. Per R. Episcopum Gerundensem Cancs. vidit R. Cancs. regens Thesauriam. P. Rossell pro conseruatore. 1477.

A culo plenariam cam consuetudinem dum vixit (vt potuit) seruauit. Sciebat enim à solitaria
leat, auctoritate, & (summæ delectatu-) quatuor tamquam à Paradiso exire emanareque spiri-
mus, & ordinamus. Quæ scilicet, veritatis, castitatis, & continentiæ, esseque à Detractori-
teris apostolicis suspensioi scordijs, rixis, fabulis, mendacijs, proditionibus, & ab alijs vene-
tam à nobis, quã à recolendæ. vita enim solitaria non murmur resonat, non querimonia, sed
manis Pontificibus, & Prædecess & lingua pretiosa verba diuina, & cœlestia semper erumpit
derogatoriarum derogatorijs, ac alij. tanti Magistri Laurentius prima literarũ rudimẽta atti-
nobis emanandis quorumcumq; tenorũ incubuisset, disposuit Deo, eiusq; gloriosissimæ Ma-
eis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, dũ Podij adiuit, & a Commendatore eius domus
illarum vim, & effectum ad præmissa non extæ recepit Sed cum firmum nobilis viri pro-
riter, & declaramus; cæterisq; contrarijs quibusc. habitum ordinis non statim contulit ei;
B talis est. commouit eum, vt prius Religionis ri-
Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram iuuenibus, & nouitijs experiretur.
quamuis immeriti Dominico gregi præsidentes, &c. vt supra. Et cum Commendator in-
seruorum Dei, dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, habitum Religionis concupi-
cæterisq; ecclesiarum Rectoribus, Præsbyteris, Curatis, & non cuius, lingua enarrare non
quos præsentes literas peruenerint; salutem, & apostolicam benedictio oratione se exercendo
nem suscepimus, &c. vt supra. Alexander Episcopus seruus seruorum sic ordines fuit pro-
fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus benedictione)
chidiaconis, Archipresbyteris, cæterisq; ecclesiarum Rectoribus, & omnibus ach) per plu-
præsentes literæ peruenerint, salutem, & apostolicam benedictionem. Prout scripsit since-
statur, &c. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus præsitor
tes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Non obstantibus constitutio-
C nibus, &c. Sub datum Romæ Quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno Quarto. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes literę peruenerint salutem, & apostolicam benedictionem. Licet indigentibus vniuersis, &c. Sub Datum Romæ. 3. idus Maij Pontificatus nostri anno. 3. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, tenorem quarumdam literarum fælicis recordationis Nicolai Papæ Quarti Prædecessoris nostri in registro ipsius Prædecessoris repertum de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, &c. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Archipresbyteris, & ecclesiarum Rectoribus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Dilectos filios magistrum, & fratres domus. S. Eulaliæ Barchinonẽ ordinis. S. Augustini de Mercede Captiuorum salubri studio pietatis, &c. Sub datum Auenioni octauo idus Ianuarij Pontificatus nostri anno IV. Martinus Episcopus
D seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex apostolicæ sedis prouisione, &c. Pro parte dilectorum filiorum magistri, & fratrum ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, sub regula beati Augustini degentium, nobis extitit humiliter supplicatum, vt fœlicis recordationis Clementis Papæ Quarti Prędecessoris nostri eis, qui tunc magister, & fratres Hospitalis sanctæ Eulaliæ Barchinoñ nuncupabantur concessas literas cum incipiant vetustate consumi innouare de benignitate apostolica dignaremur, quarum tenor (signis, & caracteribus exceptis) sequitur in hęc verba. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos literę istæ peruenerint salutem, & apostolicam benedictionem. Si iuxta sententiam sapientis, inter tempus seminandi, &c. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs magistro, & fratribus beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus
E salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, &c. Sub datum Bononiæ anno incarnationis dominicæ 1436. quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno Sexto. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ constitutionis, concessionis, statuti, ordinationis, Decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentarę præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romæ apud. S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1478. Septimo Calendas Nouembris Pontificatus nostri anno VIII. Sixtus 4. 1478.

Hoc anno 1479. non fine maximo totius nostri Ordinis mœrore Barchinonę obijt 4. Calen. Februarij Ioannes Aragonum Rex eius nominis Secundus, magnus nostrę Religionis defensor, & Protector: cui successit Ferdinandus eius filius, cognomento Catholicus. 1479.

Qui

Ecclesiastici, quam sæcularis capituli, Cleri, Religiosorum, & nobilium, qui omnes processionaliter, & ordinatè incedunt. Vbi summo gaudio magnaq; lætitia cernuntur illa viginti tria signa & vexilla, à Mauris sublata, quæ non omnes, sed solùm consanguinei, & propinqui descendentes à primis victoribus, qui in prælio ea acquisierunt, in manibus suis gestare possunt; quod honorificum est. Quod cedat ad laudem Dei, & suæ purissimæ Matris, ac Sancti Iacobi Hispaniarum Patroni. A

POST Capitulum Generale Guadalaxaræ celebratum, & post concordiam ibi factam, superiores feruentius, vt nostrum institutum exerceretur, curarunt. Frater Dominicus Molinar à Magistro ordinis Redemptor deputatus ex Africa, & Frater Gaspar Salmanticensis
Liber. 293. pro prouincia Castellæ ex Regno Granatæ redemerunt hoc anno 293. Christi fideles.

Floruit in Prouincia Castellæ, famosus ille, simulque sanctimonia condecoratus Frater Gabriel de Alarcon in sacra pagina perdoctus Magister, vir valde probus atque eruditus, & ordinis Zelator; qui magna apud Henricum Quartum Castellæ Regem, pollebat auctoritate. Ab eo Rege Magister Alarcon pro fabrica & ædificijs domus nostræ Vallisolati; cuius B
1470. erat filius plures largitiones, ac magni momenti dona recepit, obijt hoc Anno 1470. bono odore de se relicto.

Paulus Papa Secundus cum sedisset annos sex, & Menses decem obijt Romæ quinto Calen.
1471. Augusti huius anni 1471. Cui successit Quinto Idus Augusti Frater Franciscus de Ruuere Sauonensis, ligur, Frater ordinis Sancti Francisci, Præsbyter Cardinalis Tituli Sancti Petri ad Vincula; qui Syxtus Quartus appellari voluit.

Floruit in Prouincia Galliæ Frater Ludouicus Bechosen, Theologus valde insignis, acutissimi ingenij, & in concionibus celeberrimus Quem Ludouicus Francorum Rex Christianissimus, eius nominis vndecimus, in magno semper pretio habuit, & iucundè audiebat, ac erga regimen, & quomodo erga quosdam regni rebelles se habere debebat, salubria consilia libenter ab eo suscipiebat. Hic celebris Magister cum Fratre Iacobo de Luna ex Aragonia C
Liber. 213. à Magistro Redemptor electus, ex terris in Africa à Mauris possessis 213. redemit captiuos.

Fratres nostri ordinis plures Redemptiones fecerunt, & maiorem fidelium captiuorum numerum redemerunt, quàm nostræ Chronicæ (propter scriptorum incuriam) commemorant. Ego autem bullas, & priuilegia nostri Conuentus Panormi euoluens, Sixti Papæ quarti bullam originalem inueni; in qua sua sanctitas mentionem facit de vna Redemptione à Magistro Fratre Francisco de Barthulono operata, vt patet in suis literis, tenoris sequentis, (multis verbis quæ non faciunt ad rem, breuitatis caussa demptis.)

Syxtus Episcopus seruus seruorum Dei, &c. rationi congruit, & conuenit æquitati, vt ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem fælicis recordationis Paulo Papæ II. Prædecessori nostro, pro parte Francisci de Bartholono expostito, quod cum aliàs ipse, qui prædicationi verbi Dei pro liberatione Christianorum, qui apud Barbaros Christi nominis inimicos durè carceribus detinebantur, ne fidem sanctam Catholicam, & orthodoxam abnegent, operam dare cupiebat; habitum per fratres ordinis Beatæ Mariæ gestari solitum, suscepisset, & illum per septennium gestauisset, prout tunc gestabat, multas elemosynas à pluribus Christifidelibus in Regno Siciliæ vltrafarum, sibi ad liberationem Christianorum huiusmodi oblatas recepisset, & ex illis triginta Christianos, qui apud Barbaros ipsos graui & intolerabili seruitute detinebantur liberauerat, & in dies plures Christianos cum Dei auxilio, & elemosynis sibi erogandis ab eadem seruitute liberare inten- D
Liber. 30. debat, &c. Sub datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1471. octauo E
1471. Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Idem summus Pontifex ad supplicationem generalis Magistri Gauer, (qui adhuc erat in humanis) inserendo bullas Alexandri IV. Clementis III. & Nicolai III. eas, & omnia à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus nostro ordini indulta, confirmat. Cuius confirmationis Bullæ tenor talis est. Syxtus Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Dilectis filijs Magistro Generali, & Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, sub regula Sancti Augustini degentibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per

priui-

A priuilegia, vel alias Indulgentias vobis, & ordini vestro concessas, nec nō libertates & exemptiones sæcularium exactionū a Regibus & Principibus, vel alijs Christifidelibus, rationabiliter vobis, & ordini vestro prędicto indultas, sicut eas iuste, & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem ordini auctoritate Apostolica approbamus & confirmamus; & de gratia speciali de nouo concedimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; specialiter autem nonnullas gratias, ac alias Indulgentias per Alexandrum IV. Clementem III. & Nicolaum III. Prædecessores nostros misericorditer elargitas (quarum tenores immediate subscribuntur) auctoritate prædicta confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere, & perpetuis viribus subsistere decernimus; mandantes contenta in eis perpetuis temporibus inuiolabiter obseruari. Itaque illis, vel earum effectui per alias quasuis Apostolicas, aut sedis Apostolicæ legatorum literas quorumcunq; tenorum fuerint, & quasuisque in se derogatorias clausulas B continentes, derogari non possit; nisi de eisdem literis Apostolicis de verbo ad verbum, & eiusdem Magistri dicti ordinis pro tempore existentis nomine, & cognomine fuerit facta mentio specialis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrarijs quibuscūque. Volumus etiam & de gratia speciali concedimus pro animarum remedio salutari, quod illa bulla, siue gratia, quæ a Domino Alexandro Papa IV data fuit scilicet plenaria in vita, & in mortis articulo totiesquoties benefactores Redemptionis captiuorum Christianorum fuerint in eo constituti, ab omnibus peccatis suis valeant obtinere plenariam remissionem omnium peccatorum suorum corde contriti, & ore confessi. Nec non etiam volumus, quod illa bulla a Domino Nicolao Papa III. concessa, quæ pro viuis & defunctis data fuit, scilicet pro animabus patris & matris, sit generalis etiam pro omnibus animabus defunctorum, siue patris, siue matris, siue viri, siue vxoris, vel generaliter pro illis, qui hoc beneficium contulerint, vel fecerint, in Domino misericorditer relaxamus; pariter & dimit-C timus illam pœnam, quam post lucem pro peccatis purgandis pati mererentur, auctoritate nostra Apostolica, soluēdo pro quolibet defuncto illud pretium designatum à Domino Nicolao Papa III. continens duos florenos auri Aragoniæ, vel eius pretium æquiualens. Volumus etiam, quod si forte aliquis fidelis Catholicus illo pretio nimius grauaretur, videlicet quod non valeat persoluere illud supradictum pretium propter nimiam paupertatem, seu inopiam, quod fratres dicti ordinis possint, & valeant rearbitrari vsque ad medietatem pretij præfati; vel secundum facultatem bonorum gentium. Alexandri Papæ IV. tenor talis est.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, &c. Prout sacra pagina testatur, &c Sub datum Perusij quinto nonas Maij, Pontificatus nostri anno quarto. Clementis Papæ III. tenor talis est.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum D Magister generalis & fratres ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum Christianorum pro Redimendis captiuis de manibus Sarracenorum totis viribus elaborent, & suæ facultates ad hoc exequendum minimè valeant; omnibus & singulis, qui de bonis suis à Deo sibi collatis duos florenos auri Aragoniæ, vel pretium æquiualens dicto ordini contulerint, pro solutione quarūdam exactionum, quas dicti Sarraceni Christi fidei inimici Redemptoribus dicti ordinis, postquam empti sunt fideles Christi, qui in potestate eorum captiui miserabiliter detinentur, pro vnoquoque iniustè exigunt, vt persoluant, dummodo de peccatis suis corde contriti fuerint, & ore confessi, concedimus, quod confessor idoneus, quem ipsi benefactores duxerint eligendum, peccatorum suorum plenariam remissionem concedere valeat de gratia speciali in mortis articulo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & Indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire, &c. E Sub datum Romę apud S. Petrum 13. Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno secundo. Tenor Nicolai Papæ III. talis est.

Nicolaus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, &c. Cum igitur Magister Generalis & fratres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum pro redimendis Captiuis Christianis de manibus Sarracenorum in agro militantis Ecclesiæ laborent quotidie ponendo corpora sua in periculis mortis, & cum sint propter paupertatem gētium in magna indigentia constituti, ideo postulant magnum auxilium, quia sine magno auditorio, non possunt dictos Captiuos de manibus Sarracenorum liberare; ergo iustum est, & ex debito vnusquisq; tenetur in hac pia elemosina subuenire. Quoniam nos volumus per istam elemosynam res ecclesiasticas alienari, & non solum bona temporalia, & spiritualia, sed etiam perso-

nas

nas proprias (si necesse fuerit) quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis; quia magna necessitas magnum requirit auxilium; & vbi sunt maiores necessitates, ibi maiora suffragia debent ministrari. Igitur omnibus & singulis, qui de bonis suis à Deo sibi collatis duos florenos auri Aragoniæ, vel eius pretium æquiualens dicto ordini contulerint, dummodo de peccatis suis corde contriti fuerint, & ore confessi, concedimus, quod possint eligere idoneum confessorem, qui auctoritate nostra Apostolica ipsos absoluat ab omnibus peccatis suis semel in vita, & in mortis articulo toties quoties fuerint constituti. Volumus etiam quod si fortè aliquis prædictam quantitatem dicto ordini contulerit pro animabus patris & matris, qui in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesię, ac obedientia nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contritione vera, atque confessione integra (si tempus adfuerit & possibilitas confitendi) ab hac vita migrauerint; Nos omnibus in Christo decedentibus, de misericordia Dei confidentes, de qua magis ac magis confidimus in cœlis, quàm ipsius auctoritate relaxamus in terris, omnem pœnam, quam post lucem eius sæculi pro peccatis purgandis pati merentur, auctoritate prædicta Apostolica misericorditer in Domino relaxamus, pariter, & dimittimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & indulgentiæ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbij nonas Augusti, Pontificatus nostri anno primo. Nec non etiam dilectis filijs Magistro Generali, siue Præceptori dicti ordinis, & Prioribus, commendatoribus & fratribus personas vestras, & locum in quo estis diuinis obsequijs mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter, & iustè possidetis, aut in futurum iustis modis (præstante Domino) poteritis quomodolibet adipisci, sub Beati Petri, atq; nostra protectione suscipimus; specialiter autem terras, possessiones, domos, vineas, prata, Pasqua, nemora, molendina, & alia bona mobilia, & immobilia ad præfatum ordinem legitimè expectantia, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & concessionis, susceptionis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Do-
1472. minicæ 1472. quarto Calend. Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Circa has Apostolicas Sixti IV. literas obseruandum est, bullam in eis insertam sub nomine Clementis Papæ III. nullo modo emanare potuisse à Clemente Papa III. qui Ecclesiam Dei regere cœpit anno Domini 1188. Idest per annos triginta antequam ordo noster fundaretur, sed ab alio Clemente videlicet Quarto, vel Quinto, vel Sexto.

Præfatus Magister Fr. Petrus de Logroño impetrauit ab eodem summo Pontifice Sixto IV. ad fauorem, vtilitatem, & augmentum Monasterij nostri ordinis Ciuitatis de Guadalaxara confirmationem, & approbationem cuiusdam Eremitorij, quod ipse sua solertia, atque
1473. industria obtinuerat; sub datum Romę apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicę 1473. die 10. Aprilis, Pontificatus sui anno tertio.

Dum Serenissimus Aragonum Rex suis fauorabilibus & gratiosis literis venerabilem Magistrum Fratrem Gomesium de Bosega, in Italia nostri Ordinis Prouincialem, Regium Capellanum, ac Consiliarium ad se in Hispaniam aduocari iubet, vt pro suis meritis & laboribus aliqua dignitate Ecclesiastica eum insigniret, atque ad aliquam principalem Ecclesiam sublimaret; ac dum tanti Regis iussis Magister Bosega parendo, omnia ad profectionem parat, & iam discedere vult; nostriq; Fratres, immo Magnates & Nobilissimi Panormi habitatores, sibi gratulantur, seque gaudere omnes de tanto fauore à Rege collato verbis testantur, & factis, in grauissimum incidit morbum. Quo post paucos dies extinctus est, ac si iam esset creatus Episcopus, debito honore tumulatus. Quo Religio nostra tanto destituta viro, mœsta nimis remansit. Sed pater consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione, alium similem suscitauit virum, præfatum scilicet Magistrum Barthulono, qui ob sua merita ab eodem Rege Episcopus nominatus est; de quo cito agemus.

Omnes nostri ordinis scriptores plurimis præconijs Reuerendissimum Magistrum ordinis, Fratrem Natalem Gauer magnifacere meritò solent. Fuit enim (si mores eius respicias) exemplaris, & inculpatæ vitæ vir, qui semper in via Domini ambulare studuit, nam vt ait Magister Zumel in breui vitæ eius narratione. In virtute Domini, virtutū signis, & mirabilibus gloriosus effulsit, virisque sanctissimis & religiosissimis comparandus. Ipse enim corpus

A pus suum cũ vitijs & cõcupiscentijs crucifigens, ab adolescentia ipsa à carnibus, & à vini vsu abstinebat. Fuit natione Gotholanus, Barchinonensis, & illius primi nostri ordinis Monasterij habitu & professione filius. In subtilitate ingenij, in quæstionibus agitandis, disputandis, & defendendis nemini inferior. Ob eas admirabiles virtutes optimo iure (cum esset in artibus, & Philosophia, ac in sacra Theologia Magister) ad magistratum ordinis assumptus est. Pro cuius muneris defensione plurima passus, ordinem in duas factiones diuisum, pacatum reddidit, & quod vnum tantum Pastorem agnosceret, sua prudentia & industria effecit. Nemini plus, quam huic clarissimo, & solertissimo Magistro, Religio nostra se obligatam sentit. Ipse enim fuit primus, qui licèt breui stylo quosdam nostri ordinis annales ad compendium ductos, in lucem edidit, & ad preces Fratris Bartholomæi Ledo composuit; vt patet ex prohemio libri; quod sic incipit.

B Frater Natalis in artibus, & Theologia Professor, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia totius Christianissimi, & sanctissimi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Magister Generalis, dilecto in Christo filio Fratri Bartholomæo Ledo, ciuitatis Barchinonæ, filio Conuentus Monasterij prælibati ordinis præfatæ ciuitatis, & eiusdem ordinis expressè professo, etiam à cunabulis nutrito, salutem in Christo Iesu. Dudum fili charissime tuis precibus curabas, &c. Et inferius, ad habendam (inquit) notitiam fundationis nostri sacri ordinis sciendum est, quod incepit anno Domini 1218. quarto idus Augusti; & sic sunt hodie, quæ est septima Aprilis anno Domini 1445. ducenti viginti sex anni, octo menses, & dies viginti octo, quod incepit, &c. Ex quibus annalibus plura nos deprompsimus. Vnde modò quid faciam, quò me vertam, aut quomodo ad præsentem annum 16 8. à fundatione nostri ordinis quadringentesimum impletum peruenire quæram, penitus ignoro. Si enim doctissimi Magistri Zumel in tractatu de vitis Generalium Magistrorum vestigia sequi proposuero, in incertum curro; nam ipse sapiens, potens & valens, quem vniuersus ordo noster in

C magno semper honore habuit, post exactam diligentiam, fatetur expresse in vita huius Magistri, vix certam quorũdam Magistrorum Generalium seriem reperisse, neque ipsorum electionum rationem inuenire potuisse. Ob id ego ex Romana Curia, & ex Ciuitate Panormi meis continuis literis Reuerendissimos ordinis Magistros, & Barchinonæ Priores, ac alios superiores rogaui, & sedulò instaui, vt Magistrorum Generalium creationes, qui post Magistrum Gauer ordinem rexerunt, ad me transmitti iuberent. Et vt hoc meum desiderium, solersque cura ad bonum, & ordinis vtilitatem directa & ordinata, suum facilius consequeretur effectum; nostrorumque superiorum animos ad preces meas inclinarem, per plures menses ne in errorem inciderem, impressionem operis distuli ac patienter expectans expectaui; immo ad eos hortandũ, & excitandum primum librum huius nostræ Chronicæ in hebdomada sancta anni præteriti expletum & impressum, cum alijs folijs secundi libri, etiam im-

D pressis, per nuntium certum destinaui. Sed ipsi nihil horum ad me mittentes, neq; aliud adminiculi genus exhibentes suis iussis per singulos dies me vrgebant, & præmebant, vt Chronicę iam inceptæ vltimum Colophonem adderem. Ob eam caussam magno meo labore, ex coniecturis, ex Pontificum bullis, Regum priuilegijs, atque ex litibus ab eo tempore vsque ad nostra motis, nec non ex breuibus nostri ordinis historijs nonnulla prius à me bene comprobata, indagare, & scribere potui; vt ex sequentibus patebit. Generalis igitur Magister Gauer recolendæ & bonæ memoriæ postquam laudabiliter, & fructuosè satis ordinem rexerat, sanctè obijt in suo Monasterio Barchinonæ hoc anno 1474. suo tempore de potestate 1474.
Sarracenorum liberati sunt 1676. Christi fideles. *Liber. 1676.*

E

Cap.

Cap. XVIII. B. Laurentius Company Magister ordinis eligitur. In Sicilia Archiepiscopus Panormitanus, & in Hispania Patres Sanctæ Trinitatis nostrum institutum retardare conantur. Sed Joannes Aragonum Rex viriliter nostrum ordinem defendit. Ad cuius supplicationem Sixtus Papa IV. priuilegia nostra confirmat. A

 B

1474. OST mortem Generalis Magistri Gauer Comitia generalia in nostro Monasterio Valentiæ pro eligendo nouo Magistro celebrata sunt. Vbi de vnanimi consensu in totius ordinis Pastorem & Magistrum electus est beatus vir Frater Laurentius Company; de cuius singularibus virtutibus ac laudibus nonnulla post mortem eius tangemus.

Sixtus Papa IV. ad supplicationem Commẽdatoris, & fratrum Conuentus nostri ordinis ciuitatis de Segouia facultatem concedit pro dicti Conuentus caussis & emergentibus negotijs iudicem conseruatorem eligendi. Sub datum C
Romæ, pridie Calend. Septembris, anno Domini 1474.

1474. Venerabilis & perdoctus Magister, Frater Franciscus de Barthulono, erat per hęc tempora Prouincialis Italiæ, atque Prior Conuentus Panormi. Qui Prioratus magni æstimari solebat; eo quod superior dicti Monasterij locum, & vocem in consilio vulgariter *Parlamento* appellato, (quod in Siciliç Regno tertio quoque anno celebrari solet) ad instar Episcoporum & Abbatum habere solebat. Quam dignitatem, & præeminentiam ignauia atque incuria cuiusdam Prioris vocati, & citati, non comparentis nostrum ordinem amisisse ferunt. Magister igitur Barthulono multa bona fecit in suo Prioratu Panormi. Emit a Monachis Sancti Martini de Scalis viridarium illud prope nostrum Cœnobium, in quò modo plures cernimus domos per nos & externas personas fabricatas ad eiusdem Monasterij proprietatem pertinentes, cum insignibus & scuto ordinis patenti loco de more affixis. Fecit simili- D
ter priuilegia omnia regia ad supplicationem sui in Prioratu immediati Prædecessoris per Illustrissimum D. Lupum Ximenez de Vrrea, in Siciliæ Regno Proregem executoriari, & iuxta contenta in eis ad vnguem obseruari. Sub datum die 18 Septembris, octaua indictio.
1474. anno 1474.

Mense Decembris eiusdem anni 1474. obiit Matriti Henricus Castellæ Rex, eius nominis quartus. Cui successit Elisabeth soror eius, ac Ferdinandi Regis Catholici vxor.

Magister Fr. Franciscus Barthulono, in Italia & Siciliæ Regno Prouincialis, seu Vicarius generalis, pro sui muneris debito, suos per vniuersam Siciliam Nuntios, & Procuratores destinauit; qui pro redimendis Captiuis, elemosynas peterent, & similiter ad hunc effectum bullas Apostolicas, & Regia priuilegia publicarent, populisque nota facerent. Nuntij igitur Redemptionis ingentes breui tempore congregauerunt pecunias, vigore saluæ guardiæ E
à Rege Aragoniæ obtentæ. Eam ob caussam Vicarius Generalis multorum non potuit effugere inuidiam; qui ex eius in colligendis elemosynis fœlici euentu, dolore maximo affecti, ad Archiepiscopum Panormitanum grauem detulerunt querelam, inter alia afferentes; Vicarium Generalem ad elemosynas procurandas homines misisse perditissimos; qui bullas falsas, & priuilegia similiter falsa, dolosè fabricata, simplicibus, & idiotis populis prædicabant, ac prædicari faciebant. Quibus fraudulentis medijs (in pauperum, & Xenodochiorum maximum detrimentum, & damnum) magnam pecuniarum summam, (quæ in potestate Vicarij Generalis reperiebatur,) receperant, ac collegerant.

Archiepiscopus Panormitanus (quem nonnulli Simonem de Bologna credunt, sed falsò, quia de anno 1465. obierat) nomine Nicolaus, seu Paulus de Vicecomitibus præfata sinistra informatione præcedente, zelo (vt ipse dicebat) veris pauperibus fauendi, ac falsos & fictos,

qui

A qui se pauperes esse simulant castigandi, & emendãdi, commotus, fratrem nostrum, Prouincialem Magistrum, non subditum suum, contra omne ius, ac debitum iustitiæ terminum, de facto, & de potentia carceri mancipari iussit, bonaque Redemptionis ab eo surripiens, in alieno deposito reponi præcepit. Quæ omnia acta fuerunt in ciuitate Panormi mense Decembris huius anni 1475. Sed non defuerunt, qui nomine Magistri Barthulono, Magistro Generali ordinis, hęc omnia nota facerent, vt pro ordinis decore, & instituti nostri defensione laboraret, ac remedium opportunum procuraret. Quod feruidus, & zelator Magister egrè ferens, ad Serenissimũ Ioannem II. Aragoniæ, & Sicil. ę Regem, querelosam insinuationem præsentauit. (Quo audito) Regem verba minacia protulisse ferunt; & de remedio pro modo culpæ prouidere volens, priuilegium suum expediri iussit tenoris sequentis. 1475.

Ioannes Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ, Nauarræ, Valentiæ, Maioricarum, Sardi-B niæ, & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rosilionis, & Ceritaniæ, spectabili Magnifico, dilecto Consiliario, & Camerlengo nostro Lupo Ximenez de Vrrea in dicto nostro Siciliæ Regno Viceregi salutem, & dilectionem. Graui querela exposuit coram nostra Maiestate venerabilis Religiosus, & dilectus Magister Frater Franciscus Barthulono, Prior domus Sanctæ Annæ ciuitatis Panormi, ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, & Vicarius Generalis in partibus Italiæ eiusdem ordinis inquiens; quod licet ipse, & omnes Religiosi, & res huius ordinis sint exempti, videlicet quod nemo de eis cognoscere aut iudicare possit, nisi aut Summus Pontifex, aut Magister Generalis, aut Vicarius Generalis ordinis ipsius, aut nos, vel persona aliqua præeminens nostram Maiestatem repræsentans, & hoc vigore priuilegiorum tam Apostolicorum, quam regiorum per gloriosæ recordationis Iacobum Aragonum, Siciliæ, &c. Regem Proauum, & Prædecessorum nostrum ipsius Religionis fundatorem, ac deinde per alios C eius Successores, nobisque Prædecessores, & per nos Concessorum, atque Confirmatorum; & vigore saluaguardiæ per nos eisdem concessæ à nemine damno aliquo iniuria, aut exactione affici debeant; his tamen non obstantibus Reuerendis in Christo Pater Archiepiscopus Panormitanus, his diebus superioribus, accepit nõnulla legata ad ordinem, & Religionem ipsam pertinentia (eodemque Vicario Generali, ac alijs fratribus Ordinis, & Religionis inuitis;) ac deinde quia idem Vicarius ausus est ad nos confugere, (vt dicebat) ad impetrandum literas pro reparandis legatis ipsis, prædictus Archiepiscopus non solum ei legata restituere tenuit, sed eumdem Vicarium captum detinuit quinque diebus, magnis compedibus vinctum. Præterea eos, qui elemosynas petebant more solito pro Captiuorum Redemptione ab Ecclesia sui Archiepiscopatus expulsit. Quæ omnia si ita sunt, quis dubitat, vt non parum dicto Vicario, cæterisque Religiosis prædicti ordinis, sed magno D damno, & incommodo, verumetiam nostrę iurisdictioni, Religionisque Christianæ ingenti detrimento fuisse; quandoquidem elemosynæ, legata, & cætera omnia dicti ordinis pro augmento, & conseruatione Christianæ fidei inuenta, & dedicata sunt; insuper quia benè ea per dictos Religiosos administrantur; non per Archiepiscopos, aut Prælatos aliquos corrigi, aut emendari debent, sed per eos ad quos pertinet, vt in priuilegijs saluaguardiæ, & alijs prouisionibus illis concessis, & confirmatis ad quæ, & quos nos referimus, continetur.

Quare igitur Vicarius pro parte venerabilis Religiosi, & dilecti nostri Magistri Generalis eiusdem ordinis, & sua, nobis humiliter supplicauit, vt super prędictis legatis restituendis, & alijs damnis, tam illatis, quam, & quæ inferri possent, si non prouideretur, & super pœnis Commissis pro dictorum priuilegiorum, & saluaguardiæ fractione debitè prouiE dere dignaremur. Cui supplicationi veluti iustæ, & rationi consonæ benigne annuentes, & præsertim quia est nobis maximè cordi priuilegia, & cætera omnia eidem ordini concessa obseruare, & conseruari facere, iurisdictionemque nostram nullo modo diminuere; immò in eos, qui contra eam quidquam faciunt debito modo animaduertere, & præcipuè in eum pariter, qui contra nos, & Religionem Christianam facere videtur; vobis dicimus, præcipimus, & iubemus sub indignationis nostrę iactura, pęnaque vnciarum mille, vt præsentibus acceptis, in primis dicta Legata eidem Vicario, aut illis eiusdem ordinis Religiosis ad quos spectabit, restitui faciatis; (quosuis detentores pro viribus quibus decet ad restituendum cogendo) Deinde elemosynarum prædictarum petitores, qui (vt dicitur) expulsi fuerunt, & coacti ne peterent, restituatis, ac restitui ad petendum (sicuti solebant) faciatis, & non posthàc prędictum Archiepiscopum, nec alium quemuis Prælatum aut personam

aliquam cuiuscumq; dignitatis, honoris, & conditionis sit, contra priuilegia, saluaguardiam, A
&c. ipsis Religiosis, & dicto ordini atq; Religioni concessa quidquam agere, aut attentare permittatis. Immò volumus. & sub dictis pęnis, vobis, (qui vices nostras in isto Regno geritis) præcipimus, vt eosdem Religiosos ab omni damno, & calumnia, vexationeq; eripiatis, & defendatis loco nostri, ad quos facere, & pertinere spectat, & prędicta priuilegia, saluaguardia. &c. illis concessa, & confirmata ad vnguem seruando, & seruari faciendo, & iuxta illorum priuilegiorum, & saluaguardię vires, prędictum Archiepiscopum pro pęnis commissis, ac cęteros omnes, qui contra prędicta priuilegia, & salua guardiam fecerunt, & quidquam attentarunt, aut facient deinde attentare, puniendo eos, & remedijs, quibus, in similibus fieri solitum est, & debet; sic enim pro iustitia faciendo iurisdictionisq; nostrę, ac Religionis Christianę confirmatione fieri volumus, & duximus prouidendum. Ne igitur contra faciatis, aut quidquam in prędictis facere permittatis, si gratia nostra vobis chara est, & B
dictam pœnam cupitis euitare. Datum Barchinonæ 22. Maij 9. Indict. Anno à Natiuitate Domini 1476. Dominus Rex mandauit mihi Antonio Giraldino. Fuit vis. per Vici. cui
1476. fuit commissum.

Quod regium priuilegium cum esset ostensum, & præsentatum Eccellentissimis Siciliæ Proregibus, illud de verbo ad verbum inserendo executioni demandari iusserunt in hanc formam. Ioannes, &c. Vicereges, &c. Magnifico, & nobilibus eiusdem Regni Magistro Iustitiario, eiusque in Officio Regio locumtenenti, & Iudicibus Magnę Regię Curię, Magistris Rationalibus, Thesaurario, & Conseruatori Regij patrimonij, eorumque loca tenentibus, & cæteris vniuersis, & singulis dicti Regni officialibus, tam præsentibus, quam futuris, cui, vel quibus præsentes peruenerint, seu fuerint quomodolibet præsentatæ, Consiliarijs Regiisque fidelibus, dilectis salutem, &c. Cum Sacra Regia Maiestas Serenissimi C
Domini nostri Regis prouiderit, & mandauerit sub forma sequenti. Ioannes Dei gratia, &c. Præterea volentes, (vt tenemur) Regijs parere mandatis prouidemus, vobisque harum serie dicimus, & mandamus expressè, quatenus prouisionem Regiam præinsertam, omniaque & singula in ea contenta præfato Reuerẽdo Fratri Francisco de Barthulono Priori, & Vicario, iuxta sui seriem, & continentiam pleniorem exequi, tenere, & inuiolabiliter obseruari, & per quos decet faciatis, & non secus agatis, aut fieri permittatis pro quanto gratia Regia vobis chara est, pœnamque in eodem præinserto priuilegio, contentam cupitis euitare. Datum Panormi, die 18. Martij. 10. indict. 1477. De Peralta. Pugiades, Domini Vicereges
1477. mandauerunt mihi Gerardo Agliata Prothonotus. Ex libris Officij Conseruatoris Regij Patrimonij extracta est præsens copia. Nicolaus Vincentius Carbonus Coadiutor.

Quidam venerabilis Pater Fr. Simon de Camargo in Regnis Castellæ, & Aragoniæ Prouincialis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, seu R. Pater Frater Gundisaluus de Aquilar minister Monasterij eiusdem Ordinis ciuitatis Toleti, eius Procurator recursum habẽs ad Dominum Ioannem obtinuit ab eo falsa narratiua quasdam confirmationes, prouisionesque Regias in magnum nostri Ordinis detrimentum; & in specie obtinuit confirmationem priuilegiorum, quæ dictus ordo obtinuerat ab Alphonso, & Maria Aragoniæ Regibus (tunc vt supra diximus Fratre Iacobo Ferrada supplicante.) Sub datum Barchinonæ die 14. Iunij huius D
1477. anni 1477.

Quæ ægre ferentes Prior nostri Conuentus Barchinonæ, & actualiter Redemptores ad dictum D. Ioannem Regem Barchinonæ commorantem, recursum habuerunt, ei humiliter supplicantes, quatenus commemorata priuilegia ordini Sanctissimę Trinitatis, in magnum nostri ordinis detrimentum concessa, reuocare dignaretur, in reuocatione exprimendo ad solum ordinem nostrum, munus redimendi spectare, & pertinere. Quod Dominus Rex fauorabili priuilegio gratanter concessit; quod est tenoris sequentis. E

Ioannes Dei Gratia, Rex Aranonum, Nauarræ, Siciliæ, Valentiæ, Maioricæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Rossilionis, & Cerithaniæ; Reuerendis, & venerabilibus in Christo patribus ægregijs, spectabilibus, magnificis, dilectis, Consiliarijs, & fidelibus nostris, vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Vicarijs Generalibus, Officialibus, & alijs personis Ecclesiasticis, Ducibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Nobilibus, Richis hominibus, Militibus Generosis, Officialibus quoquè, & Subdidis nostris quibuscunque, tàm maioribus, quàm minoribus ad quem, seu ad quos huiusmodi nostræ literæ peruenerint, seu præsentatæ fuerint, ac pertinent, seu pertinere quomodolibet dignoscatur, vbicun-

A cunque Regnorum & terrarum nostrarum, & alibi constitutis, & constituendis, dictorum-
que Officialium Locum tenentibus, præsentibus,& futuris salutem & dilectionem pietatis-
que semper abundare operibus. Etsi nostram deceat maiestatem Religiosorum ordinum
priuilegia, & immunitates potenter tueri, ac defender, emulto amplius illorum, quorum ipsa
seu Prædecessorum nostrorum memoria indelebilis. Regum Aragonum Illustrissimorum
fundatrix, ac patrona extitit. Et tanto magis cum ex concessione ipsa laudabile charitatis
opus sequatur, quo nullum maius. Nostram etiam decet iustitiam, vt siquid ab eadem im-
portunitate, obliuione, aut arduis quibusdam negotijs præoccupata impetratum fuerit, seu
concessum contra priuilegia memorata, illud ipsum ad debitum reducat statum. Cum igitur
hactenus à fundatione ordinis Sacri Beatæ Mariæ de Mercede, fratribus ipsius ordinis (cuius
Prædecessores nostri, fœlices inuentores, fundatoresque extitere,) diuersis priuilegijs sit
B concessum, vt ipsi soli in regnis & terris nostris, pro Redemptione Captiuorum Christiano-
rum elemosynas petere, ac elargitas exigere absque impedimento aliquo possint, ac in posses-
sione fuerint; Redemptionesque quamplurimas ex prædictis elemosynis, ac elargitionibus
fecerint; quod in defensionem fidei Christianæ, gloriam Dei, laudemque nostram, & in re-
missionem peccatorum nostrorum, ac Prædecessorum nostrorum nemo ambigit; quidam
tamen fratres Ordinis Sanctæ Trinitatis, prætextu cuiusdam assertæ sententiæ per quēdam
assertum Procuratorem Monasterij Beatæ Mariæ de Mercede ciuitatis Barchinonæ, & alias
quas à nobis nouissimè obtinuerunt prouisiones, sub datum in præsenti ciuitate die 14 Iunij,
proximè effluxi, vt & ipsi elemosynas pro Captiuorum Christianorum redemptione petere
possent: nos attendentes sententiam præfatam toti ipsi ordini præiudicium generare non
potuisse, quia latam non vocato eo, qui à toto ordine potestatem haberet, neque visis priui-
C legijs omnibus ordinis eiusdem, minusque etiam Fisci nostri Patrono, cum nostrum ma-
gnum verteretur interesse; ordo enim ipse à Prædecessoribus nostris,(vt præfertur)fundatio-
nem donationemque acceperit; nosque Patronum, & vt Patrem, ac Protectorem solum ha-
bet, nostraque arma pro habitu in pectore portant fratres ipsi; ex quibus & alijs nostrum in-
teresse magnum vertebatur ac vertitur. Nolentesque præmissis attentis ac alijs per ipsam præ-
tensam sententiam ipsi ordini cum tanto etiam nostro præiudicio præiudicari, sed potius vo-
lentes priuilegia concessa ordini memorato (quibus derogatum per prædictam sententiam
non extitit seu potuit,) vt tenemur inuiolabiliter obseruari, & potius Redemptionibus
Christianorum,(vt frequentius fiant) locum dare, quàm eisdem obiare, quod fieret, si in exi-
gendis ipsis licentia per ipsos fratres Sanctæ Trinitatis impetrata non reuocaretur; propterea
venerabilis Prior Beatæ Mariæ de Mercede Conuentus Barchinonæ, vnà cum Redempto-
D ribus dictorum Captiuorum ad nos recursum habuerunt, similiter supplicantes, vt eisdem
super dictis debitè prouidere dignaremur. Nosque visis, & diligenter resensitis, atque exa-
minatis priuilegijs, sententia, & alijs prouisionibus prædictis, & signanter nouo priuilegio
per nos dicto ordini post dictam sententiam concesso, volentes laudabiliter à Prædecessori-
bus nostris pro tanto beneficio (vt prædicitur) concessa, rata habere; (præeunte nostri Sacri
Consilij deliberatione matura, & digesta) requirendos ex vobis requirimus, rogamus, &
monemus attente; alijs vero dicimus & mandamus de certa nostra scientia, & expresè sub
nostri amoris & gratiæ obtentu, pœnaque florenorum auri de Aragonia duorum mille, vt ad
dictas elemosynas petendas, & elargitas exigendas, Redemptionemque ipsam faciendam
Prædictos fratres Trinitatis minimè admittatis, neque permittatis; quinimmo eas per di-
ctos fratres Beatæ Mariæ de Mercede fieri tantummodo (vti consueuerunt) faciatis, & pa-
E tiamini; ipsosque in eorum antiquissima possessione manutenendo, defendendo, & viriliter
contra cunctos conseruando, auxilium (si opus fuerit,) & fauorem opportunum requisiti pro
eorum parte impendendo, tanti meriti participes futuri, & à contrario peragendo diligenter
caueatis, quanto vos Ecclesiasticæ Personæ, & alij nobis morem gerere, cæteri officiales, &
subditi nostri prędicti gratiam nostram charam habere; & pœnam prę appositam cupitis non
subire. Sic enim fieri volumus, exequi, & seruari omni contradictione, difficultate, & con-
sulta cessantibus; (sententia iam dicta & præmentionata, alijsque quibusuis literis, seu pro
uisionibus per ipsos fratres Trinitatis impetratis, cæterisque impedimentis allegatis, & alle
gandis nequaquam obstantibus. ¶ Datum Barchinonæ, die quinta Septembris, anno à Na- 1477.
tiuitate Domini 1477. Rex Ioannes. Dominus Rex mandauit mihi Ioanni Christiani vi-
dit. Per R. Episcopum Gerundensem Cancs. vidit R. Cancs. regens Thesauriam. P. Rossell
pro conseruatore.

Eodem anno Frater Ioannes Rodriquez pro Castella, & Frater Petrus Teruel pro Aragonia Redemptores liberarunt ex Africæ partibus 180. Christi fideles. De qua redemptione facit mentionem Sixtus Papa IV. in sua bulla (vt cito videbimus.) A

Liber. 180

Ioannes Aragonum Rex priuilegio præfato, nobis concesso, adeò fauorabili non contentus, in maioris amoris signum, sanctissimo supplicauit, quatenus dignaretur omnia nostra priuilegia, & à suis Prædecessoribus ordini nostro concessa, in amplissima forma confirmare. Cuius precibus sanctitas sua annuens, concessit bullam tenoris sequentis.

Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ gratiosa benignitas pijs quarumlibet & præsertim sublimium, ac aliarum sub regulari castimonia Domino militantium Personarum, quarum labore, industria, & auxilio, vtriusque sexus Christi fideles, in miserabilem seruitutem, & captiuitatem Sarracenorum Christi fidei inimicorum dati, à seruitute, & captiuitate huiusmodi liberantur, votis libenter annuit; & ijs quæ ab ea pro huiusmodi Religiosis personis, ac earum officio facilius expediendo profecisse comperit, interdum Apostolici muniminis vinculum, vt eo firmius illibata persistant, quo frequentiori fuerint præsidio stabilita, cum ab ea petitur, vberius adijcit, prout Catholicorum Principum exposcit deuotio, & in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem fœlicis recordationis Calixtus Papa III. Prædecessor noster nonnulla præceptum, monitiones, concessiones, relaxationes, & remissiones, & omnia & singula in quibusdam literis per piæ memoriæ Bonif. VIII. Alex. IV. Clemen. VI. Greg. XI. Marti. V. Euge. IV. Romanos Pontifices, etiam Prædecessores nostros Generali & fratribus ordinis Beatę Marię de Mercede Redemp. Capti. sub regula Sancti Augustini, concessis, contenta, ac inde secuta, quæ auctoritate Apostolica, & ex certa scientia approbauit, & confirmauit, ac Apostolici scripti patrocinio communiuit, decernens illa perpetuis futuris temporibus infallibiliter obseruari, prout tunc, & hactenus ritè, & pacificè obseruata fuerunt; prout in dicti Calixti Prędecessoris literis, (in quibus aliorum Prædecessorum prædictorum literæ sunt insertæ, & quas de verbo ad verbum inseri fecimus;) plenius continetur. Quare pro parte charissimi in Christo nostri Ioannis Aragonum Regis illustris, & Generalis ac fratrum dicti ordinis dilectorum filiorum, asserentium, dictum ordinem per claræ memoriæ Aragonum Reges dicti Ioannis Prædecessores fundatum fuisse, ipsosque Generalem, & fratres ex elemosynis, quas à Christi fidelibus inueniunt, fideles Captiuos à Captiuitate huiusmodi liberare; nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnia & singula per Calixtum, & alios Prædecessores prædictos Generali, & fratribus ordinis huiusmodi concessa, & in omnibus literis prædictis contenta robur perpetuę firmitatis obtinere decernere, illaque eis de nouo concedere. Et vt Christi fideles liberius & promptius ad Christi fidelium Captiuorum apud eosdem Sarracenos detentorum redemptionem, & liberationem manus porrigant adiutrices, omnes & singuli vtriusque sexus Christi fideles, qui in ingressu Confraternitatis dicti ordinis duos solidos cum dimidio monetę iacentis, & quodlibet anno septem denarios præfatæ monetę, aut tantum in æquiualēti moneta pro redemptione Captiuorum huiusmodi erogauerint, quemcunque Præsbyterum sæcularem, vel regularem in suum possint eligere confessorem, qui eorum confessione diligenter audita, eos & eorum quemlibet ab omnibus & singulis excessibus, peccatis, criminibus, & delictis sedi prædictæ non reseruatis semel in vita absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere, nec non in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam concedere valeat, perpetuo statuere, & ordinare; aliásq; in præmissis opportunè prouidere de Apostolica benignitate dignaremur. Nos igitur qui fideles prædictos à captiuitate, & seruitute huiusmodi nostris potissimè temporibus liberari summopere affectamus huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula per Calixtum, & alios Prædecessores Romanos Pontifices prædicto Generali, & fratribus prædictis concessa) ac in insertis aliarum Prædecessorum nostrorū literis contenta, robur perpetuæ firmitatis obtinere auctoritate prædicta ex certa nostra scientia tenore præsentium; illaq; Generali, & fratribus prædictis prout sibi per eosdem prædecessores nostros concessa fuerunt, de nouo concedimus; ac vt omnes, & singuli vtriusq; sexus Christi fideles præfati, qui in ingressu confraternitatis prædictæ duos solidos cum dimidio, & quolibet anno septem denarios huiusmodi, aut tantundem, (vt præfertur) pro redemptione prædicta erogauerint, quamcumq; Præsbyterum qui (eorum confessione diligenter audita) eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis excessibus, peccatis, criminibus, & delictis sedi prædictæ non reseruatis semel in vita absoluere, ac pænitentiam salutarem iniungere; necnon in mortis articulo

B

C

D

E

A culo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam concedere valeat, auctoritate, & scientia nostra prædictis, eorúdem præsentium tenore, perpetuo statuimus, & ordinamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, aut quibusuis literis apostolicis suspensionum, & reuocationum indulgẽtiarum plenariarum quarumcumq; tam à nobis, quã à recolendæ memoriæ Pio Secundo, & Paulo etiam secundo, similiter Romanis Pontificibus, & Prædecessoribus nostris, ac Calixto prædicto cum quibuscumq; etiam derogatoriarum derogatorijs, ac alijs fortioribus, & insolitis clausulis emanatis, & etiam à nobis emanandis quorumcumq; tenorum existant; etiam si in illis expressè caueatur, quod eis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma tunc expressis derogari possit; quas, & illarum vim, & effectum ad præmissa non extendi debere, nec posse etiam decernimus, pariter, & declaramus; cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Tenor vero literarum prædictarum B talis est.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, dispositione diuina quamuis immeriti Dominico gregi pręsidentes, &c. vt supra. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, cæterisq; ecclesiarum Rectoribus, Præsbyteris, Curatis, & non curatis, & omnibus alijs ad quos præsentes literas peruenerint; salutem, & apostolicam benedictionem. Querelem grauem suscepimus, &c. vt supra. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, cæterisq; ecclesiarum Rectoribus, & omnibus alijs ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem, & apostolicam benedictionem. Prout scriptura testatur, &c. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Non obstantibus constitutio-C nibus, &c. Sub datum Romæ Quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno Quarto. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos pręsentes literę peruenerint salutem, & apostolicam benedictionem. Licet indigentibus vniuersis, &c. Sub Datum Romæ. 3. idus Maij Pontificatus nostri anno. 3. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, tenorem quarumdam literarum fælicis recordationis Nicolai Papæ Quarti Prædecessoris nostri in registro ipsius Prædecessoris repertum de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, &c. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Archipresbyteris, & ecclesiarum Rectoribus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Dilectos filios magistrum, & fratres domus. S. Eulaliæ Barchinonen̄ ordinis. S. Augustini de Mercede Captiuorum salubri studio pietatis, &c. Sub datum Auenioni octauo idus Ianuarij Pontificatus nostri anno IV. Martinus Episcopus D seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex apostolicæ sedis prouisione, &c. Pro parte dilectorum filiorum magistri, & fratrum ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, sub regula beati Augustini degentium, nobis extitit humiliter supplicatum, vt fœlicis recordationis Clementis Papæ Quarti Prędecessoris nostri eis, qui tunc magister, & fratres Hospitalis sanctæ Eulaliæ Barchinon̄ nuncupabantur concessas literas cum incipiant vetustate consumi innouare de benignitate apostolica dignaremur, quarum tenor (signis, & caracteribus exceptis) sequitur in hęc verba. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos literę istæ peruenerint salutem, & apostolicam benedictionem. Si iuxta sententiam sapientis, inter tempus seminandi, &c. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs magistro, & fratribus beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorom, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentibus E salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, &c. Sub datum Bononiæ anno incarnationis dominicæ 1436. quinto nonas Octobris Pontificatus nostri anno Sexto. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ constitutionis, concessionis, statuti, ordinationis, Decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentarę præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Romæ apud. S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1478. Septimo Calendas Nouembris Pontificatus nostri anno VIII.

Sixtus 4.

1478.

Hoc anno 1479. non sine maximo totius nostri Ordinis mędrore Barchinonę obijt 4. Calen. Februarij Ioannes Aragonum Rex eius nominis Secundus, magnus nostrę Religionis defensor, & Protector: cui successit Ferdinandus eius filius, cognomento Catholicus. Qui 1479.

Qui hoc eodem anno, sub datum Cęsaraguſtę die nona Iulij confirmauit priuilegia per ſuos A
Prędeceſſores noſtro Ordini conceſſa.

Floruit per hęc tempora Illuſtris admodum, & Reuerendiſſimus Dominus Frater Didacus de Muros, famoſiſſimus in Sacra Theologia Magiſter, in ſermonibus ad populum ardens verbi Dei concionator, ſingulari exquiſitaq; eruditione condecoratus, inclytum prouincię noſtrę Caſtellę ornamentum, & ſingulare decus; diuerſo ac vario ſcientiarum, & doctrinę genere prędītus, vir ingenio acutus, & ſubtilis, & inagendis, & tractandis grauibus negotijs dexteritate pollens, meritiſſimus Eccleſię Tuyenſis Epiſcopus. Cuius labore, & conſilio non ſolum Reges, & Principes Hiſpanię, ſed etiam externi, Gallię ſcilicet, & Italię (ad quas regiones plures legationes obiuit) vti ſolebant. Sed cum anno pręterito 1478. Septimo Calendas Octobris Romę obijſſet D. Petrus Ferrici Hiſpanus. S. R. E. Presbyter Cardinalis Titulis ſancti Sixti Epiſcopus Tyraſonenſis, & D. Ioannes Aragonum Rex eius nominis Secundus ſanctiſſimo Sixto Quarto ſupplicaret, vt in demortui locū D. Ioannem de Nauarra nepotē ſuū ſuffici iuberet, eiuſq; precibus annuendi ſigna, & intenſionē oſtenderet; ſubſecuta tamen Regis morte, Sixtus Papa liber effectus non Regis nepotem, ſed Andream Martinez Epiſcopum Tyraſonenſem elegit, & conſtituit. Quo Ferdinandus Rex qui (vt modo diximus) Ioanni Patri ſucceſſit, non modica iracundia repletus per ſuum in Romana Curia oratorem Pręfato Andreę Martinez pręcepit, vt regalibus literis receptis, Epiſcopatui a ſummo Pontifice ſibi collato, continuò renunciare non tardaret; Summum vero Pontificem exornauit, quatenus dignaretur D. Petro Gundiſaluo de Mendoza, filio Marchionis de Santillana. S. R. E. Cardinali Epiſcopatum Tyraſonę concedere; & ſimiliter quod dignitates, & beneficia regnorum Caſtellę & legionis non externis, ſed Hiſpanis a Rege Hiſpanię propoſitis, & nominatis, deinceps conferri deberent. Ad quod magni momenti munus, & vt fędus nomine Regum Catholicorum cum Neapolitano Rege, & Italię Principibus iniret, ſuum Regium, & ſpecialem Oratorem, & Nuntium elegit noſtrum pręfatum Fratrem Didacum de Muros Epiſcopum Tuyenſem, vt expreſsè affirmat Hieronymus Zurita in ſuis Annalibus tomo 4. cap. 31. Quod legationis munus fęliciter expleuiſſe ferunt; & multa alia ęgregia facinora in vita ſua feciſſe, & opuſcula in lucem edidiſſe, quę temporum iniuria, & noſtrorum ſcriptorum incuria, ad meam notitiam non deuenerunt.

Cap. XIX. B. Laurentius Company Magiſter Ordinis Sanctè obijt. Cui Fr. Antonius Morello ſuccedit. Magiſter Barthulono Epiſcopus creatur. Et noſter ordo bullis apoſtolicis, & regalibus priuilegijs locupletatur.

1479. OC anno obijſſe Sanctum virum ordinis magiſtrum Fratrem Laurentium Company conſtanter affirmat Reuerendiſſimus Magiſter Zumel, & deinde Epiſcopus de Xacca Magiſter Guimeran, qui diffuſius vitam eius ſcripſerunt in locis ſępeà me citatis. Cum igitur nō habeam alium auctorem, quem ſequar, & illa fulgentiſſima, & ſplendidiſſima magiſtri Gauer ductrix ſtella ab oculis noſtris ſit cum vitę ſuę occaſu abſcondita, pedetentim, & non ſine timore (ne in errorē incidam vt ſuperius dixi) ambulare me oportet. Fuit magiſter Company ex nobilibus, & Chriſtianis parentibus Valentię in Hiſpania natus, vel (vt alij volunt) in oppido Podij parum ab eadem Valentię vrbe, diſtante. Ab infantia piè educatus, cuidam ſanctimonia, & ſcientia prędito viro, literis, & bonis moribus imbuendus traditus eſt. Sub cuius diſciplina mirificè profecit. Adhùc puer quando ſibi infra hebdomadam a quotidiana lectione vacare licebat, non cum alijs pueris ad ludos, & ad vaniloquia, ſed cum ſuo Pedagogo, & nonnullis ex paterna domo famulis extra ciuitatem, ſolitaria loca, & ab hominum frequentia ſegregata petere ſo-

A re solebat. Quam consuetudinem dum vixit (vt potuit) seruauit. Sciebat enim à solitaria
vita (in qua Deus summè delectatur) quatuor tamquam à Paradiso exire emanareque spiri-
tualia flumina, sapientiæ scilicet, veritatis, castitatis, & continentiæ, esseque à Detractori-
bus, Murmuratoribus, discordijs, rixis, fabulis, mendacijs, proditionibus, & ab alijs vene-
nosis vitijs valde alienam. In vita enim solitaria non murmur resonat, non querimonia, sed
corde tacito mens bene conscia, & lingua pretiosa verba diuina, & cœlestia semper erumpit
colloquia. Cū igitur sub correctione tanti Magistri Laurentius prima literarū rudimēta atti-
gisset, & ad humaniores literas accuratè incubuisset, disposuit Deo, eiusq; gloriosissimæ Ma-
tri in nostro ordine deseruire, statimq; oppidū Podij adiuit, & a Commendatore eius domus
habitum petijt. Quem Commendator benigne recepit. Sed cum firmum nobilis viri pro-
positum, & intentionem exploratam non haberet, habitum ordinis non statim contulit ei;
B immo per aliquot dies vestibus sæcularibus retentis commouit eum, vt prius Religionis ri-
gorem, & vitæ austeritatem (qui delicatus erat) cum alijs iuuenibus, & nouitijs experiretur.
Quod patienter, & læta fronte nouus Christi miles adimpleuit. Et cum Commendator in
sancto proposito iuuenem Laurentium persistentem cerneret; habitum Religionis concupi-
scenti animo exoptanti, amplius differre noluit. Religiosus effectus, lingua enarrare non
sufficit, quæ in corde contrito, & humiliato, in abstinentia, in assidua oratione se exercendo
laudabiliter, & fructuosè perfecerit. Ritè, & rectè ad omnes Ecclesiæ sanctę ordines fuit pro-
motus; populo Christiano, & etiam pagano (obtenta à Diœcesano locorum benedictione)
munus concionandi (præcedente licentia Generalis Magistri Fr. Iacobi Aymerich) per plu-
res annos nō sine animarū lucro exercuit. Commendas principaliores suæ Prouinciæ since-
rè, & laudabiliter rexit; præsertim commendam Sanctæ Mariæ de Podio, ex qua Definitor
electus est in Capitulo villæ Acrimontis Anno Domini 1437. (vt supra tetigimus) Plures
C Christi fideles vtriusque sexus è Maurorum potestate, summa charitate liberauit. In quo
piissimo opere explendo, adeò diuinæ placuit maiestati, vt mare elementaq; ipsa obedi-
rent ei; nam non rarò ad Sarracenorum terras profectus, & tendens, maris tempestatem suis
orationibus sedauit. Plurima alia in captiuitate positus, (vt passim detigimus) operatus est
miracula; sed non est silentio prætereundum, quod dum in sacro baptismate cæcum natum
abluit, oculos eius mirabiliter aperuit, & lumen cœli eum videre fecit. Quę miraculi euiden-
tia alio non minori signo excrescere, & augeri cœpit. Accidit enim, quod Tuneti Regis fi-
lius (cui nomen erat Mahumatus) à maligno spiritu ex tempore opprimeretur; quem Dæ-
mon grauissimè, incessanterque torquebat. Obid Rex pater in magno mœrore, & afflictione
positus, cū filiū die ac nocte quiescere non valentem cerneret, & per os & linguā eius Dęmo-
nem audiret clamantē, & dicētem; Mahumatū torqueo, quia à Christiano Laurētio torqueor.
D Igitur accitus vir sanctus manum suam sinistram super oppressi caput imposuit, Dæmoniq;
amplius ne loqueretur, præcepit. Cuius voci malignus spiritus coactus parēdo, statim obmu-
tuit. Tunc vir Dei in fide, & cordis simplicitate manu dextera Dæmoniacum signo crucis
muniuit, & patrem mendacij, Creatoris sui inimicum, mortis auctorem, vitæ Raptorem,
hostem humani generis, malorum Radicem, vitiorum fomitem, Gentium Proditorem, aua-
ritiæ originem, discordiæ caussam, hominum tentatorem, terræ bestiam, in deserto Adula-
torem, in fraude nouum, sensus immutantem, affectus inquinantem, tempestates concinan-
tem, diuini cultus vsurpatorem, hæreticorum Ducem, montem cadentem, infernalem prę-
donem, agri bestiam, spiritum immundum, tenebrarum Rectorem, Impiorum baculum,
tenebrarum ianuam, Angelum perditionis, Leonem rugientem, & serpentem antiquum, ibi
commorantem, vt ad loca arida, exterilia, & inhabitabilia statim abiret, in Nomine Iesu coe-
E git; & verè realiterque oppressum, & a Dœmonio vexatum, perfectę libertati restituit. Quo
admirando signo, stupore magno astantes repleti sunt omnes; præsertim Rex pater, qui ad-
miratione plenus, ac de filij sui liberatione perfecta, incredibili gaudio perfusus Fratrē Lau-
rentium non iam captiuum, sed suum consiliarium, & amicum esse voluit, ac (vt diximus, &
superiùs audistis) suum regium oratorem, & Ambasciatorem ad Alphonsum Regem, & ad
alios Principes summo honore destinauit. Sed vt tanti viri laudes (quas recensere non pos-
sumus) in parte adminus libemus, & degustemus. Magistratu ordinis insignitus, & supre-
ma Religionis dignitate auctus, humilitatem, patientiam, & reliquas virtutes non mutauit,
sed auxit. Nullus fuit in toto ordine angulus quem non visitauit, & reformauit, iter sem-
per pedibus conficiens. Fratres in visitatione quos mœstos esse respiciebat suaui sermone
consolabatur, inquietos charitatiue emendabat, infirmis vt animæ corporisque medica-

menta opportuna & necessaria exhiberentur, & debiles recrearentur, in scriptis ordinabat, A
simplices erudiebat, & ad votorum obseruantiam omnes hortabatur. Spiritu Prophetiæ non caruit, nam nonnulla futura prædixit. Fuit præterea, quæ recensuimus aliorum illustrium miraculorum operator. Mauros & infideles plurimos ad Catholicam Romanamque Ecclesiam conuertit; inter quos Tuneti Regem cum duabus vxoribus, octo filijs, ac ingenti Barbarorum numero nostri ordinis historiæ enumerāt. quos ad euidentiam cuiusdam famosissimi miraculi per eum Africa operati, immundam Machometi sectam deseruisse, & ad veritatis agnitionem deuenisse fertur. Dignitates extra Religionem ab Alphonso Aragonum Rege sibi sæpe oblatas (se humiliter, & grato animo excusando) admittere renuit. Plenus dierum, ac orationibus, disciplinis, vigilijs, carnis maceratione, ieiunijs, & abstinentijs, (quibus valde deditus erat) iam attenuatus, fratribus sui obitus diem prædicens, in eaque susceptis deuotissimæ Ecclesiæ Sacramentis animam immaculatam suo reddidit Saluatori B
1479. hoc anno 1479 in Monasterio Valentiæ. Corpus eius deinde religiosissimè, & summo honore ad oppidum Podij delatum, in proprio, & speciali loco fuit tumulatum, quod, vt sanctum veneratur, integrumque ad hæc vsque tempora respici dicitur. De hoc sancto viro, & de miraculis per eum operatis agunt nostri ordinis scriptores, & diffusè Reuerendissimus Magister Zumel de vitis generalium conclusione 3. Magister Cijar veridicus auctor in opusculo tantum quinque Magister Rodriguez Episcopus Rosciensis in sua animæ agricultura & multi alij. Suo tempore de potestate Sarracenorum liberati sunt plurimi Christi fideles; sed 180 tantùm in historijs nostris enumerari legimus.

Post tanti viri fœlicem transitum Definitores Generalis Capituli de successore eligendo inter se tractarunt; & plurimi eo tempore in omnibus ordinis prouincijs magistratus honore digni reperiebantur, & proponebantur, sed sanctimonia vitæ, laudabiles mores, cognitascientiæ præstantia, in regimine, & in omnibus actibus suis prudentia celeberrimi in vtroq; C
iure Doctoris Fratris Antonij Morelli ex ciuitate Tarraconæ oriundi effecerunt, vt patres Definitores vnanimi consensu, & communi voce, summaq; lætitia eumdem in Pastorem totius ordinis hoc anno eligerent. Nullus nostri ordinis scriptor vitam, & gesta huius Magistri scripsit, immo omnes scriptores nostri tam antiqui quam moderni, illum omissum faciunt, nullamque de eo habent notitiam; solus tamen Magister Guimeran Episcopum de Xicca, nomina tantùm Magistrorum Generalium exprimendo, præfatum Magistrum Morelli inter eos collocat. Quæ in generaliū linea, collocatio, seu positio, ansam mihi præbuit, vt codices antiquos nostrique ordinis scripturas, ac Summorum Pontificum bullas accura-
1480. tiori cura euoluerem, & indagarem; qua mea solertia, nonnulla de hoc Magistro in authentica forma extrahere valui, quæ temporum seruata serie apponentur.

Post tenebras, lucem, post laborem, requiem, post mærorem lætitiam, post naufragium portum tranquillum, & post calumnias, Aduersariorumque persecutiones, honores ac dignitates sæpe sequi videmus, quemadmodum accidit Reuerendissimo Patri Fr. Francisco de Barthulono, dignissimo in Sacra Theologia Magistro, nostri Conuentus Panormitani vigili Priori. Eum superioribus annis non sine magno animi nostri dolore in obscuris Archiepiscopalis carceris tenebris, compedum dolore, & in Aduersariorum tempestuoso mari fluctuantem respeximus; sed quem inimici sui, inuidia liuidi (eo quod Apostolicas bullas, & Regia priuilegia publicabat, tutabatur, & institutum munusque nostrum charitatis ardore incensus sequebatur, & operabatur;) de medio tollere, & supprimere conabantur, exaltatum & eleuatum hoc anno videmus. Exaltauit illum Dominus Rex, & ab omnimoda Archiepiscopi Panormitani molestia eximi fecit. Nam in sui fauorem summo Pontifici scribens, cumque commendans, obtinuit, vt ad Episcopatum Veriensem assumeretur, ea spe, vt non post E
multos dies ad Episcopatum Siracusanum, vel ad alium, similem regendum vocaretur, & sublimaretur. Eam enim animi sui intentionem secretario, & intimo cubiculario Rex ipse significauit, vt ipsimet deinde retulerunt. Et vt maiori æstimatione, maiorique fructu fieret Redemptio, & sine impedimento executioni demandaretur, per eosdem Secretarium, & Cubicularium Magistro Barthulono scripsit, vt cum dignitate Episcopali Prioratum, & Commendam nostri ordinis ciuitatis Panormi retineret. Fuit Magister Barthulonus natione Siculus, & Patria Panormitanus, qui ætate maturus ordinem nostrū ingressus est, vt in charitatis operibus (quibus à natura erat propēsus) se exerceret. Plures natione Siculos in potestate Sarracenorū detentos, sua industria de manu inimicorū liberauit; immo personaliter Tunetū profectus, nō modica discrimina pro fratribus nostris Captiuis eripiēdis sustinuisse fertur.

Floruit

A Floruit per hæc tempora Fr. Ludouicus Ruiz in sacra pagina aprimè versatus, celebris eius sæculi verbi Dei concionator, ac instituti Redemptionis mirificus zelator; quem nostri ordinis historiæ plurimos ex infidelium terris redemisse captiuos, manifestè ferunt; ac ob eamdem caussam vltramarinas peregrinationes cum euidenti mortis periculo suscepisse fatentur. Erat hoc anno nostri Conuentus Sanctæ Mariæ de Podio commendator. Ad cuius instantiam & continuas preces Sixtus Papa IV. concessit ordini nostro bullam valde fauorabilem, tenoris sequentis.

Sixtus Episcopus seruus seruorũ Dei ad futuram rei memoriam. Prouidentia Sedis Apostolicæ plurimum circumspecta, nonnunquam ea certis suadentibus caussis indulsit, & alijs non minus ponderandis rationibus in alia parte præstringit; prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem, videlicet sub datum pridie nonas Decembris Pontificatus nostri anno decimo, vniuersos Christi fideles ad porrigendum manus adiutrices ad pium, & per necessarium opus defensionis fidei ab imminenti Turcarum pressura, & per Indulgentiarum concessionem, & nostras literas inuitare, & per Prędicatores verbi Dei exhortari curauimus. Et ne propter multitudinem Indulgentiarum, tam à nobis, quàm à Prædecessoribus nostris concessarum fideles Christi ad impertiendum suffragia huiusmodi in hoc sancto opere tardiores existerent, omnes Indulgentias à nobis, & ab eadem sede, vel eius auctoritate, a quibuscumque Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & pijs locis, vniuersitatibus, Confratijs, & singularibus personis plenarias, temporales, & perpetuas, in vita, vel in mortis articulo concessas ad triennium proximum tunc futurum de plenitudine potestatis suspendimus; illasque nemini (dicto durante triennio) volumus in vita, vel in morte aliquatenus suffragari. (Indulgentijs Basilicarum almæ vrbis, & pro defensione Insulæ Rodi, extra terras & Dominia Romanæ Ecclesiæ immediatè subiecta, & ad recuperationem ciuitatis Idionis in Regno Siciliæ citrafarum & Appuliam, solum concessis, duntaxat exceptis) prohibuimusque illas publicari, & prædicari, & earum prætextu à Quæstoribus elemosynarum aliquid postulari, (prout in eisdem literis plenius cõtinetur.) Postmodum vero dilectus filius Ludouicus Ruiz, Præceptor domus Podij Valentiæ, ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorũ, nobis quamplurimos Christi fideles, qui Captiui detinebantur apud infideles, per ipsum Ludouicum, per Magistrum Generalem, & fratres dicti ordinis, ad opus ipsum Redemptionis deputatos, ab eisdem Infidelibus, pijs Christi fidelium suffragijs pro magna pecuniæ summa redemptos nobis præsentauerit, nobis diuersimodè certificauerit, quod apud eosdem Infideles, quamplurimi alij Christiani in diuersis mundi partibus detinentur; dubitauerit, ne illi (spe Redemptionis huiusmodi sublata) obdurati in qua detinentur seruitute, orthodoxam fidem abnegent, ipsorum infidelium sequantur errores, in animarum suarum periculum. Nos igitur ipsorum Captiuorum seruitutem, & incommoda paternis deplorantes affectibus, & eiusmodi animarum eorumdem periculis obiare cupientes, & ne opus ipsum pijssimum, vtile, & necessarium Redemptionis Captiuorum, prętextu suspensionis prædictæ, iterum deficientibus fidelium suffragijs, quibus Captiui præfati redimuntur, interrumpatur, prouidere volentes, motu proprio, non ad Magistri, & fratrum prædictorum, vel alterius, pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, quascumque Indulgentias concessas quolibet modo à nobis, vel Prędecessoribus nostris, porrigentibus manus adiutrices ad Redemptionem Captiuorum eorumdem, (quam Magister Generalis, & fratres dicti ordinis prosequuntur) concessas à suspensione prædicta, ad annum duntaxat, à data pręsentium computandum, auctoritate Apostolica tenore pręsentium excipimus; easque (anno huiusmodi durante) reponimus in pristinum, & eum statum, in quo erant antequam, suspensio prædicta emanaret. Ac volumus, dictisque Magistro Generali, & fratribus concedimus, vt anno huiusmodi durante illas publicare, & publicari facere, ac illarum vigore pia suffragia pro Redemptione huiusmodi postulare liberè & licitè valeant, sicut prius, perinde, ac si in suspensionis prędictę Indulgentiarum tempore, vnà cum alijs ibidem exceptis Indulgentijs, nominatim exceptæ forent. (Suspensione ipsa in reliquis Indulgentijs, & anno ipso decurso etiam in prędictis Redẽptionis huiusmodi cõcessis in sua firmitate remanẽte) non obstante suspensione prædicta, &c. Nulli ergo omnino hominũ liceat, hãc paginã nostræ exceptionis, repositionis, volũtatis, & cõcessionis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis aũt hoc attẽtare pręsũpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri & Pauli Apostolorũ eius, se nouerit incursurum. Datũ Romę apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicę 1481. pridie idus Aprilis Põtificatus nostri anno 11.

Vu Gene-

Generalis Magister Fr. Antonius Morelli ordinis suæ Curæ demandati visitationi inten- A
tus, accessit hoc anno ad Monasterium Cæsaraugustanum, illudque visitauit, ac reformauit; & scripturas in communi deposito seruatas, euoluens, ac attente perlegens, priuilegia Domini Ioannis Aragonum Regis, valde fauorabilia adinueniens, illa ad maiorem firmitatem, & robur à Regibus Catholicis confirmari procurauit, & obtinuit. Quod facillimo negotio adipisci potuit (Rege Ferdinando in eadem ciuitate moram cum sua curia trahente) Igitur Rex Catholicus precibus præfati Generalis Magistri, & Prioris Barchinonæ, ac Redemptorum Ordinis nostri, priuilegia à suo Progenitore, nostro ordini concessa, sua auctoritate confirmat. Cuius confirmationis tenor talis est.

Nos Ferdinandus Dei gratia, Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, Siciliæ, Toleti, Valentiæ, Portugalliæ, Galletię, Mayoricarum, Ispalis, Sardiniæ, Cordubę, Corsicæ, Murtię, Giennis, Algarbij, Algeziræ, Gibraltaris, Comes Barchinonę, Dominus Vizcayæ, & Molinæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Rossilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oristani, B
Comesque Gociani; pro parte vestri venerabilium, & nobis dilectorum Magistri Generalis ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Priorisque Conuentus Monasterij Barchinonæ dicti ordinis, ac Redemptorum, ipsorum Captiuorum fuere Maiestati nostræ binæ literæ, seu prouisiones exhibitæ in pergameno scriptæ, & à Serenissimo Domino Rege, Genitore nostro memoriæ immortalis, in vim priuilegij concessæ, seu emanatæ, ac solemnitatibus, quibus decet roboratæ; quarum tenores successiuè per ordinem sic se habent.

Ioannes Dei gratia, Rex Aragonum, &c. Sub datum Barchinonæ 10. Ianuarij, anno à Natiuitate Domini 1459. Ioannes Dei gratia, Rex Aragonum, &c. Etsi nostram deceat Maiestatem Religiosorum ordinum priuilegia, &c. Datum Barchinonæ die 5. Septembris,
anno à Natiuitate Domini 1477. Post quarum quidem exhibitionem fuimus pro parte ve- C
stri prædictorum humiliter supplicati, vt literas præinsertas, & contenta in eisdem laudare, approbare, ratificare, & confirmare, seu de nouo concedere de benignitate nostra dignaremus. Nos vero volentes erga Redemptionem dictorum Captiuorum, pium opus exequi, tamquam Patronus, & Protector dicti ordinis, atque dicti Genitoris & Prædecessoris nostri sequi vestigia, vestris supplicationibus inclinati, intuitu vestræ dictæ Religionis, non absque ratione decreuimus eas vobis infrascripto modo approbare, & confirmare, atque de nouo concedere. Tenore igitur præsentis vobis dictis Magistro Generali, Priori, & Conuentui Barchinonæ, ac Redemptoribus dictorum Captiuorum, vniuersæque Religioni dicti ordinis prædictas literas, & vtramque earum, seu contenta in eisdem laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, atque de nouo concedimus, nostræque laudationis, approbationis, ratificationis, & nouæ concessionis, & prouisionis nostræ huiusmodi munimine, D
seu præsidio roboramus. Quocirca Illustrissimo Ioanni Asturiarum, & Gerundæ Principi, primogenito nostro Charissimo, ac in nostris Regnis Castellæ & Aragonũ hęredi intentũ nostrum declarãtes, dicimus, Reuerendosque & venerabiles Patres, ac viros Religiosos Archiepiscopos, Episcopos, Commissarios, Subrogatos, per Sedem Apostolicam deputatos, & deputandos, Abbates, Priores, Decanos, Archidiaconos, Cantores, Sacristas, Rectores, Vicarios, & alias quasuis Ecclesiasticas personas requirimus, & mandamus, Illustribus vero, Spectabilibus, Nobilibus, Magnificis, dilectis Consiliarijs, & fidelibus nostris, quibusuis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Militibus, & Generosis personis, Consiliarijs, Consulibus, Iuratis, & Paciarijs, Ciuibus, & Burgensibus, & singularibus personis, quarumuis Ciuitatum, Villarum, Castellorum, atque locorum nostræ ditionis; Viceregibus insuper, & Gubernatoribus, Bayulis Generalibus, & Procuratoribus Regijs, Secretarijs, Iustitijs, Vicarijs, Bayulis calmedinis, Merinis, & alijs vniuersis, & singu- E
lis Officialibus nostris intra Dominum nostrum vbisuis constitutis, & constituendis ad quos spectat, & nostras huiusmodi literas contigerit præsentari; & ipsorum Officialium Locumtenentibus præsentibus & futuris; sub incursu nostræ indignationis, & iræ, pœnaque florenorum auri quinque millium a bonis cuiuslibet contrafacientis irremissibiliter exigendorum, nostroque applicandorum ærario, quatenus paternas Regias literas, seu prouisiones pręinsertas, nec non confirmationem, & nouam concessionem, seu chartam nostram huiusmodi, & omnia & singula in eisdem contenta, teneant firmiter & obseruent, tenerique & obseruari faciant inuiolabiliter per quos decet, iuxta earum seriem pleniorem, & contra non veniant, aut aliquem venire permittant quauis ratione seu caussa. In cuius rei testimonium

præsen-

A præsentes fieri iussimus, sigillo, quo vtebamur, antequam ad apicem Regnorum Aragonum erecti essemus, (cum alia sigilla nondùm fabricata habeamus) impendenti munitas. Datis Cæsaraugustæ die nona mensis Iulij, anno à Natiuitate Domini 1481. Regnorumq; nostrorum Siciliç anno duodecimo, Castellç & Legionis sexto, Aragonum verò, & aliorum primo. *YO EL REY.* 1481.

Hoc eodem anno quidam Frater Petrus Gratianus in Sacra Theologia præsentatus ordinis Carmelitani, Procurator Fratris Alphonsi de Medina Ministri Conuentus Sanctæ Trinitatis ciuitatis Ilerdæ, Barchinonam accessit, & per sinistram narratiuam obtinuit confirmationem à Regibus Catholicis quarumdam prouisionum Regiarum, à Domino Ioanne Aragoniæ Rege, præfati Ferdinandi Patre concessarum. Sub datum Barchinonæ, die 4. Septembris 1481.

B Superioribus annis lis grauis versa fuit, (& nescio quo iure quaue occasione intermissa) inter nostrum Conuentum Panormi ex vna parte, & Confratres Sanctæ Annæ ex alia; sed ne iura nostra omnino depereant, immo eorum ad perpetuam rei memoriam habeatur notitia, hic annotare, & apponere volo quamdam assignationem, quæ cum alijs scripturis, & priuilegijs asseruatur modo in præfato nostro Conuentu Panormi; quç est tenoris sequentis. Testamur, quod honestus Præsbyter Ioannes de Russu, quondam Petri de Russu ciuis Panormi dedit, tradidit, & assignauit Reuerendissimo Domino Fratri Francisco de Barthulono Priori Sanctæ Annæ ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Episcopo Veriensi domum vnam terraneam cum certis cassalenis sitis, & positis in Quarterio Seralcadij ipsius Quarterij, videlicet in contrata Sanctæ Annæ ordinis S. Mariæ de Mercede ex vna, & secùs Cortile vocatum de bon reposo, ex altera viam publicam, & alios confines, &c. Ex actis Petri de Mule publici Notarij Panormi, die 23. Maij, indict. 15. anno Domini 1482.

C



Cap. XX. Sixtus Papa IV. Ordini nostro fauet; cui post mortem Innocentius VIII. succedit; qui similiter Religionem nostram fauoribus prosequitur. Et à Rege catholico Granata ciuitas capitur. Et generalis Morell obijt.

D

SI nostri Ordinis scriptores bullas omnes Sixti Papæ IV. ad fauorem nostri ordinis concessas, euoluissent, & perlegissent, nunquam enumerando, & collocando Generales Magistros, Fratrem Antonium Morell omissum fecissent; ad cuius preces hic Summus Pontifex bullam concessit tenoris sequentis. Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quæ ad liberationem Christi fidelium in miserabili seruitute, & Captiuitate Sarracenorum pro tempore detentorum, dudum petentibus sublimibus, alijsque sub regularis iugo obseruantiæ militantibus personis per nos perinde concessa fuerunt, non indignè, cum à nobis petitur in E aliqua parte limitamus; cum ex limitatione huiusmodi ad liberationem ipsam facilius intendi posse cognoscamus. Dudum siquidem cupientes, vt Christi fideles liberius, & promptius ad aliorum Christi fidelium Captiuorum apud eosdem Sarracenos detentorum, redemptionem, & liberationem, manus porrigerent adiutrices; ad supplicationem claræ memoriæ Ioannis Aragonum Regis, ac tunc Generalis, & dilectorum filiorum Fratrum ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quod omnes, & singuli vtriusq; sexus Christi fideles huiusmodi, qui in ingressum Confraternitatis dicti ordinis duos solidos cum dimidio, & quolibet anno septem denarios monetç iacentis, aut tantum in æquiualenti moneta, pro redemptione, & liberatione Captiuorum huiusmodi erogarent, quemcumque præsbyterum sæcularem, vel regularem in suum possent eligere confessorem; qui eorum confessione dili-

ne diligenter audita, eos & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum excessibus, peccatis, criminibus, & delictis Sedi Apostolicæ non reseruatis, semel in vita absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere, nec non in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & Indulgentiam concedere valeret, auctoritate Apostolica ex certa scientia statuimus, & ordinauimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Antonij Morelli Generalis Magistri dicti ordinis, & fratrum petitio continebat, multi Christi fideles ab ingressu dictæ Confraternitatis propter annualem septem denariorum huiusmodi solutionem detrahuntur, ac propterea literæ prædictæ ordini huiusmodi inutiles redduntur, & fratribus Captiuis prędictis (vt necessitas exposcit) subueniri non possit, pro parte Antonij Generalis, & fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt de cætero perpetuis futuris temporibus fideles prædicti, qui in ingressu huiusmodi tres solidos cum dimidio dictæ monetæ persoluerint, absque eo quod dictos septem denarios annuatim persoluant, cõfessorem huiusmodi, qui eos modo pręmisso absoluere, & plenariam remissionem concedat, eligere possint statuere, decernere & ordinare, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui fideles prædictos à Captiuitate, & seruitute huiusmodi nostris potissimè temporibus liberari internis desideramus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod Christi fideles prædicti, qui in eodem ingressu tres solidos cum dimidio prędictis de cætero perpetuis futuris temporibus elargiti fuerint (absque eo quod eosdem septem denarios annuatim soluant) confessorem ipsum, qui eos modo præmisso absoluat, & plenariam remissionem huiusmodi concedat, eligere libere, & licite valeat, itaque ad solutionem septem denariorum annuatim faciendam huiusmodi, vlterius non teneantur, auctoritate præfata tenore præsentum perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, (non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cęterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnat. Dominicę 1482. 8 idus Maij, Pontificatus nostri anno duodecimo.

1483. Hoc anno 1483. Magister Barthulono Prior Sanctæ Annæ Panormi, Episcopus Veriensis deputauit pro Monasterijs Siciliæ in Redemptorem Fratrem Ioannem Barthulono valde iuuenem sed virtutibus exornatum, scientiaque, & prudentia præditum, eiusdem Episcopi Hermanum; qui ex Africæ partibus quadraginta nouem natione Siculos redemit Captiuos, eosque secum in ciuitatem Drepanensem incolumes conduxit. *Liberati. 49.*

Sixtus Papa Quartus erga Religiones ipse Religiosus summè liberalis Romæ obijt, die

1484. veneris pridie idus Augusti huius anni 1484. Et post dies 16. die scilicet Dominico quarto Calend. Septembris Ioannes Baptista Cibo Italus, Patria Ienuensis, Præsbyter Cardinalis Sancti Laurentij in Lucina, in vniuersi orbis Pastorem electus est; qui Innocentij VIII. nomen suscepit.

Hic Sũmus Põtifex ad supplicationẽ Prioris Barchinonæ, ea q̃ Romani Põtifices, & Christi fideles nostro ordini concesserant, auctoritate Apostolica confirmauit. Cuius confirmationis bulla talis est. Innocẽtius Episcopus seruus seruorum Dei; Dilectis filijs Cõmendatori & fratribus domus Beatæ Mariæ de Mercede Barchinonen̄ ordinis eiusdem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, vel alia indulta vobis, & domui vestræ concessa, necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus vobis, & domui vestræ rationabiliter indulta, sicut ea iustè & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem domui auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Pe-

1485. trũ anno incarnationis Dominicæ 1485. Sexto idus Martij, Pontificatus nostri anno primo.

Floruit

A Floruit per hæc tempora Grauissimus Pater Frater Gaspar Burguerrè, celebris in Sacra
Theologia Magister, nostri instituti valde studiosus, & dignissimus nostri Ordinis in Ro-
mana Curia Generalis Procurator. Ad cuius preces Sanctissimus Innocentius Papa VIII.
bullā concessit tenoris sequentis. Innocentius Episcopus seruus seruorū Dei. Venerabilibus
fratribus, vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filijs, electis Abbatibus,
Prioribus, & alijs Parrochialium, Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, &
Monasteriorum Prælatis, eorumq; eorum Officialibus, & Locatenentibus, & Vicarijs in spiritua-
bus Generalibus, Canonicis & Capitulis, vbilibet constitutis salutem, & Apostolicam bene-
dictionem. Officij nostri debitum exigit, & ipse ordo rationis exposcit, vt opem & operam,
quantum cum Deo possumus efficaces adhibeamus; quo concessa per Romanos Pontifices
Prædecessores nostros Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, pro
B liberandis Christi fidelibus in miserabili seruitute, & Captiuitate Sarracenorum pro tempo-
re detentis, suum debitum consequatur effectum; & elemosynæ, quę ad huiusmodi colligun-
tur, in alios vsus non conuertantur. Sanè pro parte dilecti filij Gasparis Burguerrè fratris di-
cti ordinis in Theologia Magistri, & eiusdem ordinis Generalis Procuratoris nuper nobis ex-
hibita petitio continebat; quod licet Clemens V. Innocentius IV. Alexander IV Calixtus
III. Pius II. & Paulus II. ac Sixtus IV. Romani Pontifices Prædecessores nostri, proinde
attendentes, quod Magister, & fratres dicti ordinis propter grauia impensarum onera, quæ
propterea de necessitate subire eos oportebat, facultates non suppetebant, erantque ad opus
tam laudabile peragendum Christi fidelium suffragia plurimùm opportuna, præfatis Magi-
stro, & fratribus licentiam prædicandi, elemosynasque petendi, & quamplurima priuilegia,
& Indulgentias Christi fidelibus manus porrigentibus adiutrices, tam pro viuis, quam pro
defunctis concesserunt, ac omnibus alijs sub certis pœnis, & censuris, vt à Prædicationibus
C abstinerent; & eorum Magistrum, & fratres, eorumque Procuratores, & Nuntios non mole-
starent, inhibuerunt. Tamen nonnulli tam sæculares, quam Religiosi volentes à Christi fi-
delibus elemosynas fraudulenter extorquere, priuilegia, & Indulgentias huiusmodi sine li-
centia Magistri publicare, & prædicare, ac aliorum prætextu elemosynas extorquere, illasq;
in suos vsus conuertere non verentur in animarum suarum periculum, ac Magistri, & frat. ū,
neque non Captiuorum prædictorum præiudicium, & detrimentum, perniciosum quoque
exemplum, & scandalum plurimorum. Quare pro parte dicti Gasparis nobis fuit humiliter
supplicatum, vt super his opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.
Nos igitur cupientes huiusmodi fraudibus obiare, ac debitè prouidere quod elemosynæ hu-
iusmodi in vsus dictorum Captiuorum omnino conuertantur, & per eos ad quos pertinet
duntaxat colligantur; discretioni vestræ, & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ &
D sub excommunicationis latæ sententiæ pœna districtè præcipiendo per Apostolica scripta
committimus, vt omnes, & singulas personas tam Seculares, quam Ecclesiasticas, quæ hu-
iusmodi Indulgentias, & priuilegia contra voluntatem Magistri, & fratrum prædictorum
hactenus prædicarunt, ac imposterum prædicare præsumpserint; quoties pro parte dicti
Gasparis, aut cuiuslibet alterius, ad huius redemptiones deputati, fueritis requisiti, seu ali-
quis vestrum fuerit requisitus auctoritate nostra personaliter capi faciatis, & ab huiusmodi
prædicationibus cessare faciatis; omniaque, & singula pecuniarum summas, res, & bona
prædictis Captiuis redimendis, eis largita, & quæ imposterum eis largiri contigerit, pœnes
vos recipiatis, & dicto Gaspari, aut alij, seu alijs deputatis, ad id realiter, & cum effectu trad-
datis, & consignetis; dictoque Gaspari, & omnibus alijs iuxta priuilegiorum eis concessorum
continentiam, & tenorem præstare curetis. Omnibus, & singulis Indulgentijs per eosdem
E Prædecessores eis concessis, eorumque transsumptis autenticis manu Notarij publici sub-
scriptis, & sub sigillo, aut plumbo Cameræ nostræ emanatis fidem indubiam, ac si illorum
literæ originales vobis præsentarentur, adhibeatis, & ab alijs adhiberi faciatis. Contradicto-
res quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, ac alia iuris opportuna remedia appo-
nere, Compescendo, inuocato etiam adhoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Nos
enim eidem Gaspari, vt vnum aut duos Religiosos cuiuslibet Religionis eiusdem loci in
quo fuerint, intelligentes ad prædicandum verbum Dei, ac Indulgentias pro redimendis
Captiuis huiusmodi concessas; & hoc spontè facere volentes, (suorum Superiorum licen-
tia minime requisita) eligere possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis
dono gratiæ indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostoli-
cis, neque non omnibus illis, quę Prędecessores præfati in singulis eorum desuper confectis
literis,

literis, voluerunt non obstare, cæteris in contrarium facientibus quibuscumque. Datum A
1486. Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1486. decimo Calend. Februarij, Pontificatus nostri anno tertio.

Præfatus igitur Magister Frater Gaspar Burguerrè obtentis huiusmodi literis, eas publicari fecit, & plures tam nostri, quàm aliorum diuersorum præsertim mendicantum ordinum famosos elegit concionatores, qui priuilegia, & Indulgentias nostras solertissimè, & ardenter per orbem prædicarunt, & ingentes pecuniarum summas aggregarunt; quibus de potestate Sarracenorum liberati sunt hoc anno 1487. maiori ex parte fauore, & auxilio Domini
1487. Ferdinandi de Oropesa Episcopi Abulensis, & aliorum Hispaniæ Prælatorum 169. Prædi-
Liber. 169. ctus Magister Burguerrè, vt animæ suæ consuleret, (qui erat ætate confectus) procuratorium ordinis spontè dimisit, & totum se spiritualibus meditationibus dedit, & in sancto fine quieuit. Cui similis successit Frater Ioannes Bellenguerij virtutibus, scientia, & prudentia præstans. Qui per Generalem Cameræ Apostolicæ auditorem priuilegia ordinis obseruari curauit; vt in literis sequentibus patebit. B

In nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Nouerint vniuersi, & singuli præsentes literas, siue præsens publicum transsumpti instrumentum inspecturi, visuri, lecturi, pariter & audituri; quod nos Petrus de Vicentia, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Cæsenateñ. Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & eius Camerarij, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis auditor ad venerabilis viri Fratris Ioannis Bellenguerij Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Barchinoneñ, & ipsius ordinis Generalis Procuratoris instantiam, vidimus, &c. Quasdam literas Apostolicas Sixti Papę IV. In quibus erant insertæ literæ aliorum Pontificum, &c. Quas mandauit transsumi, & quod transsumpto detur firma, & indubitata fides, ac si literæ originales C
1486. ostenderentur. Sub anno à Natiuitate Domini 1486. die vero lunæ 26. mensis Iunij, Indict. 4.

Reges Catholici facultatem dederunt Prouinciali Castellę fundandi Monasterium nostri Ordinis in Ciuitate Rondæ; licet alij alio veriori tempore fundatum esse credant.

Eodem anno die 18. Augusti Ciuitas Malacitana (vbi primam cantaui Missam) postquam à Mauris fuerat per 770. annos possessa, per eamq; Iulianus Comes iniquus Proditor exierat, vt suam detestabilem, & abominabilem proditionem operaretur, fuit (Deo auxiliante) eisdem Catholicis Regibus tradita.

1488. Redemptores Prouincię Castellæ (quorum nomina expressa non inueni) non sine mortis euidenti discrimine hoc anno 1488. redemerunt ex ciuitate Biazæ nonaginta sex Christi
Liberati. 96. fideles.

Prior Barchinonæ Frater Ioannes Vrgel, vir valde bonus mirificusque nostri ordinis Zelator ad ęmulationem Monasteriorum vlterioris Hispaniæ dedit operam, vt fratres nostri Citerioris Hispanię, & etiam Galliæ operi Redemptionis insudarent. Ob id ad elemosynas colligendas, & petendas electi sunt Frater Martinus de Sanctis Gallus, Frater Dominicus de Sancto Clemente Arago, & Frater Paulus Sans Valentinus, qui Redemptionis Procuratores & Nuntij electi, magnam pecuniarum summam, & congeriem fecerunt, Quæ eidem Priori consignatæ sunt; eisque plures Captiui Redempti, quorum numerum, & Redemptorum nomina historię nostrę non exprimunt. D

Per hęc tempora in Regno Sicilię florebat Fr. Ioannes de Barthulono Episcopi Veriensis (vt diximus) Hermanus, & in officio Vicarij Generalis, Successor, vir valde eruditus, & in Sacra Theologia doctor celebris; qui cum esset ordinis Zelator Bullam Innocentij Papę VIII. in Regno Sicilię executoriari fecit in hanc formam. Ferdinandus Dei gratia, Rex Castellę, Aragonum, Sicilię, &c. Vicerex in dicto Regno Siciliæ, Reuerendissimis, ac Venerabilibus, necnon spectabilibus, Magnificis, & Nobilibus eiusdem Regni Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Vicarijs, Prioribus, & Cappellanis, & alijs Officialibus, & Personis spiritualibus, necnon Magistro Iustitiario, Locũtenenti, & Iudicibus, &c. ad quos, &c. salutem, &c. Pro parte venerabilis, & Religiosi Viri Fratris Ioannis de Barthulono, Sacrę Theologię Professoris, ordinis Beatę Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum, in eodem Regno Vicarij Generalis fuit nobis realiter pręsentata Apostolica Bulla omni qua decet solemnitate munita, sigilloque plumbeo roborata: cuius tenor est, qui sequitur. Innocentius Episcopus, vt supra, &c. Quam Innocentij VIII. Bullę copiam vidit, & transsumi fecit Franciscus Sauagrossa, ciuis Beneuentanus publicus Apostolica auctoritate Notarius cum E

A decreto, & auctoritate Francisci Mariæ, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopi Viterbiensis, ciuitatis Beneuenti Gubernatoris, & Castellani, qui eam publicari, & in publicam formam redigi mandauit; Sub datum Beneuenti in palatio arcis residentiæ, &c. die 19 Octobris, octaua indict. anno Domini 1489. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini D. Innocentij diuina prouidentia Papæ VIII. anno sexto. Et supplicato nobis ex parte 1489.
dicti venerabilis Magistri Ioannis Barthulono Vicarij Generalis, vt dignaremur executoriam dictæ præsentatæ bullæ Apostolicæ mandare, eiusdem supplicationi annuentes, vos personas Ecclesiasticas prædeclaratas hortamur; vobisque alijs Officialibus, & personis sæcularibus dicimus, & mandamus, quatenus serie, & tenore dictæ præinsertæ bullæ per vos diligenter attentis, illam exequamini, & obseruare debeatis iuxta sui continentiam, & tenorem. Itaque pecuniæ prouenientes ex dicta plenaria remissione in dicta bulla contenta conB uertantur prius in Redemptionem Captiuorum Siculorum, contrarium nullatenus tentantes, pro quanto gratiam Regiam, vos spirituales charam habetis, & Officiales Regij sub pœna regalium auri mille pro quolibet contrafaciente, Fisco Regio irremissibiliter applicandorum. Datis in fœlici vrbe Panormi, die 21. Ianuarij, 8. Indict. anno Domini 1490. Hernando de Cuniga. V. 1490.

Floruerunt hac tempestate multi præstantes, & doctissimi viri, inter quos honoris gratia nominare volo sanctimonia insignitum, & doctrina prædnū in sacra Theologia Magistrum Fratrem Sebastianum de Silueyra Lusitanum, ex nobilissima prosapia natum cōsanguineum Illustrissimi Domini Ferdinandi de Silueyra, in toto illo Regno notissimi. In prouincia etiam & Monasterijs Franciæ multi similiter nostrum ordinem celebrem reddiderunt, vt Frater Dionysius Chantateanus, Doctor celeberrimus & in Sacris scripturis valde versatus; & Frater Martinus Hareschés insignis Parisiensis Doctor, famosissimus verbi Dei acclamaC tor, qui nonnullas de tempore & de sanctis eruditas conciones, (quas pro rostris prædicauerat) in lucem edidit, quæ inter Doctores eius sæculi circumferebantur, & in magno pretio habebantur. Floruit etiam Frater Hoduardus Gaudanus, Genere Theutonicus, in Prouincia Prouinciæ natus, sed Parisijs educatus, & bonis moribus imbutus; qui à Pueritia togam nostri ordinis induit, & adeò in Religione nostra profecit, vt insignis Doctor, celebris Concionator, & vir sanctus euaserit. Magna apud Carolum VIII. Franciæ Regem, & apud omnes eius Regni Proceres auctoritate pollebat. Obiit hoc anno 1491. bono odore 1491.
dose relicto. In principio huius fœlicissimi anni 1492. Granatæ ciuitas capta fuit per inclitum Dominum, Ferdinandum Hispaniæ Regem Catholicum. Qua adepta, & in Christianorū potestate redacta perijt omnino in Hispania Maurorum Dominium, quod post Iuliani Comitis proditionem vsque ad hæc tempora in aliquibus Hispaniæ partibus, per annos D 778 perdurauerat. Vnde deinceps fratres nostros Redemptores non in Hispania suum institutum, & munus exercere, sed vltramarinas peregrinationes eos assumere oportuit.

In Sede Petri Eugenius Papa IV. meritò sedebat, & in Aragoniæ Regno Alphonsus eius nominis V. fœliciter regnabat, Magistratum que ordinis non sine murmure, & dissentionibus Magister Fr. Antonius Dullan tenebat, quando anno Domini 1421. in ciuitate Tarraconæ, alter Antonius diuersus ab illo ex Illustri Morell. prosapia natus, suo ortu Parentes prole carentes, cui post mortem ingentes diuitias (quibus affatim affluebant) relinquerent, summo gaudio lætificauit. Infanti cum sacra Baptismatis vnda ablueretur, Antonij ab Auo strenuissimo Duce, iussu Parentum nomen inditum est. Puer Antonius in ætate puerili constitutus, adeò maiores natu, & Parentes suos reuerebatur, vt ab eorum iussis numquam discesserit, molestiamque nullam eis exhibuerit. Florentem, viridem, ac primam ætatem non sanè frustra, sed fructuosè valde, in tribus primis cognoscendis ac tractandis linE guis consumpsit; ex quo excercitio non solum sibi, sed alijs fructum tulit maximum. Noster igitur Antonius laudabilibus moribus imbutus, in timore Dei, & in via Domini ambulabat; & Ecclesias deuotissimè frequentabat, (vbi culpas, si quas committebat, vberrimis delebat lacrymis,) præsertim Ecclesiam nostri ordinis sancto Antonio, sibi in Patronum electo, dicatam; vbi orando, & cum fratribus eius domus, exemplari religiosaque vita præditis, conuersando, togam nostri ordinis gestandi, ac institutum nostrum sequendi, feruenti ardebat desiderio. Et denique sicut Domino placuit, anno ætatis suæ 17. Non est fraudatus à suo desiderio. Nam in nostra Ecclesia Sancti Antonij habitum Antonius suscepit, & professionem emisit. Ob suas singulares virtutes, se orationi & rerum diuinarum meditationi committendo, Superiores reuerenter colendo, erga æquales se facilem præbendo, atque minores
ample-

amplectendo, dignus iudicatus est, vt post mortem Beati Laurentij Company Generalis Magister sufficeretur. Quod munus ad laudem Dei, & ordinis decorem, ac Captiuorum Redemptionem vsque ad eum præsentem annum inculpabiliter exercuit; & bono odore de se relicto in sancto fine quieuit. Suo tempore de Sarracenorum potestate liberati sunt 365. Christi fideles. A

Liber. 365.

B

Cap. XXI. eligitur in 22. Generalem Magistrum Fr. Joannes Vrgel. Post mortem Innocentij Papæ VIII. creatur Alexander VI. qui nostrum ordinem fauoribus maximis prosequitur. Et nostri Patres fuerunt primi, qui nouum orbem incoluerunt.

POST mortem Generalis Magistri Fratris Antonij Morellis, Barchinonæ Prior, Frater Ioannes Vrgel, Vicarius Generalis effectus, Electores & Definitores pro nouo Magistro eligendo conuocauit, suisque literis citauit; assignando eis pro electionis domo præfatum Barchinonæ Monasterium. Vbi vocem habentes capitulariter congregati, in totius ordinis Magistrum, eumdem Priorem elegerunt. De quo Generali Magistro Reuerendissimus Zumel, qui Magistrum Fratrem Antonium Morell, eius immediatum Prædecessorem, non nouit, sic ait. Vigesimus primus Magister Generalis, fuit Frater Ioannes Vrgel Gotolanus; quibus annis gubernauerit, & durauerit in Magistratu, id quidem non reperio. Itaque hic doctissimus vir (omisso Magistro Morell) post Generalem Company collocat Magistrum Vrgel, non exprimendo annum, in quo fuerit ad Magistratum assumptus. Ego vero hoc anno 1492. C
1492. fuisse Magistrum Vrgel electum, constanter affirmo. Nam tempore Philippi Hispaniarum Regis Catholici, eius nominis Secundi, omnes sui Dominij Religiones reformari exoptantis, mota est lis, & controuersia inter nostros Fratres Gotholanos ex vna parte, & Fratres Prouinciæ Castellæ nostri ordinis ex alia. Et ad Sanctissimum Sixtum Papam V. hinc inde partes recursum habuerunt. Et inter alias scripturas & instrumenta in forma auctentica, suę Beatitudini præsentata; ex quibus deducebatur, & probabatur, Barchinonæ Priores facilimo negotio ad magistratum totius ordinis fuisse assumptos, reperi instrumentum auctenticum; ex quo constabat hoc eodem anno 1492. Fratrem Ioannem Vrgel Priorem, fuisse Magistrum Generalem electum. D

Innocentius Papa VIII. Romæ excessit octauo Calen. Augusti, hora noctis quinta hu-
1492. ius anni 1492. iam sexagenarius, sui Pontificatus anno septimo, mense decimo, & die 27. cui successit. 3. idus Augusti eiusdem anni Rodericus Borgia Valentinus. Hispanus, Cardinalis Portuensis, & sanctæ Ruffinæ, Collegij Cardinalium Decanus, & Vicecancellarius, qui Alexander Sextus appellari voluit.

Sub tanto Pontifice, & Regibus Catholicis, res in mundo accedit memorabilis, & a sæculo inaudita; detectio scilicet atq; inuentio nouarum insularum, & continentis, quam Indiam Occidentalem, & nouum orbem vocant. In cuius detectione fratres nostri ante alios primi fuerunt, qui milites Christianos spiritualibus armis adiuuerunt, & in Indorum conuersione strenuissimè insudarunt. Quæ res inter graues auctores liquidò constat. Petrus Martyr ab Angleria Mediolanēsis, qui fuit Legatus Regum Catholicorum ad Babylonicum Regem in libro suo de Rebus Oceani, & nouo Orbe, hoc insinuare videtur. Ait enim quod Ferdinandus, & Elisabeth Reges Catholici Christophorum Colonum, natione ligurem, ad inueniendum nouum orbem destinarunt, & ex Regio fisco tria nauigia data sunt ei; Quibus Christophorus maris Præfectus cum viris 220. ab Hispanis litoribus discessit Calen. Septembris E

Petrus Martir.

tembris

A tembris huius anni 1492. & ad insulas fortunatas, seu Canarias aquandi gratia peruenit; deinde ad Insulas Canibalium, seu Sancti Dominici, quia die Dominico ad eam appulit. Et cum integra Classe nonas Februarij anni sequentis ad Hispaniolam insulam accessit; aliásque magni momenti nauigationes suscepit. Sed cum ex speciali Regum præcepto scire vellet an. Cuba, esset Insula, aut terra continens, nauigauit in circuitu, semper eius litora abradens. Et aquandi, lignandique gratia montem altum adit; & ibi inter palmeta, pinetaque altissima natiuos dulcium aquarum duos reperit fontes. Interea dum ligna scinduntur, & Cadi implentur; vnus miles Sagittarius venatum Syluam ingreditur; ibi vir quidam alba tunica amictus adeò improuisus sese illi offert, quod prima facie esse quemdam fratrem ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, quem secum Almirantus pro Sacerdote habebat existimauit. vt in libro 3. Itaque in ea nauigatione, & noui orbis detectione Maris Almirantus pro suo Ca-
B pellano fratrem nostri ordinis habebat. Et similiter Dominus Melchior Hispalensis æterna memoria dignus, qui pro Regibus Catholicis apud Pontificem maximum Oratoris officio functus est; in hac etiam nauigatione, & per hæc tempora fratrem nostri ordinis ex ciuitate Ispalensi pro Confessario similiter habebat. Sed licet horum fratrum nomina, auctorum in curia in historijs expressa non repertantur; aliorum tamen (Deo dante) qui mirabilia magna in nouo orbe operati sunt, nomina cum summa laude, cito exprimemus. Sed redeamus ad Summum Pontificem, qui innumeris fauoribus, & gratijs nostrum ordinem prosequutus est; vt ex sequentibus patebit. In primis confirmat, quæ sui Prædecessores, & Christi fideles nostri ordinis Conuentui Barchinonæ concesserant. Cuius confirmationis bulla talis est.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei: Dilectis filijs Magistro, & fratribus Domus Barchinonen, ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum salutem, &
C Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alia indulta, vobis & domui vestræ concessas; neque non libertates; & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus, vobis & eidem domui rationabiliter indultas, sicut eas iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos, eidem domui, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, & Communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum
D Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1492. Pridie nonas Octobris, Pontificatus nostri anno 1. Aliam etiam bullam contra occupantes bona nostra concessit; quæ est tenoris sequentis.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei; dilectis filiis Sancti Saturnini, & Populeti Monasteriorum, ac sæcularis, & collegiatæ Ecclesiæ Sancti Antonij de Medinadel Campo Toletan'. & Tarraconen', ac Salmanticen' Diœcesum Abbatibus, sulutem, & Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ licet immeriti (disponente Domino) Præsidentes circa curam Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium solertia reddimur indefesa soliciti, vt iuxta debitum Pastoralis officij eorum occuramus dispendiis; & profectibus (diuina cooperante clementia) salubriter intendamus. Sanè dilectorum filiorum Magistri Generalis, & Prouincialis, ac Præceptorum, Commendatorum nuncupatorum, necnon fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum conquestione percepimus, quod
E nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & aliæ Ecclesiasticæ personæ tàm Religiosæ, quàm Sæculares; neque non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia ciuitatum, vniuersitates oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac aliæ singulares Personæ partium diuersarum, occuparunt, & occupari fecerunt Castra, Villas, & alia loca, terras, domos, possessiones, iura, & iurisdictiones, neque non fructus, census, redditus, & prouentus dicti ordinis, illiusque pręceptoriarum, Prioratuum, beneficiorum, & locorum; & nonnulla alia bona mobilia spiritualia, & temporalia ad Magistrum, Præceptores, Priores, ordinem, Prioratus, Præceptorias, beneficia, & loca huiusmodi spectantia, ac etiam elemosynas pro redemptione dictorum Captiuorum percipi consuetas, & ea detinent indebitè occupata, seu ea detinentibus

præstant auxilium, consilium, vel fauorem. Nonnulli etiam partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem Magistro, Prouinciali, Præceptoribus, & Fratribus, sub prædictis Castris, villis, & locis, alijs terris, domibus, possessionibus, iuribus, & iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, & elemosynis Captiuorum, ac perceptione elemosynarum, & quibuscumque bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, ac alijs rebus ad eosdem Magistrum, Præceptores, & fratres spectantibus, ac priuilegijs ordini prædicto, ac illius personis, & eorum familiaribus, inquillinis, per sedem Apostolicam concessis, multiplices molestias, & iniurias inferunt, & iacturas. Quare Magister, Prouincialis, Præceptores, & fratres prædicti nobis humiliter supplicarunt, vt cum eis valde reddatur difficile, pro singulis querelis ad sedem Apostolicam habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, volentes eisdem Magistro, Prouinciali, Præceptoribus, Fratribus, Personis, familiaribus, & inquillinis remedio subuenire, per quod, ipsorum compescatur temeritas, & alijs aditus committendi similia præcludatur; Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios (etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conseruatores, & Iudices) eisdem Magistro, Prouinciali, Præceptoribus, Fratribus, Personis, Familiaribus, & Inquillinis, nunc & pro tempore existentibus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super his, & quibuslibet alijs bonis, ac iuribus ad Magistrum, Prouincialem, Præceptores, Fratres, ordinem, illorumque personas, familiares, & inquillinos prædictos, nunc & pro tempore existentes, nec permittatis ab eisdem, vel quibusuis alijs indebitè molestari, vel eis grauamina, seu iniurias irrogari, facturi dictis Magistro, Prouinciali, Præceptoribus, Fratribus, Personis, Familiaribus, & Inquillinis, ac eorum cuilibet, cum ab eis, vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prędictis, & alijs personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, domorum, iurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque, & prouentuum, & aliorum quorumcumque bonorum, ac dictarum elemosynarum percipi solitarum; necnon de quibuslibet molestijs, iniurijs, atque damnis, præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij; in alijs vero prout qualitas eorum exegerit iustitiæ complementum; occupatores, seu Detentores, Præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque, & quotiescumque expedierit auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; Inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Cæterum si huiusmodi occupatorum, seu detentorum, præsumptorum, molestatorum, iniuriatorum, & contradictorum, & rebellium pœnitentia præmonitionibus, requisitionibus, seu citationibus per vos, vel aliquem vestrum de ipsis faciendis tutè, & securè haberi nequiuerit; nos vobis monitiones, & requisitiones huiusmodi, ac citationes quaslibet per edicta publica locis publicis affigenda, (de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad notitiam citatorum huiusmodi peruenire valeant) faciendi plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Volentes quod monitiones, requisitiones, & citationes huiusmodi perinde ipsos citatos, & monitos (vt præmittitur) arctent, ac si eis factæ, & intimatæ præsentialiter, & personaliter extitissent. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem, & Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam a fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur; seu ne Iudices, & Conseruatores præfati a sede Apostolica deputati, prædicta extra ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alij, vel alijs vices suas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis trahere præsumat; & de duabus dietis in concilio generali edita, seu quod aliàs quam de manifestis iniurijs, & violentijs, ac alijs, quę iudicialem requirunt indaginem, pœnis, in eos si secus egerint, & pœnis adiectis, quod Conseruatores nullatenus se intromittant. Ac quibusdã per piæ memoriæ Calixtum Papam III. etiam Prædecessorem nostrum Episcopo Burgen. concessis, quibus inter alia motu proprio omnes, & singulas literas Conseruatorias quibusuis Monasterijs, Prioratibus, dignitatibus, cum locis, Capitulis, Conuentibus, Collegijs, ac etiam studiorum vniuersitatibus, illorumque & aliquibus suis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis

A tionis existant, & etiam Patriarchali, Prouinciali, Archiepiscopali, Episcopali, Magistrali, seu alia quauis maiori Ecclesia, vel mundana dignitate prȩfulgeant, exemptis, & non exemptis, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac sub quibusuis formis, & expressionibus verborum; & sub quibuscumque clausulis, etiam talibus, quod illis reuocari, seu modificari, aut alias eis in aliquo præiudicari non possit, nisi in ipsis de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, & specifica, & expressa mentio, aut alia quæuis specificatio fieret, seu certus modus seruaretur per eundem Calixtum, seu alios Romanos Pontifices, aut sedem prædictam, in quantum Episcopi prȩdicti, aut Successorum suorum pro tempore existentium, necnon Iudicum, & Conseruatorum in eisdem literis nostri Prædecessoris deputatorum; ac illius, & illorum personas iurisdictionem, dominium, potestatem, libertatem, exemptionem, vel auctoritatem concernebant, aut concernere poterant, etiam si personæ ipsæ præfato Episcopo de iure communi subditȩ non forent, aut in ciuitate, & Diœcesi Burgen. iurisdictionem ex tenore literarum eis concessarum exercere valerent; auctoritate Apostolica ex certa scientia reuocauit, cassauit, ac annullauit, ac pro infectis haberi voluit concedendas, nisi in ipsis de eiusdem Calixti Prȩdecessoris literis de verbo ad verbum mentio fieret de eis; motu & scientia similibus cum totali earumdem literarum insertione de plenitudine potestatis expresè derogaretur ad dictos Episcopi Successores, & Officiales, (etiam si ad illos nominatim specificè, & expresè extendi viderentur, & extenderentur,) nullatenus extendi decreuit, & declarauit. Necnon præmissas, quoad subditos, vel quibusuis alijs concessas, & concedendas conseruatorias, quarum omnium, & singularum tenores, (ac si de verbo ad verbum insererentur) pro expressis haberi voluit. Quoad Episcopatus, Successores, & Officiales, ac Subditos, vel aliquem eorum tangen' Ecclesiasticos, vel Sæculares, tunc præsentes, & futuros in omnibus, & per omnia ad ius

C commune reduxit. Ita quod Conseruatores, seu ab eis deputati, Subconseruatores quoad caussam dictos Episcopatus Successores, Officiales, & Subditos, vel aliquem tangen' (præterquem de manifestis iniurijs, vel violentijs per eos hactenus commissis, & in posterum committendis) nullatenus cognoscerent, vel aliquam iurisdictionem exercerent, nisi inquãtum à iure noscitur esse statutum, & ad quæuis alia suam potestatem non extenderent; super quibus, eis potestatem omnimodam denegauit. Nec Episcopatus, Successores, & Officiales, & subditi præfati, vel aliquis eorum super alijs caussis, & rebus coram dictis Conseruatoribus, vel Subconseruatoribus, aut eorum aliquo comparere, seu respondere, aut ipsorum mandatis parere teneretur. Et insuper voluit, quod Conseruatores prædicti in casibus, eis à iure concessis iurisdictionem nullatenus exercere possent, seu deberent, quoquomodo nisi præfato Episcopo, aut ipsius Successoribus pro tempore existentibus de literarum Conseruatoriarum, ac commissionibus eis factis, plenam fidem facerent. Ac decreuit ex tunc motu,

D & scientia prædictis omnes, & singulos processus, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliásque sententias censuras, & pœnas, & quidquid per supradictos Conseruatores contra præmissa fieri, vel attentari contigerit irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti existere; nec non similibus, vel dissimilibus literis, & concessionibus tàm eidẽ Burgen. quam Legioneñ, & Zamoreñ Episcopis, & Officialibus, super prædictis, vel alijs clausulis derogatoriarum derogatorijs, & decretis, & motu, & scientia similibus concessis (quibus illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice duntaxat derogamus, quàm alijs quibuscumque constitutionibus à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alijs edictis, quæ vestræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusq; libero exercitio quomodolibet obuiare; etiam quibus communiter, vel diuisim. à prædicta

E sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra, & vltra certa loca ad iudicium euocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus proprijs mentionem. Et qualibet alia dictæ sedis Indulgentia generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat; per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestræ iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impedire. De qua, eiusque toto tenore habenda de verbo ad verbum fit in nostris literis mentio specialis. Et insuper volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium incoatum, quamuis idem incoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus. Quodque à data præsentium sit vobis, & vnicuique vestrum in

præmissis omnibus, & eorum singulis cœptis, vel non cœptis præsentibus, & futuris perpetua A
potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaq; firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent; & iurisdictio vestra, & cuiuslibet vestrum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, vel modum aliquem perpetuata legitimè extitissent; (constitutione prædicta super Conseruatoria, & alia qualibet in contrarium edita non obstante.) Quodque transumpto præsentium literarum manu alicuius Notarij publici subscripto, & sigillo alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alterius Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito, ea fides in iudicio, & extra vbilibet, vbi fuerit exhibitum, adhibeatur, sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Præsentibus perpetuo valituris. Datis Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1492. decimo octauo Calend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo. B

1492. Ferdinandus Rex Castellæ concesserat ad fauorẽ ordinis Sanctissimæ Trinitatis Regium priuilegium; in quo dabatur dicto ordini ampla, & libera facultas pro liberandis Captiuis eleemosynas petendi Sub datum Barchinonæ die sexta Nouembris 1492. Sed quia præfatum priuilegium fuit subretitio modo obtentum, in euidens nostri ordinis detrimentum, & præiudicium, præfatus Dominus Rex ad suppplicationem nostri ordinis illud reuocat. Sub datum Barchinonæ die 5. Ianuarij 1493.

1493. Petrus de Vicenna Episcopus Cæcenoteñ Sanctissimi Domini nostri Vicarij, & eius Cameræ Apostolicæ Auditor, Romanæque Curiæ, ac censurarum, & sententiarum, nec non literarum Apostolicarum Iudex, & executor ordinarius; vniversis, & singulis Reuerendissimis, & Reuerendis, &c. Noueritis quod Sanctissimus Dominus Alexander Papa VI. per suas proprias literas, omnes & singulas Indulgentias suorum Prædecessorum ordini de Mercede in subsidium, & pro afflictione pauperum Captiuorum concessas, confirmauit. Quapropter omnes & singulos, qui in publicatione Indulgentiarum huiusmodi, & literarum Apostolicarum negligentes, & rebelles extitissent; si locorum ordinarij, aut eorum Vicarij, vel Officiales, seu Abbates, &c. Cuiuscumque dignitatis Ecclesiasticæ, & Parrochialium Ecclesiarum Rectores, seu eorum Vicarij, &c. Etiam si Mendicantes ordinum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, & alij cuiuscumque ordinis, & conditionis fuerint, si debitè non publicauerint, & mox publicari non permiserint excommunicationis sententiam eo ipso incurrere voluit, cum suspensione à diuinis pariter, & mandauit; prout in literis Apostolicis desuper confectis, quarum tenores pro breuiori facta mentione hic haberi volumus pro expressis. Tamen nonnulli iniquitatis filij Indulgentias huiusmodi propalari, & prædicari impediunt, & impediri faciunt. Fuimus igitur pro parte Generalis Magistri requisiti, quatenus de remedio, &c. Nos igitur Petrus Episcopus vobis omnibus, & singulis præcipuè Minoribus Sancti Francisci, & ordinis Prædicatorum sub eisdem pœnis strictè mandamus, si, & postquam pro parte dictorum Magistri Generalis fratrumque Procuratorum, Nuntiorum, aut Conseruatorum fueritis requisiti, huiusmodi Indulgentias in vestris Ecclesiis, Monasterijs, Capellis, & vbique locorum publicare curetis, seu ab illis propalari, & nuntiari faciatis. Quod si secus, &c. volumus omnes, & singulos contradictores, & rebelles dictas pœnas, & censuras incurrere, &c. Dantes plenam licentiam, & liberam potestatem, Generali, Fratribus, & eorum Nuntiis, & Commissarijs declarandi omnes & singulos contradictores, impedientes, aut perturbantes in aliquo, dictas pœnas incurrisse. Absolutionem vero nobis, vel Superiori vestro tantummodo reseruamus.

1493. Datum Romæ, die 10. Aprilis 1493. Summus Pontifex Alexander VI. concessit Commendatori, & Fratribus nostri Conuentus Barchinonæ bullam confirmationis in forma communi, tenoris sequentis. E

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei; Dilectis filijs Præceptori, & Fratribus domus Beatæ Mariæ de Mercede Barchinoneñ. ordinis eiusdem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum; salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus vobis, & eidem domui rationabiliter indultas sicut eas iustè, & pacificè possidetis, vobis, & domui vestræ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum

minum

A minum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, & Communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1493. idibus Aprilis, Pontificatus 1493. nostri anno primo. Idem Summus Pontifex Alexander Papa VI. inserendo nonnullas suorum Prędecessorum bullarum clausulas, eas confirmat, & alia in fauorem nostri instituti statuit, & ordinat. Cuius bullæ tenor talis est.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei; ad perpetuam rei memoriam. Solet sedis Apostolicæ clementia circumspecta recurrentibus ad eam, cum humilitate personarum prę-sertim Religionis iugo astrictarum consulere; & ea per quæ tranquillis possint mentibus incedere, vota fauorabiliter exaudire. Et dum hoc humiliter petierint, erga eas pietatis gre-B mium aperire, ac ijs, quæ propterea per ea concessa sunt, vt firmius illibata persistant, suæ approbationis munime roborare. Dudum siquidem fœlicis Recordationis Martinus Papa V. noster Prædecessor ad supplicationem claræ memoriæ Alphonsi Regis Aragonum, nec non tunc existentis Magistri, ac dilectorum filiorum fratrum ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, per quasdam suas auctoritate Apostolica statuit, & ordinauit, quod si qui Mendicantium, vel aliorum ordinum fratres, seu Religiosi ad præfatum ordinem B. Mariæ de Mercede translati, Regulam per annum, (eius habitum gestando,) approbassent, seu expressam in eo professionem emisissent regularem, ex tunc ab eo ad alium ordinem se transferre nequirent, absque sedis Apostolicæ licentia, specialem, & expressam faciente de statuto, & ordinatione mentionem; decernens ex tunc irritum, & inane quidquid secus in contrarium à quoquam quauis auctoritate, &c. Et deinde piæ memorię Calixto Papæ III. etiam Prædecessori nostro, exposito, quod nonnulli ex fratribus eiusdem ordi-C nis B. Mariæ de Mercede, & illum expresse professi, vocatione sua non contenti, & immemores, quod ipsi, voluntatem propriam abnegantes, semetipsos pro Redemptione Captiuorum, qui in potestate Infidelium diræ seruitutis subiiciebant, altissimo deuouerant, profitentes se paratos etiam pro vnius Redemptione Captiui, non modo se ipsos Captiuitati Paganorum in scambium traddere, sed etiam (si opus foret) mortem, & tormenta quælibet tolerare; se ab huiusmodi sancti voti iugo auctoritate propria subtrahendo, Mendicantium, & aliorum ordinum Monasteria, siue domos euolauerint; nonnulli vero ex eisdem habitu retento, obedientiæ tamen fræno efracto per Curias Prælatorum, aut Regum, Reginarum, aut aliorum sæcularium Principum, in opprobrium dicti ordinis, hinc inde discurrebant, & varia scandala sæpenumerò parabant; præfatus Calixtus Prædecessor per alias suas literas auctoritate prædicta, ex certa scientia eius, etiam statuit, & ordinauit omnes, & singulos, qui D in præfato ordine de Mercede solemne votum professionis pro tempore expresse emisissent, ita ipsi ordini perpetuis eorum vitæ temporibus fore efficaciter obligatos, vt absque Sedis Apostolicæ speciali licentia, eis ad alios quoscumque Regulares, & Monasteriorum ordines transeundi auctoritas, vel potestas minimè esset concedenda. Decernens statutum, & ordinationem suam huiusmodi, etiam ad præfatos ordines eorumdem Professorum trahi translationes. Ita videlicet, quod Generalis Magister, & Definitores præfati, tum præsentes, & qui pro tempore forent, per se, vel alium, seu alios quoscumque Religiosos, qui dictum ordinem expresse professi fuissent, (vt præfertur) de quibusuis alijs ordinibus, eorumque Monasterijs, domibus, seu locis, ad quæ forsan, etiam cum eorum Superiorum licentia, & habitus mutatione pro tempore (præterquàm illos, qui ad ordinem Carthusiensium transiuerunt,) repetere possent, & deberent. Ipsique sic translati Religiosi, (etiam sine repetitione huiusmodi,) ad priorem ordinem de Mercede prędictum, sub virtute sanctę obedien-E tiæ redire omninò tenerentur, prout in singulis literis prædictis continetur. Cum autem sicut exhibita, &c. ac literas Martini, & Calixti Prædecessorum huiusmodi pro eorum subsistentia firmiori nostræ approbationis robur adijcere, necnon dictis fratribus, qui de alijs ordinibus ad dictum ordinem de Mercede (vt præfertur) transierunt, & in eo impræsentiarum existunt, eorum singulis, vt in eodem ordine de Mercede, sub illius habitu, & institutis regularibus quoaduixerint, permanere valeant, ac Magistro Generali, & Prouincialibus prædictis, quod de cætero nullus Religiosus dicti ordinis de Mercede, saltim qui semel pecunias quascumque pro Redemptione Captiuorum huiusmodi receperint, ad alium ordinem, etiam arctioris regulæ transferre possit; quodque exemptiones à dicta sede, vel legatis eius, pro tempore habendæ, (nisi præfatorum Generalis Magistri, & Prouincialis ex-

pressus

pressus accedat assensus nullius sint roboris, vel momenti; ipsique fratres dicti ordinis de Mercede; qui pecunias ex dicta caussa receperint præfato Magistro Generali, seu Prouinciali ad id pro tempore deputato computa, ac rationem, & reliqua reddere teneantur. Exemptiones quoque, & translationes secus habendę nullius pariter roboris, vel momēti existant statuere, concedere, & indulgere, aliasque eis, & statui ipsorum in pręmissis opportunè prouidere de Apostolica benignitate dignaremur. Nos igitur qui illius vices gerimus in terris, cui proprium est misereri semper, & parcere; singulorū Christi fidelium, sub regulari habitu altissimo iugiter famulantium conscientiam, pacem, animarumque salutem sinceris affectibus appetentes, ac attendentes, quod pręfatæ sedis clementia consueuit petentibus veniam non denegare, ipsos fratres tam in dicto ordine B. Mariæ de Mercede (vt præfertur) receptos, quam ipsos recipientes, & eorum singulos a quibuscumque excommunicationis, &c. & absolutos fore censentes, &c. Huiusmodi supplicationibus inclinati fratres in dicto ordine Beatæ Mariæ de Mercede (vt præfertur) receptos, necnon tam illos, quàm eos qui illos sic receperunt, ab excommunicationis, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, si quas propter transitum, & receptionem huiusmodi alias forsan pro eis, quę in huiusmodi translatione, & receptione requisita, debitè obseruata non fuerunt, incurrerint, auctoritate Apostolica tenore præsentium absoluimus; & cum eis super irregularitate, si quam sententiis, & censuris huiusmodi ligati, missas, & alia diuina officia, (non tamen in contemptum clauium) celebrādo, aut illis alias se immiscendo cōtraxerint, dispēsamus; omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam per eos, præmissorum occasione, quomodolibet contractam, absoluimus. Nec non singulas literas Martini, & Calixti Prædecessorum prædictorum, & omnia, & singula in eis contenta, eisdem auctoritate & tenore approbamus; supplentes omnes, &c. Et nihilominus eisdem fratribus, qui de alijs ordinibus ad dictum ordinem de Mercede (vt præfertur) transierint, & in eo in præsentiarum existunt, eorum singulis, vt in eodem ordine de Mercede, sub illius habitu, & institutis regularibus quoad vixerint permanere valeant, ac Magistro Generali, & prouincialibus prædictis, &c. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus Religiosus dicti ordinis de Mercede, saltem qui semel pecunias quascumque pro Redemptione Captiuorum huiusmodi, aut bona aliqua dicti ordinis de Mercede receperit, ad alium ordinem, etiam artioris Regulæ se transferre possit. Quodque exemptiones a dicta sede, vel legatis eiusdem pro tempore habendę, (nisi ad id præfatorum Magistri Generalis, vel Prouincialis expressus accedat assensus) nullius sint roboris, vel momenti; ipsique fratres dicti ordinis de Mercede, qui pecunias aliquas ex dicta caussa receperint præfato Magistro Generali, seu Prouinciali ad id pro tempore deputato computa, & rationem, ac reliqua reddere teneantur; exemptiones quoque, & translationes secus habendæ, &c. Et cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, & efficacissimis clausulis, & verborum expressionibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia concedendæ nullius sint roboris, &c. Non obstantibus præmissis ac præfati Martini Prædecessoris quæ incipit; viam ambitiosæ cupiditatis, & quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon ordinum prædictorum iuramento Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs. Volumus autem, quod præfati fratres tam recipientes quam recepti pœnitentiam per Confessorem, per eos, & eorum quemlibet eligendum, eis propterea iniungendam, adimplere teneantur, alioquin absolutio, & præsentes literæ quoad absolutionem huiusmodi nullius roboris, vel momenti existant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, communitionis, suppletionis, statuti, concessionis, indulti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ,
1493. apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1493. duodecimo Calen. Maij, Pontificatus nostri anno primo. Ioannes Torquemada.

Floruit in partibus Italiæ, præsertim in Siciliæ Regno, Reuerendus Pater, & insignis verbi Dei Concionator, Frater Bartholomęus de Laurentio, Panormitani Monasterij Commendator, in eoque Siciliæ Regno Generalis Vicarius. Magna apud Proregem, regnique Principes auctoritate pollebat. Sed cum iste sanctus vir, totus esset cœlestibus meditationibus intentus, honoresque humanos abhorreret, vt Dominum lucrifaceret, & soli Deo de-
1494. seruire posset, statuit hoc anno 1494. omnibus Religionis officijs spontè renunciare, quod & fecit, cum magno animæ suę commodo, ac lucro; nam post paucos dies cum sanctitatis odore ex hac mortali vita ad Dominum liber, & sine cura migrauit.

Archie-

A Archiepiscopus Panormitanus, qui Serenissimo Ioanne Aragonum Rege viuente, timore pœnæ nostrum ordinem, & eius sanctum institutum insequi non audebat, subsecuto tamen eiusdem Regis obitu, eiusque filio Ferdinando succedente, munus Redemptionis retardare, & quod elemosynas in sua iurisdictione non peteremus, ordinare ausus est. Sed tres Religiosissimi viri, qui per hæc tempora inter alios Panormi morabantur, videlicet Frater Bartholomæus de Gruttis Siculus Messanensis, & Frater Petrus Parisiensis Gallus, & Frater Matthæus de Grighi Panormitanus, Religionis Zelo, & pro nostri muneris defensione innumerabiles perpessi sunt labores, viriliterque Archiepiscopo restiterunt. Sed a Domino Siciliæ Prorege executorialibus literis hoc anno 1495. obtentis omnis cessauit molestia. 1495.

Floruit in Italia Frater Thomasius de Istoderijs, sui ordinis mirificus Zelator, & non vulgaris verbi diuini Concionator. Vnde originem suam traxerit, penitus ignoro. Hoc solùm scio, cum sanctitatis fama, bonoque odore de se relicto, ex hac mortali vita hoc anno
B 1496. ad æternam migrasse. 1496.

Inter inclitos, & celeberrimos, regiosque Concionatores, quos Hispania possidere meruit, non infimum Frater Georgius Hispanus obtinuit locum; filius Prouinciæ Castellæ. De quo historiæ ferunt, quod in templum etiam permagnum, & amplum, in quo ad populum erat Concionaturus, non poterat præ nimia hominum frequentia, ante solis ortum ingredi. Fuit Regum Catholicorum Concionator, & Consiliarius; Iacet Ispali in nostro Monasterio sepultus; quem magnis præconijs in vita huius Generalis Magistri Reuerendissimus Zumel commendat. 1497.

Cum nonnulla nostri Monasterij Beatæ Mariæ de Miraculo, fundati, & siti in termino, & prope villam Montis albi Diœcesis Terraconensis bona, res, & possessiones essent à sæcularibus Personis occupata, Venerabilis, & Religiosus vir Frater Clemens Peyssa dictę domus
C Commendator nomine Reuerendissimi Patris Fr. Ioannis Vrgel totius ordinis Generalis Magistri præsentauit translatum, & copiam autenticam bullæ Domini nostri Alexandri Papæ VI. (cuius data est Romæ, apud S. Petrum 1492. decimo octauo Calend. Ianuarij, sui Pontificatus anno primo,) reuerendissimo Patri Fratri Ioanni, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Abbati Monasterij populeti Cisterciensis ordinis Tarraconensis Diœcesis Iudici Apostolico Conseruatori, in dicta Bulla nominato, ad effectum, vt idem translatum exemplari, & in publicam atque autenticam transsumpti formam redigi sua Apostolica auctoritate mandaret. Cuius precibus pręfatus Dominus Abbas, Iudex Conseruator inclinatus suas literas dedit tenoris sequentis.

In Dei nomine, noueritis vniuersi, & singuli pręsens publicum, & autenticum translatum visuri, lecturi, & audituri; quod nos Frater Ioannes, Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Abbas Monasterij Populeti Cisterciensis ordinis Diœcesis Tarraconensis, Conseruator, &
D Iudex Apostolicus in præscripta bulla nominatus, & electus (vna, & insolidum cum alijs nostris Collegijs) omnium, & singulorum Monasteriorum, Personarum, bonorum, & rerum Ordinis Beatę Marię Mercedis Redemptionis Captiuorum Christianorum à sancta Sede Apostolica deputatus; quod per Reuerendum Fratrem Ioannem Vrgel, Magistrum Generalem dictę Religionis, seu ordinis, extitit nobis præsentatum quodam publicum translati instrumentum sanum, sincerum, & integrum omni vitio, & suspitione carens, seu carentem. Cuius tenor talis est.

In nomine Sanctæ, & indiuiduę Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Nouerint vniuersi hoc præsens publicum transsumpti instrumentum inspecturi, visuri, lecturi, pariter, & audituri, quod nos Ioannes Ruiz de Medina, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia,
E Episcopus Astoricensis Illustrissimorum, & Serenissimorum Principum, & Dominorum Domini Ferdinandi Regis, & Elisabeth Reginæ Castellę, Legionis Aragonum, Valentię, Granatę, &c. Orator ad Sedem Apostolicam destinatus, atque eorumdem Regis, & Reginę Consiliarius, in Romana Curia residens; salutem in Domino; pręsentibus fidem in dubiam adhibere tenore pręsentium fidem facimus, & attestamur, qualiter quasdam literas Apostolicas Conseruatorias sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Alexandri diuina prouidentia Papę VI. Magistro Generali, Prouinciali, & Fratribus beatę Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum concessas, eius vera bulla plumbea cum Cordula Canapis morę Romanę Curię impenden bullatas vidimus, tenuimus, palpauimus, & inspeximus, illasque sanas siquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neq; in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsùs vitio, & suspitione carentes, reperimus; quarum literarum tenor sequitur,

& est

& est talis. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Sancti Saturnini, &c. Sub datum, vt supra. A

Quibus quidem literis apostolicis per nos diligenter visis, palpatis, & inspectis ad requisitionem, & instantiam Venerabilis, & Religiosi viri Fratris Francisci del Campo Bachalauri, ac domus dictę Beatę Marię de Mercede ciuitatis Segobriceñ Commendatoris dictiq; Ordinis Sindici Procuratoris, per notarium publicum infrascriptum, literas Apostolicas huiusmodi exemplari, & transsumi, ac in publici transsumpti formam redigi, easq; collationari, & ascultari mandauimus, & fecimus, volens nihilominus, & decernens, vt huic pręsenti publico transsumpto, siue exemplo plena fides deinceps adhibeatur in iudicio, & extra vbilibet in locis omnibus, & singulis, quibus fuerit opportunum; ipsumq; transsumptum fidem faciat, & illi stetur, ac si originales ipsę literę Apostolicę apparerent, & in medio forent exhibitę; quibus omnibus, & singulis auctoritatem nostram interponimus pariter, & decretum. In quorum omnium, & singulorum fidē, & testimonium pręmissorū pręsentes literas, siue pręsens publicū trāssumpti instrumentū, ex inde fieri, & per notarium publicum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus; nostriq; sigilli iussimus appensione communiri. Datum, & actum Romę in domo habitationis nostrę sub anno a natiuitate Domini 1493. indict. XI. die vero nona mensis Ianuarij, Pontificatus pręlibati sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Alexandri diuina prouidentia Papæ Sexti, anno primo, præsentibus ibidem venerabilibus viris Dominis Petro Didaci de Aranti Præsbytero, & Ioanne Tesio Clerico Calahurritañ, & Palentiñ Diœcesum familiaribus nostris, ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis. Ego Ioannes Chopineti Clericus Handineñ Diœcesis publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, qui præinsertarum literarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, requisitioni, transsumptioni, & ascultationi, ac Decreto, & interpositioni, omnibusque alijs, & singulis præmissis dum sic, (vt præmittitur) fierent, & agerentur, vna cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audiui, & in notam sumpsi ex qua hoc præsens instrumentum manu aliena fideliter scriptum, ex inde confeci, subscripsi, & publicaui, & in hanc publicam formam redegi, signoque, & nomine meis solitis, & consuetis, vnà cum præfati Domini Episcopi Astoriceñ sigilli appenditione signaui in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum rogatus, & requisitus. B C

Quo quidem translato nobis præsentato, ipsoque viso, & diligenter intellecto, & per nos recepto cum illis quibus decet reuerentia, & honore acceptauimus officium Conseruatoriæ in eodem designatum, vt inde constat infrascripto recepto per Notarium subscriptum. Cumq; per venerabilem religiosum Fratrem Clementem Payssa dicti ordinis Commendatorem domus, seu Monasterij Beatæ Mariæ de Miraculo fundati in termino, & satis prope villam Montis albi dictæ Diœcesis Tarraconeñ, nomine, & pro parte dicti Reuerendi Domini Magistri Generalis dicti ordinis fuerimus requisiti, quatenus cum in diuersis partibus sit necessarium, fidem fieri de præmissis per modum, & formam huiusmodi translati, seu exempli, ea propter fauore, & necessitate dictæ Religionis attenta per Notarium publicum infrascriptum mandamus, atque facimus, & translatum huiusmodi à præfato translato exemplari, & transsumi, & in publicam, & auctenticam formam redigi, vt fides plenaria ab omnibus, & singulis in iudicio, & extra adhiberi valeat, tamquam dicto, nobis præsentato, auctentico transsumpto. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes literas, siue pręsens publicum transsumpti instrumentum per Notarium infrascriptum fieri, & publicari mandauimus, nostrique sigilli appenditione iussimus communiri. Datum, & actum in nostro Monasterio Populeti, die 4. mensis Maij, anno à Nati-
1498. uitate Domini 1498 &c. D E

Redemptores Castellæ, & Bæticæ Frater Dominicus de Auila, in S. Theologia Magister, & Frater Melchior de Pace in eadem facultate Bachalaureus ex Marrocij Regno, hoc
1499. anno 1499. centum, & viginti sex Christianos redemerunt, eosque magno iubilo Hispalim
Liber. 126. incolumes duxerunt.

CAP.

A *Cap. XXII. Floret Magister Valladolid, ad cuius preces Rex Catholicus nostra priuilegia Confirmat. Alex. VI. defuncto, Pius III. & Pio III. Julius II. succedunt, qui Julius singularibus ordinem fauoribus prosequitur. Obijt Magister Vrgel, & eligitur Fr. Jacobus dela Mata.*

Nter plures præstantes, & famosos viros, qui hac tempestate ordinem nostrum illustrarunt, & gloriosum fecerunt, non infimum locum tenet
B Frater Antonius de Valladolid, meritissimus Prouinciæ Castellæ Prouincialis, inculpabili vita, ac honestis moribus exornatus, nec non multiplici scientiarum cognitione condecoratus. Viguit in eo semper maximus disciplinæ regularis amor, ac super gregem & Prouinciam sibi commissam summa, & pastoralis vigilantia. Quæ omnia cum ad Catholicorum Regum notitiam deuenissent, aliquas principales Hispaniæ Ecclesias visitandas, & reformandas commiserunt ei, immo dignitates vacantes obtulerunt ei. Ipse vero humiliter, & prudenter se excusando, acceptare eas renuit. Sed, vt multis benefaceret, nostroque ordini proficeret, esse Regium Cappellanum atque Consiliarium (retento semper Prouincialatus officio) admisit. Cuius singulari prudentia, scientiæ præstantia, & maturo Consilio Catholici Reges in arduis, & magni momenti rebus, maximè in his, quæ ad interius animæ forum spectant, vti solebant. Tanta erat huius sancti
C viri rectitudinis fama, benignitas, & charitatis ardor, atque blandus in responsis sermo, neque non tanta apud Reges pollebat auctoritate, vt omnes in caussis, & necessitatibus suis ad nostrum Prouincialem recursum haberent. Pauperes, & indigentes, misericordiam, afflictæ viduæ humano auxilio destitutæ, fauorem, Orfani, & Pupilli re familiari indebitè spoliati, tutelam, Aduenæ, & Peregrini litigantes, à Regum officialibus, Iustitiæ defectu grauati, protectionem, milites sine stipendijs, pro laboribus suis, meritò sibi debitis, inhumanè dimissi, omne humanitatis, auxilijque genus inueniebant, ad eumque omnes confugientes, querelam præsentabant, & fauorem, simùlque iustitiam flagitabant. Quos benignus Pater blando, & suaui sermone recipiebat, recreabat, & ad tolerantiam excitabat. Deinde Iudices, & Regios ministros non semel, nec bis, sed sæpè admonere solebat, vt erga omnes, maximè aduenas charitatem ostenderent, & pietatis viscera exhiberent. Sed cum hæc non
D sufficerent, impietatem eorum, & duritiam cordis in publicis concionibus arguebat, & increpabat; immo ipsosmet Reges omni mortis timore deposito, in quo ministri debitum suum egrediebantur, & de eo in quo deficiebant, Christiana libertate certiores faciebat; & vt de opportuno, salutarique remedio, citissimè prouidere dignarentur, summis contendebat precibus. Vnde quantò zelus, Christiana libertas, rectitudo, & intrepidus nostri Prouincialis animus à Iudicibus, & Ministris Regijs erant in odio, tanto à plebe, & pauperibus commendabantur, & celebrabantur; ita vt communi vocabulo Pater pauperum vociferaretur. Curiam Regiam sequebatur, & numquam à latere Regum discedebat; & ob id Reges, Monasterijs quà transibant, ad preces nostri Prouincialis multa bona conferebant; præsertim Conuentui Hispalensi. Nam cum hoc anno 1500. Catholici Reges moram Hispali traherent, Prouincialis rogauit eos, vt in nostro Monasterio Missam audire, fratresque nostros cohonestare dignaretur; quod gratanter Reges fecerunt. Die igitur tertia Paschatis Missam 1500.
E planam coram Regibus in Ecclesia nostra celebrauit. Quo Missæ sacrificio peracto Rex & Regina cum ingenti, & nobilissimo Comitatu Monasterium inuiserunt. Deinde in discessu Regum sic ad eos clara & intelligibili voce Prouincialis locutus est; Serenissimi Domini, Pater Commendator, & isti mei Patres humiliter supplicant, quatenus priuilegia à fœlicis Recordationis Domino Ioanne, & Henrico vestræ Maiestatis Prędecessoribus, ordini nostro concessa, de nouo ad maiorem firmitatem confirmentur, quod, & ego humilis vestrę Maiestatis famulus similiter exposco, & exoro. Cui Ferdinandus respondit: libenter. Continuò fiat. Et aduocatis Gundisaluo de Baeza Regis Thesaurario, & Alphonso de Marmol Regiæ Camerae Scriba, pręcepit eis, vt priuilegium confirmationis ad nutum, & supplicationem Prouincialis expediri facerent; quod est tenoris sequentis.

E agora por quanto por parto de vos el deuoto, y honesto Religioso Don Fray A
Antonio de Valladolid, Prouincial dela dicha orden de los Monasterios de S. Maria dela Merced, en estos nuestros Reynos, nuestro Cappellan, y del nuestro consejo por vos, y en nombre dela dicha orden, nos supplicastes y pedistes por merced, que vos confirmassemos, y aprobassemos la dicha carta de preuilegio suso encorporada, y las mercedes en ella contenidas; y assi mismo vos la mandassemos guardar y cumplir en todo, y por todo, segun que en ellas se contiene y declara. E nos los sobre dichos Rey Don Fernando y Reyna Doña Isabel por facer bien y merced à vos el dicho honesto y deuoto Religioso Don Fray Antonio de Valladolid Prouincial dela dicha ordẽ, B
nuestro Cappellan y del nuestro Consejo, y ala dicha orden de S. Maria dela Merced, touimos lo por bien. E por la presente vos confirmamos, y approbamos la dicha carta de preuilegio suso encorporada, y las mercedes en ella contenidas, y mandamos que vos valan y sean guardadas si y segun que mejor y mas cumplidamente vos valieron y fueron guardadas en tiempo del Rey Don Juan nuestro Señor Padre, y del Señor Rey Henrique nuestro Hermano que santa gloria aya, y en en el nuestro fasta aqui. E defendemos firmemẽte q̃ ninguno, nin algunos nõ sean osados de vos ir, nin C
passar contra esta nr̃a dicha carta de preuilegio y Cõfirmaciõ q̃ vos ansi fazemos, nin contra lo en ella contenido, nin contra parte dello en algun tiempo, nin por alguna manera, ca qualquier que lo fizieren o cõtra ello, o cõtra parte dello fueren, ò passaren, auran la nuestra yra; y demas pecharnos han la pena contenida en la dicha carta de preuilegio suso encorporada; y al dicho Prouincial Fray Antonio de Valladolid, y ala dicha su orden todas las costas, y daños, y menoscabos que por ende seles recrescieren doblados. E de mas mandamos à todas las Justicias dela nuestra Casa, y Corte y Chancilleria, y de todas las Ciudades & Villas, y lugares de los nr̃os Reynos y Señorios, do esto à acaesciere; ansi alos que agora son, como alos que seran de aqui D
adelante, y acada vno dellos, que gelo non consientan; mas que vos defiendan, y amamparen en esta dicha Merced que vos ansi fazemos, en la manera que dicha es, y prendan en bienes de aquel, ò aquellos que contra ello fueren è passaren por la dicha pena y la guarden para fazer della lo que la nuestra Merced fuere; y que emmienden y fagan emmendar al dicho Prouincial y ala dicha orden, o aquien su vos touiere de todas las costas y daños que seles recrescieren doblados; como dicho es. E de mas por qual quier, ò quales quier delas Justicias y Officiales por quien fincare delo ansi fazer y complir, mandamos al home que les esta nuestra carta de preuilegio y confir- E
macion mostrare, que los emplaze, que parezcan ante nos en la nuestra Corte, do quier que nos seamos, del dia que los emplazare, a quinze dias primeros siguientes, sola dicha pena acada vno, a dezir por qual razon non complen nuestro mandado. E mandamos sola dicha pena à qual quier Scriuano publico que para esto fuere llamado que dè ende alque la mostrare testimonio signado con su signo, porque nos sepamos en como se cumple nuestro mandado. E desto vos mandamos dar esta nuestra carta de preuilegio y Confirmacion scrita en pergamino de cuero y sellada con nuestro sello de plomo pendiente en filos de seda à colores y librada delos nuestros Concerta-

deros

A *dores y Scriuanos mayores delos preuilegios, y Confirmaciones, y de otros Officiales de nuestra casa. Dada en la Ciudad de Seuilla à 20. dias del mes de Mayo, año del nascimento de nuestro Saluador Iesu Christo de 1500.* 1500.

Frater Vincentius Gasca Siculus ex ciuitate Panormi oriundus, plurimis elemosynis aggregatis cum Saluoconductu ab Illustrissimo D. Ioanne de Lanuza Prorege procurato, ex Regno Siciliæ in Africam profectus, ex ciuitate Tuneti triginta nouem redemit Christianos Captiuos, eosque in fine huius anni 1501. in ciuitatem Drepanitanam incolumes duxit. 1501.

De hac Redemptione præfatus Dominus Prorex certior factus valde, fauorabilem facultatem, & licentiam nostro ordini concessit elemosynas in eo Regno petendi, procurandi, B & recipiendi; grauissimas pœnas in impedientes & transgressores imponendo: Præcepit etiam, vt ad unguem, & sicut iacent, executioni demandarentur Apostolicę literæ Domini Petri de Vicenna Episcopi Cesenoteñ, Auditoris Generalis in Romana Curia Bullas Confirmatorias Sanctissimi Domini nostri Alexandri Papæ VI. inserentis, &c. Sub datum Panormi die 10. Aprilis, Anno Domini 1502. 1502.

Generalis Magister Fr. Ioannes Vrgel, vigilantissimus Pastor nullis parcens laboribus, plurimum insudauit, vt typis mandaretur Breuiarium proprium iuxta ritum nostri ordinis, & similiter opus quarumdam Missarum ad vsum fratrum nostri ordinis, quæ omnia Generalis Magister compilauit, castigauit, & emendauit, ac sua propria impensa imprimi fecit Venetijs, per nobilem Virum Lucantonium de Giunta Florentinum, anno præsenti 1503. 1503.
die 15. Aprilis.

Alexander Papa VI. Romæ obiit in Palatio Vaticano postquam sederat annos 11. & dies C octo. Vacauit tunc Romana Sedes mense vno, & diebus tribus. Cui successit decimo Calen. Octobris, Franciscus Picolhomineus Senensis, Diaconus Cardinalis S. Eustach j, qui Pius III. in memoriam Pij II. Auunculi sui appellari voluit. Sed iam valde senex, atque valetudinarius, solum in Papatu vixit dies 26. Quia obiit 14. Calen. Nouembris. In cuius locum suffectus est Calend. Nouembris Iulius de Ruuere Sauonensis Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veletrensis, Maior Pęnitentiarius, qui Iulii II. nomen sumpsit. Hic Summus Pontifex ad supplicationem Commendatoris, & fratrum Conuentus Barchinonæ concessit bullam tenoris sequentis.

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei: Dilectis filiis Præceptori, & Fratribus domus B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum Barchinoneñ. ordinis eiusdem B. Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis D petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & locum in quo diuino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, & quæ in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri ac nostra protectione suscipimus. Omnes quoque libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, vel alia indulta vobis, ac domui vestræ concessas; necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis, & eidem domui rationabiliter indultas; necnon oblationes, censûs, fructus, redditus, prouentus, terras, domos, possessiones, campos, agros, prata, pascua, nemora, siluas, cassalia, grangias, aquas, aquarum decursus, stagna, E lacus, piscarias, iura, iurisdictiones, & alia mobilia, & immobilia bona, ad dictam domum legitimè spectantia, sicut ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem domui auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, & Communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1504. 1504.
Idibus Februarij, Pontificatus nostri anno primo. Sed cum Procuratores, & Nuntios nostri ordinis ad publicandas nostras Indulgentias, & elemosynas petendas à Panormi Priore destinatos Religiosi Mendicantes, & aliæ personæ huius Regni Siciliæ pro viribus retardare, & impedire conarentur, fuit necesse ad eundē Summum Pontificem pro opportuno

remedio grauem nomine Prioris, & fratrum Barcinonæ deferri querelam. Quorum preci- A
bus sanctissimus inclinatus, bullam aliam concessit tenoris sequentis.

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Episcopo Cephaluden. & dilectis filiis Bernardino de Bononia Canonico Ecclesiæ Panormitañ. ac Vicario venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Panormitañ in spiritualibus Generali, salutem, & Apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum Præceptoris, & fratrum domus Beatæ Mariæ de Mercede Barchinoneñ ordinis eiusdem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum accepimus continentem; quod licet iuxta priuilegia, & indulta a Sede Apostolica præfato ordini concessa, (quibus non est hactenus in aliquo derogatum,) & de antiqua & approbata, hactenus pacificè obseruata consuetudine, sub nomine dicti ordinis Redemptionis Captiuorum in manibus infidelium existentium, quęstus, & coltas, elemosynas, & alias oblationes pro eisdem Captiuis redimendis a Christi fidelibus petere, elemosynasque oblatio- B
nes, ac quæstas huiusmodi recipere, necnon priuilegia, gratias, Indulgentias, & alia indulta, prædicto ordini, elemosynas dantibus pro Redemptione huiusmodi concessa, publicare, & in publicis locis, & in Ecclesiis coram populo illa prædicari facere, necnon ad Præceptorem, & fratres dictæ domus pro tempore existentes, idonearum personarum ad quęstas, coltas, elemosynas, & oblationes huiusmodi ab vtriusque sexus personis petendas, & indulta, priuilegia, & Indulgentias prædicta publicandi in Insula Siciliæ, & his locis deputantur, tamen Sanctæ Citæ, Sancti Augustini, ac del Carmine, & S. Mariæ de Iesu, & S. Francisci Panormitañ. & nonnullarum aliarum domorum prædictarum Eremitarum S. Augustini, ac Carmelitarum, necnon minorum de obseruantia, & etiam Conuentualium nuncupatorum, Priores, Guardiani, Vicarij, & Fraters, ac alij Clerici, & Laici Panormitañ, Syraculañ. & Messaneñ. ciuitatum, ac Diœcesum, & in illis Commorantes, falsò prætendentes, quod C
priuilegia, & indulta pręfato ordini concessa, in suo vigore, seu robore non permaneant; ipsos, illorum vigore quęstas, elemosynas, & oblationes huiusmodi petere, & recipere non posse, eosdem Præceptorem, & Fratres, ac ab eis ad quæstas, oblationes, & elemosynas huiusmodi petendas, & recipiendas deputatos, quominus illas petere, & recipere; necnon indulgentias, priuilegia, gratias, & indulta præfato ordini concessa publicare, seu publicari facere possint, & debeant contra iustitiam impedire; grauesque molestias, iacturas, & impedimenta, & damna eis super his inferre temerè pręsumpserint, in animarum suarum periculum, & perniciem; ipsorum que Præceptoris, & fratrum, ac domus B. Mariæ de Mercede præiudicium non modicum, & grauamen. Quare pro parte Præceptoris, & Fratrum dictæ domus B. Mariæ de Mercede nobis fuit humiliter supplicatum, vt Impeditores huiusmodi ab impedimentis huiusmodi cessent, compesci mandare, & alias eis super his iustitiæ ministerio subuenire paterna diligentia curaremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica D
scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint euocandi, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit (appellatione remota) decernatis; facientes (quod decreueritis) per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel amore, vel timore subtraxerint, censura compellatis, veritati testimonium perhibere; non obstante si eisdem Impeditoribus, & ordini Minorum de obseruantia, & Conuentualium nuncupatorum, ab eadem sede indultum existat, quod ipsi, & dicti ordinis personæ ad iudicium trahi, aut suspendi, vel excommunicari, seu ipsi, & dicti ordinis de obseruantia, & Conuentualium nuncupatorum loca interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia Generali, vel cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestræ iurisdictionis explica- E
tio valeat in hac parte quomodolibet impediri; quoad hoc ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo, aut vnus vestrum caussam nihilominus exequatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Domi-
1504. nicæ 1504 tertio idus Martij, Pontificatus nostri anno primo.

Vt præfata bulla posset in hoc Sicilię Regno executioni demandari, oportuit ad D. Proregem pro exequutorialibus literis recursum haberi; qui eas dari præcepit tenoris sequentis.

Ferdinandus, &c. Vicerex, &c. Reuerendo in Christo Patri Episcopo Cephaluden. necnon venerabili Bernardino de Bononia, Canonico Ecclesiæ Panormi, ac Vicario in spiritualibus Generali Reuerendi in Christo Patris Archiepiscopi Panormitani, Consiliario, oratoribus, & fidelibus Regiis dilectis salutem. Fuit nobis nuper exhibita, & reuerenter

præ-

A præsentata quædam Apostolica bulla omni qua decet solemnitate expedita; tenoris sequentis. Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, &c. Sub datum 3. idus Martij, anno Incarnationis Dominicæ 1504. anno 1. Et supplicato nobis ex parte prælatorum Præceptoris, & Fratrum B. Mariæ de Mercede, vt præinsertam Apostolicam bullam nostris opportunis exequutorijs exequi, & obseruari mãdare dignaremur, nos volentes Apostolicis rescriptis conformes nos reddere, cum voto, & deliberatione infrascripti Magnifici Regij Consiliarij, dilecti Iudicis Magnæ Regiæ Curiæ (cui huiusmodi negotium commisimus) prouidemus, prout vos requirimus, & attentè hortamur, quatenus præinsertam Apostolicam bullam, omniaque & singula in ea contenta eisdem Præceptori, & Fratribus ad vnguem exequamini, compleatis, & obseruetis, ac exequi, compleri, & obseruari (per quos decet) faciatis iuxta sui seriem, continentiam, & tenorem; nec secus agatis, agi ve permittatis, pro
B quanto gratia Regia vobis chara est. Datum in Vrbe fœlici Panormi, die 9. Iulij, septimæ indict. anno Domini 1504. Ioannes de Lanuza. D. Vicerex mandauit mihi Ioanni de Quadros. cum bene stat per Gerardum, &c. Per benedictum regentem, &c. 1504.

Circa hæc tempora floruisse ferunt grauissimum Patrem Fratrem Didacum de Saldaña, qui in Episcopatu Auulensi, Domino Alphonso de Fonseca succeessit, eàmque dignitatem summa rectitudine, prudentia, & animo intrepido administrauit, & rexit. De eo cum alijs mentionem facit Frater Ludouicus Ariz Monachus Benedictinus in historia Auulensi, fuisseque Regum Catholicorum Confessarium expressa verborum assertione affirmat. *Ludouicus Ariz.*

Ad hæc vsque tempora post tot annorum curricula Reuerendissimi Generalis Magistri Fratris Ioannis Vrgel, recens in principatu Cathaloniæ viget memoria. Fuit natione Hispanus Gotholanus, patria Barchinonensis, & eius Monasterij filius; cuius parentes & genitores nobiles fuerunt. Gentilitia, & insignia eius, (quę Hispani vulgari vocabulo arma vo-
C cant,) in plurimis ordinis Monasteriis respiciuntur, suntq; notissima; videlicet quidam vrsus, animal ferum ac sęuùm, cum flammis ignitis in campo, & spatio deaurato depictus; proprietates, & qualitates huius boni Magistri demonstrans; nam erga bonos Religiosos fuit vir sanè pius. & ignitis charitatis flammis ardens, & efulgens; at in fratres Proprietarios, Raptores, & bona Monasteriorum delapidantes, ac vsurpantes se rigidum & ferocem visum exhibebat; nam eos spoliabat, bonáque malè adepta surripiebat, & Monasterijs magis indigentibus tribuebat. His bonis, & alijs ad se licitis modis attinentibus Monasteria in ædificiis augebat, & pro Ecclesiæ seruitio, honatu, atque decore plurima supelectilia emebat, & fieri præcipiebat; præsertim in suo Barchinonæ Monasterio; cuius chorum magnis expensis, organum sumptuosum, maioris Altaris imagines, dimidium Sanctę Marinæ corpus ex argento, Candelabra argentea, Caldariolum cum aspersorio, seu aspergilio, ex argento,
D plurima pulcherrima ornamenta, claustra superiora, & inferiora, multaque alia, (in quibus sua gentilitia respiciuntur) a se fabricata & facta legimus. In cæremonialibus ordinis benè instructus, ea ad vnguem in vniuerso ordine obseruari curabat. Non potestate ordinem regebat, sed charitate, quæ exequenda erant, præcipiebat. Cum Magistratus honore virtutem humilitatis custodiuit; nam nimio generalatus aparatu omisso, vno solo comitatus socio incedebat. Fuit celebris Sacræ Theologiæ Doctor, verbo & doctrina pollens, moribusque valde insignis. Erga diuinum officium, & horas Canonicas, quod suis debitis loco, tempore, & deuotione recitarentur, vigilantissimus extitit Pastor, & ardentissimus Zelator. Ob id, vt subditis suis singulare præberet exemplum, ad matutinas media nocte soluendas (omnibus surgentibus) surgebat. Quem morem successores Magistri, & dictę domus superiores inuiolabili constitutione ad hæc vsque tempora seruarunt; nefas iudicantes, si infir-
E mitate, vel alio simili impedimento non præpediti, choro cum fratribus interesse omitterent. Quadam nocte attendens, quod duo fratres iuuenes vno manu scripto breuiario vterentur, vehementer doluit; & sic matutinis expletis vni eorum suum optimum porrexit breuiarium, sibi vetus & deterius effectum retinens. Et ex ea hora proposuit in corde suo huiusmodi incommodo remedium opportunum adhibere, & sic (vt diximus) suo magno labore atque expensis breuiarium ordinis typis mandari fecit. Husque ad hunc diem singulari consilio, atque prudentia ordinem rexit. Obiit bono odore de se relicto, iacet sepultus in nostro Monasterio Barchinonensi in sepulcro speciali sub Altari maiori inter sepulcra & corpora Generaliũ Magistrorũ Sason, & Sorel, suorũ conterraneorũ. Tẽpore huius Magistri de potestate Sarracenorũ liberati sunt 157. Christi fideles. Post mortẽ Generalis Magistri *Liberati 157* Vrgel electus est vnanimi plausu Fr. Iacobus de la Mata Arago, de quo inferius agemus.

Cap. XXIII. Elisabeth Castellæ Regina obijt, & post eam regnat Philippus I. qui parùm vixit, pro cuius morte Rex Catholicus iterum regnat, qui operi Redemptionis fauet. Iulius II. plurimis gratijs ordinem condecorat, eique post mortem Leo X. succedit. B. Matthæus Lana laudatur, & Magister ordinis obijt. A

1504. N Ciuitate *Metinæ del Campo*, die 26. Nouembris, huius anni 1504. ab humanis discessit Domina Elisabeth Castellæ Regina numquam satis laudata, quæ in habitu Sancti Francisci sepelliri voluit in sua Regia Cappella Granatæ. Cui successit in Regnis Castellæ Philippus eius nominis primus, filius Maximiliani Imperatoris; successit inquam non ratione sui, & iure hæreditario, sed caussa suæ vxoris Dominæ Ioannæ, præfatæ Elisabeth, & Ferdinandi Regum Catholicorum filię. Sed cum Philippus primus, & Ioanna eius vxor in Flandriæ partibus moram traherent, regimen Regnorum Castellæ suscepit Ferdinandus Rex Catholicus pro filia sua Ioanna, & pro Philippo genero. Quam gubernationem tenuit vsque ad aduentum ipsorum; videlicet ad mensem Aprilis 1506. B

Summus Pontifex Iulius II. ad supplicationem Generalis Magistri, & grauissimi simulq; doctissimi patris, in S. pagina Magistri, Fratris Petri Ludouici Sans, domus Valentiæ Commendatoris, & famosi Concionatoris concessit bullam Confirmationis bullarum Apostolicarum, eas inserendo; cuius Confirmationis bullę tenor talis est. C

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanorum Pontificum benignitas consueta Prædecessorum suorum gesta, ea præsertim quæ pro fœlici statu Monasteriorum, & ipsorum locorum quorumlibet, ac Personarum in illis sub suaui Religionis iugo, altissimo famulantium, ac pro Christiana Religione contra hostes fidei quotidie militantium, & fidelium Captiuorum libertati vacantium commodo, ac animarum salute emanarunt, aliquando approbat, & aliàs Apostolico munimine roborat; illaque, & alia de nouo concedit. Necnon Monasteriorum, & Personarum earumdem dispendijs obuiat, & commoditatibus consulit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè dudum fœlicis Recordationis Bonifacius VIII. Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius IV. Calixtus III. Romani Pontifices Prædecessores nostri, dilectis filijs Generali, & fratribus ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum sub Regula Sancti Augustini suas literas concesserunt, monitiones, relaxationes, concessiones, & alia indulta continentes; quas, & in eis contenta postmodùm piæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam Prædecessor noster per suas literas cum literis Bonifacij, Alexandri, Clementis, Gregorij, Martini, Eugenij, & Calixti Prædecessorum huiusmodi de verbo ad verbum insertione approbauit, & nonnulla alia de nouo concessit; prout in eisdem literis (quas præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus,) plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum moderni Generalis, & fratrũ dicti ordinis, ac Petri Ludouici Sans, Pręceptoris domus Beatę Mariæ Valentiñ ordinis prædicti, Magistri in Theologia, asserentis decrescentibus quotidie fidelium deuotione, pariter & meritis, ac Paganorum potentia inualescente, Christianisque in impiam eorumdem Paganorum seruitutem turmatim, & oppidatim ductis; expedireque propterea ipsos Christi fideles specialibus donis ad spiritualia beneficia inuitari; ac Generali, & fratribus præfatis ad pium eorumdem fidelium Captiuorum Redemptionis opus prosequendum noua ope succurri, seque per eosdem Generalem, & fratres pro præmissis ad nos, & Sedem Apostolicam destinatum fuisse; nobis fuit humiliter supplicatum, vt Sixti, & aliorum Prædecessorum prædictorum literas huiusmodi innouare, & approbare, ac inuiolabiliter obseruari debere decernere; ac quod Confessor, quem Confraternitatis dicti ordinis Canonicæ institutæ, vtriusque sexus Confratres, pro tempore existentes, & eorum quilibet duxerint eligendum, ipsos ab omnibus, & singulis eorum excessibus, peccatis, criminibus, & delictis, etiam in dictæ sedi reseruatis casibus semel in vita, in alijs vero semel annis singulis, prout Confratribus Confraternitatis ordinis Sanctæ Trinitatis, ab eadem est sede concessum, absoluere, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere possit. Et si ipsos Confratres Confraternitatis Beatæ Mariæ

ad loca

A ad loca Ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita declinare contigerit, in illis clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, missis, & alijs diuinis officijs interesse, eorumdemque Confratrum tempore interdicti huiusmodi decedentium cadauera Ecclesiasticæ sepulturæ tradi liberè, & licitè possint. Quod si dicti Confratres Confraternitatis Beatæ Mariæ tempore eorum ingressus coniugati fuerint, solutis per virum, & vxorem in dicto ingressu triginta, & deinde annuatim septem denarijs monetæ iacentis, tam vir, quam vxor Confratres esse, ac omnibus & singulis concessionibus, indulgentijs, & remissionibus prædictis gaudere, censeantur, statuere & ordinare, aliasque in præmissis opportunè de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Generalem, ac Petrum Ludouicum, & alios fratres prędictos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis B sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, literas Sixti, & aliorum Prædecessorum huiusmodi (quatenus sint in vsu,) auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus; illasque perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus. Et nihilominus pro potiori cautela, omnia, & singula in prædictis literis contenta eisdem Generali, & fratribus de nouo concedimus, ac quod dictus Confessor sæcularis, vel regularis, quem ipsius Confraternitatis Beatæ Mariæ Confratres pro tempore existentes huiusmodi, & eorum quilibet (cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint) duxerint eligendum, ipsos ab omnibus, & singulis eorum excessibus, peccatis, criminibus, & delictis (etiam in dictę sedi reseruatis casibus) semel in vita, in alijs verò semel singulis annis, C quemadmodum Confratribus dictæ Confraternitatis ordinis S. Trinitatis ab eadem est sede concessum, absoluere, eisq; pro cōmissis pœnitentiam salutarē iniungere possit. Et quod ipsi Confratres Confraternitatis B. Mariæ si eos ad loca Ecclesiastico interdicto præfata ordinaria auctoritate supposita declinare contigerit, (cum ipsi caussam non dederint, & quod in eos specialiter non emanauerit) in illis clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, Missis, & alijs diuinis officijs interesse; & qui ex dictis Confratribus Confraternitatis Beatæ Mariæ Presbyteri fuerint, eas celebrare, eorumdemque Confratrum tempore interdicti huiusmodi decedentium cadauera (absque aliqua pompa solemni Ecclesiasticæ sepulturæ tradi liberè, & licitè valeant. Quodque dicti Confratres Confraternitatis Beatæ Mariæ si tempore eorum ingressus coniugati fuerint solutis per virum, & vxorem triginta, & deinde annuatim septem denarijs prædictis, tam D vir quam vxor Confratres dictæ Confraternitatis Beatæ Mariæ esse, ac omnibus, & singulis concessionibus, Indulgentijs, & remissionibus supradictis gaudere censeantur. Vel si idem, & alij fideles pręfati eamdem Confraternitatem Beatę Marię pro tempore ingredientes, in eorum ingressu tres solidos cum dimidio dictæ monetæ, siue quadraginta duos denarios similes, siue aliam æquiualentem monetam soluere maluerint, ad dictorum septem denariorum, vel aliquam aliam solutionem ratione Confraternitatis huiusmodi faciendam obligati de cætero non existant, auctoritate, & tenore præmissis statuimus, & ordinamus. Et vt eisdem ordini, & fratribus Beatæ Marię vberiora proueniant subsidia, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui aliquam Ecclesiarum, Monasteriorum, siue domorum dicti ordinis Beatæ Mariæ in natiuitatis, & E resurrectionis Domini, ac Pentecostes, necnon omnibus, & singulis eiusdem Beatæ Mariæ totius anni fæstiuitatibus, à primis vesperis vsque ad occasum solis dictarum fæstiuitatum, ac in omnibus diebus Dominicis Quadragesimæ deuotè visitauerint, & inibi manus porrexerint adiutrices, pro singulis fęstiuitatibus, & diebus prædictis quibus id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas; & qui tempore quo dicti Captiui, postquam redempti sunt, per diuersa loca ad misericordiam Dei propalandam, sub eius crucis vexillo deducuntur, triginta denarios similes ipsis fratribus Redemptoribus erogauerint, triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs in Domino relaxamus.

Et insuper, vt Generalis, & Fratres pręfati, qui pro eadem redemptione, Spiritu, & corpore assiduè laborant, in tam laudabili instituto ardenter perseuerent, eis, & eorū cuilibet ꝙ omnibus, & singulis gratijs, cōcessionibus, Indulgētijs, & remissionibus, quibus Confratres

fratres, seu Confraternitatem pro tempore ingredientes, & Ecclesias visitantes, ac manus A adiutrices porrigentes, cęteriq; benefactores huiusmodi vtuntur, & gaudēt, ac vti, & gaudere poterint quomodolibet in futurum, vtantur, & gaudeant, indulgemus. Nec non eisdem Generali, & ad id ipsius pro tempore existentis Generalis expresso consensu, pro tempore deputatis Fratribus quęcunq; legata ad Redemptionem Captiuorū huiusmodi pro tempore facta à quibusuis personis, & locis in Hispania, & Regis Hispaniæ toto dominio exigendi, & recipiendi plenam, & liberam facultatem eisdem auctoritate, & tenore elargimur; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis literis Apostolicis suspensionum, & reuocationum similium, vel dissimilium Indulgentiarum, concessionum, & facultatum, tam à nobis, quam à recolendæ memoriæ Innocentio VIII. & Alexandro VI. etiam Romanis Pontificibus, similiter Prædecessoribus nostris, ac Sixto & sede prædictis; cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, ac alijs fortioribus efficacioribus, & insolitis B clausulis, irritantibusq́ue decretis, quæ hactenus emanarunt, & forsan in posterum emanabunt, quorumcumque tenorum existant; necnon quibusdam constitututionibus Prouinciæ Tarraconeñ præfata auctoritate Apostolica forsan confirmatis; illis pręsertim, quibus inter alia caueri dicitur expresśè, quod nullus etiam Apostolico desuper priuilegio fultus tempore interdicti, &c. Missis, aliisq́ue diuinis officijs in ipsa prouincia interesse possit. Quibus omnibus etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de illis eorumq́ue totis tenoribus de verbo ad verbum (non autem per generales clausulas id importantes mentio habenda, seu quæuis exquisita forma seruanda foret;) & in eis caueatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi modis, & formis expressis derogari possit; tenores, modos, & formas huiusmodi pręsentibus, ac si de verbo ad verbū insererentur pro sufficienter expressis habentes (illis aliàs, in suo robore permansuris) hac vice duntaxat, horum C serie specialiter, & expresśè derogamus; præsentesq́ue nostras literas sub illis nequaquam comprehendi, sed ab eis etiam quoties pro tempore emanuerint omnino exceptas esse, & censeri debere auctoritate Apostolica, & tenore prædictis decernimus, & declaramus, ac omnibus illis, quæ idem Sixtus Prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare; cæterisq́ue contrariis quibuscumque. Tenor vero prædictarum literarum sequitur, & est talis.

Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ gratiosa benignitas, &c. quæ Sixti IV. bulla inserit bullam Calixti Papæ III & Calixtus III. inserit bullas Bonifacij VIII. Alexandri IV. Clementis VI. & Gregorij XI. & Martini V. Et bulla Gregorij XI. inserit bullam Nicolai IV. & Bulla Martini V. inserit bullam Clemētis Papæ IV. Et post quam Iulius II. suorum dictorum Prædecessorum bullas de verbo ad verbum inseruerat, sic ait. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula loca (in quibus expediens fuerit) deferri, volumus, & etiam dicta auctoritate Apostolica de D cernimus, quod illarum transsumptis vnius, vel duorum Publicorum Notariorum subscriptione, & dicti Generalis, vel alterius Prælati, seu alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, vel Personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigilli impressione munitis ea prorsus fides adhibeatur indubia, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, innouationis, communitionis, constitutionis, concessionis, statuti, ordinationis, relaxationis, indulti, elargitionis, derogationis, declarationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit indignationem omnipotentis Dei,
1505. ac beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1505. decimo septimo Calend. Maij. Pontificatus nostri anno secundo. E

Propter bella, & hostium discordias, ingentemq́ue pestilentiam quibus incommodis tota ferè Europa superioribus annis fuit oppressa, & afflicta, decrescentibusq́ue fidelium eleemosynis, non est mirum, quod redemptionis opus retardaretur; quod summoopere fratres nostros, & præsertim Generalem Magistrum dolore extorquebat magno. Attendebant enim in Christiano populo afflictionem, vexationem, & miseriam; in Sarracenis vero erga oppressos Captiuos nimiam crudelitatem, & tyrannidem. Ob id ad clementissimum Romanum Pontificem, supplicationem porrexerunt; ei humiliter supplicantes, vt eleemosynas pro Indulgentijs adquirendis per sedem Apostolicam taxatas limitare dignaretur. Quorum precibus sanctissimus inclinatus bullam concessit tenoris sequentis.

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam; gregi Dominico (dispo-

A (disponente Domino) præsidentes ad ea libenter intendimus, per quæ nostræ prouidentiæ aduersus malitiam temporum adhibito moderamine, Indulgentię, & peccatorum remissiones a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus pro fidelium dira Paganorum seruitute oppressorum redemptione concessæ optatum consequantur effectum. Dudum siquidem fœlicis recordationis Clemens Papa VI. Prædecessor noster vniuersis Christi fidelibus, qui de bonis suis à Deo collatis duos florenos auri, in Regno Aragoniæ cursum habentes, seu pretium æquiualens ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum conferrent prosolutione quarumdam exactionum quas Sarraceni Christiani nominis hostes à fratribus dicti ordinis ad redimendum Captiuos Christianos in ipsorum Sarracenorum dira seruitute detentos, pro tempore deputatis, extorquebant; quòd Confessor Idoneus, quem B ipsi fideles, pretium huiusmodi conferentes, ducerent eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi forent, plenariam eis remissionem impendere possit, indulsit; si tamen prædicti conferentes de cætero in eiusdem ordinis pia Confraternitate statuerent se collegas, & beneficia eidem ordini annuatim, vel aliàs ad discretionem pro tempore existentis generalis, vel fratrum dicti ordinis conferrent, prout in suis desuper confectis literis plenius continetur.

Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Generalis, & fratrum dicti ordinis sub regula Sancti Augustini degentium petitio continebat, propter bella, & pestilentiá, quibus (prodolor) superioribus annis tota fermè Europa afflicta fuit aliisque quamplures sinistros euentus, ad tantam inopiam deuentum sit, quod pauci admodum reperiantur fideles, qui dictum pretium duorum florenorum pro huiusmodi remissione consequēda, soluere vellint; ac propterea fidelium Captiuorum prędictorum redemC ptio retardetur. Et sicut eadem petitio subiungebat, si pretium huiusmodi arbitrio dicti pro tempore existentis Generalis dicti ordinis iuxta personarum, locorum, & temporum qualitates limitaretur, profectò ex hoc dicti Captiui Christiani frequentius, & in maiori numero redimerentur, & aliorum Christi fidelium animarū saluti faciliùs consuleretur. Quare pro parte dilectorum filiorum Generalis, & fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, vt pretium huiusmodi limitare, aliásque eisdem fidelibus in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Captiuorum prædictorū miseræ compatimur seruituti, & eorum, ac aliorum omnium fidelium spiritualis salutis desideramus augmentum, prefatos Generalem, & fratres, ac eorum singulos à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati exiD stunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod dictus, & pro tempore existens Generalis dicti ordinis pretium prædictum, prout personarum, locorum, & temporum qualitate pensata viderit expedire, limitare, & ad quamcumque aliam minorem summam reducere, liberè, & licitè possit. Quodq́ fideles summam sic reductam ad executionem solutionum huiusmodi pro tempore conferentes, eamdem peccatorum suorum remissionem consequātur, quam consequerentur, si dictos duos florenos iuxta præfati Clementis Prædecessoris literarum tenorem persoluerent. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq́ue contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si E quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1505. decimo tertio Calend. Iunij. Pontificatus nostri anno secundo. 1505.

Generalis Magister fœliciter, & cum Monasteriorum Regni Aragoniæ augmento visitationem cœpit hoc eodem anno 1505. eamq́ue perfecit; cui omnes Religiosi tam in capite, quàm in membris humiliter, reuerenter, & deuotè obedientiam libentèr præstabant, & nullus erat, qui eius iussis, & præceptis se opponere auderet. Solus Frater Iacobus Concellus Commendator Maioricarum magnæ auctoritatis vir, ordinationibus, & reformationi à Magistro salubriter institutæ contradicere non erubuit. Afferebat enim se esse sedi Apostolicæ immediatè subiectum, & non ab ordine, sed à summo Pontifice domum suam, & Maioricarum Monasterium auctoritate Apostolica impetrasse; cuius impetrationis bullam

ostendebat; & eius in forma auctentica, nonnulla transumpta diuersis personis porrigebat; A
vt non temerè, sed tuta consciẽtia visitationem Magistri recusasse patefaceret. Quem nobiles, & plurimæ personæ ex plebe ciuitatis Maioricarum tutabantur; licet Dominus Episcopus Generalis Magistri iura, & defensionem viriliter susciperet. At Magister ne ex hoc secularibus personis scandali occasio daretur, visitationem ad tempus omisit; & interim suo in Romana Curia Generali Procuratori iniunxit, vt a sua Beatitudine vniuersum ordinem visitandi in amplissima forma literas Apostolicas cum facultate obtinere summa solertia procuraret. Igitur Generalis Procurator supplicationem, seu memoriale Summo Pontifici porrexit, in quo sine impedimento totum ordinem visitandi, castigandi, & emendandi ad fauorem Generalis Magistri facultatem (non obstantibus quibuscumque Apostolicis literis à sede Apostolica etiam emanatis) humiliter petebat. Quod memoriale Sanctissimus remisit Fratri Marco Vigerio Sauonensi, ordinis Minorum. S. R. E. Præsbytero Cardinali. B
Cardinalis ergo aduocato ordinis Procuratore dixit ei; miror vehementer, quod Magister vester cum totius vestræ Religionis Caput, & Prælatus sit, à Sede Apostolica confirmatus, habeatque de iure suum ordinem visitandi omnimodam, & totalem facultatem, eam à Romano Pontifice petat. Sed cum Cardinalis se informaret de concordia matura deliberatione inter Prouinciam Castellæ, & Magistrum ordinis, superioribus annis inita; Summo Pontifici retulit, facultatem Monasteria Castellæ visitandi, Magistro ordinis esse denegandam, ne de nouo nouæ suborirentur discordiæ, & controuersiæ. Monasterium vero Maioricarum in Regno Aragoniæ situm, (non obstantibus literis Apostolicis narratiua dolosa habitis) immediatè Generalis Magistri correctioni subiacere debere, sicque Commendatorem eius domus ad parendum, & Generali Magistro obedientiam præstandum sub grauissimis pœnis esse cogendum, &c. Præcedente igitur ea Cardinalis informatione Summus C
Pontifex reuocauit præfatas literas à Sixto Papa IV. sinistra narratiua extortas; deditque facultatem Generali Magistro præfatum Monasterium totiès quotiès opus foret, & sibi liberet visitandi, &c.
1506. Sub datum Romæ, 7. idus Aprilis 1506. sui Pontificatus anno 3.

Hoc eodem anno 1506. die 25. Septembris. Burgijs obijt Philippus Castellæ Rex, eius nominis primus, cum solùm regnasset cum Regina Ioanna sua vxore menses quatuor. Ob cuius mortem Regina vidua aduocauit Patrem suum Ferdinandum, Regem Catholicum,
1507. Neapoli Commorantem; qui iterum pro ea in Castella regnauit vsque ad annum 1516.

Floruit per hæc tempora Frater Isidorus de Stuniga Hispanus, celeberrimus Theologus, ex Illustri progenie natus, Consanguineus Archiepiscopi Hispalensis, & Cardinalis, Domini Ioannis de Stuniga, qui ad preces & instantiam nostri fratris plurima bona Monasterijs Castellę, & Bæthicę contulit. Sed Cardinalis obitu superioribus annis subsecuto, & Fratre Isidoro (vt ferunt) hoc anno 1507. communi luce priuato, Religio nostra mœsta nimis remansit. D

Frater Illefonsus Valdez ex Bæthica, & Frater Isidorus de Azeuedo ex Prouincia Castellæ Redemptores Marrocum ad suum munus cum pecunijs, & mercibus profecti, post non
Liberati 186 paucas difficultates, & mortis discrimina, auxilio diuino confortati, 186. Christianos Captiuos redemerũt, eosque incolumes Carthaginem nouam duxerunt; vt patet ex instrumento ibi confecto die 11. Maij, huius anni 1508.
1508. In Prouincia etiam Franciæ multi hoc seculo floruerunt viri, inter quos sicut Sol inter reliquos Planetas efulsit Frater Ludouicus Socherus, Theologię laude clarissimus, simulque deuotissimus verbi Dei Concionator; qui facillimo negotio ad lacrymarum fontes Dominicæ passionis memoria Auditores excitabat, & nihil aliud, quam Iesum Christum, & hunc Crucifixum prædicabat. Multæ eius regni personæ præsertim fœminei sexus suis feruentissimis concionibus ad viam salutis sunt conuersæ. Vnde communiter (adhuc communi luce E
1509. fruens) sanctus vocabatur, & habebatur. Hoc obijt anno, magno de se desiderio relicto, & non sine mœrore Ludouici Francorum Regis, eius nominis duodecimi, qui eum, vt sanctitatis exemplum, & virtutum speculum æstimabat.
1510. Hoc anno 1510. Generalis Magister (cuius auctoritas regulariter ad Castellæ Regna minimè se extendebat) suos Nuntios, & Commissarios ad Prouincias Regnorum Aragoniæ, Valentiæ, & Principatus Cathaloniæ destinauit; qui responsiones nostro ordini fieri solitas, & eleemosynas reciperent, & peterẽt. Qui post exactam diligentiam reuersi, Magistro Generali retulerunt, nihil boni egisse, eo quod Commissarij, & Sanctæ Cruciatæ receptores, & Officiales, eleemosynas pro redimendis Captiuis petere, & recipere, atque indul-

A gentias populis notas facere, vel aliud quidquam iuxta nostri muneris debitum nos operari haud sinebant. Quo Magister cōtristatus est valde; & ob id specialem in Bethicam Procuratorem destinauit; qui nomine Magistri de præfato grauamine Regi nostro Catholico supplicationem, & in ea querelam grauem porrexit. Cuius precibus Rex inclinatus priuilegium concessit tenoris sequentis.

Don Fernando por la gracia de Dios Rey de Aragon, de las dos Sicilias, de Herusalem, de Valencia, de Mallorca, de Serdeña, y de Corsega; Conde de Barcelona, Duque de Athenas, y Neopatria, Conde de Rosillon, y de Serdaña, Marques de Oristan, y de Gociano; à los venerables y amados nuestros, los Comissarios,
B *Thesoreros, y Receptores de la Santa Cruzada en los dichos Reynos de Aragon, y Valencia, y Principado de Cathalunia, y a otro qualquiera Official, ò Persona, Commissario, Thesorero, y Receptor dela dicha Cruzada, Composicioneros que agora son, è por tiempo serã en los dichos Reynos, y Principado de Cathalunia, a quien pertenesca, salud, dilection. A nos ha sido recorrido por parte delos venerables, y amados nuestros el Maestro General dela orden de nuestra Señora dela Merced, y de los Commendadores, Vicarios, y frayles dela dicha orden, dizendo que los Receptores dela dicha Cruzada y señaladamente del nuestro Principado de Cathalunia piden*
C *alos dichos Commendadores, y frayles del dicho Monasterio dela Merced, ciertas respõsiones que à costumbran hazer à su misma Religion, las quales (segun afirmã) siruẽ para los creditos assi de censales, como otros que ocurren à la dicha Religion, y no ocurriendo tal necessitad para la Redencion de Cautiuos, que se obligan de hazer. Las quales responsiones pretenden ellos no deuer dar à la dicha Cruzada ni ser comprehendidos en la bula por no ser dexa, ni manda, saluo delo que sobra delos bacines y limosna que ellos piden. Disque vos otros, ò alguno de vos otros proueistes que fuessen los dichos Religiosos executados, y que seles impida el bacin, y demanda*
D *que hazen para redimir Cautiuos; siendo ellos por el voto de su Religion obligados à acudir y facer la dicha redencion. Delo qual sintiendose mucho agrauiados nos hà sido muy humilmente supplicado fuesse de nuestra Merced mandar proueer a cerca delo suso dicho con deuido remedio de Iusticia. E nos oyda la dicha supplicacion, y aquella como iusta benignamente admitida, porque nuestra voluntad es, q̃ la dicha Religion, sea conseruada, y bien tratada, y que agrauio no seles faga; por ende con tenor delas presentes de nuestra cierta sciencia, y deliberada, a cada vno de vos aquien pertenesca, vos dezimos, y mandamos expressamente, que atendido y con-*
E *siderado que las dichas responsiones segun somos informados siruen para pagar los suso dichos cargos, y aquellos no ocurriendo para la Redencion delos dichos Cautiuos, que noles demãdeis, ni consentais les sea demandada cosa alguna; y si les ha sido demandada, helo restituis, fagais restituais sin diminucion y retencion alguna. E assi mismo vos mandamos, que en el pedir del bacin para la dicha Redencion, no les sea puesto impedimento alguno, contanto que no se haga con sermon, ni otra solemnidad, ni publicando perdones, o Indulgencias, ni se pidan dexas pias, ni mãdas*

testamentales. E guardad los vnos, e los otros, de fazer lo contrario en alguna manera, por quanto la gracia nuestra vos es cara. Y con las mismas presentes, à mayor complimiento mandamos à qualquier persona que vuestras cuentas examinare, que por hauer complido lo suso dicho, no vos faga duda, ni notamiento alguno, como assi deliberadamente lo ayamos proueido por conseruacion dela dicha orden. Dada en la Ciudad de Seuilla, à catorze dias del mes de Abril, en el año del nascimiento de nuestro Señor de 1511. Yo el Rey. Vidit de Galues Rx. In diuersorum sigilli secreti tertio folio. 66. Dominus Rex mandauit mihi Joanni Gonzales de villa Semplim. Visa per de Galues Rx. Conces. A

1511. B

Quid modo dicam de sanctissimo viro Fratre Matthæo Lana, virtutum, & eximiæ austeritatis norma; cuius meritis plurima per hæc tempora in Aragoniæ Regno operata miracula ferebantur. Fuit oratione ardentissimus; & adeò spiritum suum suo Creatori feruentissimè solebat in solitudine deambulans, puro corde commendare, vt prætereuntes in admirationem raperet, & ipsemet, quid exterius ageret, sæpe sępius omnino nesciret. Multoties in diuinorum recitatione, & supernorum contemplatione in excessum ferebatur, & extasi rapiebatur. In pane & aqua præter Paschales dies vitam hilari fronte, & forti animo ducebat. Vili, abiectoque semper, induebatur habitu, & ad carnes aspero præcingebatur cilitio. Fuit filius Prouinciæ Aragoniæ, & in celeberrimo Monasterio Dominæ nostræ del Oliuar, (vt ferunt) professus. Ad sacras literas solerter incubuit, in eisque admirabiles fecit progressus, sed animarum saluti totus intentus, scholasticas disputationes, ac subtilitates omisit. Per circumuicina sui Monasterij Castella, villas, & oppida verbum Dei seminabat, & ad salutis viam doctas, indoctasq; gentes adducebat. Vnde Apostolus dicebatur, & quòd Sancti Vincentij ferret spiritum haberet, plurimi affirmabant. Deuotissimè quotidie cum mirifico spiritus feruore, cordis compunctione, ac lacrymarum effusione Missam celebrabat. Sed C
1512. non est silentio prætereundum, quod hoc anno 1512. huic sancto viro, accidisse plurimi viderunt, & retulerunt. Cum igitur in nostro præfato Monasterio del Oliuar in fæstiuitate Natalis Domini, post matutinas horas, deuotè decantatas Missam solemnem decantaret, & illud diuinum Verbi Dei incarnati contemplaretur misterium, & præ nimia lætitia multum effunderet lacrymarum, extasi raptus est ad apparitionem cuiusdam insolitæ ac refulgentis lucis ad instar stellæ, quæ ex tempore visa est, totam Ecclesiam lucidam reddens. D
Quo admirando signo non solum Religiosi in choro officium diuinum soluentes, & Missæ deseruientes, sed vtriusque sexus seculares personæ, quæ ex circumuicinis locis ad tantam solemnitatem venerant, stupore, & admiratione repletæ sunt omnes. Et caussam nouæ repentinæque lucis inquirentes, respexerunt in fronte imaginis gloriosissimæ Virginis Mariæ, (quæ in illa Ecclesia magna populi frequentia colitur, & multis quotidie illustratur miraculis) quamdam fulgentissimam stellam, ex qua radij egredientes, & micantes faciem sancti viri, Missæ sacrificium celebrātis admirando modo percutiebant. Ex qua percussione lumen repercussum, & reflexum, non solum totam Ecclesiam, sed circumuicinos saltus, & campum illustrare (sicut in meridiè) cernebatur. Ministri Altaris, & fratres in Choro genuflexi gloriosissimam Virginem exorabant, vt seruo suo Matthæo Lana sacrificium inceptum explendi, virtutem largiri dignaretur. Oratione peracta Sacerdos ad se reuersus, E
sacrificium peregit. Et ex illa hora in illam Virginis Marię imaginem deuotio speciali modo adolescere, & frequentia grandescere cœpit; necnon Matthęi sanctitatis rumore in vulgus, & etiam in longiora loca sparso, & disseminato, ad eum infirmorum, & ægrotantium caterua, vt sanarentur à languoribus suis, concurrebat, & multa signa fiebant. De sanctitate huius boni viri, (inter alios) duo ex nostro ordine Episcopi agunt Magister Rodriguez Episcopus Rosciensis in sua animæ agricoltura qui præfatam stellæ apparitionem, cum commendatione huius nostri beati minutatim describit; & Magister Guimeran Episcopus de Xacca in historia nostri ordinis prima parte cap. 12. §. 3. vbi agit de plurimis miraculis gloriosissimę Virginis Mariæ del Oliuar.

Per hæc tempora floruit in Principatu Cathaloniæ Fr. Petrus Aymerich, vir apprimè eruditus,

A ditus, in disputationibus acutus, in rebus difficilibus, & controuersis tractandis, & componendis dexteritate pollens. Hunc Magister ordinis pro re graui, & pro reformandis Italiæ Monasterijs visitatorem suum elegit; qui Panormum accedens anno 1512. & visitationis 1512.
munus exercens, adinuenit eius domus fratres, vel eorum maiorem partem, licet non saniorem (contra laudabilem nostri ordinis consuetudinem, & constitutiones) capitulariter congregatos in Priorem, seu Superiorem elegisse fratrem Paulum de Ioannello, natione Siculum, patria Messanensem, valde superbum, & nimis elatum, & in conuentus regimine, & circa cultum diuinum valde pigrum, licet in delapidando Monasterij bona, eiusq; redditus, ac possessiones, nimis solertem. Hic prætensus Superior assumpto Monasterij regimine tàm bonos Religiosos, quam eos, qui suæ electioni consensum præbuerunt crudeliter regere, & tyrannicè tractare cœpit, bonaque delapidare, alienare, & euertere non erubuit. B Et cum (vt supra diximus) inter Rectores Ecclesiæ Sanctæ Annę prope nostram Ecclesiam ex vna parte, & nostros fratres ex alia esset quædam magna lis, & controuersia, iste bonus Frater Ioannellus fratres suos persequendo, cum Rectoribus Sanctę Annę amicitiam iniuit, eisque vendidit, & alienauit sine solemnitate, (immo cum magna lesione) contra formam nostrarum legum, & constitutionum, quoddam magni momenti territorium pro vili pretio; videlicet pro duodecim vncijs, quæ sunt scuta triginta. De quibus Visitator bene informatus præfatam venditionem fore irritandam, & annulandam declarauit; ac nullius valoris, & roboris esse voluit. Et præfatum Fratrem Paulum Ioannellum titulo, & officio quo fraudulenter vtebatur priuauit, & spoliauit, vt patet in visitatione, quæ cum alijs scripturis in dicto Panormitano Monasterio seruatur.

Iulius Papa II. postquàm sederat annos nouem menses tres, & dies 21. Obiit Romæ hoc anno vndecimo Calen. Martij. Cui successit idibus Martij Ioannes Medices Florentinus, 1513.
C Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, qui triginta septem annos habens in sede Petri sedere meruit, & Leo X. appellari voluit; qui plurima nostro contulit ordini, vt ex sequentibus patebit. In primis confirmat, quæ sui Prædecessores nostro concesserant ordini. Cuius confirmationis tenor talis est.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro, & fratribus ordinis B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorū, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinētibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum tàm vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus, gratò concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates, tàm à fœlicis Recordationis Alexandro IV. Clemente V. Vrbano IV. & Nicolao III. quàm ab alijs Prædecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, siue alias Indulgentias vobis, & dicto ordini concessas, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & per vos eidem ordini, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, & Communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1513. decimo 1513.
quinto Calend. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Frater Matthæus Oscensis, & Frater Franciscus Torrella Redemptores pro Regnis, & Dominio Aragoniæ redemerunt ex Africæ partibus 112. Christi fideles. *Liberati* 112

E Inter celebres Capellas, quæ magna populi frequentia in Regno Siciliæ inuisebantur, iure optimo Capella nostræ Dominæ Consolationis in nostra Ecclesia Panormitana sita, enumerabatur; in eaque pulcherrima gloriosissimæ Virginis Mariæ imago plurimis illustrata miraculis, ad hæc vsque tempora respicitur. Licet (vt veritatem fatear) nostris exigentibus demeritis, charitateque refrigescente, Populi deuotio, & frequentia, maiori ex parte defecerit; superioribus vero annis, ex circumuicinis locis, & aliunde, voti caussa, summaque deuotione, plurimi vtriusque sexus Christi fideles ad eam confluebant. Sed cum eius domus Commendator, fratres qui Confessiones audirent, Missas celebrarent, & eleemosynas in manutentionem, & conseruationem dictæ Capellæ à fidelibus peterent, quotquot sufficerent, non haberet; pro opportuno remedio Sanctissimo supplicationē porrexit. Quam Pontifex Summo Pœnitentiario viuæ vocis oraculo facultatem concedendo, commisit.

misit. Cardinalis igitur Pœnitentiarius ad fauorem dictæ Capellæ literas Apostolicas concessit; tenoris sequentis. A

Leonardus miseratione diuina Tituli Sanctæ Susannæ Præsbyter Cardinalis, &c. Dilecto in Christo moderno Priori domus Sanctæ Annæ Panormitañ. Ordinis S. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, &c. Tuis supplicationibus inclinatus auctoritate Domini Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali mandato, super hoc viuæ vocis oraculo, nobis facto, vt in honorem, & laudem nominis Beatæ Virginis Consolationis die Dominico post octauam Fæsti Resurrectionis Dominicæ, in Capella de Consolatione in dicta Ecclesia Sita, fęstum, seu solemnizationem de eadem Virgine celebrare, & celebriter obseruare; quæstoresque per vniuersam Siciliæ Insulam pro eleemosynis in manutentionem, reparationem, & conseruationem dictæ Capellæ conuertendis deputare, necnon fratres cuiuscumque etiam arctioris, atque Mendicantium ordinū in fratres dictæ domus, vsque ad numerum trium, & quatuor (in euentum, quod non reperiantur fratres alterius ordinis in Insula prædicta, qui se transferre valeant,) recipere liberè, & licitè possit, & valeat. Et fratres ipsi sic vocati (etiam superiorum suorum licentia petita, licet non obtenta,) ad dictam domum se transferre, & postquam translati fuerint, omnibus, & singulis priuilegiis quibus alii dictæ domus fratres vtuntur, potiuntur, & gaudent; vti, & potiri possint, &c. Sub datum Romæ, sub sigillo Pœnitentiariæ 3. Calen. Februarij 1514. & sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ X. anno 1. B

Hoc eodem anno obijsse præfatum Religiosissimum virum Fratrem Antonium de Valladolid Castellæ Prouincialem affirmat Generalis Magister Zumel de vitis Generalium pagina 122. teneťque eum floruisse sub magistratu Generalis Magistri Fratris Iacobi de la Mata.

Post cuius obitum fuit in Prouincialem Castellæ, & Portugallię electus Frater Ioannes de Vaena doctissimus in Sacra Theologia Magister; qui gratus omnibus extitit. Singulari linguæ facundia, & ingenij promptitudine præditus erat, & propterea in disputationibus, omnibus astantibus admirabilis, & in suis concionibus, Auditoribus gratiosus habebatur. Magna semper sicut Prædecessor eius apud Reges, & Magnates auctoritate valuit. Eam ob caussam cum pręter ordinis negotia plurimis etiā secularibus caussis esset ferè summersus, ne sua permagna Castellæ Prouincia in bono regimine deficeret, sapiētissimo viro Fratri Alphonso Zurita Monasterij Guadalaxaræ Commendatori suas vices commisit, eumque suum Vicarium Prouincialem esse voluit. C

1515. Magister Generalis Fr. Iacobus de la Mata (quem nonnulli non hoc anno 1515. sed anteà obiisse ferunt,) fuit Natione Hispanus ex Regno Aragonum, in oppido de la Mata natus, à iuuentute sua ob deuotionem ad nostrum ordinem, parentes eius voluerunt, quòd filius sub Paterna tutela, & potestate degens, habitum nostræ Religionis gestaret. Deinde voluerunt, quod in Monasterio Sanctæ Mariæ del Oliuar, in ea regione (vt diximus) deuotissimo, & famosissimo educaretur, & Religioso more instrueretur. Vbi Religiosus effectus multum in via Domini profecit. Oscæ Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ operam solerter nauauit, & celebris euasit Doctor. Nonnullorum principalium Prouinciæ Aragoniæ Conuentuum regimen suscepit, eosque laudabiliter rexit; ob id summa concordia ad Magistratum ordinis ascendit, quem sua scientia, bonitate, prudentia, atque industria augere semper studuit. In extirpandis malis sollicitus, & ad bona promouenda impiger Pastor extitit. Ad fortia confortanda, debilisque refouenda promptus erat. Monasteria ampliandi, augendi, & extruendi zelo non caruit. Nonnulla, sua industria expensisque fabricata, cum suis gentilitijs (quæ eum fuisse auctorem demonstrant) modò respiciuntur. Eius progeniei, & familię arma, & insignia erant, manus clausa erecta, intus tenens Oliuarum ramum, singulares virtutes nostri Magistri indicantem, & ostendentem. Fuit enim Pastor mansuetus atq; pacificus. Nam ordinis tribulationes, & Castellæ Prouinciam, quasi mare sæuissimum quæ sui magistratus tempore totum ordinem innundare, & sumergere intendebat, tranquillauit, sicut Oliuarum oleum facere solet, si super maris aquas supponatur. Fuit ramus virore gratiæ, & charitatis pinguedine plenus, semperque victoriosus; nam fratres inobedientes, & à suæ obedientiæ iugo se separantes, humiliauit, castigauit, & de eis triumphauit. Suo tempore, Auctorum, & scriptorum incuria 232. Christi fideles solùm esse redemptos reperio. D E

CAP.

CAP. XXIIII. Frater Jacobus Laurentius in ordinis Magistrum creatur. Defuncto Ferdinando Rege Catholico, filia eius Ioanna cum filio suo Carolo regnat, qui priuilegijs singularibus ordinem nostrum prosecutur. Redemptores cum Captiuis Redemptis ad Vrbem accedentes Summus Pontifex benignè recipit, ordinemq̀ue magnis gratijs illustrat. & Magister Fr. Jacobus Laurentius obijt.

Ost Generalis Magistri Fratris Iacobi de la Mata obitum, electores, &
definitores capitulariter congregati, discretum virum Fratrem Iaco-
B bum Laurentium in Magistrum ordinis elegerunt; de quo postea ali-
quid dicemus.

Ferdinandus Rex cognomento Catholicus vnà cum filia sua Domi-
na Ioanna vidua Philippi vxore, summa pace, & prudentia rexit Ca-
stellæ Regna vsque ad hunc annum 1516. quando obiit die 22. Ianuarij 1516.
in oppido de Madrigalejo; cuius corpus fuit deinde Granatam dela-
tum; & in Capella Regia pompa regali tumulatum. Post Ferdinandi mortem, filia eius
Ioanna, cum remansisset in regimine sola Carolum filium suum in Flandria commorantem
aduocauit; qui ad Hispaniam peruenit die 19. Septembris anni sequentis.

Non post paucos labores, imminentia pericula, & intolerabiles expensas Frater Ioan-
nes Lupus Hispanus in Sacra Theologia Magister, Commendator Oscæ, & Frater Arnal-
dus de Duce Gallus, Commendator Tholosanus Redemptores ex 158 Christi fidelibus Liberati 158
C quos de potestate Sarracenorum liberauerant; dimissis infirmis, qui iter facere non potue
runt, & plurimis Hispanis, & Gallis, qui in ingrati animi vitium incidentes ob dulcem
patriæ amorem suos Redemptores sequi noluerunt, & fugerunt; hoc eodem anno
1516. septuaginta Captiuos Christianos, maiori ex parte Italicæ nationis, Summo Ponti- 1516.
fici præsentandos in Vrbem duxerunt. Ingressi igitur Captiui paruo Scapulario, scuto-
que ordinis ad pectus superinduti, singuli inter duos nobiles Romanos ante suos Redem-
ptores ambulabant; (Populo Romano obuiam exeunte.) Et hac deuota; solemnique pom-
pa, ac nouo triumpho per publicas, & principales sanctę Ciuitatis vias, & plateas, infini-
ta ex omni natione aspectatione plenas, transierunt. Et nihil aliud in fenestris, & vbiq;
audiebantur, quàm acclamationes, & voces Deum laudantium, qui est benedictus in
omnibus operibus suis. Et licet difficilè præ nimia populi frequentia, ad Vaticanum tan-
D dem, vbi Sanctissimus Papa Leo, eos expectabat, peruenerunt. Et post debitam beatissi-
morum pedum osculationem, (sua humiliter, ac deuotè genua flectentibus omnibus)
Fratrem Ioannem Lupum, vnum ex Redemptoribus sic fuisse locutum ferunt. Beatissime
Pater, & Pastor bone in populo, ecce filij tui de longe veniunt, ecce oues pascuę tuę, quas
lupus rapacissimus, & ferus Sarracenus violenta manu, vt eas mactaret, ac deuoraret, ra-
puerat. Te in aliena regione in medio luporum, & in tribulationibus suis patrem agno-
uerunt, & quæsierunt; & non timentes Tyrannorum minas, tormenta, & imminentem
mortem; & paruipendentes diuitias huius sæculi, & magna præmia sibi per Turcas obla-
ta, si Machometanam sectam amplecterentur hanc sanctissimam Sedem, & firmam fidem,
& Sacrosanctam Romanam Ecclesiam (cuius es dignissimum caput) semper, & vbique pa-
làm confessi sunt. Et nonnulla alia in nostri sanctissimi instituti commendationem, & lau-
dem breui, elegantique stilo in pauca retulit. Et dum fœlices Captiui humiliter, & deuotè
E osculantur pedes Domini Papæ; Sanctissimus Pontifex præ nimia lætitia, & alias ob caus-
sas lacrymatus est. Considerabat enim superioribus annis se in minoribus constitutum,
fuisse a Gallis in Rauennati clade captum, & in eorum potestate detentum. In quo infœli-
ci statu expertus fuerat, & didicerat Captiuitatis miserias; propria videlicèt voluntate pri-
uari, & inimicorum subjici potestati. Et sic Redemptionis opus commendando, Captiuis
benedixit. Et ad Redemptores Mercenarios conuersus, dixit eis; Mercenarius dignus est
Mercede sua; hæc sancta sedes, (cuius, non nostris meritis, sed diuina fauente gratia, ca-
put sumus, & Christi in terris vices gerimus) hoc vestrum pijssimum, & laudabile opus
gratum habet. Imitatores Dei facti estis. Crucem Domini nostri tulistis. Bonum certamen
certastis, euidenti mortis discrimini pro his fratribus vestris, & dilectis filijs nostris animas

vestras ponere non formidastis. Præmio promisso digni estis. & ne vos vacuos (qui ex longinquo venistis) ad propria dimissos faciamus, sub B. Petri Apostolorum Principis, & nostra protectione vos suscipimus; magnisque ordinem vestrum fauoribus prosequi volumus. Vestrum igitur erit attentè considerare, quæ ordini vestro, & huic summæ charitatis operi, ac benefactoribus vestris vtilia atque commoda esse poterunt; & supplicationem porrigite; nam vobis iusta petentibus aures benignas accommodabimus. At Redemptores pro tanto beneficio immortales Summo Pontifici gratias agentes, lætantes abierunt, & Captiuos Christianos ad Hospitale Sanctę Trinitatis Peregrinorum duxerunt; vbi à nobilibus viris, & fœminis Romanis, ipsorum charitatiuè pedibus lotis, benignè satis per aliquot dies sunt recreati. A

Interim nostri fratres Redemptores, Summi Pontificis benignitatem, & munificam humanitatem attendentes, decreuerunt paucis verbis, breuique stylo supplicationem plures indulgentias compendiosè continentem porrigere. Et sic inuenientes in dicto Hospitali quamdam cartam membranam, parieti affixam plures Indulgentias, & gratias continentem, elegerunt ex eis priuilegium illud, & facultatem, qua Confraternitas illa cũ Confraternitate ordinis S. Trinitatis potitur, eligendi ad libitũ Cõfessorem, qui eos absoluat à quibuscumq; casibus, &c. Attendentes ẽt ordines Mendicantes videlicet S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini, Carmelitarũ, Seruorũ Virginis Marię, & Ordinis Iesuatorũ ex inexhausto, infinitoq; Ecclesię Thesauro innumerabiles gratias, & Indulgẽtias deprõpsisse, quibus potiuntur & gaudent, esseque nostro ordini maximæ auctoritatis, & momenti, si eis omnibus Religio nostra frueretur; & similiter pręmeditantes septem vrbis Ecclesias, videlicet S. Petri, S. Pauli, S. Ioannis Lateranensis, S. Marię Maioris, S. Laurentij, S. Sebastiani, & S. Crucis in Hierusalem, incessanter ex deuotione votique caussa à diuersis nationibus magno spirituali fructu frequentari; in quibus infinitę visitantibus concessę sunt Indulgentię; vt tanti meriti participes redderentur, supplicationem cum pręnarratis capitibus sanctissimo porrexerunt. Quorum precibus Summus Pontifex inclinatus, bullam concessit tenoris sequentis. B C

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Sancti Saturnini Tholosañ. & Sanctæ fidei, ac Sanctæ Mariæ Riuipulli Cæsaraguśañ. & Viceñ. Diœcesum Monasteriorum Abbatibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie emanarunt à nobis literæ tenoris sequentis.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dum grata Deo, & accepta hominibus charitatis opera, quæ dilecti filij, fratres ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum omni studio, quod nos modò (deductis in Vrbem 70. vtriusque sexus Christi fidelibus per dictos fratres nupèr ab impia Sarracenorum seruitute, non paruo pretio redemptis) oculata fide perspeximus, exercere non desinunt; animo voluimus; dum quàm necessaria sit huiusmodi Redemptio ad obuiandum periculis animarum, quas tam dira seruitus præmit, meritò ea dicto ordini, & de eo ad dictæ Redemptionis opus benemerentibus personis libenter concedimus per quæ dudùm hoc pietatis opus erga Christi pauperes propensiùs in dies valeat exerceri; & eaque propterea à Prædecessoribus nostris pia consideratione concessa fuisse dinoscuntur, vt eò firmiùs inconcussa persistant, quò fuerint crebiùs Apostolica circumfulta præsidio, cum à nobis petitur, nostrarum approbationis, & innouationis munimine roboramus. Dudum siquidem fœlicis Recordationis Nicolaus Papa IV. Prædecessor noster animabus defunctorum, qui in sinceritate fidei, ac in vnitate, & obedientia S. R. E., & sua suorumque Successorum Romanorum Pontificum, contritioneque, & confessione integra, (si tempus adforet, & confitendi facultas) ab hac luce migrassent, & pro quibus duo floreni auri Aragoniæ, vel pretium æquiualens, ad præfatæ Redemptionis opus, dicti ordinis fratribus erogarẽtur, omnem pœnam, quam post eorum decessum, pro suorum expiatione peccatorum pati deberent, per modum suffragij misericorditèr in domino relaxauit. Et piæ memoriæ Iulius Papa II. etiam Prædecessor noster postquàm recolendæ memoriæ Bonifacius VIII. Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius IV. & Calixtus III. Romani Pontifices, similiter Prædecessores nostri Generali Magistro, & fratribus dicti ordinis suas literas concesserant monitiones, relaxationes, concessiones, & alia indulta continentes, quas, & in eis contenta postmodum sanctæ Commendationis Sixtus Papa IV. Prædecessor quoque noster per suas literas, cum literarum Bonifacij, Alexandri, Clementi, Gregorij, Martini, D E

Euge-

A Eugenij, & Calixti Prædecessorum huiusmodi (quatenus essent in vsu) auctoritate Apostolica per suas literas approbauit, & innouauit, illasque perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decreuit; ac pro potiori cautela omnia, & singula in dictorum Prædecessorum literis contenta eisdem Generali Magistro, & Fratribus de nouo concessit. Ac quod Confessor secularis, vel Regularis, quem Confraternitatis eiusdem Beatæ Mariæ Canonicè institutæ vtriusque sexus Confratres, pro tempore existentes, & eorum quilibet cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis forent, ducerent eligendum ipsos ab omnibus, & singulis eorum excessibus, peccatis, criminibus, & delictis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus semel in vita, in alijs vero semel singulis annis, quemadmodum Confratribus Confraternitatis Ordinis S. Trinitatis ab eadem erat Sede concessum, absoluere, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere posset. Et si ipsos Confratres Confraternitatis B. B Mariæ ad loca Ecclesiastico interdicto auctoritate ordinaria supposita declinare cõtingeret, (cum tamen ipsi caussam non dedissent, & quod in eos specialiter non emanassent) in illis clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & summissa voce Missis, & alijs diuinis officijs interesse; Ac qui ex dictis Confratribus Confraternitatis B. Mariæ Præsbyteri forent eas celebrare, necnon eorumdem Confratrum tempore interdicti huiusmodi decedentium cadauera, absque alia pompa solemni Ecclesiasticæ sepulturæ tradi liberè, & licitè valerent. Quodque si Confratres Confraternitatis B. Mariȩ tempore ingressus eorum coniugati forent solutis per virum, & vxorem triginta, & deinde annuatim septem denarijs monetæ iacentis, tàm vir, quàm vxor Confratres dictæ Confraterternitatis B. Mariæ esse, ac omnibus, & singulis concessionibus, indulgentijs, & remissionibus supradictis gaudere censerentur; vel si ijdem, & alij fideles præfati eamdem Confraternitatem B. Mariæ pro tempore ingredientes, in eorum ingressu tres solidos cum dimi- C dio dictæ monetæ, siuè quadraginta duos denarios similes, siuè aliam æquiualentem monetam soluere mallent, ad dictorum septem denariorum, vel aliquam aliam solutionem, ratione Confraternitatis huiusmodi faciendam obligati vlteriùs non essent, perpetuò statuit, & ordinauit. Et vt eisdem ordini, & fratribus B. Mariȩ vberiora prouenirent subsidia, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè confitentibus, seù pœnitentibus, & confessis, qui aliquam Ecclesiarum domorum dicti ordinis B. Mariæ in Natiuitatis, & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ac Pentecostes, nec non omnibus, & singulis eiusdem B. Mariæ totius anni festiuitatibus à primis vesperis, vsque ad occasum D solis dictarum fæstiuitatum, ac in omnibus diebus Dominicis Quadragesimæ deuotè visitarent, & imbi manus porrigerent adiutrices, pro singulis fæstiuitatibus, & diebus prædictis, quibus id facerent; decem annos, & totidem quadragenas; qui tempore quo dicti Captiui, postquam Redempti forent, per diuersa loca ad misericordiam Domini propalandam, sub eius Crucis vexillo publicè deducuntur, triginta denarios similes ipsis fratribus Redemptoribus erogarent, triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs in Domino relaxarunt. Et insuper, vt Generalis Magister, & fratres præfati, & eorum quilibet, & omnibus, & singulis gratijs, concessionibus, indulgentijs, & remissionibus, quibus Confratres B. Mariæ pro tempore existentes, ac illam ingredientes, & Ecclesias visitantes, ac manus adiutrices porrigentes, cæterique benefactores huiusmodi vtebantur, & gaudebant, ac vti, & gaudere possent quomodolibet in futurum, vterentur, & gauderent, indulsit. Necnon eidem pro tempore existenti Magistro, & ad id de ipsius expresso consensu, pro tempore deputatis fratribus, quȩcumque legata ad Redemptionem Captiuorum huiusmodi pro tempore factam, à quibusuis personis, & locis in Hispania, & Re- E gis Hispaniæ toto dominio exigendi, & recipiendi plenam, & liberam facultatem concessit; prout in dictis Iulij Prædecessoris desuper confectis literis pleniùs continetur. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum filiorum Moderni Generalis Magistri, & qui dictos septuaginta Captiuos Redemptos in Vrbem duxerunt Ioannis Lupi Oscen. Magistri in Theologia, & Arnaldi de Duce Tholosañ. dicti ordinis B. Mariæ domorum Præceptorum petitio continebat, plura, & diuersa alia immunitates, exemptiones, priuilegia, indulta, remissiones peccatorum, & aliæ gratiæ spirituales; & temporales ordini B. Mariæ huiusmodi, & illius fratribus, & benefactoribus ac locis per eosdem, & alios Romanos Pontifices, etiam Prædecessores nostros, & dictȩ Sedis legatos concessa fuerunt, quarè pro parte dictorum Generalis Magistri, & Ioannis, ac Arnaldi nobis fuit humilitèr supplicatum, vt

singulis literis, priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, cæterisque indultis, & gratijs prædictis pro illorum subsistētia firmiori, nostræ approbationis, & innouationis robur adijcere, & vt Christi fideles, crescente indies infidelium terra, marique potentia, & fidelium in seruitute, raptu, & prędą sua, ad redemptionem huiusmodi, eò larg ùs exhibeant, quò maiora se inde conspexerint præmia assequuturos: dicto ordini B. Marię, & illius personis, & locis, ac benefactoribus eadem, & alia, quæ ad exequendum tam necessariū charitatis officium, esse viderimus opportuna, de nouo concedere, aliasque in prǽmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur præfatos modernum Generalem Magistrum, ac Ioannem, & Arnaldum, & eorum quemlibet, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum prǽsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluētes, A B & absolutos fore censentes, singulorum priuilegiorum, gratiarum, & indultorum spiritualium, & temporalium, tam B. Mariæ, quàm Mendicantibus ordinibus, illorumque personis, & locis concessorum, huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererētur prǽsentibus pro sufficiētèr expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore prǽsentium singula Prędecessorum huiusmodi literas, necnon immunitates, exemptiones, priuilegia, indulta, & alias gratias dicto ordini B. Mariæ, & illius fratribus, locis, & personis de illo benemerentibus concessa huiusmodi (quatenùs sint in vsu) approbamus, & innouamus, ac præsentis scripti Patrocinio communimus, & eisdem ordini B. Mariæ, & eius fratribus, locis, & benefactoribus illa de nouo; necnon omnia, & singula, gratias, priuilegia, & indulta dictis Mendicantibus ordinibus, & eorum personis, & locis per Sedem prędictam concessa, concedimus. Et volumus, quod dicta relaxatio pœnarum Purgatorij animabus defunctorum, pro quibus dicti C duo floreni erogarentur per Nicolaum Prædecessorem, vt præfertur, concessa eisdem animabus, aliàs iuxta ipsius Nicolai literas calificatis, etiam pro quorum singulis nō nisi, vnum florenum simile, ad dictę Redemptionis opus erogare contigerit, suffragetur. Et statuimus insupèr, & ordinamus, quod dicti ordinis B. Mariæ fratres quadragesimalibus, & alijs anni tēporibus, & diebus, quibus nonnullę Vrbis, & extra illius muros consistentes Ecclesię, pro stationibus consequendis, à Christi fidelibus visitātur, vnum, vel duo Altaria, in Ecclesijs B. Mariæ dicti ordinis sita deuotè visitando, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulas Vrbis, & extra eius muros consistentes Ecclesias prędictas personalitèr visitarent. Et sint participes omnium, & singulorum sacrificiorum, ieiuniorum, peregrinationum, etiam vltra mare, & aliorum operum, quæ nunc, & pro tempore in Sacrosancta vniuersali Ecclesia, & omnibus eius D membris fiant. Et quòd singuli vtriusque sexus Christi fideles in Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus dicti ordinis B. Mariæ aliqua domus constiterit, viro, & vxore pro vna persona computatis, qui eiusdem ordinis fratribus ad hoc pro tempore deputatis, singulos triginta denarios, monetę ibidē cursum habentis, seù eorum valorē, pro redemptione huiusmodi erogauerint: vltrà alias gratias, & indulta benefactoribus ipsius ordinis B. Mariæ dicta Apostolica auctoritate concessa quo ad vixerint semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & quę ore confessi fuerint, Indulgentiam, & remissionem consequantur. Et quæuis pecuniarum summa, aut res aliqua pro redemptione alicuius personę specificè, pro tempore oblata, & per dictos fratres ordinis B. Mariæ acceptata in redemptione eiusdem personæ: aliæ verò eleemosynæ, & pia suffragia a Christi fidelibus, pro Redemptione Captiuorum in genere, pro tēpore erogata, E & ex prouentuum, quę à singulis dicti ordinis B. Mariæ domibus, seù earum Præceptoribus ad redemptionem eamdem assignarentur, in ipsum redemptionis opus dumtaxat exponi fidelitèr debeant, & in nulla alia pietatis opera valeant commutari; ea quæ omnia in arcam ad hoc per dictum Generalem Magistrum specialitèr deputandam, & sub quattuor clauibus, apud quattuor ex primoribus eiusdem ordinis B. Marię fratribus deputandis, custoditam conferantur, & conseruentur. Liceat autem dicto Generali Magistro, qui pro tempore fuerit, de tertia solùm parte pecuniarum, & rerum, pro redemptione huiusmodi in genere cōgestarum, in suarum, & ipsius ordinis B. Mariæ domorum pauperum, & eorum, qui in hoc sancto opere versabuntur, & se exercebunt, in ingruentiū pro tempore necessitatum subsidium disponere. Declaramus etiam scientia, & Apostolica auctoritate similibus quæcūq;

A ad redemptionem huiusmodi pro tempore legata relicta, & donata sub quibusuis rerum ad pias causas relictarum, vel donatarum applicationibus, etiam in fauorem fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel subsidium expeditionis contra Infideles, etiam in specie de bonis ad eamdem redemptionem pertinentibus per nos, & Sedem prędictam factis, & faciendis nequaquam compræhendi; sed esse ab illis perpetuis futuris temporibus prorsus excepta. Deinùm dictis fratribus ordinis B. Mariæ, & Commissarijs ab eis super negotio redemptionis huiusmodi, pro tempore deputatis, Indulgentias, & peccatorum remissiones cæteraque priuilegia, & indulta ipsis, & alijs Christi fidelibus, eorum que suffragia, ad pręmissa exhibentibus pro tempore concessa, vbi, quando, & quoties eis opportunum videbitur per se, vel alium, seu alios in Ecclesijs, & alijs in locis, etiam solemniter publicandi, & publicari faciendi plenam, & liberam licentiam elargimur, pręcipientes districtius vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum B ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicti ingressus Ecclesiæ latæ sententiæ pœna ipso facto, quo in aliquo contrauenerint, incurrenda, ne dicti ordinis B. Mariæ fratres, ac Commissarios, vel alios ab eis etiam ad prædicationis, seù publicationis huiusmodi opus, pro tempore deputandos, aut eorum aliquem super pręmissis directè, vel indirectè quouis quæsito colore impediant, inquietent, vel perturbent, ne ab eis ratione singularum literarum, quas ipsi pro publicationibus huiusmodi in eorum Ecclesijs, Ciuitatibus, & Diœcesibus, seu districtibus commodiùs faciendis concedere solent: vltra quinque florenos similes pro eis, eorumque Secretarijs, Notarijs, & alijs Ministris accipiant. Decernentes præsentes literas quibusuis reuocationibus, suspensionibus, aut alijs contrarijs dispositionibus per nos, & Sedem eamdem, pro tempore factis, nullatenus subiacere. Non obstantibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Consilijs editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ Nicolaus, C Sixtus, & Iulius Prædecessores præfati in singulis suis literis prædictis voluerunt non obstare; cęterisque contrarijs quibuscumque. Cæterum quia difficilè foret pręsentes literas ad singula quęque loca originaliter posse transferre: volumus, & eadem Apostolica auctoritate etiam decernimus, quod ipsarum pręsentium transumpto Publici Notarij subscriptione, & alicuius Curię Ecclesiasticę, vel personę in dignitate Ecclesiastica constitutę; sigilli impressione munito, ea vbique fides adhibeatur indubia, quę pręsentibus adhiberetur vbicumque essent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrę absolutionis, approbationis, innouationis, communionis, concessionis, declarationis, voluntatis, & decreti infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicę 1516. quinto Calend. Augusti Pontificatus nostri anno quarto. Quocirca discretioni ve- 1516. D strę per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios literas prędictas, & in eis contenta quęcumque vbi, & quando expediens fuerit, ac quoties pro parte Generalis Magistri, & fratrum prædictorum, vel alicuius eorum desuper requisiti fueritis solemniter publicari, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis ipsos, & eorum quemlibet literis nostris prædictis, & omnibus in eis contentis pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos per locorum ordinarios, aut quoscumque alios desuper indebitè molestari; contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia appellatione postposita compescendo: non obstantibus omnibus supradictis, aut si ordinarijs præfatis, vel quibusuis alijs communitèr, vel diuisim à dicta E Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1516. quinto 1516. Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

Obtenta huiusmodi bulla præfati Redemptores humiliter supplicarunt Reuerendissimo Domino Puccio, natione Florentino, Protonotario Apostolico, suæ Beatitudinis Datario Præsbytero Cardinali Sanctorum Quattuor Coronatorum, &c. Quatenùs dignaretur vnũ vel plura dictæ Bullę transumpta in authenticam formam redigi ordinare. Ad quorũ instantiam Dominus Cardinalis petita transumpta concessit, in hanc formam.

Laurentius miseratione diuina tituli Sanctorum Quattuor Coronatorum, S. R. E. Præsbyter Cardinalis vniuersis, & singulis Christi fidelibus vbilibet constitutis, pręsentibus, & futu-

futuris ad quos peruenerit, & quos nosse fuerit opportunum, salutem in Domino, cum indubitata notitia subscriptorum. Noueritis, quòd literas Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Domini Leonis diuina prouidentia Papæ X. eius vera Bulla plumbea cum cordula cannapis more Romanæ Curiæ impendeñ bullatas, sanas siquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas; sed omni prorsus vitio, & suspitione carêtes, vt in eius prima facie apparebat: nobis pro parte moderni Generalis Magistri, necnon Ioannis Lupi Osceñ. in S. Theologia Magistri, & Arnaldi de Duce Tholosañ. Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, domorum Præceptorum, & fratrum eiusdem ordinis principalium in eisdem literis Apostolicis principaliter nominatorum, coram Archiuij Romanæ Curiæ scriptore, & testibus infrascriptis præsentatas nos cum ea qua decuit reuerentia recepimus huiusmodi sub tenore. Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Sancti Saturnini, &c. A

Et quia eisdem literis præinsertis Apostolicis, sicut præmittitur nobis præsentatis, & per nos visis, & diligenter inspectis illas sanas, & integras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas; sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes inuenimus; idcirco ad moderni Generalis Magistri, nec non Ioannis Lupi, & Arnaldi domorum huiusmodi Præceptorum, & fratrum eiusdem ordinis B. Mariæ de Mercede principalium in præinsertis literis Apostolicis principaliter nominatorum instantiam easdem præinsertas literas per infrascriptum Notarium, Archiuijque Romanæ Curię scriptorem de verbo ad verbum nihil addendo, vel minuendo transumi, & in publicam transumpti formam redigi fecimus, sigillique nostri iussimus appensione communiri. Datum, & actum Romæ, in B
1516. Palatio Apostolico in Camera nostrę solitę residentię, sub anno à Natiuitate Domini 1516. Indict. 4. die verò vigesima tertia mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Leonis diuina prouidentia Papę X. anno quarto; præsentibus ibidem Venturino de actis, & Petro ex Marchionibus Camerarijs nostris testibus ad præmissa vocatis, specialiter, atque rogatis. Et ego Guilielmus Boijs Cler. Cenouianeñ. Diœcesis Archiuij Romanæ Curiæ scriptor, & publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius: quia prǣmissis omnibus, & singulis, vnà cum prǣnominatis testibus, prǣsens interfui: ideò hìc me subscripsi, & signaui vnà cum prǣnominati Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctorum quattuor Coronatorum sigilli appensione in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum requisitus, & rogatus. C

Aliam etiam bullam omnes, & singulas gratias in proximè præinserta Leonis decimi bulla contentas, de verbo ad verbum continentem; idem Summus Pontifex ad fauorem nostri ordinis concessit; deputando in ea in Iudices Conseruatores Hispaleñ. & Malacitañ. ac Cordubeñ. Ecclesiarum scolasticos. Sub datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarna- D
1517. tionis Dominicæ 1517. pridie Calend. Martij, Pontificatus nostri anno 5.

Liberati 109 Eodem anno Fr. Antonius de Cizneros ex Castella, & Fr. Matthęus de Corduba ex Bæthica redemerunt ex Marrocij Regno centum, & nouem Christi fideles, quos Hispalim incolumes duxerũt. Regina Castellę Ioanna, & Carolus eius filius, ad supplicationem Generalis Magistri, & Barchinonę Prioris, cõfirmarunt quoddam priuilegium, & prouisionem Ferdinandi Regis Catholici, Reginæ Ioannæ Patris, & Caroli, Aui cum eorum insertione. Cuius Confirmationis tenor talis est.

Nos Ioanna, & Carolus eius filius Dei gratia, Reges Castellæ, Aragoniæ, Legionis, vtriusque Siciliæ, Hierosolymę, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Gallecię, Mayoricarum, Hispalis, Sardinię, Cordubæ, Corsicę, Murtiæ, Giennis, Algarbij, Algezirę, Gibraltaris, & Insularum Canariæ; nec non Insularum Indiarum, & terræ firmę Maris Oceani, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, & Brauantis, Comites Barchinonæ, Flandriæ, & Tyroli, Domini Vizcayę, & Molinæ, &c. Duces Athenarum, & Neopatriæ, Comites Rosillionis, & Neopatrię, Marchiones Oristani, & Bociani; enimuerò ea, quę per Serenissimos Reges Prædecessores nostros, præcipuè per Catholicum Regem Ferdinandum Patrem, & Auum nostrum immortalis memorię concessa, seù confirmata fuero libenti animo confirmamus; prǣmaximè quę ad seruitium omnipotentis Dei, charitatisque opera spectant. Cum igitur pro parte vestri venerabilium, & dilectorum nostrorum Magistri Generalis Ordinis B. Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum, Priorisque Conuentus Monasterij Barchinonę dicti Ordinis, ac Redemptorum ipsorum Captiuorum fuerit Maiestatibus nostris prǣsentatum quoddam priuilegium Cõfirmationis, & nouę conces- E

sionis

A sionis per præfatam Regiam Maiestatem concessum, & etiam quędam prouisio eiusdem Regię celsitudinis, quę successiuè sequuntur. Sub his verbis.

Nos Ferdinandus Dei gratia, Rex Castellę, &c. Sub datū Cęsaraguſtę die 9. Iulij. 1481. & sub datum Hispali, die 14. Aprilis 1511. fueritque eisdem Maiestatibus nostris humiliter supplicatum, vt pręinsertum Regium priuilegium, & prouisionem laudare, approbare, ratificare, confirmare, ac de nouo vobis concedere ex nostra solita benignitate dignaremur: inducti quippe respectibus, & considerationibus, quibus pręfata Catholica Regia Maiestas, & alij Prędecessores nostri in dicto priuilegio nominati, fuerunt impulsi ac maximè commoti deuotione, qua ipsam Redemptionem Captiuorum, opus tàm sanctum, & pium prosequūtur: supplicationi quidem ipsi libenti animo duximus annuendum. Tenore igitur ex nostra certa scientia deliberatè, & consultò pręinsertum Regium priuilegium, &
B prouisionem, ac omnia, & singula in eis contenta non modo laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus; verū etiam (quatenus opus sit,) vobis dictis Magistro Generali, Priori, & Conuentui Barchinonę, & Redemptoribus dictorum Captiuorum, vniuersęque Religioni dicti ordinis B. Marię de Mercede concedimus, iuxta formam, & tenorem dicti pręinserti priuilegij, & prouisionis, ac si, & prout meliùs, & pleniùs priuilegio, & prouisione ipsis, & contenta in eisdem vsi fuistis, & sitis in possessione, nostręque laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis, ac nouę concessionis munimine, seù pręsidio roboramus, & validamus. Quocirca Illustribus, ad modum, Reuerendis venerabilibus, & spectabilibus, nobilibus, Magnificis, dilectis Consiliarijs, & fidelibus nostris, quibusuis Archiepiscopis, Episcopis, Pręlatis, Commissarijs, siue Legatis per Sedem Apostolicam deputatis, & deputandis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Cantoribus, Sacristis, Rectoribus, Vicarijs, & cęteris quibuscumque Eccle-
C siasticis personis; ducibus quoque, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Nobilibus, Militibus, & Generosis; nec non Locumtenentibus, Generalibus, & Viceregibus nostris, officium gerenti, Gerentibus vicem nostri generalis Gubernatoris, Baiulis generalibus, Iustitijs, Calmedinis, Consiliarijs, Consulibus, Paccianis, Iuratis, Vicarijs, Subuicarijs, Baiulis, Subbaiulis; necnon Commissarijs, Thesaurarijs, & Receptoribus Sanctę Cruciatę, Consilijs, & Vniuersitatibus, ac alijs vniuersis, & singulis Officialibus, & Subditis nostris, vbique dictorum Regnorum, & Dominiorum nostrorum constitutis, & constituendis, ad quos spectet; dictorumque Officialium Locatenentibus pręsentibus, & futuris, requirendos tamen ex eis requirimus, dicimus, & districtè pręcipiendo mandamus sub irę, & indignationis nostrę incursu, pœnaque florenorum auri Aragonum quinque mille a bonis cuiusuis eorum contrafacientis (quod non credimus) irremissibiliter exigen-
D dorum, & nostris inferendorum ærarijs; quatenus nostram huiusmodi laudationem, approbationem, ratificationem, confirmationem, & nouam concessionem, ac omnia, & singula in ea contenta teneant firmitèr, & obseruent, tenerique, & obseruari faciant, per quos decet inconcussè, & non contrafaciant, vel veniant, nec aliquem contrafacere, vel venire patiantur ratione aliqua, sine caussa; si dictę Ecclesiasticę personę nobis morem gerere, & obedire: cęteri vero Officiales, & Subditi nostri prędicti pręter irę & indignationis nostrę incursum pręappositam pœnam cupiunt non subire. In cuius rei testimonium, pręsentem fieri iussimus nostro communi Sigillo impendente munitam. Datis in Ciuitate Cæsaraguſtę, die 30. mensis Septembris, Anno à Natiuitate Domini 1518. Regnorumque 1518.
nostrorum videlicet nostræ dictæ Reginæ Castellæ, Legionis, Granatæ, &c. quinto decimo. Nauarræ quarto, Aragonum vero, vtriusque Siciliæ, Hierosolymę, & aliorum ter-
E tio; Regis verò omnium tertio. *YO EL REY.* Vidit Decanus visus, vidit Generalis Thesaurarius, vidit Augustinus visus, vidit Figuerola R. Vidit Delaraga R. in diuersorum primo fol. 218. Registrata. Dominus Rex mandauit mihi Vgoni de Vrries. visa per Decanū, Augustinum Generalem Thesaurarium Figuerola, Delaraga Regentes, & Conseruatorem Generalem.

Idem Domini Regina Ioanna, & Carolus eius filius hanc supplicationem Reuerendi admodum Patris Fr. Alphonsi de Zurita in S. Theologia Magistri Monasterij Guadalaxaræ Commendatoris, & Vicarij Prouincialis Prouinciæ Castellę, & Portugalliæ omnia per suos Præceptores confirmant; cuius confirmationis, & priuilegij tenor talis est.

Et ago-

E agora por quanto por parte de vos el Maestro Fray Alfonso de Zurita Commendador de San Antolin dela Cuidad de Guadalaxara, Vicario Prouincial dela Ordē de nuestra Señora Santa Maria dela Merced destos nuestros Reynos y Señorios por vos, y en nombre de Don Juan de Vaena Maestro en S. Theologia Prouincial dela dicha orden, y como Sindico Procurador della en estos dichos nuestros Reynos, y Señorios, y Indias, y Islas, y tierra firme del Mar Oceano, y en nombre de todos los otros Commendadores, y Frayles dela dicha Orden, y Monasterios della nos fue supplicado, y pedido por merced que vos confirmassemos, y approbassemos la dicha carta de preuilegio suso encorporada, y las Mercedes en ella contenidas, y vos la mandassemos guardar y complir en todo, y por todo, como en ella se contiene. E nos los sobre dichos Reyna Doña Juana y Rey Don Carlos su hijo por fazer biē y Merced à vos los dichos Maestro Fray Alonso de Zurita Commendador suso dicho, y Vicario Prouincial dela dicha Orden de nuestra Señora Santa Maria dela Merced, y Don Juan de Vaena Maestro en Santa Theologia, y Prouincial dela dicha orden, y como Sindico Procurador della segun dicho es, y à todos los otros Cōmendadores y Frayles dela dicha Orden, y Monasterios della; touimos por bien, y por la presente vos confirmamos, y approbamos la dicha carta de preuilegio suso encorporada, y las Mercedes en ella contenidas. E mandamos que vos valan, y sean guardadas si, y segun que mejor y mas complidamēte vos valieron, y fueron guardadas en tiempo delos dichos Catholicos Rey Don Fernando, y Reyna Doña Isabel nuestros Señores Padres, y Aguelos que santa gloria ayan, y fasta aquì. E defendemos firmemente que ningun, nin algunos sean osados de vos ir, nin passar contra esta dicha carta de preuilegio y confirmacion que nos vos ansi facemos, nin contra lo en ella contenido, nin contra parte dello en ningun tiempo que sea, nin por alguna manera; ca qualquier, o quales quier que lo fizieren, o contra ello, o contra parte dello fueren, o passaren auran la nuestra ira, y demas pecharnos an la pena contenida en la dicha carta de preuilegio, y à vos los dichos Commendados y Maestros, y Prouinciales dela dicha Orden, y frayles, y Monasterios de suso declarados, o aquien vuestra voz touiere todas las costas, y daños, y menos cabos que por ende recibieredes, y seuos recrescieren, doblados. E demas mandamos à todas las Iusticias, y Officiales dela nuestra Casa y Corte, y Cancellerias, y de todas las otras Ciudades, y Villas, y lugares delos nuestros Reynos, y Señorios, do esto acacciere, assi alos qu eagora son, como alos que seran de aqui adelante, y acada vno dellos en su jurisdiction que hezo no consientan, mas que vos defiēdan, y amparen con esta dicha Merced en la manera que dicha es; y que prendan en bienes de aquel, o de aquellos q̃ contra ello fueren, o passaren por la dicha pena, y la guarden para fazer della lo que la nuestra Merced fuere; y que enmienden y fagan emmendar à vos los dichos Commendador, y Maestros, y Prouinciales dela dicha Orden, y frayles, y Monasterios della, o aquien vuestra voz touiere todas las costas, y daños, y menoscabos que por

ende

A *ende recibieredes doblados como dicho es; e demas por qualquier, o qualesquier por quien fincare delo ansi fazer, y complir, mãdamos al home que les esta dicha nuestra Carta de preuilegio, y Confirmacion mostrare, o el traslado della autorizado en manera que faga fee, que los emplaze, que parescan ante nos en la dicha nuestra Corte doquier que nos seamos, del dia que los emplazare fasta quinze dias primeros siguiẽtes sola dicha pena, cada vno à dezir por qual razon non complen nuestro mandado. Y mãdamos sola dicha pena a qualquier Scriuano Publico, que para esto fuere llamado que de ende al que la mostrare testimonio signado con su signo, porque nos sepamos, en*
B *como se comple nuestro mandado, e desto vos mandamos dar, y dimos esta nuestra carta de preuilegio, y confirmacion scrita en pergamino de cuero, y sellada con nuestro sello de plomo pendiente en filos de seda a colores, y librada delos nuestros Concertadores, y Scriuanos mayores delos nuestros preuilegios, y confirmaciones. Dada en la Cuidad de Auila à catorze dias del mes de Otubre, año del nacimiento de nuestro Saluador Jesu Christo de 1518. años. La qual dicha confirmacion hazemos del dicho preuilegio, y Mercedes como dicho es, con tanto que en lo que toca al quinto delos abintestatos guarden las prematicas, y declaraciones de nuestros Reynos, que sobre* 1518.
C *ello estan fechas. Nos los Licenciados Francisco de Vargas, y Luis Zapata del consejo dela Reyna, y Rey su hizo nuestros Señores Regentes en el Officio dela Scriuania mayor de sus preuilegios, y confirmaciones la fazemos scriuir por su mandado, el Licenciado, Zapata, el Licenciado Vargas. Licentiatus, Zapata, el Licenciado Vargas. Por Don Pedro Maldonado, Christoual Suarez por Don Miguel Velasco, Pedro de Cazalla, Registrada Licentiatus Ximenez, Andreas Gutierrez Bachalaureus Chanciller.*

Hoc eodem anno mense Nouembris ex Ciuitate Algariæ Fr. Andreas Torrez, Redemptor cum suo socio Fratre Dominico Sans liberauit 80. Captiuos Christianos, eosque in Hispaniam incolumes reduxit. *Liberati 80.*
D
Generalis Magister Fr. Iacobus Laurentius singulari Consilio, ac prudentia ordinem regebat, & magnum in suo generalatu Ordo noster incrementum suscepit. Totis suis viribus, vt ad procurandas Redemptionis eleemosynas fratres honestis moribus imbuti, ac fideles mitterentur, & in Redemptores non nisi docti viri, & solertes deputarentur, ac nominarẽtur, conabatur, & mœrore affligebatur magno, quòd fidelium largitiones, ac eleemosynæ suo tempore decrescerent, & deficerent. Rexit ordinem laudabiliter vsque ad hunc annum 1519. vt ait Reuerendissimus Magister Zumel de vitis Generalium pag. 122. vbi agit de vigesimo tertio Generali Magistro, quem nos vigesimum quartum facimus. Suo tempore de potestate inimicorum nostrorum liberati sunt 189. Christi fideles. 1519. *Liberati 189*

E

CAP.

CAP. XXV. In quo 25. eligitur Magister Fr. Benedictus Safont. Nostri fratres in nouo orbe mirabilia operantur. Leoni Papæ defuncto Hadrianus VI. succedit. Post cuius mortem Clemens VII. creatur. A



1520. SVbsecuto vigesimi quarti Generalis Magistri obitu, de Successore eligendo Definitores tractarunt; qui hoc anno 1520. Barchinonæ capitularitèr congregati, in vigesimum quintum ordinis Magistrum, Fratrem Benedictum Safont elegerunt, de quo deinde nonnulla dicemus.

Nostros Fratres Mercennarios fuisse primos Religiosos, qui nouum orbem incoluerunt, & Indorum primitias ad fidem Catholicam conuerterunt, & ad Romanam Ecclesiam adduxerunt (præterea quæ superius tetigimus) esse luce meridiana clarius, & in illis partibus notissimum, ostendemus. Pro quo est notandum, non ex Auctoribus nostris, (qui de hac re, & de rebus in nouo orbe, per fratres nostros gestis, parcè nimis agunt) sed ab externis scriptoribus Hispanis, qui fideliter, quę suis oculis prospexerunt, & intellexerunt, typis mandarunt; præsertim ex historia vniuersali rerum Indiarum Francisci Lopez de Gomara; & ex Chronica Petri de Sierra de Leon, vbi agit de maximo Regno del Pyru; Dominum Ferdinandum de Cortes, Hispaniæ decus, & iubar, strenuissimum virum, & sanguine Illustrem, septem esse annorum, quando (vt diximus) anno Domini 1492. Reges Catholici Granatæ Regnum suo subiugarunt imperio, & famosus ille Christophorus Colon Insulam Hispanicam, & plures alias Prouincias adinuenit. Quæ res per Hispaniæ Regna diuulgata, plurimorum Hispanorum animos ad noui orbis adeptionem excitauit, pluresque Religiosos ad gentes illas in fide Catholica instruendas stimulauit. Inter illos ergo Dominus Ferdinandus Cortes quodam admirando impulsu alijs pueris sibi amicis, & conterraneis per iocum dicere solebat; cor mihi loquitur, mihique protestatur, illius noui orbis (de quo multa circumferuntur) futurum me esse Dominum. Quid vos, & ego in his vanitatibus, & præstigiis inutilitèr occupati, intra abiectos patriæ limites hìc agimus. Magna, & sublimia appetamus, & ad bellum proficiscamur; sic enim faciendo cum honore, & triumpho, diuitijs affluentes, ad propria reuertemur. Quæ reliqui pueri audientes, cum eo colludebant, & deridentes adinuicem dicebant. Ecce Ferdinandum Regem, & noui orbis Dominum. Et ad eum conuersi aiebant; quid igitur dabis nobis, tuis amicis, quando sic tot Regnis, & diuitiis potiaris. Hæc, & similia puerilia colloquia inter Ferdinandum, & suos conciues pueros audiebantur. At puer ille magnanimus parentibus suis inuitis aufugere sæpè sępiùs intentauit; sed Parentes certiores effecti, qui mirificè eum diligebant, fugam eius retardarunt, eumque blanditijs, & promissis retinuerunt. At vbi ad decem, & nouem annorum ętatem peruenit, Nauim Alphonsi de Quintero de Palos de Moguer ascendit cum nonnullis Hispanis militibus, & vno Sacerdote, quod accidit anno Domini 1504. Inter hos milites quos secum D. Ferdinādus Cortes asportabat, quidam erat Religiosus ordinis nostri Frater Ioannes Zambranus appellatus, qui à Reuerendo Magistro Fratre Antonio de Valladolid, Castellę Prouinciale, habitum ad tempus occultandi, facultatem obtinuerat, ne à Gubernatoribus Insulę Sancti Dominici impediretur. Hic igitur frater noster simulans se esse secularem, & militem, cum præfato Duce Cortes ad dictam Insulam Sancti Dominici peruenit, die Dominico Paschatis Resurrectionis Domini nostri; vbi à Patribus Sancti Hieronymi auctoritate Regia eius Insulę Gubernatoribus, blandè sunt omnes recepti, ab eisque vlteriùs progrediendi licentiam obtinuerunt. Sed cum peruenirent ad Insulam Cubæ Sacerdos ille secularis Domini Ferdinandi Cappellanus in Læthalem incidit morbum, & post duos dies obiit. Quo Cortes, & omnes illi Hispani mœstitia, & mœrore repleti sunt magno, & præ nimio dolore complorantes sic ad inuicem dicebant. Quis nos in hoc deserto, & solitudine sacra dabit? quis à peccatorum vinculis nos absoluet, & ab immundis, & fœtidis animæ maculis nos abluet? quis cœlesti cibo nos recreabit? ad quos noster Pater Zambrana accedens dixit eis: lachrymas Domini mei deponite, bonoque animo estote; nam Dominus Deus cuius causam, & honorem intenditis potens est vobis in hac solitudine de Idoneo ministro prouidere. Tunc ne amplius eos suspensos teneret, literas patētes Prouincialis Castellę

cum fa-

Margin notes: *Franciscus Lopez de Gomara. Petrus de Sierra.* (B, C, D, E)

A cum facultate amplissima Monasteria fundandi, & acceptandi, & in eis seculares personas ad habitum admittendi patefecit, eisque occasionem, & caussam, qua impulsus se esse militem secularem simulauerat ostendit: quo omnes mœrorem in gaudium commutarunt gratias Deo agentes, qui eos in tribulationibus fuerat consolatus. Accesserunt igitur ad nouam Hispaniam omnes simul, & dum Ferdinandus Dux cum suis militibus nouum Orbem, & eius habitatores, nouasq; gentes attendit; ac earum mores considerat; Pater noster Zambrana Regionis linguam addiscere studet, quam à primè breui tempore calluit, & sic auxilio diuino suffultus, gratiaque cœlesti repletus ingentes ad fidem nostram Indos conuertit, plures fructus in uinea Domini fecit. Messis erat multa, & vnus solus operarius, qui etiam Ferdinando, & suis Hispanis semper assistens Missam deuotissimè quotidie celebrabat, eorumque confessiones patienter audiebat. Similiter suo blando sermone, vitæ honestate, &
B vulgaribus exemplis Indos, vt idolatriam odio haberent, & legē nostram sequerentur, excitabat, ac infinitos suis proprijs manibus baptismali abluit vnda. In quo munere explendo post aliquos annos (sanctitatis odore relicto) vitam æternam adipisci meruit. De hoc nostro Religiosissimo viro inter alios mentionem facit nobilis Iure Consultus Carolus Tapia Neapolitanus de Religiosis rebus.

Post hæc Dominus Ferdinandus in Hispaniam reuersus rationem exactam de omnibus, quæ in noua Hispania viderat, egerat, & perficere intendebat Dominum Carolum Hispaniæ Regem, eius nominis primum, & Romanorum Imperatorem quintum certiorem fecit, auxiliumque, & fauorem pro noui Regni adeptione poposcit. Quo obtento in nouam Hispaniam reuersurus in memoriam sancti viri Zambrana nullum alium in suum Confessorem elegit, quam perdoctum, & prudentem virum Fratrem Bartholomæum de Olmedo ex Prouincia Castellæ, quem similiter suum specialem Consiliarium deputauit. Peruenit
C igitur Dominus Ferdinandus Cortes ad Mexicanum Regnum, seu nouam Hispaniam anno 1518. cum Hispanis militibus 900. inter quos octoginta equitum turma, & alia bellica instrumēta die octaua Septembris eiusdē anni natiuitati Virginis Mariæ dicata, & à Matezuma potentissimo eiusdem Regni Rege Honorificentissimè fuit receptus, & magnis amicitiæ vinculis cum eo coniunctus, sed post mortem Regis, Quahutimoc Gubernator à Ferdinandi fide defecit, & ob id ad manus deuenerunt. Et vt multa, quæ ad nostrā historiā nō attinet, omittamus die S. Hippolyti 13. mensis Augusti huius anni 1521. Ciuitas Mexicana, post triū mensium obsidionem capta est; in qua ex inimicis plusquam centum millia occisa dicuntur: 1521.
solum ex nostris quinquaginta militibus Hispanis desideratis. Vnde Christiani cœperunt
D Ecclesias ædificare, & Sacerdotes verbum Dei seminare. Præsertim Magister Olmedo, qui linguam Mexicanam cum sufficienter sciret; pro rostris concionabatur, & plures Indos à se conuersos baptizauit. Sed inimicus, & inuidus homo, cui hæc summoperè displicebant, in Hispanorum cordibus super seminauit zizaniam. Pamphilius enim Naruaez superbus homo imperandi auidus, qui erat Locumtenens Domini Didaci Velasquez se voluit Religiosissimo, simulque strenuissimo Viro Ferdinando Cortès opponere, & de eius manibus (si posset) Mexicanum Regnum rapere. Cuius temeritatem, & insolentiam Dominus Lucas Vasquez de Aillon in Insula Sancti Dominici auditor (quantū in se fuit) impedire, & retardare conatus est. Immo eum admonuit, ne fœlicitatem Domini Cortes perturbaret. Nam præterquam, quòd Deum, & Catholicam Religionem grauiter offendebat, scandalosum exemplum præbendo, Imperatori etiam iniuriam non modicam inferebat. Qui-
E bus admonitionibus, & iussis Pamphilius Naruaez aures suas obturando, noluit ab incepto desistere, & sic eum sua Classe, & Nauibus ad nouam Hispaniam peruenit. vbi licet à militibus Ciuitatis veræ Crucis iniqua, improbaque eius cupiditas retunderetur, & refutaretur, & milites præsidiarij eius Ciuitatis nonnullos ex Pamphilij militibus cum Sacerdote eorum captiuarent, & vinctos ad Ferdinandum Cortes ducerent, Pamphilius nihilò humiliatus, imo obstinatior effectus, non solum suos milites, & Sacerdotem Captiuos recuperare, sed etiam Ferdinandum cum suis sequacibus ad nihilum reducere publicè minitatus est. At Ferdinandus cum ad laudem Dei, & fidei Christianæ exaltationem, & non ob formidinem cum præfato Pamphilio pacem inire exoptaret, ad se præfatum Fratrem Barthomæum de Olmedo suum Confessarium, & Consiliarium aduocauit, petitque ab eo, vt sua solita prudentia, ac solertia à prædicto Pamphilij Sacerdote in nouum Orbem aduentus causam prudenter sciscitaretur, & de Pamphilij intentione secretò se informaret. Quod blanditijs, & promissis Pater Olmedo fecit, imò cū libertate ipsa munera magni valoris, &

momenti se ei daturum promisit, & obtulit: nihil tamen certi ab eo scire potuit; semper A enim equiuocis, & generalibus verbis, ad rem non facientibus respondebat. Ideò Dominus Cortes suum eumdem Confessarium ad Pamphilium, (vt cū eo pacem iniret) Oratorem specialem eligere statuit. Quod munus libenter ad laudem Dei, animarumque salutem noster frater suscepit. Sed ante discessum recordatus quarti solemnis voti de redimendis Captiuis, quòd in sua professione emiserat, sic Dominum Ferdinandum locutus est: Domine mi, si vis, vt tibi cuncta prospera eueniāt, te Religionem colere, Ecclesiasticas, & Religiosas personas venerari oportet. Non licet tibi Pamphilij amicitiam, & pacem petenti, & procuranti, Sacerdotem eius Captiuum retinere, (quod nefas proculdubiò est) Libera igitur eum, vt, vel sic faciliùs, quod desideras, obtineas: nam hac suauitatis, & benignitatis via incedendo, ferocitatem tui aduersarij demulcebis. Quibus verbis Ferdinandus valdè commotus, non solùm præfato Sacerdoti libertatem donauit, sed animo decreuit, deinceps B omnibus diebus vitæ suæ insolito, & invsitato in Principibus, & Magnatibus salutationis modo, omnes Sacerdotes venerari. Ideò ad Indorum ędificationem, & vt alijs præberet exemplum, Religiosas, & Ecclesiasticas personas, quas per vias, & plateas offēdebat, obuiasque habebat, equo desidens, & genuflexus, ea reuerentia soli Summo Pontifici dari solita, venerari solebat. Quod exemplum Hispani omnes, & Indi secuti prætereuntes Sacerdotes, & etiam fratres simplices, genuflexi salutabant. Igitur noster frater Olmedo duobus ex principalioribus Ferdinandi militibus comitatus, ad Pamphilium peruenit, quem sic appellare, multis testibus præsentibus, omnes Historiæ referunt. Omnes sumus Hispani. Vnum cognoscimus Deum, factorem Cœli, & Terræ, & vniuersorum Regem, & Dominum. Si Deum Dominum tuum times, & ei obedire desideras, eius serua mandata. Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Et aliena non concupiscas, nec habere C intendas. Ante aduentum tuum nos omnes istorum Idolatrarum, & Gentilium conuersioni fuimus sumusq; intenti. Domini Ferdinandi Religiosissimi, & honestissimi viri exemplari vita, laudabilibus moribus, & animi constantia, ac sociorum eius affabili conuersatione, & mansuetudine (non sine vniuscuiusque nostri magno labore, & euidenti periculo) infinitus Indorum numerus ad fidem nostram conuersus est. Vndè ex hoc plurima bona sequuntur, nam animæ illorum saluantur, & Caroli Imperatoris Regis nostri Imperia, & Regna amplificantur. Te igitùr, & socios tuos, ex parte Domini nostri Iesu Christi iterū, atq; iterum requiro, & instāter precor, ne opus Dei inceptū impedire, aut retardare velitis. Ego enim, vt Minister Christi, Domini Ferdinandi specialis orator rogo ea, quæ ad pacem sunt Hispanis; nam hac via erit in terris vestris auri, & argenti abundantia, & seculi huius diuitiæ non vobis deficient, si concordiam, qua res paruę crescunt, seruaueritis. Ne ergo quæsò Domini mei, & filij carissimi hunc fœlicem euentum nostris Hispanis, post tot secu D la seruatū, prępediatis. Ferdinandus pro adeptione plurimorum Regnorum vestro proculdubio indiget auxilio, & pacem veram inire vobiscum desiderat, & ob id ad has partes gratum habet vestrum aduentum. Fiat igitur inter vos, & nos pacis vnio, & cor vnum in Domino. Et meis verbis fidem adhibete, quia cum humilis Religiosus sim, nihil aliud exopto, quam honorem Dei, Indorum conuersionem, ac Regis nostri augmentum, & propagationem: & hoc similiter Ferdinandi Domini mei est desiderium. In cuius rei testimonium me hodie ad te his per Illustribus viris associatum destinauit, qui legationis meæ erūt fidelissimi testes. Sciscitor ergo, & à te quæro, an tecum deferas aliquam Regiam, aut Regii Consilij nouam prouisionem, cui nos omnes (vt veri subditi) sumus obedire parati, sin autem arma depone, & sinè strepitu militari Terram istam ingredere, ne nouis Christianis recenter ad fidem conuersis, scandalum inferas. Et in omnem euentum scias in Ciuitate E Mexicana Cancelleriam Regiam Ciuitatis veræ Crucis, & Regium residere Tribunal. Vbi tua Iura audientur, & omnes nos Iudicum sententiæ, & decreto stabimus, & quicquid iudicatum fuerit, executioni demandabitur. Hæc sunt expressa legationis verba à fratre nostro prolata; quæ cum prænimia Pamphilij auaritia, & imperandi libidine nihil proficerent, noster Religiosissimus Pater zelo Dei accensus, & quasi Prophetico spiritu afflatus minis Tyrannum insequendo in hæc prorupit verba. Dominus omnipotens, cuius iudicia iusta sunt, qui scrutatur corda, & arcana nostra; suum opus perficiet; & vestra paruulorum iacula ad nihilum rediget, pacem, & gratiam petentibus dabit; resistet superbis, & exaltabit humiles. Ne tuis ò Pamphili amicis, & potenti exercitu confisus facias contra legem Dei tui, contra Patriam, & Nationem tuam: quia non in multitudine exercitus, sed

de cœlo

A de cœlo fortitudo, & victoria est. Annuncio ergo tibi, quòd hęc noua conuersio, per Ministerium nostrum operata, à Deo sumpsit initium, & potiora progrediés percipiet incrementa. Vndè eam impedire conantium, Dominus conteret capita. Quod certè rei probauit euentus, nam Pamphilij exercitus, qui maior erat, ac fortior videbatur, fuit à Ferdinando superatus, & ad nihilum redactus, & Pamphilij milites (Duce victo, & derelicto) Ferdinando victori adhæserunt. Et post huiusmodi victoriam plurimi Hispani, tàm victores, quàm victi, qui nostrum fratrem Bartholomæum de Olmedo liberè Pamphilio loquentem audiuerunt, & legationis verbis adfuerunt: publicè affirmabant eum esse virum sanctum, & Prophetiæ dono illustratum, & exindè eius sanctimoniæ fama diuulgari, & augeri cœpit. Multa alia bona egit, & ingentè, tàm per se, quàm per suos fratres nostros, quorum (dùm vixit) fuit superior, Indorum numerum ad fidem conuertit, & baptizauit, atquè sanctissi-
B marum operationum, & dierum plenus obdormiuit in Domino. De hoc sancto viro pręter scriptores supra allegatos, & alios mentionem facit Dominus Antonius de Saauedra in lib. cui titulus est, Peregrinus Indianus cant. 12. per hæc verba; (licet in nomine errorem commiserit, cum Petrum nominando.) *Antonius Saauedra.*

Prendioles Pedro de Trzio incontinente,
Ya Mexico à Cortes los ha enuiado,
Para que ellos le informen claramente,
Del disinio, y de todo lo passado:
Cortes procedio en esto cuerdamente
C *Que vna carta a Nauaez leha enuiado*
Con Fray Pedro de Olmedo vn Religioso
De buena vida, santo y virtuoso.

Floruit similitèr hoc sæculo Religiosus vir Frater Ioannes de Vardon ex Prouincia Castellæ, qui plures Indos ad nostram fidem conuertit, de quo præfatus Dominus Carolus Tapia de Religiosis rebus, ait quòd in lucem edidit vocabularia quattuor linguarum, quæ in illis partibus passim apud omnes nota sunt.

Et vt clariùs innotescat, id quod a principio probare intendabamus, nostros scilicet fra-
D tres fuisse primos, qui in Indorum conuersione insudarunt, dicimus modo, pręfatum Dominum Ferdinandum Cortes post dicta, & ab eo operata facinora, & ęgregia opera Domino Carolo Romanorum Imperatori, & Hispaniæ Regi scripsisse, ab eoque pro nouo Orbe obtento, & Mexicano Regno adepto, Episcopos, Clericos, & Religiosos in Coadiutores vineæ Domini postulasse; & similiter duas literas ad Superiores Ordinum Sancti Dominici, & Francisci direxisse; quos omnes de his, quæ gesta erant in illis partibus certiores faciebat, & Sacerdotes petebat. Quibus Superiores excitati sanctos, & honestos Religiosos pro Indorum conuersione transmisserunt; videlicet Fratrem Martinum de Valentia Ordinis S. Francisci miraculis clarissimum, qui cum duodecim sociis ad Ciuitatem Mexicanam peruenit anno Domini 1524. & Fratrem Thomam Ortiz Ordinis Sancti Dominici Pro- 1524.
uincialem, qui cum aliis duodecim fratribus ad nouum Orbem accessit anno Domini 1526. 1526.
E quando scilicet Regnum illud iam erat adeptum, & sub Regis nostri potestate; & similiter, quando iam Indorum conuersio incepta erat, nostrique fratres sacra dando, prædicando, confessiones audiendo, consilium præbendo, milites in conflictu consortando, & animando per ignem, & aquam multum insudauerant. Hoc eodem anno 1521. quarto nonas De- 1521.
cembris sanctissimus Papa Leo rebus humanis excessit, qui, licet in Petri Cathedra annos octo, menses octo, & dies viginti sedisset, esset que bonus omnium ouium pastor, & filiorum Ecclesiæ Sanctæ Dei vniuersalis Pater; nunquàm tamen senectutem vidit. obijt enim Romæ, anno ætatis suæ quadragesimo quinto, mense vndecimo, & die vigesimo primo. Cuius corpus in Basilica S. Petri conditum est. Vacauit Romana Sedes mense vno, & diebus septem. Nàm post aliquas de Papatu controuersias Cardinales, qui erant triginta octo, prætèr omnium spem, in summum Pontificem elegerunt Hispaniæ Gubernatorem in Hispania degentem, qui Hadrianus VI. appellari voluit.

Hic Summus Pontifex affatìm informatus, dùm in Hispaniæ partibus moram trahebat

de magnifico illo & splendido ædificio, quod in Ecclesia nostri ordinis Granatensi extruebatur, vt in dies augeri, & perfici posset: concessit, eamdem Ecclesiam visitantibus, certis anni diebus, Indulgentiam plenissimam in forma Iubilei, quę per modum suffragij animabus defunctorum applicari valeret. A

Floruit per hæc tempora Fr. Martinus de Acuña celebris concionator, & in disputationibus subtilis, & acutus, qui Prouinciæ Castellæ principaliores Commendas laudabiliter rexit, & hac tempestate erat Commendator Segouię. De eo mentionem facit Licentiatus Laurentius Caluete. in historia de Sanfructos eiusdem Ciuitatis Patroni lib. 3. cap. 5.

Laurentius Caluete.

Dominus Gundisaluus de Alderete Baccalaureus, Prouisor Abbatiæ Vallisoleti suam authoritatem, & decretum impartitur, & obseruari iubet literas Apostolicas Sanctissimi Domini nostri Nicolai V. de quo fidem facit Franciscus de Serna Publicus Notarius, sub datum

1523. hoc anno 1523. indict. 11. die 11. Iulij. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Adriani VI. anno 2. B

1523. Adrianus Papa VI. Obiit Romæ decimo octauo Calendas Octobris eiusdem anni 1523. cum sedisset vno anno, mensibus octo, diebus sex. Et post duos menses, & dies quatuor fuit in eius locum suffectus Iulianus Medices Florentinus, qui Clemens VII. vociferari voluit.

CAP. XXVI. *Clemens Papa VII. plurimis fauoribus, & gratijs ordinem nostrum prosequitur. Et nonnulli fratres nostri praeconijs commendantur.* C



Magister Generalis Safont magnam adhibuit solertiam, vt Monasteria, etiam distantia reformationem à se inceptam obseruarent, & tenerent; ob id ad ea visitanda doctos, prudentes, bonis moribus imbutos, atque ordinis zelatores destinauit, & transmisit viros. Inter quos resulsit Frater Christophorus Lenares natione Hispanus, ex Cathalonia ad visitanda Italiæ Monasteria missus; qui postquam ea reformauerat, sua industria, vitæ honestate, atque zelo mirificè auxit. In Italiam ingressus, vt multis proficeret in adipiscenda lingua Hetrusca, magnam adhibuit curam; quam breui tempore ita perfectè caluit, ita eam eleganter, & propriè loquebatur, vt nisi propter delineamenta, & habitus formam, quibus Hispani (vt in plurimum) ab alijs nationibus solent differre Hetruscus ab omnibus iudicaretur. Fuit in concionando valde lepidus, simulque, & feruidus, quo Auditores suos reddebat deuotos, & attentos. D

1524. Cuius rumor cum ad Panormitani Senatus aures accederet, fuit ab eo Illustrissimo cœtu in Concionatorem electus; qui hoc anno 1524. concionem coram tanto Senatu habuit.

Summus Pontifex Clemens VII. ad supplicationem Generalis Magistri, & fratrum nostri Ordinis concessit Bullam, in qua plures suorum Prædecessorum gratias nostro Ordini concessas confirmauit, cuius Confirmationis Bullæ tenor talis est.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Redemptoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos ad pietatis cultum, & charitatis zelum misericorditèr exercēdū suis hortatus est exēplis licet vices immeriti gerētes in terris, Romanorum Pontificum, pręsertim pro regularium locorum fœlici statu, & personarum in illis sub suaui Religionis iugo altissimo famulantium, ac fidelium Captiuorum libertati continuo studio vacantium commoditate, animarumque salute gesta, cum à nobis petitur approbamus, & nostri patrocinij præsidio communimus, illaque de nouo concedimus; ac alias desuper prouidemus, prout huiusmodi Captiuorum liberationi, & animarum saluti conspicimus in Domino pleniùs expedire. Dudùm siquidem postquam fœlicis recordationis Bonifacius VIII. Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius etiam IV. & Calixtus III. Romani Pontifices, Prædecessores nostri, tunc Generali Magistro, & Fratribus E

Ordi-

[illegible] B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum certas erga locorum ordinarios, & alias tunc expressas personas, munitiones, necnon peccatorum relaxationes, ac alia indulta, & gratias per diuersas suas concesserant; pię memorię. Nicolaus Papa IV. etiam Prędecessor noster animabus defunctorum, qui in seruitute fidei, ac vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sua suorumque Successorum Romanorum Pontificum obedientia, contritioneque, & confessione integra (si tempus, & confitendi facultas afforet) ab hac luce migrassent, & pro quibus duo floreni auri Aragonis, vel pretium ęquiualens ad opus redemptionis Christi fidelium apud infideles Captiuorum fratribus dicti Ordinis erogarent, omnē pœnam; quam post eorum decessum pro suorum expiatione peccatorum pati deberent, per modum suffragij misericorditèr in Domino per alias suas relaxauerat; ac recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. similitèr Prædecessor noster Bonifacij, Alexandri, Clementis, &
B Gregorij; necnon Martini; & Eugenij, ac Calixti Prædecessorum literas huiusmodi cum illarum de verbo ad verbum insertione per reliquas suas literas approbauerat, & nonnulla alia de nouo concesserat: necnon Sanctæ memoriæ Iulius Papa II. etiam Prædecessor noster Sixti, & aliorum Prædecessorū huiusmodi literas, (quatenùs essent in vsu) auctoritate Apostolica approbauerat, & innouauerat, illasque perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuerat, & pro potiori cautela omnia, & singula in dictorum Prædecessorum literis contenta, eisdem Generali Magistro, & fratribus de nouo; quodque Confessor idoneus secularis, quem Confratres vtriusque sexus Confraternitatis eiusdem B. Mariæ Canonicè institutæ pro tempore existentes, & eorum quilibet cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis forent ducerēt eligendum ipsos ab omnibus, & singulis eorum excessibus peccatis, criminibus, & delictis, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, semel in vita: in alijs verò etiam semel singulis annis, quēadmodū Cōfratribus Confraterni-
C tatis Ordinis Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum ab eadem Sede concessum absoluere, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere posset. Et si præfatos Confratres Confraternitatis Beatæ Marię ad loca Ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate supposita declinare contingeret: si tamen interdicto huiusmodi causam non dedissent, in illis, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & summissa voce Missis, & alijs diuinis Officiis interesse; ac qui ex dictis Confratribus Confraternitatis Beatę Mariæ Præsbyteri forent, eas celebrare, necnon eorumdem Confratrum tempore interdicti huiusmodi decedentium cadauera absque aliqua pompa solemni Ecclesiasticę sepulturæ tradi liberè, & licitè valerent; quodque si Confratres dictæ Confraternitatis B.
D Mariæ tempore eorum in eadem Confraternitate ingressus coniugati forent, solutis per virum, & vxorem triginta, & deinde annuatim septem denarijs monetæ iacentis, tàm vir, quam vxor huiusmodi Confratres dictæ Cōfraternitatis B. Marię esse, ac omnibus, & singulis concessionibus, indulgentijs, & remissionibus supradictis gaudere censerentur. Vel si ijdem, & alij fideles præfati eamdem Confraternitatem B. Mariæ, pro tempore ingredientes in eorum ingressu tres solidos cum dimidio dictæ monetæ, siuè quadraginta duo denarios similes, seù aliam æquiualentem monetam mallent, ad dictorum septem denariorum, vel aliquam aliam solutionem ratione Confraternitatis huiusmodi faciendum obligari vlteriùs non possent, perpetuò statuerat, & ordinauerat. Et vt eisdem Ordini, & Fratribus B. Mariæ vberiora prouenirent subsidia vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui aliquam Ecclesiarum, domorum dicti ordinis B. Marię in Natiuitatis, & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ac Pentecostes; necnon omnibus, & singulis B Marię totiùs anni festiuitatibus, à primis vesperis vsque ad occasum solis
E dictarum festiuitatum, ac in omnibus diebus Dominicis Quadragesimę deuotè visitarent, & inibi manus adiutrices porrigerent; pro singulis festiuitatibus, & diebus prædictis, quibus id facerent, decem annos, & totidem quadragenas. Et qui tempore, quo dicti Captiui postquàm redempti forent, per diuersa loca ad misericordiam Domini propalādam, sub eius Crucis vexillo ducerentur; triginta denarios similes, ipsis fratribus ducentibus, erogarent: triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditèr in Domino relaxauerat. Et insupèr, vt Generalis Magister, & fratres, ac eorum quilibet, omnibus, & singulis gratijs, concessionibus, indulgentijs, & remissionibus, quibus Confratres B. Mariæ, pro tempore existentes, ac illam ingredientes, & Ecclesias visitantes, ac manus adiutrices porrigentes, cæterique benefactores huiusmodi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, & potiri, & gaudere poterant, quomodolibèt in futurum, vterentur,

poti-

potirentur, & gauderent indulxerat. Necnon eidem, & pro tempore existenti Generali Magistro, & ad id de expresso eius consensu, pro tempore deputatis fratribus, quæcumque legata, ad Redemptionem Captiuorum huiusmodi, pro tempore facta à quibusuis personis, & locis in Hispania, & Regis Hispaniæ toto Dominio exigendi, & recipiendi plenam, & liberam facultatem, etiam alias per suas concesserant. Et fœlicis recordationis Leo Papa X. etiam Prædecessor noster per reliquas suas literas, ad tùnc Generalis Magistri, & qui 70. Captiuos, ex manibus Infidelium redemptos ad Vrbem tunc deduxerunt, certorum fratrum dicti Ordinis supplicationem emanatas singulas Prædecessorum huiusmodi literas; necnon omnia, & singula, alia immunitates, exemptiones, priuilegia, indulta, & alias gratias dicto Ordini B. Mariæ, & illius fratribus, & locis, & personis de illo benemerentibus, concessa, (quatenus essent in vsu,) auctoritate Apostolica ex certa scitia approbauit, & innouauit: ac illa eidem Ordini B. Mariæ, & eius fratribus, locis, & benefactoribus de nouo; B necnon omnia, & singula, gratias, priuilegia, & indulta Mendicantium Ordinibus, & eorum personis, & locis per Sedem prędictam concessa indulsit. Ac voluit quod dicta relaxatio pœnarum Purgatorij animabus defunctorum, pro quibus dicti duo floreni Aragoniæ per Nicolaum Prædecessorem (vt præfertur) concessa eisdem animabus, alias iuxta ipsius Nicolai Prædecessoris literas, calificatis etiam singulis defunctis, pro quibus, nisi vnum florenum similem ad dictæ redemptionis opus erogare contigeret, suffragari statuit. Insupèr, & ordinauit, quòd prædicti Ordinis B. Marię fratres Quadragesimalibus, & alijs anni temporibus, & diebus, quibus nonnullæ Vrbis, & extrà illius muros consistentes Ecclesiæ, pro stationibus consequendis, à Christi fidelibus visitabantur, vnum, vel duo Altaria in Ecclesijs domorum dicti Ordinis B. Mariæ sita deuotè visitando: omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissionem consequerentur, quas consequi possent, si singulis C diebus, & temporibus huiusmodi Vrbis, & extrà illius muros consistentes Ecclesias prædictas, personalitèr visitarent. Et omnium, & singulorum sacrificiorum, ieiuniorum, peregrinationū (etiam vltra mare,) & aliorum operum, quæ tùnc, & pro tempore in Sacrosancta Vniuersali Ecclesia, & in omnibus eius membris fierent, participes existerent. Et quòd singuli vtriusque sexus Christi fideles in Ciuitatibus, & Diœcesibus, in quibus dicti Ordinis B. Mariæ aliqua domus consisteret (viro, & vxore pro vna persona computatis,) qui eiusdem Ordinis fratribus, ad id pro tēpore deputatis, triginta denarios monetę ibidem cursum habentis, seù eorum valorē pro Redemptione huiusmodi erogarent, vltrà alias gratias, & indulta benefactoribus ipsius Ordinis B. Mariæ dicta Apostolica auctoritate concessa semèl in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi forent, indulgentiam, & remissionem consequerentur. Et quòd quæuis pecuniarum summa, aùt res alia, pro Redemptione alicuius personæ specificè, pro D tempore oblata, & per dictos fratres ordinis B. Marię acceptata in Redemptionem eiusdem personæ; alię verò eleemosynæ, & pia suffragia à Christi fidelibus, pro Redemptione Captiuorum in genere, pro tempore erogata, & eæ prouentuum partes, quæ à singulis dicti Ordinis B. Mariæ domibus, seù earum Præceptoribus ad Redemptionem eamdem assignarentur, in ipsum Redemptionis opus, dùmtaxàt exponi fidelitèr deberent, & in alia pietatis opera commutari non possent. Ipsaque omnia in arcam, ad hoc per dictum Magistrum specialitèr deputādam, sub quatuor clauibus, apud quatuor ex principalioribus eiusdem Ordinis B. Mariæ fratribus, deponendis, custodiendam, congererentur, & conseruarentur. Et quod liceret dicto, pro tempore existenti Generali Magistro, de tertia solùm parte pecuniarum, & rerum, pro Redemptione huiusmodi in genere coniectarum, in suarum, & ipsius Ordinis B. Mariæ domorum pauperum, & eorum qui in hoc opere versarentur, & se exer- E cerent ingruētum, pro tempore necessitatum, subsidium disponere. Declarauit etiàm scientia, & Apostolica auctoritate similibus quęcumque ad Redemptionem huiusmodi pro tempore legata relicta, & donata sub quibusuis ad pias caussas relictorum, & donatorum applicationibus, (etiam in fauorem fabricæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel subsidium expeditionis contra Infideles, etiàm in specie de bonis ad idem Redemptionis opus pertinentibus, factis, & faciendis) nequaquàm comprehendi, sed esse ab illis perpetuis, futuris temporibus prorsùs exempta. Demùm dictis fratribus Ordinis B. Mariæ, & Commissarijs ab eis supèr negotio Redemptionis huiusmodi, pro tempore deputatis, indulgentias, & peccatorum remissiones, cæteraque priuilegia, & indulta ipsis, & alijs Christi fidelibus eorum pia suffragia ad præmissa exhibentibus, pro tempore concessa, vbi, quandò, & quotiès eis

oppor-

A opportunum videretur per se, vel alium, seu alios in Ecclesijs, & alijs locis etiam solemniter publicandi, & publicari faciendi, plenam, & liberam licentiam elargitus fuit. Necnon omnibus, & singulis locorum ordinarijs in virtute sanctæ obedientię, sub interdicti ingressus Ecclesiæ latæ sententiæ pœna, ipso facto incurrenda, ne dicti Ordinis B. Mariæ fratres, vel Commissarios, aut alios ab eis, etiam ad prędicationis, siue publicationis (pus pro tempore deputatos, aut eorum aliquem directè, vel indirectè quouis quæsito colore impedirēt. Nec ratione singularum literarum, quas ipsis pro publicatione huiusmodi in eorum Ecclesiis, Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac districtibus commodiùs faciendis, concedere solebant, vltrà quinque florenos similes pro se, ac Secretarijs, & Notarijs, aut alijs ministris acciperent, præcepit. Ac literas suas desupèr confectas sub quibùsuis reuocationibus, suspensionibus, aut alijs contrariis dispositionibus per eum, & Sedem prędictam, pro tempore fa-
B ctis, nullatenus subiacere decreuit, prout in singulis literis prædictis pleniùs continetur.

Cum autem sicut exhibita nobis nupèr, pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Perez, & Dominici de Claueria, ac Augustini de Molinar fratruum dicti Ordinis modernorũ pro Redemptione, & liberatione fidelium Captiuorum huiusmodi, (prout per fratres dicti Ordinis de triennio in triennium fieri consueuit) deputatorum petitio continebat, ipsi cupiant omnia, & singula pręmissa, pro eorum subsistentia firmiori, etiam per nos approbari; pro parte Hieronymi, & Dominici, ac Augustini prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum: vt præmissis omnibus, & singulis nostræ approbationis robur adijcere, & vt Christi fideles ad tam necessarium charitatis officium suffragia promptiora exhibeant, quò ex minimo maxima præmia se consecuturos sperauerint, eleemosynas pro consequendis indulgentijs prędictis, (vt pręfertur) ordinatas, moderari, aliásque in præmissis opportunè prouidere, de Apostolica benignitate dignaremur. Nos igitur Hieronymum, & Domini-
C cum, & Augustinum prædictos; necnon eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati omnia, & singula priuilegia (quatenus sint in vsu) ac immunitates, exemptiones, & gratias; necnon post finitum præsentis Iubilei annum Indulgentias prędicta auctoritate Apostolica, tenore pręsentium approbamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus; illaque omnia de nouo concedimus. Et insupèr, vt Christi fideles Indulgentias prædictas consequi, & relaxationem pœnarum Purga-
D torij, per Nicolaum Prędecessorem animabus defunctorum concessas huiusmodi procurare faciliùs valeant; volumus, quod Indulgentiæ, & relaxatio huiusmodi, tàm viuentibus, quàm singulorũ Defunctorũ prędictorũ animabus, ꝓ quibus singulis tres solidos monetæ Regni Aragoniæ, seù æquiualentem summam in alia moneta in partibus illis cursum habente ad dictæ Redemptionis opus erogari contigerit, similiter post finitum præsentis Iubilei annum, suffragetur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis concessum fuit non obstare; cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, communitionis, concessionis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se
E nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1525. 1525. decimo Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno 2.

Præfatos tres famosissimos viros, & solertes Redemptores fratrem Hieronymum Perez, & Fratrem Dominicum de Claueria, ac Fratrem Augustinum de Molinar (iuxta sui muneris debitum) de potestate inimicorum ex Africæ partibus liberasse, & perfectę libertati restituisse 234. Christi fideles, nonnullæ breues nostri Ordinis historiæ referunt. Post *Liberati 234* hàc celebrem Redēptionem anno præterito operatam, Romam ipsi venerũt, vt à Summo Pontifice gratias aliquas obtinerent ad instar Redemptorum, qui coram Leone X. comparuerunt. Frater Augustinus de Molinar Commendator Cæsaraugustanus supplicari fecit Summo Pontifici, vt pro suo præfato Monasterio, Missarum obligatione nimis onerato concedere dignaretur, eam Missarum reductionem, Monasterijs Ordinis S. Trinitatis Prouinciæ Aragonię concessam. Cuius precibus Sanctissimus inclinatus eam concessit in forma simplicis supplicationis. Quæ est tenoris sequentis.

Beatis-

Beatissime Pater exponitur Sanctitati vestræ, pro parte deuotorum illius Oratorum Prouincialis, ac ministrorum; necnon Conuentuum Monasteriorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Prouinciæ Aragonię; quòd cum ipsi sint adeò pauperes, & proptèr fratrum paucitatem; necnon pestem, & bellum, quàm populorum prædictæ Prouinciæ Aragoniæ, dissentiones, & differentias, & ex nonnullis antiquis, quàm modernis legatis per Christi fideles factis, ad quamplurimas Missas, anniuersaria, & alia diuina Officia, pro aliquarum Christi fidelium, & eorum parentum, & consanguineorum, & aliorum Christi fidelium defunctorum animarum salute, singulis diebus celebrandis obligati, & grauati existant; & quotidiè sibi nonnullæ eleemosynæ pro alijs Missis celebrandis per Christi fideles ex deuotione largiantur: quod minimè pro tantis Missis celebrandis sufficiūt; & cum ex eleemosynis præmissis sibi datis plurimùm in dies magis grauentur, & semper in præfatis necessitatibus inueniantur: talitèr, quòd sine quotidianis eleemosynis vix sustentari valeant; & si pro omnibus Missis prędictis, ad quarum celebrationem occasione prędicta teneantur, & illas celebrare, dicere, aut celebrari facere non valeant: vnam Missam solemnem, siuè Generalem, cum anniuersario, & absolutione generali, iuxtà Superiorum suorum ordinationem, seù voluntatem quolibet mense dicerent: profectò ex hoc eorum conscientiæ serenitati, ac quieti, consolationique spirituali sibi plurimùm, & opportunè consuleretur, & omnis scrupulus pœnitus, & omninò tolleretur. Supplicant igitur humilitèr eidem Sanctitati vestræ Oratores præfati, quatenùs in præmissis eorum votis annuentes, & sibi specialem gratiam facientes; vt eorum inopiæ, super præmissis, paterna dilectione compatiatur, &c. Quod tàm prædicto Prouinciali, & Monasteriorum prædictorum Ministris, quàm Fratribus, nunc, & pro tempore in eisdem Monasterijs, siue domibus Ordinis eiusdem Prouinciæ prædictorum existentibus. Singulis diebus iuxta facultatem, & dispositionem ipsorum fratrum Præsbyterorum in domibus huiusmodi pro tempore, vt præmittitur, consistentium eorum quilibet præuia, vtriusque hominis præparatione, ac bonæ conscientiæ deuotione celebrare possint, celebrando, loco Missarum, & aliorum diuinorum Officiorum; pro quibus legata prædicta, seù aliquam eleemosynam receperint, (& si forsan propter paupertatem vel paucitatem eorum ad id non sufficiant) Missas, & alia diuina officia celebrare vnam generalem, & solemnem Missam cum anniuersario, & absolutione, (vt præfertur) celebrando, ad Missarum, & aliorum diuinorum Officiorum prædictorum, quorum ratione dictarum eleemosynarum suarum, & legatores huiusmodi defunctorum, seù viuorum tenentur, & non sufficiunt celebrare: seù pro tempore nō sufficient, minimè teneantur. Quodque illi fratres, seù Prouincialis, aut Minister in Præfatis omnibus, siuè Monasterijs pro tempore existentibus, qui simùl, vel sigillatim aliquas eleemosynas pro Missarum celebratione receperint ex morte præuenti illas dicere nequiuerint, si fratres domorum, siuè Monasteriorum eorumdem viuentes, illas tres, vel plures Missas, quas pro quolibet fratre defuncto, iuxta eorumdem Priorum, seu Ministrorum, vel aliorum pro tempore existentium voluntatem, pro animabus illorum, qui eleemosynas elargiti fuerint, ac pro dictorum fratrum defunctorum animarū salute, a celebratione, ac obligatione huiusmodi absoluantur, & absoluti esse ex nunc à data præsentium declarentur. Necnon fratres illi, qui pro tempore fuerint viuentes, etiam eleemosynas pro Missis, & alijs diuinis Officijs celebrandis, quas adimplere non possint, pro ipsorum conscientię quiete, quòd Prælatus, seù Minister, aùt Prior, & Superior eorum iniungendo sibi, secundum quantitatem, & qualitatem, tam in Missis, quàm in alijs diuinis Officijs, eos, vel eorum quemlibet absoluere possit, seù possint concedere, & perpetuò indulgere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus in dicti Ordinis Capitulis Generalibus, siuè Prouincialibus, vel prædictis Monasterijs confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia iuramento, &c. Priuilegijs quoque, & indultis, ac literis Apostolicis eisdem Ordini, aut Prouinciæ, siuè Regno coniunctim, vel diuisim, sub quibusuis verborum formis, & clausulis, &c. concessis, confirmatis, & pluriès innouatis, &c. latissimè in literis extendentibus ad id, quòd pœnitùs, & omninò tollantur, & non obstent. Pro hac vice dùmtaxat specialitèr, & expresè de potestatis plenitudine derogare placeat; cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumq; clausulis, opportunis, & consuetis. Concessum, vt petitur in præsentia Domini Papæ. P. Sauinen. Et cū absolutione a censuris ad effectum pro omnibus præmissis, etiam in casibus, &c. Et cum illis derogatione, &c. Et cum opportuna derogatione constitutionum, ordinatio-

A nationum, & statutorum, vsuum,&c. Et quòd nomina, & cognomina præfatorum Prouincialis, ac Ministrorum, ac de præterito, ac futuro quantitatis, aut qualitatis legatorum, ac Missarum viuorum, & mortuorum habeantur pro expressis. Et quod omnium, & singulorũ pręmissorum, & circa eam necessariorum maior, vel verior specificatio,& narratio fiat in confectione literarum, quæ per Sanctitatem vestram attenta materia, & Oratorum paupertate expediantur. Concessum P. Sauinen. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, 6. idus Martij, anno 2.

Dignetur Sanctitas vestra literas super supplicatione, cuius copia pręinseritur, simul, vel separatìm conficienda, etiam pro Augustino de Molinar, & Conuentu, siue domo S. Lazari extra muros Cæsaraugustañ. Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, cum omnibus, & singulis dispensationibus, indultis, gratijs, decretis, & clausulis in ea cõ-
B tentis, conuentionibus, reductionibus, etiam perpetuò iuxta eiusdem præinsertæ tenorem, & per Sanctitatem vestram expediri mandare de gratia speciali. Huiusmodi namque supplicatio manu Domini nostri Papæ sub his verbis fuit signata. videlicet. Fiat. Deinde data Domini Datarij sui subsequebatur, videlicet. Datum Romæ, apud S. Petrum, 3. Idus August. anno 2.

Frater similiter Dominicus de Claueria, vnus ex Redemptoribus præfatis in artibus, & in Sacra Theologia Magister Commendator Gerundensis supplicauit Sanctissimo, & petijt eamdẽ gratiam cõcessam Monasterio Cæsaraugustano, pro suo ẽt Monasterio Gerundensi,& Barchinonensi, quam sua Sanctitas libentèr concessit. Supplicationis igitur porrectæ, & gratiæ concessæ tenor talis est. Clementissimè Pater non solùm domus, de quibus in præinsertis fit mentio, reductione, licentia, facultate, indulto, dispensatione, derogatione, commutatione,decreto, & alijs gratijs in præinserta concessis, indigent, verùm etiam Bar-
C chinoneñ & Gerundeñ. dicti Ordinis Domus, siuè Monasteria, & eorum Conuentus B. Mariæ de Mercede, qui similiter ex pijs fidelium largitionibus, ac eleemosynis Missarum, & diuinorum celebratione prouenientibus viuunt, ad tanta onera supportanda eorum vires non sufficiunt. Placeat igitur Sanctitati vestræ literas super supplicatione, & reformatione, quarum copiæ pręinseruntur conficiendas, ad preces deuoti oratoris vestri Dominici de Claueria, in artibus, & Theologia Magistri dictę domus Gerundensis Præceptoris, siuè Commendatarij. de eisdem licentia, facultate, indulto, dispensatione, derogatione, commutatione; decreto, & alijs gratijs in omnibus, & per omnia, prout in insertis cõtinetur, etiam pro præceptoribus, & fratribus dictarum Barchinoneñ. & Gerundeñ. domorum, iuxta earumdem præinsertarum tenorem expediri mandare. In fine huiusmodi supplicationis hoc est signatum. videlicet. Cõcessum. Ioannes Baptista Carssataneñ. Deinde
D data manu eiusdem Domini nostri Papæ Datarij, in eadem supplicatione apposita sic subsequitur. Videlicet. Datum Romæ, apud S. Petrum, 13. Calend. Nouembris, anno 2.

Fuit prædictus Dominicus de Claueria in artibus, & Philosophia Magister, ac in Sacra Theologia celeberrimus Doctor Parisiensis: natione Gallus ex Gasconia Reginæ Nauarræ Confessarius, & ab ea, & in toto illo Regno magno in pretio habitus. Accidit, quòd hoc anno in Vrbe, sua Patres Dominicani Generalia celebrarent comitia; ibique in Generalem Magistrum Frater Franciscus Syluestrius Ferrariensis eligeretur. Ad hoc igitur Generale Capitulum noster Magister Claueria vocatus, & inuitatus accessit, vbi arguendo sibi gloriam, & ingentem Religioni nostrę famam comparauit. Multum etiam ad famæ cumulum addidit Regius orator, qui testimonium dedit Summo Pontifici, Magistrum Claueria esse virum magnæ dignitatis dignum, illumque suæ Sanctitati commendatũ Regio nomine esse
E voluit. Hac occasione osculatis Sanctissimi Pontificis pedibus, & ab eo noster frater interrogatus quid vellet, nihil aliud à sua beatitudine contendit, quam præfatam de Missarum reductione gratiam, quàm (vt diximus) libentèr sua Sanctitas ad domum Gerundensem extendit, eumque in suo Palatio Vaticano familiarem, & Capellanum suum esse voluit; qui anteà à Leone X. Apostolicus acolythus fuerat deputatus. Sed Magister Claueria Religionis amator, & ordinis sui zelator à Pontificia Curia declinauit, & ad suum Gerundense Monasterium reuersus est. Vbi depingi fecit in propria, & speciali Capella nostræ Ecclesiæ Imaginem Sancti Serapionis Martyris nostri Ordinis cum scapulario, & Scuto Ordinis ad pectus, & nigro pileo ad Caput. Depinxit illum Crucifixũ illo mortis genere, quo Beatus Andreas animã Deo reddidit. In quo Altari Missa propria in honorem huius Sancti Martyris (iuxta antiquũ nostri Ordinis ritum,) dici fertur. Fuit Magister Claueria Vicarius Genera-

lis ordinis, & Cardinalitia dignitate non indignus. Quid verò dicam de illo omnium scientiarum vase, & præstantissimo Doctore Fratre Hieronymo Perez natione Hispano, & Patria Valentino, qui per multos annos Sacram Theologiam docuit, multosque grauissimos habuit discipulos; inter quos honoris gratia in medium adducere volo Illustrissimum, & Eccellentissimum Ducem de Guandia, qui posteà Religiosus Ordinis Iesuitarum effectus fuit tertius Generalis præpositus; vt testimonium perhibet ille famosissimus, & veridicus auctor Petrus de Riuadeneira in vita tertij propositi: vbi asserit; quòd Dux Guandiæ vocauit ad se ex Ciuitate Valentiæ Magistrum Perez, qui composuit super Diuum Thomam, &c. de eius Doctrina, & in omni scientiarum genere præstantia mentionem facit Magister Zumel in vita 26. Generalis Magistri. Quod autem ego in tanti viri commendationem adducere possum, sunt verba doctissimi mei Magistri Garijo Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Vniuersitatis Hispalensis Decani, & primã Cathedram Theologiæ Regentis, qui publicè interlegendum dicere solebat. Nullus meliùs, meo videri, Sanctum Thomam intellexit, quàm Magister Perez Mercenarius; sed eius opera Ordinis sui, impressorumq; incuria incorrepta, & inemendata circumferuntur. A B

Floruit etiam hac tempestate Frater Ioannes de Sancta Maria, famosus Sacræ Theologiæ Doctor, & magnæ auctoritatis vir, qui obtinuit ab Illustrissimo Domino de Monte Leone, in Regno Siciliæ Prorege liberam, post nonnullas dissentiones, facultatem pro redimẽdis Captiuis petendi, & exigẽdi eleemosynas, vt patet in literis executorialibus, in quibus præcipit sub grauissimis pœnis cum deliberatione Regij Consiliarij obseruari adunguem Bulla Domini nostri Clementis Papæ VII. Sub datum Panormi, die 8. Maij, 1526.

1526. Frater Martinus Sandoual, & Frater Ludouicus de Andrada, pro Prouincia Castellę, Redemptores ex Africæ partibus 160. Christi fideles, è Captiuitate Mauritana liberos hoc anno 1527. Ispalim duxerunt. *Liberati 160* C

1527. Non minores progressus nostri strenuissimi Hispani milites operati sunt in ditissimo Regno del Pyrù, quàm in noua Hispania fecerant: quod Franciscus Pizzarro Marchio de Auillos, sua singulari virtute suo subiugauerat dominio. Hic igitur magnus, & celeberrimus Dux, (quẽ omnes historiæ summis cõmendant laudibus) caros semper nostros Fratres habuit: præsertim Reuerendum admodum, & doctissimum Patrem, ac Magistrum Fratrem Franciscum de Bobadilla, nostri Ordinis in illo Regno Prouincialem; & non immeritò quidem. Erat enim pacis amator, & Religionis Christianæ feruentissimus zelator; in rebus humanis dexteritate, & prudentia pollens; & super omnia; vt in eo Regno Indorum conuersio in dies augeretur, & Hispani proceres concordiam, & pacem inter se seruarent: nihil in factum omisit, multumque super hoc insudauit. Accidit, quòd inter præfatum Marchionem Pizzarro, & Didacum de Almagro, fortissimos, & celeberrimos Duces magna, & difficilis, ac nimis incommoda verteretur controuersia, ad quam de medio tollendam, & ad Magnates pacificandos omnem curam noster Prouincialis adhibuit. Et cum eis quæ ad pacem sunt, & vt concordiam veram inirent, totis suis viribus procurauit. Et cum iam eorum voluntates essent ad aliquam honestam conuentionem propensę, in compositionemque vellent deuenire: Dominus Almagro pro se, ad fœdus ineundum, elegit admodùm Illustres Dominos Alphonsum Enriquez, & Didacum de Merçado, ac Ioannem de Gusman. At verò Marchio Pizzarro eam differentiam soli arbitrio, & meræ voluntati Prouincialis Magistri Bobadilla compromisit: gratum, & ratum habens quicquid per eum factum, & iudicatum foret; vt omnes Historiographi, qui de rebus Indorum tractant, clarè affirmant: præsertim Franciscus Lopez de Gomara, à me supracitatus in sua generali Historia. Plurimos, & immensos, deinde noster Prouincialis in Indorum conuersione per se, & per fratres suos perpessus est labores. Et fuit ob sua merita quacumque Ecclesiastica dignitate dignissimus; sed non habuit hominem, (qui Maiestati Cæsareæ sua merita, & excellentes significaret virtutes: bene tamen habuit inuidos, & rabidos canes, qui Regio Consilio retulerunt nostrum Prouincialem nimis obstinatè, & proteruè Marchionis Pizzarro partes fuisse secutum, & tutatum. D E

Clemens Papa VII. qui ab hinc duobus annis in ea sanctæ *Vrbis* depopulatione detentus aliquando mansit, cum huiusmodi infœlicis status miserias degustasset, afflictorum Captiuorum iniustæ, & inhumanæ detentioni summopere condoleri solebat, sicque erga eos Indulgentias plurimas, & libertates ingenua manu elargiri nõ sinebat, & cũ noster Ordo in Captiuorum liberatione exerceatur ad Captiuorum fauorem plures Bullas concessit

modo

A modo sequenti. & in primis facultatem Generali Magistro nostri Ordinis concessit valdè fauorabilem, quæ est tenoris sequentis.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio moderno Magistro Generali, ordinis B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, quòd dudum fœlicis recordationis Bonifacius VIII. Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius IV. Calixtus III. & Leo X. multa priuilegia, & indulta, ac Indulgentias Ordini, & Religioni B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, pro redimendis pauperibus Christi fidelibus Captiuis de manibus Infidelium, & Turcarum concesserunt; & licèt nos pro dicto pio opere exercendo priuilegia, & Indulgentias huiusmodi confirmauerimus; tamen, quia multi Christi fideles dictas indulgentias se consequi posse dubitant, cum vinculo excommunicatio-
B nis se innodatos, ac fortè esse grauatos esse formident; ac ex eo, quòd taxa trium solidorum, & triginta denariorum a Christi fidelibus pro consequenda Indulgentia persoluendorum ab aliquibus personis videatur grauis. quare, &c. Tibi pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis, & pro tempore deputando, omnes, & singulos Christi fideles ad effectum gratias prædictas consequendi, à quocumque vinculo excommunicationis minoris absoluere; quodque tu, & pro tempore existens ordinis ipsius Generalis Magister quascumque taxas pecuniarum pro consequendis Indulgentijs, & peccatorum remissionibus, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, quoties vobis placuerit, & vt pro vobis videbitur, moderare, & minuere liberè, & licitè possitis; & valeatis, & auctoritate Apostolica concedimus. Necnon quòd relaxatio pœnarum Purgatorij animabus defunctorum concessa huiusmodi animæ, pro qua summa per te, & pro tempore existentem dicti Ordinis Magistrum Generalem taxanda huiusmodi soli contingat; etiamsi ex parentibus, vel consanguineis soluendis huiusmodi
C non existat, suffragetur, ipsaque anima relaxationem eamdem consequatur, &c. motu proprio ex certa scientia cum clausula sublata, & decreto irritanti. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die 23 Iulij 1529 Pontificatus nostri anno 6.

In Ecclesia nostri Ordinis ciuitatis Vallisoleti propè portam, & in eius parte dextra quędam existit Capella, sub inuocatione Sancti Ioannis Lateranensis, quæ aggregata est Ecclesiæ primariæ S. Ioannis Lateranensis de Vrbe, eiusque omnibus, & singulis gaudet priuilegijs, gratijs, & Indulgentijs. Sub datum Romæ, die Sabbati 18. Septembris, 1529.

D

CAP. XXVII. De Religiosissimo, & Sancto viro Fratre Antonio Brabo.

Ost plures annos, quos consũpsi in indagandis egregijs gestis per fratres nr̃os in nouo Orbe operatis, nulla cura fuit mihi maior, nulla diligentia
E frequentior, nulla res optatior, & nullus denique labor iucundior, quã proprijs oculis cernere, & in externis scriptoribus legere mirabilia magna, quæ in suis permagnis voluminibus à fratribus nostris in conuersione gentiũ gesta, summa cõcordia, & sine discrepantia ipsi scriptores enarrãt. Quapropter plurimos noui orbis historiographorum libros euoluere fuit mihi necesse, vt stupenda, & ferè incredibilia fratrum nostrorum facinora, tantorum scriptorum auctoritate, benè priùs comprobata, omni suspitione carentia, in hac mea Chronica enarrarem. Eam ob caussam perlongas periodos, & integras paginas ab ipsis veridicis auctoribus de verbo ad verbum extractas, & transumptas in sequentibus Capitulis (licèt fastidium Lectori generare videar) inserere non dubitaui. Sanctissimi igitur viri Fratris Antonij Brabo egregia gesta, vitam sanctam, fœlicemque sibi

mortem ex grauissimis auctoribus, & oculatis testibus, ac fratrum aliorum ordinum testimonio enarrare incipio. Ex honestis, & fidelibus parentibus, qui ex Bæthica ad incolendam Insulam Hispanicam venerant, natus est in Ciuitate S. Dominici, quæ nomen Insulæ dedit. Anno ætatis suæ quinto decimo Religionem nostram ingressus est, & post quatuor votorum emissionem in ea mirificè profecit. Fuit præstanti forma, ac statura eminens, sermone placidus, conuersatione suauis, & benignus, complectione robustus, & ad perferendos labores à natura valdè accommodatus, ita, vt cognomen eius de Brabo à prosapia, & nobilissimo Parentum genere hæreditariũ, & sui inuicti ac robusti animi in laboribus fortitudo, & in aduersitatibus tolerantia multùm adinuicè cohæreant. Non modicos in iuuentute sua labores, & persecutiones pertulit, & fortitèr sustinuit, ita, vt omnes constantiam eius mirarentur. Vir iam effectus sacrorum librorum lectioni, orationibus, & ieiunijs se totum dedit; vnde doctissimus, & efficax verbi Dei concionator, & deuotissimus euasit prædicator, ita, vt audientes, qui antea eum agnouerãt, doctrinam eius diuinam esse potius, quàm humanitus acquisitam publicè faterentur. Resplenduit in eo mira ingenij perspicacitas, & efficax persuadendi modus. Et licèt his naturæ dotibus fulgeret, non superbus, non elatus, sed humilimus semper extitit. Cilicio ad nudas vtebatur carnes, & ter in hebdomada Corpus suũ ferreis castigabat disciplinis. Nunquã toto vitę suę tẽpore aliquod lineũ indumẽti genus, sed ex crassa lana subuculã gestauit. Nõ nudus sed indutus, & vestitus super nudas tabulas corpori suo defatigato aliquã requiẽ dare solebat. Et cũ his abstinẽtijs, macerationibus, & asperitatibus nunquã per gratiã Dei in grauẽ incidit morbũ. Sed, vt iã pręconia eius concludamus, relatum est mihi ab vno Ordinis S. Francisci Commissario valde sene, moram Romæ trahente, qui in senectute sua eum agnouit, quod Spiritus Sanctus, sicut in primordijs Ecclesiæ Sanctis Apostolis linguarum dona dedit, sic in nouo orbe, & in exordio conuersionis Indorum, tanta, & diuersa linguarum genera Patri Antonio Brabo largitus est, vt nullus vsque in præsentem diem difficillima, & diuersa Indorum idiomata melius, & perfectius caluerit, aut elegantius, & proprius Indorum loquendi modum, gestus, varias actiones, & verborum prolationem fuerit imitatus, quam Pater Brabo: ita, vt in diuersis Regionibus, ac Prouincijs, quas pro Christi nomine, & Fidei Catholicæ propagatione peragrauit, vniuscuiusque ciuis, & conterraneus fuerit iudicatus, & habitus. Quem naturæ portentum Indi appellabant, & a nostris Hispanis Apostolus dicebatur. Cuius eximiæ sanctitatis, & tantarum virtutum rumor, cum ad aures Domini Ægidij Gonzales de Auila deueniret, eum auctoritate Regia, qua fungebatur, in Confessariũ, & Cõsiliariũ elegit in illa valde difficili, nimisque tunc periculosa, ac incerta nauigatione versus flumen, quod de possessione dicunt. Valde enim Dominus Ægidius exoptabat (ad sedandas, & de medio tolendas controuersias, & lites, quæ inter duos Hispanos Reges Castellæ videlicet, & Lusitaniæ vertebantur) aditum indagare, & inuenire posse, quo ex Dominio, terris, & Prouincijs Regi Castellæ subiectis sine Regis Portugalliæ præiudicio ad Malucas (quas vocant) posset peruenìri. Quo Imperatori Carolo obsequium præstabat magnum.

Igitur D. Ægidius, gratia diuina suffultus, eam difficilem, atque incertam nauigationem plurimùm sanctimoniæ atque prudentiæ Fratris Francisci de Brabo fidens, in nomine Domini arripuit. Incredibile est, linguaque enarrare non sufficit, quas erumnas, quotvè discrimina, sitim, famem, & alia huiusmodi incommoda, quæ ille strenuus, firmus, validusque Dux Ægidius cum Patre Brabo, suisque sequacibus in ea nauigatione sustulit. Ad tantam miseriam deuenerunt, vt præ nimia fame, & ciborum defectu magnos mures, seu potius corrodentes sorices, fœtidosque vermes, qui vestimenta consumebant, magnumque nauibus detrimentum afferebant, conuiuerent, & non in saturitate. Quos Pater Brabo, ob amorem Dei, & passionem Iesu Christi Domini nostri felle, & aceto potati, ad patientiam viriliter animabat, suoque exemplo confortabat. Tandem sicut Domino placuit, post tot discrimina ad flumen illud de possessione naues peruenerunt. Et Ægidius Confessore associatus, & centum tantum militibus strenuis comitatus cum quatuor equis in terram illam gaudens, & exultans exiliuit. Cui Nicoyanus Regulus, homo diues, & potens, Religione idolatra, falsos colens Deos, obuius occurrit, & quid velet, eum interrogauit. Quem nomine Ducis Pater Brabo salutauit, crucem ligneam, quam semper secũ gestabat ostendens, dixitque ei; salutem animarum vestrarum volumus, & affectamus. Et suis efficacissimis rationibus atque exemplis, ita clarè cultum Deorum falsum esse, & fore detestandum ostẽdit, vt ea die Regulum Nicoyanum ad nostram fidem conuerterit. Quo non contentus

falsos

A falsos Deos, & multa aurea Idola, quæ cœca illa gens, in tenebris ambulans venerari solebat, suo iussu coram D. Ægidio alata, pedibus calcari, & deinde conteri, & frangi fecit. Et per dies 17. ibi commorando Nicoyanum cum tota familia fidem nostram docuit, atque baptizauit; quo exemplo omnes subditi excitati, & commoti Baptismum susceperunt. Tantam (nostro fratre interprete) Ægidius cum Regulo amicitiam, & necessitudinem iniuit, vt ambo singulis diebus conuiuerent. (quod apud illas gentes valde honorificum erat.) Et cum iam vlterius progrediendi, festinaret tempus, Nicoyanus Rex iam Christianus mœrorem de nostro discessu ostendit magnum; sed ante profectionem plurima munera, ingentesque diuitias strenuo Duci, & militibus eius largiendo, significauit eis, alium potentissimum Regem Nicaraguam nomine, Idolorum etiam cultorem 150. milliaribus distare. Quo Ægidius lætitia magna perfusus, ad illius Regnum adiuit. Sed antequam

B accederet, ad Nicaraguam, suum Confessarium legatum destinauit. Qui coram Rege Idolatra constitutus (vt alia multa omittamus, quæ antequam ad colloquium deuenirent, præcesserant) hæc formaliter (vt præfati scriptores referunt) protulit verba. D. Ægidius Caroli Imperatoris potentissimi, & totius mundi Monarchæ, subditus, & famulus exoptat vehementer tecum veram amicitiam inire; vt ab hinc paucis diebus cum Nicoyana fecerat. Et similiter quod tui circumuicini Regis vestigia sequendo, inanem Deorum cultum contemnendo, fidem nostram Catholicam amplectaris, quod sibi gratissimum, tibi vero valde commodum proculdubio erit. Tanto animi affectu legationis sibi impositæ protulit verba, & tot naturalibus atque manifestis signis, & exemplis ad suam voluntatem Regis animarum Pater Brabo inclinauit, vt Nicaragua cum Ægidio amicitiam inire exoptauerit, & baptismali vnda ablui petierit. Itaque Rex altera die plurimis sui Regni vtriusque sexus nobilibus personis (iuxta eius Regionis consuetudinem) comitatus, lætus nimis Ducem Chri-

C stianum suscepit, & cum eo amicitiam iniuit; & deinde a fratre nostro in fide Catholica (iuxta temporis angustiam) benè instructus baptizatus est. Posthæc Ægidius Idola omnia subuertit, Cruce Domini nostri ad fugandos Dæmones ibi dimissa. Quo deuotus Ægidius gratias Deo pro tot beneficiis, & vberrimis fructibus immortales agens, extra eam ciuitatem (vbi hæc fiebant) ad instar Montis Caluarij, qui sextis Quadragesimæ ferijs magna populi frequentia in mea Hispalensi patria venerari solet, extrui fecit in loco eminẽti ligneam Capellam ibique deuotum cum suo Altari Oratorium, ad quod per gradus ascendebatur. Quibus sic sanctè, & piè dispositis quadam die præfixa ad eum Montem Caluarium solemnem iussit fieri processionem. In qua Frater Antonius Brabo vestibus Sacerdotalibus super-

D indutus, deuotè, & lacrymabiliter suis manibus Crucem Dominicam gestans, præcedebat; quem immediatè Ægidius, & Nicaragua ambo simul discalceati sequebantur; omnes etiam Hispani, & vtriusque sexus Indi numero 9000. ad fidem per fratrem nostrum conuersi deuotè, & sine strepitu incedebant. Et cum ad Montem Caluarium esset deuentum, Sacerdos fuit primus, qui per illos gradus ascendit, & in eius medio Crucem Dominicam fixit, eamque postratus adorauit. Deinde Ægidius per eosdem gradus ascendit, & prænimia deuotiune, spiritualique lætitia a lacrymis se continere non valens, Crucem amplexãdo, & osculando, genuflexus malefecit. Eandem Crucem Nicaragua, & omnes Hispani Indique ad fidem conuersi, magna deuotione adorauerunt. Finita Crucis adoratione noster frater Missam deuotissimè (sicut de more habebat) celebrauit. Et fuit prima Missa, quæ à primordiis Ecclesiæ vsque ad illum diem in illo Regno celebrata est; quod nostro Ordini

E honorificum esse, quis dubitat? Sacerdos Sacrificio Missæ peracto ad populum conuersus lingua vernacula, ita, vt ab omnibus pręsertim Indis intelligi posset concionem habuit, plurimis argumentis, & rationibus cultũ Idolorũ fore omnino omittendũ, & soli Deo Creatori Cęli, & Terræ honorẽ esse exhibẽdũ ostẽdens. Insuper magno spiritus feruore dicebat, ebrietatis vitium, & superfluitates in cibo animæ, & corpori, propriæq; famę damnũ inferentes, vt læthalẽ pestem fugite. Choreas inhonestas, atque impudicas saltationes euitate. Carnium humanarũ comestionem abhorrete; & super omnia detestabile contra ipsam naturã crimen ne nominetur in vobis. Concione peracta alij etiã Indi baptismum petierũt, & susceperunt. Quos vt frater noster in firma fide solidare posset, morã Ægidius paliquot dies in eo Regno traxit. Deinde Ducem vltrà progredentem Pater Brabo semper secutus est, & per Regiones, & loca transeundo verbum Dei, & semen bonum in illarum gentium cordibus seminare non sinebat. Et quia corde perfecto ad laudem Dei bonum semen seminauit, vberrimos fructus salientes in vitam æternam colligere meruit. De quo dicit Gomera in præallegata historia

storia quod in ea nauigatione ad fidem nostrã 32000. Personæ ex idolatria conuersæ, & bapitizatæ sunt. Deinde Ægidius per ciuitatem de Panama ad ciuitatem Sancti Dominici (vnde egressus fuerat,) cum magna lætitia cum suo confessario Patre Brabo reuerti incolumis meruit. Vbi de omnibus quæ gesta erant in ea celebri Indorum conuersione, Gubernatoribus Maiestatis Cæsareæ rationem reddidit. Pro quo singulari beneficio in tota illa ciuitate, & deinde in Hispania deuotæ preces, & solemnes processiones in gratiarum actionem, factæ sunt. Et ex tunc cœpit in mundo nostri Patris Brabo sanctitatis rumor celebrior innotescere, præcipuè cum valde iuuenis esset; non dum enim trigesimum compleuerat annum. A

Deinde decursis aliquibus annis de ordine regio, ac publico stipendio ad nouam Hispaniam transmissus linguam mexicanam publicè docuit; pluresq; aliorum ordinum habuit discipulos. Qui omnes mirabantur, facilem tanti magistri docendi modum, ac methodum commendantes. Et cum in eo mexicano Regno plures ex suis discipulis lectores perfectos effecisset, a Gubernatoribus magni Regni del Piru, vt verbum Dei seminaret, & Indos ad fidem nostram conuerteret, aduocatus, & accitus, vnam nauim, quæ illuc tendebat, ascendit. Quæ transiens per mare, quod dicitur del Sur contrarijs ventis hinc inde iactari magnisq; procellis perturbari cœpit. Et cum iam mergi cœpisset, & omnes imminens, & euidens mortis attenderent discrimen; Frater Antonius Brabo, vt potuit genuflexus se plurimum Deo, & Beatæ Virgini, ac Diuo Antonio Abbati commendabat; multorum, (etiam publicè factas) audiebat cõfessiones. Et in ea angustia dùm multi multa pro futura, & ad oculum euitanda, vel elonganda morte, inquirũt remedia, & in euentu summersionis ipsius nauis, instrumenta, & prouisiones parant, alij ligna, alij arborem, alij tabulas, aliique mercibus plenas euacuant, & exonerant arcas, Frater Antonius accepit in manibus suis lignum Crucis, in qua totus mundus saluus factus est. Et pro nauigantium spirituali salute, & ad eorum contritionem, & ædificationem, sui ipsius non oblitus, sic fari cœpit. Crux bona, Crux digna, lignum super omnia ligna; arbor decora, & fulgida, in qua noster fructus salutifer pependit; o tabula post naufragium, quæ ad tutum, & optatum gloriæ sempiternę ducis portum; o vera requies, in qua Saluator obdormiuit, & requieuit; o Arca Noæ, in qua à diluuio inundati, salui facti sumus; o vita in te morientium, esto in hoc naufragio nostrum refugium, in hac mœstitia solatium, in periculis saluatrix, in necessitatibus auxiliatrix, in hoc Mare gubernatrix. O gloria mea immò Christi gloria, & Saluatoris altitudo, lignum, in quo totus Christus fuit extensus. In te omnium nostrum sit nostra vera fiducia. Scala vitæ, quæ ducis ad cœlum, duc nos quò tendimus. Soror mea, amica mea, Sponsa mea per mare, & per terram, variasque Regiones numquam te dimisi, Dux mihi fuisti; Reges idolatras, & indomita Regna, ac ingentem Indorum cateruam ad agnitionem Domini tui venire fecisti, & quę alienas gentes vocasti, nos tuos fideles in te confidentes, ne deseras. Et deosculans Crucem sic dicebat; iste est locus, vbi steterunt pedes Domini, locus iste sanctus est; non me sine te demergat tempestas aquæ. Et vos socij mei, quid timidi estis? nonne omnes morimur, & tamquam aqua dilauimur? si pro nobis in hac Sancta Cruce mortuus est Dominus, & Magister noster, nos discipuli eius sua sequamur vestigia, & quæ docuit, opere compleamus. Vnusquisque vestrũ libenti animo, & corde puro parcat cõtinuò proximo suo: sic. n. nos docuit, dũ magister in hac pendebat Cathedra. Et vos similiter, si in aliquo verbo aut opere offendi, parcite quæso mihi. Has merces, & fallaces diuitias, in quibus spem collocastis, propter cœlestes Thesauros, qui neque sumergi, nec deficere possunt, parui pendite. Et denique cum iam omnes mergi cœpissent, altius protulit; ecce virga Moysi, transeamus Mare rubrum mundi huius in fide perfecta, vt peruenire valeamus ad gloriæ promissæ terram. Quibus, & aliis prolatis, nauis demersa est; & paucissimi incumbentes, aliquibusq; nauis instrumentis, quæ præparauerant super aquas innixi, salui facti sunt; quos sequenti die nauis præteriens à periculo liberauit; & hæc quæ scripsimus retulerunt. Hunc finem habuit ille sanctus, & famosus vir Frater Antonius Brabo. Cuius memoria in benedictione erit.



CAP.

A *CAP. XXVIII. Clemens Papa VII. Ordinem nostrum commendat, & fauoribus prosequitur; post cuius mortem Paulus III. Creatur. Magister Ordinis Safont Bullam concordiæ infringere frustrà conatur; qui Religiosissimè Barchinonæ obijt.*



B IN Ecclesia nostri Ordinis Ciuitatis Vallisoleti quædam est Capella sub inuocatione S. Ioannis Lateranensis, quæ gaudet, & potitur omnibus, & singulis gratijs, priuilegijs, & immunitatibus primariç, & Romanæ Ecclesiæ Lateranensis. Sub datum Calend. Iunij, huius anni 1530. 1530.

In eadem etiam Ecclesia nostra Vallisoleti, quædam est Capella sub inuocatione Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; quam visitantibus diebus eorumdem Sanctorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, & diebus Natiuitatis, & Assumptionis Virginis Mariæ, & die S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, Clemens Papa VII. in perpetuum concessit septem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ pro pœnitentijs sibi iniunctis. Sub datum Romç, apud S. Petrum, anno Domini 1530. quatuordecimo Calend. Nouembris, anno sui Pontificatus septimo. Sed idem 1530. Pontifex ad fauorem totius ordinis literas Apostolicas concessit in forma breuis de institutio-
C ne nostri ordinis mentionem facientes, quæ Religioni nostræ magnum afferunt decorem; & sunt tenoris sequentis.

Clemens Papa VII. Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Pium, & meritorium apud Deum, & suç Maiestati non modicum acceptabile non abigentes, dum ipsius memoriam Christicolis in ignominiam Christiani nominis in seruitute detentis, subuenitur; ad ea per quæ detenti ipsi ab huiusmodi seruitute liberentur, & fidelium animæ Domino lucri fiant, nostri Ministerij partes solertèr impartimur. Dudum siquidem postquam ordo Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ex ipsius gloriosissimæ Virginis reuelatione in Ciuitate Barchinonæ, & Festo S. Laurentij Martyris, anno Domini 1218. à clarè memoriæ Iacobo Aragonum Rege sub inuocatione eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, & opera, & dili-
D gentia fratrum ipsius Ordinis Christi fideles ab Infidelibus Capti, redimerentur, institutus; ac eidem Ordini, & illius fratribus pro tempore existentibus per ipsum Iacobum Regem plura priuilegia pro eleemosynis in suo Regno pro tàm pio opere quærendis; ac vt ipsi fratres arma sua Regia deferrent, prout deferunt, concessa fuerant; & ex tunc etiam diuersi Romani Pontifices Prædecessores nostri Ordini, & illius fratribus prædictis quamplura priuilegia concesserant. Et cum Christiani Captiui de manibus Infidelium sine pecunijs redimi non possint, vt Christi fideles ad porrigendum manus adiutrices, & pecunias pro tàm pia Captiuorum Redemptione erogandum, allicerentur, & inuitarentur, fęlicis recordationis Nicolaus IV. etiam Prædecessor noster, vt animabus defunctorum, qui in sinceritate fidei, & vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in sua, & Successorum suorum Romanorum Pontificum obedientia, contritioneque, & Confessione integra (si tempus confitendi da-
E tetur) ab hac luce migrassent, & pro quibus duo floreni auri Aragoniæ, vel pretium æquiualens ad opus Redemptionis Christi fidelium apud Infideles Captiuorum fratribus dicti Ordinis erogarētur, omnem pœnam, quam post eorum decessum pro suorum expiatione peccatorum pati deberent, per modum suffragij misericorditer in Domino relaxauerat. Ac piæ memoriç Sixtus IV. & Iulius II. Romani Pontifices, etiam Prædecessores nostri literas aliorum Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum (quatenus essent in vsu) approbauerant, & innouauerant. Ipseque Iulius Prędecessor potiori pro cautela, etiam ea omnia pro tempore existentibus Generali, & Fratribus dicti Ordinis de nouo concesserat, ac quòd Confessor Idoneus secularis, quem Confratres vtriusque sexus Confraternitatis eiusdem B. Mariç Canonicè institutæ pro tempore existentes, & eorum quilibet ducerent eligendū, (eorum Confessionibus diligenter auditis;) ab omnibus peccatis, etiam in casibus

bus Sedi Apostolicæ reseruatis, semel in vita, in alijs verò, etiam semel singulis annis ab- A
soluere, & pœnitentiam salutarem iniungere possit. Et tempore interdicti ordinaria au-
ctoritate appositi diuinis interesse, & eorum cadauera Ecclesiasticæ sepulturæ tradi: & Con-
fratres, videlicet vir, & vxor dictam Confraternitatem ingredi volentes, & tempore ingres-
sus triginta denarios, & inde singulis annis septem denarios erogantes; gauderent omnibus
priuilegijs; & illi, ac alij fideles eamdem Confraternitatem ingredientes, in eorum ingres-
su tres solidos cum dimidio soluentes, non tenerentur singulis annis ad dictam solutionem
septem denariorum, nec ad aliquam aliam solutionem ratione Confraternitatis huiusmodi
faciendam vlterius obligarentur, statuerat, & ordinauerat. Ac illis qui tempore, quo
Captiui Redempti per diuersa loca ad misericordiam Dei propagãdam sub eius Crucis vexil-
lo ducerentur, triginta denarios similes, ipsis Fratribus ducentibus, erogarent: triginta an-
nos, & totidem quadragenas misericorditer in Domino relaxauerat. Et quod Generalis, ac B
deputatus ab eo legata pro Redemptione Captiuorum huiusmodi facta exigere posset, con-
cesserat. Et deinde recolendæ memoriæ Leo Papa X. similiter Prædecessor noster omnia
literas, & priuilegia, per eosdem Prædecessores concessa, (quatenus essent in vsu,) etiam
approbauerat; ac voluerat, quòd dicta relaxatio pœnarum Purgatorij animabus defuncto-
rum, pro quibus dicti duo floreni Aragoniæ per dictum Nicolaum Prædecessorem concessa
eisdem animabus, aliàs iuxta ipsius Nicolai Prædecessoris literas calificatis, etiam singu-
lis defunctis, pro quibus vnum florenum similem ad dictæ Redemptionis opus erogare
contigeret, suffragaretur. Necnon Fratribus ordinis huiusmodi Indulgẽtias, stationũ almę
Vrbis cõcesserat. Ac quòd singuli vtriusque sexus Christi fideles in Ciuitatibus, & Diœce-
sibus, in quibus dicti Ordinis aliqua domus consisteret, (viro, & vxore, pro vna persona
computatis;) qui dicti Ordinis fratribus ad id pro tempore deputatis triginta denarios mo- C
netæ ibidem currentis, seu eorum valorem pro Redemptione huiusmodi erogarent: vltra
alias gratias, & indulta benefactoribus dicti Ordinis Apostolica auctoritate concessa, semel
in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum; de quibus ore con-
triti, & ore confessi forent: Indulgentiam, & remissionem consequerentur, indulxerat. Et
oblata pro huiusmodi Redemptione in arcam ad hoc deputatam, sub quatuor clauibus, apud
quatuor ex principalioribus ipsius Ordinis fratribus deponendis custodiam conseruari, & il-
lorum tertia pars in Generalis, & domorũ ordinis pauperum: & illorum, qui huius operis
ministri essent; reliquæ verò duæ partes in huiusmodi Captiuorum Redemptione conuer-
ti deberent, voluerat. Ac fratribus dicti Ordinis, & Commissarijs ab eis deputatis Indul-
gentias, & peccatorum remissiones, cæteraque priuilegia, & indulta ipsis, & alijs Chri-
sti fidelibus eorum pia suffragia, ac præmissa exhibentibus, pro tempore concessa: vbi,
quando, & quoties opportunum videretur, per se, vel alium, seu alios in Ecclesijs etiam D
solemniter publicandi, & publicari faciendi, licentiam concesserat. Ac locorum ordina-
rijs, ne Fratres dicti Ordinis, aut Commissarios, vel alios ab eis etiam ad prædicationis,
vel publicationis huiusmodi opus, pro tempore deputatos; aut eorum aliquem quoquomo-
do impedirent. Nec ratione literarum, quas ipsis pro publicatione huiusmodi in eorum
Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, seu districtibus commodiùs faciendis concedere sole-
bant, vltra quinque florenos pro se, Secretarijs, & alijs Ministris acciperent, præceperat.
Nos per quasdam sub plumbo omnia priuilegia, (quatenus essent in vsu,) ac immunitates,
exceptiones, & gratias; nec non post finitum annum Iubilæi tunc currentis, etiam Indul-
gentias Ordini, & fratribus huiusmodi concessa, & concessas auctoritate Apostolica appro-
bauimus, illaque omnia de nouo concessimus. Et, vt Christi fideles ipsi indulgentias præ-
dictas consequi, & relaxationem pœnarum Purgatorij per Nicolaum Prædecessorem ani- E
mabus defunctorum concessas huiusmodi procurare faciliùs valerent: voluimus indulgen-
tiam, & relaxationem huiusmodi, tàm viuentibus, quàm singulorum defunctorum præ-
dictorum, pro quibus singulis tres solidos monetę Regni Aragonię, seu ęquiualentem sum-
mam in alia moneta in partibus illis cursum habente ad dictę Redemptionis opus erogari
contigerit: post finitum annum Iubilei; ac per alias nostras in forma breuis literas, quòd
publicatio Indulgentiarum, & aliorum pręmissorum, etiam in locis, in quibus nulla do-
mus dicti Ordinis existeret: fieri posset, concessimus.

Cum autem nuper ad multiplices querelas, quę ex varijs Regionibus contra quęstas fa-
cientes, qui ad extorquendum pecunias, Indulgentias, & alia dona spiritualia, quę per
nos, iuxta facultates eis concessas, concedi non poterant, concedebant, offerebantur. Nos

priui-

A priuilegia per Prædecessores nostros concessa, & per nos approbata, ac literas nostras super illis expeditas, per alias nostras literas sub plumbo, ad beneplacitum nostrum suspenderimus. Nec non eisdem quæstoribus, ac illis, qui ad quæstas huiusmodi faciendas fuerint deputati sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ne de cætero quæstas facere præsumerent inhibuerimus, omniaque, & singula, quæ eos contra inhibitionem nostram huiusmodi gesta, vel facta forent irrita, & inania decreuerimus. Nec non venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs in virtute sanctæ obedientiæ, & suspensionis a diuinis mandauerimus, quatenus easdem qęustas de cętero in Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac alijs locis iurisdictionis eorum sequestrari, & quęstas, ac alia in dictis nostris literis & priuilegijs Prędecessorũ huiusmodi concessa facere nullatenus permitterent. Nec pecunias per eos collectas sequestrari facerent, & in sequestro tenerent donec aliud à nobis in mandatis haberent, prout in singulis literis prædictis plenius contine-
B tur. Et sicut accepimus propter suspensionem, inhibitionem, decretum, & mandatum nostra huiusmodi Christi fideles à pijs suffragijs, quę dicto Ordini, pro redimendis Christi fidelibus in manibus Turcarum, & infidelium detentis erogabant, si suspensio, inhibitio, decretum, & mandatum nostra huiusmodi obstare viderentur: erogantes retraherentur, & tàm pium ipsorum fidelium Captiuorum opus, (cui ab omnibus fauor est præstandus) impediretur.

Nos attendentes suspensionem, inhibitionem, decretum, mandatum; & posteriores literas huiusmodi, non culpa fratrum dicti Ordinis, sed aliorum, qui causam huiusmodi querelis dederunt, & quòd si ablationes à sponte dantibus porrigantur, & contenta in dictis nostris literis seruentur, ac priuilegiorum, & indulgentiarum eidem Ordini Redemptionis
C Captiuorum concessorum prædicatio, & publicatio per fratres professores eiusdem Ordinis, & non per Commissarios, qui dicti Ordinis professores non existant, fiant: nullum scandalum generatur, ac propterea ne huiusmodi pium opus intermittatur obiare, ac singularum literarum prædictarum tenores pro expressis haberi volentes: suspensionem, inhibitionem, decretum, & mandatum, ac posteriores literas nostras huiusmodi, quoad Fratres Ordinis Redemptionis Captiuorum: dummodò ipsi fratres contenta in dictis literis nostris per se ipsos eiusdem Ordinis Professores, & non per Commissarios, & alios ipsius Ordinis non professos, seu alios Ordinum Mendicantium professores bonæ famæ prædicent, & in Ecclesiis publicent: auctoritate Apostolica tenore pręsentium reuocamus. Nec non eleemosynas, quæ collectæ, & forsan iuxta tenorem posteriorem literarum nostrarum sequestratæ fuerint, ac etiam, quæ colligendæ erunt, & in huiusmodi Captiuorum Redemptionem conuerti debent, auctoritate, & tenore prædictis relaxamus. Mandantes dilectis filijs Ab-
D bati secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ oppidi Vallisoleti Palentiñ. Diœcesis, & venerabilium Fratrum Archiepiscopi Cussentiñ., & Episcopi Barchinoneñ in spiritualibus Vicarijs Generalibus; quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios prædictas literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte existentis Generalis, & Fratrum Ordinis Redemptionis Captiuorum huiusmodi desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta huiusmodi firmitèr obseruari, non permittentes eos desuper per prædictos locorum ordinarios, seu quoscumque alios quomodolibet impediri, seu molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, quacumque appellatione postposita compescendo: non obstantibus suspensione, inhibitione, decreto, mandato, & posterioribus literis nostris prædictis, ac alijs constitu-
E tionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscumque; aut si eisdem ordinarijs, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Decernentes eorumdem præsentium transsumptis manu Notarij Publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra adhibendam fore, quę ipsis pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romę, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 21. Octobris 1530. Pontificatus nostri anno 7. A. Colassius. 1530.

Cum Magister Ordinis Fr. Benedictus Safont attenderet, & consideraret fructus vberrimos, ac mirabilia magna, quæ per fratres nostros Prouinciæ Castellę in nouo Orbe fiebant;

& quomodo hęc Prouincia, vsque ad illas partes, erat iam extensa, & propagata; tantæ A
prosperitati inuidebat; & ex secundis rebus Prouinciæ Castellæ dolore afficiebatur magno. Quidam enim Frater Cordubensis de licentia sui Prouincialis, pro grauibus negotijs Romam petens, cùm Barchinonæ Hospitio acciperetur, licentiam Generali Magistro ostendere eum oportuit; in qua Prouincialis hoc vtebatur titulo. Frater Alphonsus Zurita in Sacra Theologia Magister, Prouincialis Castellæ, Lusitaniæ, Granatæ, Insularumque maris Oceani, &c. Quo Magister turbatus est vehementer; & ex illa hora bullam concordiæ, quam à Sede Apostolica Castella in sui fauorem obtinuerat; infringere conatus est. Vbi id in Romanam Curiam specialem Procuratorem destinauit, qui Summo Pontifici significaret, eam bullam non concordiæ sed discordiæ, quæ in Religione diuisionem efficiebat, appellari debere; sicque fore reuocandam, & vt nociuam, irritádam; vt vniuersus, & vnus ordo, vnum solum Pastorem agnosceret. Sed nihil obtinere valuit Procuratore Generali pro B
1531. Prouincia Castellæ contradicente. Immo hoc anno 1531. die 21. Aprilis concordiam approbauit Summus Pontifex, & sempiternum silentium partibus apposuit; licet huiusmodi approbationis bulla postea fuerit expedita.

Frater Dominicus Aluarado, & Frater Michael Heredia pro Prouincia Castellæ Redem-
1532. ptores redemerunt hoc anno 1532. ex Regno Fessi, & Portu de Tetuan 139. Captiuos Chri-
Liberati 139 stianos, quos Ispalim duxerunt; vbi charitatiuè recreati, & vestibus nouis induti fuerunt. Nam (vt omnibus nationibus notum est) eius Ciuitatis coloni, & ciues erga aduenas, & peregrinos omne charitatis genus impendere solent. Et sic fœlices se reputabant, quòd ad suam ciuitatem Redemptores cum Captiuis liberatis peruenirent. Facta solemni processione, non permiserunt Ispalenses Ciues, quod ad Monasterium nostri Redemptores Captiuos Christianos ducerent, sed vnusquisque in via ad suam propriam domum aliquem Captiuum trahebat; quod similiter nobiles fœminæ fecerunt ad domos suas Captiuas fœminas C introducentes. Et post tres dies omnes vtriusque sexus Captiui nouis, & honestis vestibus superinduti comparuerunt, inter se dona, subuculas, mantilia, & pecunias conferentes, quæ à suis benignis hospitibus, (vt commodius ad propria reuerti possent) receperant.

Floruit per hæc tempora Religionis zelus Reuerendi Patris Fratris Andreæ de Hermosilla in Sacra Theologia Magistri, in partibus Italiæ Vicarij Generalis, qui in primis prudenter satis, & suauiter, ac sine strepitu, sed deinde viriliter, non sine magno labore, & vitæ proprię discrimine nonnullos fratres Hispanos, qui ab obedientiæ iugo deuiauerant per Italiam vagantes ad Religionis Ouile perduxit. In quo munere obeundo non parùm illi affuit Frater Ludouicus de Neruaes eiusdem Vicarij Generalis in Neapolitano Regno Commissarius.

Procurante, & instante pro Prouincia Castellæ Generali in Romana Curia Procuratore D Sanctissimus Clemens Papa VII. ad lites, & controuersias de medio tolendas, ab statu Religionis valde alienas declarauit Regna Castellæ, Lusitaniæ, Granatæ, Continentis, Insularumque Maris Oceani pertinere debere immediatè ad Magistrum Fratrem Alphonsum Zurita Prouincialem, & ad eius in Prouincialatu Successores. Sub datum Romæ, die 19. Iunij 1532.

1532. Multis laudibus dignus est præfatus Castellæ Prouincialis Fr. Alphonsus Zurita, cui noster vniuersus Ordo non parum se debere agnoscit. Sanctimonia in eo resplenduit, literis, & virtutibus refulsit, quibus Religionem illustrauit. Omnia Monasteria intra Hispaniæ limites consistentia suæ curę demandata, personaliter visitauit, atque reformauit, & sanctis constitutionibus, & ordinationibus muniuit. Et cum esset Ordinis mirificus zelator sua industria, diligentia, & labore constitutiones Ordinis in lucem edere voluit in villa Vallisoleti E
1533. decimo Calen. Nouembris 1533. per Nicolaum Tierry.

Obijt in Palatio Vaticano Clemens Papa VII septimo Calen. Octobris huius anni 1534.
1534. cum sedisset annos decem, menses decem, & dies septem. Et cum vacaret Romana Sedes dies 17. in Papatu successit Cardinalis Farnesius, qui Paulus eius nominis tertius appellari voluit.

Hoc eodem anno Frater Dionysius Semorensis natione Gallus, in S. Theologia meritissimus Magister, & Frater Matthæus Roca in Decretis Licentiatus à Magistro Ordinis pro Monasterijs, & Prouinciis suæ iurisdictionis Redemptores deputati ex Algariæ ciuitate, & Africæ partibus centum, & nouem Captiuos Christianos redemerunt, eosque incolumes Tarraconam duxerunt.

Reue-

A Reuerendissimus Ordinis Magister Frater Benedictus Safont, Patria Gothola-us Barchinonensis, in Sacra Theologia Magister, Patrem habuit illum famosissimum Medicum, vulgariter appellatum Doctorem Safont, qui in arte medendi primas inter omnes sui temporis Medicos iure optimo habuit, & in toto Cathaloniæ Principatu Princeps in Medicina reputabatur; in lucemque illum edidisse ferunt aromatum librum in magno pretio habitum. Sed maiorem laudem eius, talem ac tantum habuisse filium, qui ob sua merita ad totius ordinis magistratum in patria sua ascenderit, omnes non immerito iudicabant. Gentilia huius Magistri erant, fons viuus, incessanter aqua manans. Monasteria sibi subiecta amplificare, & augere semper studuit, & suæ iurisdictionis fuit semper acerrimus defensor, & ob id cum Castella (vt diximus) magnas controuersias habuit. Insignis in Sacra Theologia fuit Magister, & in Philosophia clarus, sermone, & verbis suis valde disertus, B & colloquio placidus. Nullum præcipiendo fastidiuit, neque loquendo in minimo læsit, aut offendit, sed omnibus gratus extitit. Sed cum sicut Domino placuit, moriendi, & ex hac mortali vita decedendi instaret tempus, in grauem incidit morbum. Tunc Monasterij Barchinonæ Patres, qui mirificè eum diligebant, eiusque cognati, peritiores, qui in ea ciuitate reperiri possent Medicos aduocarunt, vt Magistrum infirmum, & cognatum ægrotum à mortis timore terrerent, spemque vitæ indicarent, ac morbum non esse læthalem affirmarent; vt fecerunt, & hilari fronte suauibusque verbis post breue tempus ad pristinam eum sanitatem rediturum, duxerunt. Ipse vero tutiùs agendo nullam Medicorum voluit fidem adhibere verbis. Immo Fratre Petro Sorel Barchinonæ Priori qui aderat, sic locutus est; sentio pater mi dissolutionis meæ iam appropinquare horam; tuum igitur Ministerium citò adimple. Patienter igitur propter amorem Dei audi me. Tunc animo contrito, & corde C humiliato sua Priori aperuit peccata; & Sacramentali absolutione percepta reliqua Ecclesiæ Sacramenta instanter petijt, & deuotissimè suscepit. Et deinde integris sensibus ad imaginem Crucifixi conuersus clara, & intelligibili voce, sic qui aderant fuisse locutum ferunt. Te Domine salutis meæ, & animæ meæ grauiter, & multipliciter offendi cogitatione, delectatione, omissione, commissione, verbo, & opere. Feci contra sanctæ legis tuæ mandata. Mei corporis sensibus multum erraui. Te cœli, & terræ Creatorem, Redemptorem meum, immensum, & infinitum meis infinitis criminibus, quantum in me fuit infinitè offendi. Sed bonus es tu, & potens es meam infinitam dimittere culpam. Audi me, & super me tuam misericordiam multiplica. Ne auertas quæso faciem tuam à clamore meo, qui clamantes non despicis, & propter pœnitentiam, peccata dissimulare soles. Magnam fateor esse meam miseriam, sed maiorem credo esse tuam misericordiam, in qua confido, quod me Saluaturus es. Accepta ergo Domine in loco pœnitentiæ has angustias, & graues D cruciatus amaritudine plenos, quibus vexari incipio. Et vos charissimi Patres vestris orationibus adiuuate me, ne inimici nostri, qui in similibus angustijs fortiores esse solent, præualeant aduersus me. His, & alijs religiosè dictis reddidit spiritū suū Creatori; & die sequenti sub Altari maiori ad latus sui Prædecessoris Generalis Magistri Vrgel Religiosissima pompa in proprio, & speciali tumulo sepultus est. Suo tempore de manu Sarracenorum per manus Redemptorum nostri Ordinis liberati sunt 542. Christi fideles. 1535. *Liberati 542*

CAP. XXIX. *In Magistrum Ordinis eligitur Fr. Petrus Sorel. Plurimi fratres nostri, qui in Hispania, & in nouo orbe egregia facinora operantur, laudantur. Et Magister Ordinis obijt.*

E POST mortem Generalis Magistri Safont, Barchinonæ Prior Frater Petrus Sorel, pro futura Magistri electione in Barchinonensi Cœnobio facienda, electores in similibus actibus suffragia dantes conuocari, & citari fecit. Qui Prioris vtpotè (Magistratu vacante) Vicarij Generalis iussis parentes, & Barchinonæ Capitulariter congregati, post Missam de Spiritu sancto ab eodem Priore solemniter decantatam in Magistrum totius Ordinis eundem Priorem Fratrem Petrum Sorel elegerūt; qui suæ electionis confirmationem à Romano Pontefice obtinuit; & similiter in forma communi, & consueta omnium priuilegiorum, & gratiarum Ordinis Confirmationem. Cuius Confirmationis Bullæ tenor talis est. 1535.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Generali Magistro, & fratribus A
Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per solicitudinē Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates à fęlicis recordationis Nicolao IV. Bonifacio VIII. Alexandro IV. Clemente VI. Gregorio XI. Martino V. Eugenio IV. Calixto III. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. & alijs Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, siue per priuilegia, vel alia indulta vobis, & Ordini vestro concessa; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus vobis, & dicto Ordini, illiu'que benefactoribus, & Confratribus in communi rationabiliter indultas, sicuti omnia iuste, & paci- B
ficè possidetis, vobis, & per vos eidem Ordini, & Confratribus, ac Benefactoribus auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ,
1535. apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1535. duodecimo Calend. Septembris. Pontificatus nostri anno primo.

Per hæc tempora in eodem Regno Pyru, strenuè se gesserunt plurimi nostri fratres ex Castella, & Bæthica: quorum memoria, fama, Sanctitatis odor, & mirabilia, quæ in nouo Orbe operati sunt, vsque in præsentem diem in cordibus Incolarum recentissimè viget. Quorum aliquos præfatus Dominus Tapia à me sæpè citatus per hæc verba commendat.

In Prouincijs etiam Piru, strenuè se gesserunt inter alios, qui Sanctitate, & prædicationis C
fama claruerunt Fr. Ioannes Vargas, Fr. Franciscus Cueuas, Fr. Franciscus Bobadilla, Fr. Stephanus à Castañeda, Fr. Michael de Orenes, & alij multi, quorum meritis, & exemplis, atque Doctrinis plurimi sunt ad fidem conuersi, atque firmati. Et in Prouincia Chilę, in cuius expugnatione plurimùm laborauerunt nostri milites, multumque insudarunt huius Ordinis Patres, vt testatur D. Alphonsus Harzilla in sua Araucana in Cantu 13. Octaua 31. primæ partis. Et demùm, vt Sanctissimi viri laude sermonem claudam in India, & præsertim in Prouincia del Cusco omni virtutum genere ornatissimus, trium votorum custos diligens, & animarum conuersione desiderio flagrans nimium elucet, vt Sol inter Stellas Beatus Didacus Martinez, quem sanctum (dum adhuc viueret) nominabant; qui inter innumeros, quos Christo acquisiuit, & quæ per illum Dominus est operatus, Regem eius Prouincię idolatram, dolentem de vxoris ægritudine ad fidem conuertit, ob sanitatem illi restitutam. Hucusque Carolus Papia verbo Monasteria cap. 37. Hunc sanctum virum miracu- D
1536. lis claruisse, & hoc anno 1536. obijsse nonnulli affirmant.

In eisdem etiam partibus noui Orbis floruit Frater Sebastianus de Truxillo, de quo breuem mentionem facit Petrus Sigura de Leon, in Historia generali noui Orbis. Fuit morum, & vitæ honestate clarus, insigniter eruditus, Theologus celebris, & in iure Canonico non parùm versatus; ac Marchionis Francisci Pizzarro Confessarius. Qui dum vixit semper Marchionem admonuit, vt in omnibus actibus, & motibus suis Dei timorem ante oculos haberet; Imperatori Domino suo fidelitatem seruaret, & Religionum incrementum, & propagationem suis viribus procuraret, ac salutis monita, quæ à Fratre Francisco de Bobadilla Prouinciale audierat, memoria retineret, ac semper ante oculos haberet. Pizzarrus igitur cognita sui Confessarij sana, & bona mente libenter audiebat eum, eoque instante, & admonente plurima bona (dùm regimen tenuit) operatus est. Ingentes E
diuitias, quarum non est numerus per manus Fratris Sebastiani sui Confessarij in pijs operibus, & in extruendis fundandisque Ecclesijs ingenua manu erogauit, & distribuit, præsertim in fundandis Religionum Monasterijs, minimè Religionis nostræ (quam in visceribus habebat) oblitus. Vnde in nouo Orbe fundata de nouo aliqua ciuitate, continuò nostri Ordinis recordabatur, vt præallegatæ historiæ referunt.

Cum in Cæsaraugustana Diœcesi Nuntij, & Commissarij Redemptionis destinati non benigne a Rectoribus reciperentur, sed impedirentur, ex quo operi Redemptionis magnum inferebatur damnum; Generalis Magister Sorel Cæsaraugustam adiuit, ac Illustrissimum D. Federicum de Portugal Archiepiscopum inuisit, eumque exorauit, quatenus nostrum

institu-

A institutum commendatum haberet, ac Redemptionis operi fauere dignaretur, ordinando, & præcipiendo Ecclesiarum Rectoribus, ne bullarum nostrarum publicationem impedirent, sed Nuntios Redemptionis benignè reciperent. Quod benignus Archiepiscopus libentèr fecit, ordinando suo Generali Vicario Francisco Aguirre in decretis Doctori, vt iustis atque honestis Generalis Magistri supplicationibus continuò acquiesceret, præciperetque sub grauibus pœnis Ecclesiarum Rectoribus, & alijs in spiritualibus locorum Superioribus, ne tam sanctum, & pium opus retardarent, sed adiuuarent; & ad hunc effectum, (vt omnis dubitationis scrupulus, & dilationis occasio de medio toleretur) suum decretu, & auctoritatem in forma vidimus adhiberet transsumptis Bullarũ Gregorij XI. Martini V. Eugenij IV. Calixti III. Sixti IV. Innocentij VIII. & aliorum Summorum Pontificum, à Generali Magistro ostensis, & porrectis. Quod præfatus Generalis Vicarius executioni
B demandauit. Sub datum Cæsaraguslæ 2. Nouembris 1536. 1536.

Redemptores pro Prouincijs Generali Magistro subiectis (quorum Ducem, atque Seniorem Fratrem Ioannem de Ioanne in Sacra Theologia Magistrum, natione Gallum, ex Ciuitate Narbona, eiusque Monasterij filium, nonnulli nostri Ordinis scriptores collocant) 1537.
redemerunt hoc anno 1537. ex Ciuitate Algariæ, & ex alijs Africæ partibus 330. Christi fideles. *Liberati 330*

Floruit per hæc tempora Fr. Ferdinandus de Victoria, ex Prouincia Castellæ, qui principaliores eius commendas, ac domos laudabilitèr rexit; vir certè laudatissimus, & vndequaque doctissimus, insignis Theologus, in arte oratoria nemini secundus, sed in prædicationis munere omnium Concionatorum hac tempestate facilè Princeps.

Marchio Franciscus Pizzarro fundauit hoc anno 1538. die 9. Ianuarij ciuitatem vulgari- 1538.
C tèr appellatam Guamangam, & statim suo Confessario Fratri Sebastiano de Truxillo assignauit in ea optimum situm, & locum, in quo (vt præfati auctores externi referunt) extrui fecit illud celebre Monasterium, quod in Prouincia del Cusco secundum obtinet locum.

Hoc eodem anno 1539 Frater Garsias de Meneses, vir valde pius, pro Castellæ Prouin- 1539.
cia Redemptor ex Regno Fessi, & ex Portu Tetuan. 89. Christi fideles redemisse fertur. *Liberati 89.*

Nostrum Ordinem, suamque nationem plurimùm illustrauit vir ille numquam satis laudatus, Frater Dominicus Sancti Ioannis de Pedeportus, natione Gallus, insignis Doctor Parisiensis, disputator acutissimus, valdeque ingeniosus, singulari, & exquisita eruditione insignitus. Tantus erat huius famosi viri eruditionis suæ per orbem rumor diffusus, tantoque Auditorum, atque discipulorum fructu, & profectu, vltra quàm credi potest, in
D Parisiensi vniuersitate pro rostris legebat, & docebat, vt Salmanticensis Schola inuida effecta, atque ex Parisiensis Vniuersitatis fœlicitate summo affecta dolore, totum animum intenderit. vt ad se, eum (nullis parcendo expensis) citissimè traheret. Quod, vt ad optatum, & desideratum deueniret portum, Salmanticensis Schola (matura prius præcedente deliberatione, & consilio) D Honcala vnum ex Doctoribus, quem in rebus arduis magnique momenti negotijs accuratum, & solertem agnouerat, ad Lutetię ciuitatem, vbi noster frater magno plausu legebat, transmittere decreuerit. Hic igitur Doctor Honcala, vt prudẽtèr incederet, & maiores, quæ se in hac re possent offerri difficultates, de medio tollerentur, accessit ad Magistrum Generalem Fratrem Iacobum Laurentium, suumque animum, & vniuersitatis Salmanticensis desiderium, patefecit; rogans eum, vt suis gratiosis, & efficacibus literis tantorum Doctorum votis, & postulationibus annuere dignaretur. Cui Magister Ordinis respondit, Magistrum Fratrem Dominicum Sancti Ioannis in vniuersi-
E tate Parisiensi actualitèr docentem rogare (vt iussis vestris acquiescat) benè possum, compellere, verò aut cogere non valeo; eo quod Francisco Gallorum Regi Christianissimo paucis ab hinc diebus magna est (nescio quo iure) super Sacerdotes, & Religiosas personas potestas attributa. Sed ne Doctorem Honcala de longinquo venientem, tristem aut in mœstũ, missum facere videretur, scripsit de anno Domini 1537. præfato Magistro Fratri Dominico, vt si opus gratum sibi facere vellet, Vniuersitati Salmanticensi, ac tantorum Doctorum Cœtui, auidissimè suum aduentum exoptantium, satisfacere non tardaret. His, & alijs opportunis medijs, ita faciliter suum munus Doctor Honcala expleuit, vt post paucos dies nostrum Fratrem secum Salmanticam honorificentissimè duxerit. Vbi per plures annos Cathedram quam proprietariam appellant, rexit; & eiusdem Scholę gubernationem, & Scholastriæ regimen diù laudabilitèr tenuit. Plures famosissimos, qui totam Hispaniam, & alias mundi

mundi partes illustrarunt, habuit discipulos, qui se ab eo doctrinam sanam, & bonam susce- A pisse, & didicisse, semper, & vbique fatebantur. Inter quos honoris gratia nominare volo Doctissimum Magistrum Mantium, primariæ Sacræ Theologiæ Cathedræ regentem, qui cum alijs competitoribus, & oppositoribus pro obtinenda Cathedra decertans, ad informationem, & suæ iustitiæ ostensionem deueniens, vt vocem habentibus, & suis Auditoribus se esse benemeritum, & dignum ostenderet, ac competitorum, & aduersariorum suorum vires infirmaret, sic fari solebat; mea doctrina non est mea, sed Magistri mei Fratris Dominici Sancti Ioannis, cuius me fuisse discipulum, meritò iacto, ac condecoro. Et non inaniter hæc Magister Mantio allegabat; sciebat enim quàm mirè, & reuerenter memoria tanti viri ab omnibus colebatur; qui dùm vixit fuit supra modùm omnibus charus. Scripsit (vt ait Magister Zumel, qui eum valde commendat) super Aristotelis Logicam, & Philosophiam magna cum ingenij dexteritate. Vir fuit valde quietus, mitis, & pacificus, B plurimis animæ corporisque dotibus ornatus, ac sanctimonia relucens. Nullus in eo vnquam motum aliquem reprehensione dignum, sed quem omnes laudarent, inuenire potuit. Et denique cum piè, & doctè per annos viginti tres Salmanticæ moram trahendo Scholam illam illustrasset, inculpatèque vixisset, vocatus a Domino obijt hoc anno 1540.
1540. magno honore in nostro Collegio veræ Crucis sepultus, toto illo insigni Doctorũ Gymnasio ob vitæ eius sanctitatem, & doctrinæ præstantiam collacrymante.

Floruit per hæc tempora Fr. Martinus de Robledo nobili, & Illustri genere natus, consanguineus, & Confessarius Domini Georgij de Robledo strenuissimi Ducis, qui in Regno del Pyru nouam Antiochæ fundauit Ciuitatem, & qui primam hoc anno
1541. 1541. in ea solemniter decantauit Missam, & concionem ad populum habuit, fuit noster Frater Martinus de Robledo declamator egregius, in diuinis scripturis eruditus, qui suis C Prædicationibus plures Indos ad fidei veritatem conuertit. De quo mentionem facit Petrus Segura de Leon in Chronica Magni Regni del Pyru, eumque fuisse Monasterij nostri Ordinis Ciuitatis de Truxillo in nouo Orbe fundatorem expresse testatur.

In eisdem etiam partibus, & Prouincia Sanctæ Barbaræ de Tucuman Paraguay, & fluminis Argenti nostri Fratres Mercenarij strenuissimè in Indorum conuersione decertarunt, & plurima Monasteria, & doctrinas (quas vocant) pro Sacramentorum administratione, & diuini cultus ministerio primitùs ædificarunt, & fundarunt; præsertim in Ciuitate Ascensionis, quæ est eius gubernationis Caput, in eaque Regius Magistratus residere solet. Nostri igitur fratres (vt historiæ testantur) fuerunt primi, qui in ea Ciuitate Ascensionis semen diuinum, quod est Verbum Dei disseminauerunt, & vberrimos collegerunt fructus. Et, vt commodius Indorum saluti incumbere valerent, Cœnobium ibi extruxerunt, in quo Gubernatores à Catholico Rege missi, & Ciuitatis Consules, ac Deputati suas D Congregationes pro re graui, magnoque momenti negotio celebrare solent; quibus Comitijs, seu Congregationibus nostri Conuentus Commendator, seu Superior interesse, & suam sententiam dicere fertur; vt inter alios refert Ferdinandus de Ribera in informatione, & autenticis scripturis ad fauorem Gubernatoris eius Prouinciæ Regi nostro, eiusque Regali Consilio præsentatis, & ostensis. Et inter plures, qui in eo nostro Monasterio resplenduerunt, à multis mirificè laudatur Frater Ioannes de Salazar insignis verbi Dei declamator, qui suis egregijs operibus, vitæ honestate, & Christianę Religionis zelo illustratus, mirabilia magna inter Barbaros, & Idolatras gentes operatus est. Ex Castellæ Prouincia originem traxit, in qua parùm profuit, sed (vt solet) ad nouum Orbem translatus, charus omnibus, & in magno apud Proceres, & Gubernatores pretio habebatur, cuius ipsi in rebus serijs sano consilio vtebantur. Timore enim, amore, aut quocumque alio humano E temporalique respectu depositis æqua lance incedebat, & monita salutis dabat eis. Nobilissimos Indos (quos vulgus sequi solet) suis concionibus, & admonitionibus ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ouile, vt bonus Pastor traxit, & suis proprijs manibus baptismali vnda lauit. Inter quos memoratur quidam Idolatra ingentibus diuitijs affluens, multorum subditorum Dominus, ex nobilissimo Cupiratarum genere descendens, quem Frater Ioannes de Salazar non solum ex Infideli fidelem, & ex Idolatra, cultorem Christi, ac Catholicum effecit, sed adeò ad Cæsareæ, & Catholicæ Maiestatis amorem excitauit, vt Indus iste, qui (in gratiam sui Magistri, & reductoris) Don Ioannes de Salazar Cupirati dicebatur, fuerit primus, qui ante omnes animo intrepido Cæsareæ Maiestati, & suo nomine Gubernatori eius Prouinciæ deseruire voluerit, quem vulgus, & reliqui Indi secuti fuerunt. Vt in suis

Ferdinandus de Ribera.

A in suis Commentarijs refert Aluarus Nuñez Cabeza de Vaca, cap. 37. *Aluarus Nuñez.*

In nouo etiam Orbe valde emicuit Frater Ioannes de Vlloa, in Prouincia Castellæ natus, eloquio compositus, vita, & conuersatione Sanctus, & modestus, Prędicator excellentissimus, quem nostri Hispani milites magni æstimabant, & coram ipso, nec verbo, nec lingua Deum offendere audebant, quia eos acriter arguebat. Nonnulla Monasteria Prouinciæ Limæ in nouo Regno Pyru prudenter rexit. Quem præfatus Petrus de Leon in sua preallegata Chronica anno 1533. Monasterij Ciuitatis de Truxillo fuisse fundatorem affirmat. Sed post nouem annos in Dei timore, & in bonis, & laudabilibus operibus consumptos in eodem Monasterio obijsse nonnulli affirmant. 1542.

Frater Gabriel de Andrada, & Frater Isidorus de Seuilla, pro Prouincia Castellę Redemptores ex portu de Tetuan, hoc anno 1543. centum, & viginti sex Christianos Captiuos liberarunt, quos in Bæthicam incolumes duxerunt. 1543. *Liberati 126*

B In eisdem noui Orbis partibus multum commendatur Fr. Martinus de Victoria, ex Prouincia Castellæ oriundus, vir Religiosissimus, simulque ingeniosissimus linguarum dono illustratus, in munere concionandi celebris, & facundus. In Ciuitate del Quito, quæ est in Regno Pyru linguam eius Regionis publicè diuersorum Ordinum Religiosos Hispanos ingeniosè docuit, vt eam alios possent docere. Et similiter domi suę degens, antequam in ea ciuitate Monasterium haberemus, nonnullos nobiles Indos, & eorum filios noua arte in lingua Castellana, & Religione Christiana, summa charitate instruxit. De hoc Religioso viro breuem mentionem facit in sua Chronica præfatus Petrus de Segura, cumque affirmat nostri Monasterij ciuitatis Quiti fuisse fundatorem. In quo Monasterio plurimi modò nostri Ordinis fratres religiosam, & exemplarem vitam degunt.

C Floruit hac tempestate sapientissimus Magister Fr. Arsitius Gregorius, vel (vt alij volunt) Gregorius Accisso, Hispanus, patria Valentinus, quem hac ætate nullus superauit, & pauci pares, aut æquales inuenti sunt ei. Logicam, Philosophiam, ac Theologiam per plures annos docendo, plurimum profecit. Fuit ingenio acutus, scientia profundus, & in omni liberali arte valde versatus, & famosissimus extitit concionator. Medicus fuit insignis, & famosus, & in ea medendi arte per plures annos exercitatus; nam ad supplicationem Principum, & magnatum Sedes Apostolica ei facultatem concessit, vt absq; conscientiæ scrupulo eam facultatem exercere valeret. Grauissimis infirmitatibus oppressos, & ab alijs famosis Medicis derelictos ad sanitatem restituit. Vnde cum ob caussam Granatam vocatus, peruenit, & Marchionem delos Veles læthali morbo laborantem à peritissimis Medicis derelictum inuisit; ac coram plurimis Medicis ciuitatis, & externis, qui aderant, ęgrotantem interrogauit, & sufficienter de morbi caussa edoctus, sciretque à ministris, quæ D huiusmodi ægritudini Medicorum iussu fuerant applicata medicamenta; euidenter ostendit, non ad sanitatem, sed ad morbi incrementum, & augmentum, apposita remedia plurimùm conduxisse. Ob id nouis ab eo propinatis medicaminibus, breui ad pristinam, cum omnium admiratione, restitutus est sanitatem. Hęc, & alia Fratris Gregorij Accisso egregia facinora, clarissimè gesta, & plurima opera in lucem edita totam Hispaniam celebri rumore illustrarunt; & omnes Scholæ, & Vniuersitates eum ad se quomodocumque trahere nitebantur; sed Salmanticensis auctoritas vicit, quæ maiori stipendio, ac præmijs, amplioribusque promissis illum ad se adducere potuit. Cui in suo iucundo aduentu Cathedram principalem sine oppositione obtulit, eamque noster Magister cum sua laude, Religionis decore, ac magno discipulorum profectu per aliquot annos tenuit. Deinde aliam Cathedram altiorem, & proprietariam (quam vocant) obtinuit, in cuius oppositione E contra doctissimos viros, & famosos competitores victor euasit. Cuius fama vsque in præsentem diem perseuerat; eamq; nulla vnquam delebit obliuio. De quo etiam agit Magister Zumel in vita huius Magistri.

1544.

Dum Magister Fr. Gregorius Accisso suę doctrinæ præstantia Salmanticensem Scholam illustrat, alter frater noster Fr. Petrus Lopez de Cardenas Curias Regias sui ingenij subtilitate, eloquij promptitudine, ac concionandi munere stupore, & admiratione replet. Secularium literarum non fuit ignarus, in historiarum scribendi genere valde versatus, in S. Theologia solemnis Doctor; sed in concionando nullus omnium sententia fuit eo lepidior ac iucundior; ita, vt Reges, Principes, & populi alijs Prædicatoribus famosis, & perdoctis omissis Magistrum Cardenas omnes sequerentur. Cuius conceptus, sententias, & dicta sale condita, cum concionibus manu scriptus circumferebantur, & celebrabantur, ac in 1545.

magno

magno pretio habebantur. De hoc excellentissimo Concionatore agit similiter Magister A
Zumel, & alij scriptores.

1546. Hoc anno 1546. Reuerendus, & venerabilis Pater Fr. Ioannes Paulus de Vultagio Monasterij Panormitani Prior, & Frater Ioannes Segura Redemptores, pro sui muneris debito debitè explendo, in Africam profecti, ingentes perpessi sunt labores, mortisque euidentia discrimina; Mauri enim valde indignati contra Regem nostrum Carolum eiusque filiũ Philippum, Redemptores fratres carceribus mancipauerant, & per vnum mensem cum nemine loqui iusserant. Sed superueniente nouo Regulo suauiùs, & mitiùs cum fratribus nostris actum est. Namà carceribus liberati pecunias, & Redemptionis bona recuperarunt, eisque 88. Christi fideles redemerunt; quos in ciuitatem Drepani duxerunt, & deinde solemniter, & processionaliter Panormum asportarunt. Vbi Ciues, qui charitate, & pietate resplendent, gratias Deo agentes, & eleemosynas larga manu Ductoribus porrigentes, eos B summis laudibus commendabant.

Liberati 88.

Superioribus annis Magister Ordinis in Italiam destinauerat venerabilẽ Patrem Fratrem Petrum Sagrem, in suum Generalem Vicarium, qui suo munere fungens, Siciliæ Monasteria visitauit, & deinde ad eleemosynas Redemptionis procurandas per hoc Siciliæ Regnum suos speciales Nuntios religiosos nostri Ordinis, & nonnullos seculares procuratores misit. At nonnulli inquietudinis filij Fratrem Ioannem de Alcara natione Hispanum, qui laudabilitèr Panormi Prioratum rexerat, Syracusis grauitèr molestarunt, ab eoque eleemosynas receptas, & collectas subripere non erubuerunt, in alieno eas deposito collocantes, & parum affuit, quin eum carceri manciparent, inter alia afferentes Fratrem Ioannem de Alcara non esse verum Religiosum, sed merum secularem, & falsum quæstorem more religioso indutum: vt, vel sic veris indigentibus, & pauperibus eleemosynas debitas falsis ipse a se literis fabricatis usurparet. Sed ciuitatis Episcopus de hoc certior factus, nè C fratrem nostrum molestarent, nec in eum, sub excommunicationis pœnæ incursu manus iniicerent, imperauit: pecunias tamen, & bona in eius potestate reperta, sub bona custodia detineri præcepit, vsque dum informatio fieret, & veritas innotesceret. Scripsit igitur Episcopus Syracusanus Generali Vicario Panormi, in Monasterio S. Annæ degenti, quæ Syracusis gesta fuerant, & qualiter pro Religionis decore vetuerat, ne quidam sui Ordinis Nuntius, seu Procurator habitum gestans carceri traderetur; &c. Cui Fr. Petrus Sagrem cum omni reuerentia respondit, immortales pro beneficio in ordinem collato gratias agendo; sed quod sua Reuerendissima Dominatio tenebatur omnes, & singulos in Fratrem Ioannem Alcara optimum, honestum, & verum Religiosum sancti, & pijssimi Redemptionis operis zelatorem, & amatorem insurgentes, & impium facinus committentes, non impunè dimittere, immo ad aliorum exemplum eos grauiter emendare. Quod, & ipse dissimulare pro grauitate sceleris minimè poterat; quin potius grauissimam ad D. Proregem contra D aggressores, & bonorum Redemptionis detentores querelam præsentare intendebat. Huiusmodi responso recepto Syracusanus Episcopus Patrem Alcara multum honestauit, & ad prandium inuitauit. Sed seculares personas, quæ temerè in Religiosum virum insurgere non erubuerunt, pœnitentia publica, ac pœna pecuniaria multauit. Et denique fratri nostro facultatem gratiosè concessit, in tota sua Diœcesi eleemosynas libere petendi, & Apostolicas Bullas, ac Regia priuilegia sine impedimento publicandi.

Fuit Generalis Magister Fr. Petrus Sorel meritò dignus, vt inter optimos Religionis nostræ Pastores, & Magistros ascriberetur, licet oẽs nostri scriptores in eius laudib⁹ parùm immorentur. Breuem fuisse sui Magistratus tempus Reuerendissimus Zumel fatetur; Alij verò vniuersi Ordinis regimen per annos 19. tenuisse testantur, & denique superioribus annis videlicet anno Domini 1540. eũ obijsse nõnulli affirmarũt. Ego vero validioribus, & fir- E mioribus fundamentis enixus, hoc anno 1546. animam egisse, constantèr asseuerare nõ erubesco, vt ex sequẽtibus patebit. Tempore Generalis Magistri Sorel, de potestate inimicorum nostrorum Sarracenorum per fratres nostros liberati sunt Christi fideles 633.

Liberati 633

CAP.

A CAP. XXX. *Eligitur Generalis Magister Fr. Michael Puyg, Floret in India Frater Petrus Muñoz, & alij Patres in Gallia; & Indorum mores describuntur.*



POST obitum Generalis Magistri Fratris Petri Sorel, fratres natione Gotholani, & Barchinonæ Monasterij Conuentuales, ac eius domus filij, qui erant ea tempestate viri famosi, & potentes, operam dederunt, & totis suis viribus insudarunt, vt persona in Magistrum eligenda esset eius Monasterij filius, quod, vt optauerant, & procurauerant, suis oculis videre meruerunt. Fuit enim die Sanctæ Oliuæ huius præsentis
B anni 1546. in Generalem electus doctissimus Pater, Fr. Michael Puyg, 1546.
Hispanus Gotholanus, patria Barchinonensis, & eius Monasterij filius decretorum Licentiatus, de quo suo loco dicemus. Quòd, ea die, & præsenti anno fuerit electus, adinueni in quodam veteri nostri Ordinis Breuiario, in quo mense Maij hæc reperiebantur expressa verba, manu huius Magistri scripta. Fui ego Frater Michael Puyg in Magistrum Ordinis electus secunda Maij, scilicet in die Sanctę Oliuę, anno Domini 1546.

Floruit per hæc tempora famosus ille Magister Fr. Petrus Muñoz, ex Prouinciæ Bæthicę Mallacitanus longa exercitatione in omni re valdè versatus, vir eloquio audax, & promptus, ingenio subtilis, efficacissimus orator, naturali strenuitate, & robustissima virtute, elatique spiritus animositate præditus. Hic de licentia Prouincialis Castellæ, ad magnum Regnum Pyru profectus est; & ibi in noua Prouinciarum adeptione, non solum Hispanos
C milites verbo animando, & confortando proficiebat; sed sæpèsepiùs Cruce armatus, suam personam in discrimina adducendo, militum copias anteibat, & aliquádo (necessitate cogetente) pro sui ipsius, & fratrum suorum defensione, arma alicuius militis occisi assumēs, armatus, & lanceatus mirabilia magna faciebat: vnde Hispanus exercitus, (nisi esset Fr. Petrus religiosus homo,) Dux ab eo, & Imperator (vt historiæ referunt) proculdubio eligeretur. De hoc doctissimo religioso, & strenuissimo milite scriptores omnes, qui facinora per nostros Hispanos in nouo Orbe, & Regno Pyru operata Typis mandarunt, expressam faciunt mentionem; quorum aliqui eum commendant; alij verò nimiam eius audaciam, & promptam loquendi licentiam arguunt, & reprehendunt. Sed quæ sit nostra sententia (omni deposito amore) explāabimus. Pro cuius, & dicendorum notitia, Indorum mores in medium adducere consonum mihi videtur.

D Erant igitur Indi (ante Hispanorum ad eas partes aduentum,) vt in plurimum homines viles, barbari, pigri, crudeles, inhumani, Idolatræ, humanis carnibus vescentes, pessimis, & abominabilibus vitijs dediti, plurimarum vxorum, & masculorum amatores. Ingentem auri, argentique copiam, ceram, medicinales plantas, & herbas, & alia plurima bona possidebant, quibus in bonum, & ad humanos vsus, potiri, & vti nesciebant. Postquàm vero nostri Hispani dominati sunt eis, eorumque Regnorum facti sunt Domini, plurima bona secuta sunt. In primis inæstimabilis ad fidem nostram, Indorum conuersio emanauit; qua per gratiam Dei post tot annorum curricula, & perlongam sub Dæmonis potestate Captiuitatem, in qua omnes damnabantur, plures modo saluantur, & liberantur. Qui priùs erant sicut Equus, & Mulus, quibus non est intellectus, homines facti sunt, & Christiano more viuēdo, & Catholicam Religionem sectando, infinita bona adepti sunt. In horum ergo Indorum conuersione, & tot Regnorum adeptione humana lingua enarrare
E non sufficit, quæ discrimina, quot labores, quam sitim, famemque, quot ve mortes, & occisiones milites Hispani, & nostri etiam, & aliorum Ordinum fratres passi sunt, & sustinuerunt. Attendite, & attentè legite veridicos Historiographos, qui de Indorum conuersione, & de nouo Orbe tractant, & videbitis Infinitos Hispanos, & inter eos plures Religiosas personas præ nimio frigore, & æstu in via defecisse, & periisse; alios à Barbarorum dentibus crudeliter dilaniatos, & deuoratos; plures etiam iuuenes inuenies, qui durissimum Maiz granum pro pane manducantes, omnes amiserunt dentes; quot denique (vt plures alias miserias, infortunia, atque incommoda omittamus) præ nimio labore, & insoportabili erumna noctu diuque in nuda terra armati, dormientes, (si eis per tempus dormire licebat) cœlestibus influentijs, & variæ atque aduersæ elementorum inclementiæ expositi, ad nihilum redacti, & inutiles facti sunt. Hi igitur pauci, qui ex tot Hispanis remanse-

runt victores, noui Orbis facti habitatores, & coloni, qui fuerunt expugnatores, atque adeptores, nonnullos Indos in eo iusto bello captiuarunt, eosque in seruitutem redegerunt, & tamquam propria mancipia in seruitute, & potestate sua tenebant. Alij eos publicè vendebant, & commutabant, immo plures huiusmodi Indos à Regio Procuratore (pecunia enumerata, & realiter soluta) emerant, vt de Etiopibus, & Captiuis Mauris fieri solet. Quæ omnia maximoperè displicebât, quibusdam Religiosis viris, præsertim cuidam Ordinis Prædicatorum doctissimo viro, qui ac si Indos genuisset, & vniuscuiusque eorum frater fuisset, viriliter eos tutabatur; atque in ipsorum fauorem Sacræ Cæsareæ Maiestati supplicationem liberè porrexit, probando non debere, nec licere Indos ad fidem conuersos, qui se sponte in subditos, & vasallos suæ Maiestati dederant, vitam miserè in captiuitate degere. Cuius, & aliorum precibus Imperator inclinatus, & commotus quasdam pro Indorum liberatione, & illorum Regnorum reformatione ordinationes condidit in Ciuitate Barchinonæ, die 20. Nouembris 1543. Et ad effectum, vt executioni demandarentur D. Blasium Nuñez Vela, suum Proregem deputauit, dans ei in mandatis, vt eas ordinationes ad vnguem obseruari curaret. Accessit igitur nouus Prorex ad ciuitatem Truxillo in Regno Pyru; cuius aduentu omnes Hispani, tam seculares, quàm Ecclesiastici perturbati sunt valde, & tumultuantes ad aliquam magnam defectionem videbantur valde propensi. At Prorex nihil de hoc curando præfatas ordinationes publicari iussit, grauissimas, & terribiles in transgressores, rebelles, & inobedientes pœnas imponendo. Ex quarum publicatione Senatus populusque Truxillo, ac aliarum partium Communia, & Vniuersitates perterriti, simulque in Proregem indignati, ad Cæsaream Maiestatem in remotis partibus degentem, melius informandum, & ad probandum, atque adducendum grauissima damna magnaque inconuenientia, quæ ex dictarum ordinationum obseruantia, sequebantur, appellarunt. Sed Prorex tantùm abest, vt appellationem admitteret, quod post eam crudelior, & obstinatior effectus, minis, & terroribus, ac grauissimis pœnis, earum transgressores insequebatur. Cuius obstinationem, & duritiam cordis Hispani ægrè ferentes conquerebantur, murmurabant, & dicebant, se velle proprias vxores, & filios relinquere, si compellerentur, & cogerentur, ad libertatem præstandam Indis seruis suis; quos forsam à Regio Procuratore emerant; nam in seruis istis tota Hispanorum merces, atque lucrum consistebat; ipsi enim terram fodiebant, in auri, argentique minis laborabant. Et multa alia Hispani indignati contra ipsum Regem magno Regnorum interuallo distantem proferre non erubuerunt; quæ licet publicè, omnibusque audientibus fuerè dicta, ea tamen Chartis, & Typis mandari non licet. Sed qui hoc negotium præter modestiam, quæ Religiosas personas decet, tutari, & defendere ausus est, fuit præfatus Frater Petrus Muñoz, qui non alieno, sed proprio periculo incommoda, & belli labores sapiebat. Hic igitur concionando inter alia dicere non erubuit; Imperatori non licere fidelissimos Hispanos, subditos, & vassallos suos, qui pro eius amore, & magni Regni adeptione, sanguinem suum fuderant, inutiles redacti erant, & seruire non poterant, ac in aliena, & remotissima regione florentem ætatem amiserant, per suos Proreges affligere, & persequi, bene tamen eos, vtpotè Victores honoribus, & præmijs afficere, remunerare, & mutuam gratiam referre. Miror in Ambone dicebat, & vehementèr demiror strenuissimum Imperatorem, Catholicum Regem, & fortissimum militem, (qui non in suæ maiestatis solio sedens, sed se sæpè in conflictu belli euidenti mortis periculo exponens, victoriosus euaserat, ac spolijs potitus fuerat,) eas ordinationes contra victores, & fortes in bello milites statuisse; quod mihi persuasum habere minimè possum, sed Consiliarios, Regiosq; ministros, qui nec digito suo belli incommoda tangunt, sub prætextu Regiũ ærarium augendi ad continuas, & importunas preces luporum rapacium, qui sub ouina, & pietatis pelle ad Episcopatus, & eius seculi honores omni conatu animum intendunt, huiusmodi ordinationes fabricasse. Si Regio Procuratori Indos vẽdere, & pro eis ab Hispanis pecunias recipere licuit, quomodo eos emere, & retinere Hispanis emptoribus non licebit? Sed cum Prorex Blasius Nuñez Vela Indos aliquos vi, & coactè à Dominis suis abstulisset, eosq; libertati dedisset, & ipsimet Indi libertati donati, non valentes, nec scientes victum ex se quærere, ad proprias Dominorum suorum domos rediissent, rogantes eos, vt propter amorem Dei iterum in seruos admitterent eos, quia malebant sine cura victum procurandi, & inquirendi, deseruire, quàm cum tanta molestia, & solicitudine libertate gaudere; (tanta erat Indorum ignauia, atq; inertia;) ausus est frater noster prædicare, (quem in hoc nõ laudo) & inter prædicandum affirmare, & dicere; licere Hispanis militibus tanti Regni debellatoribus de huius-

A de huiusmodi grauamine ad Cæsaream Maiestatem appellare. Et interim, si Prorex eam appellationem admittere recusaret, tunc milites oppressi, & tot miserijs diuexati se viriliter defendere tenerentur. Sunt qui Fratrem Muñoz protegere, & defendere velint, eiusque audaciam, ac liberum dicendi modum præconijs celebrent; ipse enim solus pro Patria, & Conciuibus suis, euidenti se mortis discrimini posuit. Alij verò impudentem cōtra Reges, & Principes terrę concionandi audaciam vituperant; & quod malè fuerit locutus constanter tenent. Ego tamen hoc scio pręfatum Proregem Hispanorum imo, & Indorum supplicationibus acquiescere nolentem, & hanc differentiam inter Imperatorem, & suos subditos suauitèr componere nescientem, aut renuentem, fuisse deinde eam ob causam crudelitèr, & infœlicitèr à quodam vili, & abiecto mancipio Licētiati Carauajal occisum. Cuius serui, & mancipij manus caput superbi Proregis a corpore separauerunt, & disiunxerūt. De quibus omnibus Imperator certior factus, ne tātum Regnum Hispanorum sanguine adeotū, miserabilitèr periret, ad eas partes D. Petrum Gasca virum valde doctum, & prudentem in demortui locum destinauit. Qui ad Pyru Regnū perueniens, (sicut Imperator in mandatis dederat ei,) præfatas ordinationes reuocauit, & omnes Hispanos à maximo vsque ad minimum, cunctis parcendo, generaliter ad pacem inuitauit. Ex his colligitur Fratrem Petrum Muñoz non multum à recto tramite deuiasse, nec iussis Imperatoris fuisse contrarium. Sunt qui dicant; nullum Religiosum, aut secularem ad nouum Orbem aduenisse suæ nationis nostro fratre studiosiorem, aut fortiorem, & robustiorem; nam (necessitate cogēte) ipse valebat pro mille. Quem finem habuerit, non liquidò constat; quia de eo diuersimodè multi multa dicunt.

Floruit per hæc tempora in Galliæ partibus Frater Martinus Peronatus, Doctor insuperabilis, in sacræ Theologiæ lectura clarissimus, & in disputationibus, ac ad argumenta aduersariorum responsionibus acutissimus. Facundia in concionando resplēduit, & in indagādis rerū causis assiduus extitit indagator. Plurimùm valuit apud Principes, & Frāciæ Magnates, præsertim apud Carolum Barbonium, S. R. E. Cardinalem, Episcopum Rothomagensem, quem semper noster Frater sequutus est, & publicè in sui fauorem concionabatur: fuitque (vt ferunt) occasio, quòd factio Christianorum Gallorum S. R. E. adherentium eumdem Carolum in Regem suum crearent.

In eisdem etiam Franciæ partibus floruit similiter Fr. Dionysius Buffetus excellentissimus in S. Theologia Magister, qui dignitates sibi à superioribus oblatas, & maiorum domorum commendas admittere, & regere renuit; & solùm ad laudem Dei, & spiritualem proximorum salutem indefatigabili studio, nullum laborem recusando, nec incommoditatem propriam prętermittendo: totum se publicis prædicationibus dedit, & consecrauit: vnde plurimas lucrifacere meruit animas. Quod munus laudabiliter vsque ad grauem senectutem semper, & desinentèr exercuit. Præter hæc carnem suam abstinentijs, macerationibus, & continuis ieiunijs domabat, & in seruitutem redigebat. Pro suis Prædicationibus, aut Missarum celebratione pecunias, aut præmia temporalia recipere nolebat. Vnde ab omnibus vir sanctus, & Apostolicus Prædicator iudicabatur. Quo anno obierit pœnitus ignoro.

CAP. XXXI. De Religiosissimo, & sancto viro Fratre Joanne de Sancta Maria.



AD ea, quæ nostri Patres in Indiarum partibus fecerunt, mea conuertatur oratio: & in primis egregia, & memoranda facinora, quæ ad laudem Dei, & spiritualem proximorum salutem sanctissimus vir Fr. Ioannes de Sancta Maria in nouo Orbe operatus est, sicut ea retulit in sua generali historia præfatus Petrus Segura de Leon, qui omnibus rebus à se scriptis adfuit, modo recensere incipio.

Fuit Frater Ioannes de Sancta Maria nostri Ordinis professus ex Prouincia Bæthicæ in diuinis literis versatus, vehemens, & ardens in concionibus Prædicator; ob cuius solertis ingenij acumen, scientiæ pręstantiam, & magnam sanctimoniam Prouincialis Castellæ à noui Orbis Proregibus rogatus, illum cum alijs nostri Ordinis Fratribus ad eas partes destinauit: vbi ad Hispanos, & Indos magno plausu, & frequenti auditorio innumeras habuit conciones, quibus Hispanos ad amorem Dei,

ad virtutem amplectendam, vitiaque detestanda, commouebat, Indos vero ex gentilitate, & idolatria ad nostram fidem adducebat. Habebat in dicendo, & persuadendo mirabilem energiam, & lingua sua erat acutus hamus, quo Indos piscabatur. Accidit quod Prouinciam de Patan, Perillustri Domino Benalcassar gubernante, habitaret in ea noster frater in Anzermæ Villa, quam Gometius Fernandez dicti Gubernatoris locum tenens, regebat, & gubernabat; ex qua villa noster Frater semel, aut bis per singulas hebdomadas discedere solebat, vt in circumuicinis locis, & oppidis verbum Dei seminaret. Quadam igitur die cum in villa Pirse, quatuor leucis, ab Anzermæ Villa distante prædicaret, per os eius Spiritus Sanctus loqui videbatur; nam verba eius (tamquam ignis ardens) plurimorum Indorum corda conflagrauit: inter quos erat nobilissimus vir, cui nomẽ erat Tamaracunga, vxorem, filios, & copiosam habens familiam, Dominique terræ Pirsæ germanus, & ambo Idolorum cultores. Et licet Tamaracunga, audita nostri concionatoris prædicatione, in alium esset virum mutatus, Christianamque Religionem amplectendi arderet desiderio; nihilominus tamen fratrem suum, (cui huiusmodi sua conuersio, & noua mutatio, procertò dolorem, & mœrorem allatura erat.) vehementer timuit, & sic cordis sui flammam, & bonam intentionem non mutare, sed differre ad tempus studuit. Sed cum indies magis, ac magis Spiritus Sanctus, qui iam inceperat, ad vlteriora progrederetur, statuit bonus, & nouus miles, omni timore deposito, Christianam Religionẽ manifestò sequi. Et sic aduocato quodam Christiano, parum distante, sui cordis arcanum patefecit ei dicens, se velle Ansermam adire, vt a Fratre Ioanne viro sancto, more Christiano instrueretur, & Catholico ritu baptizaretur; quo nuncio Christianus ille, incredibili gaudio, efferri cœpit. At inimicus homo, & inuidus Dœmon, cui hæc noua conuersio vehementer displicebat, fortissimè, & inaudito modo ei palam se opposuit. Afficiebatur enim lupus ille rapacissimus tœdio maximo considerans, & attendens hanc magnam ouem à faucibus suis auferri, & ad ouile sanctæ Ecclesiæ, verumque pastorem conuerti: ideo visibilibus, & inuisibilibus armis pugnare incepit, & hunc nobilem virum varijs tormentorum generibus cruciare, terrere, eique timorem incutere non cessabat. Apparebat enim Tamaracungæ ingens Dæmonum caterua, in fœtidarum volucrum figura, quas in ea Regione auras vocant, easque solus nobilis Indus videbat; Christianus verò non eas, sed ingentem lapidum quantitatem, & copiam ab alto in terram cadentium cernebat, & sentiebat, & auribus suis horribiles sibilos, neminem videndo audiebat. Quo Hispanus vehementer territus nobilem Indum derelinquere noluit, imò illi semper adfuit, ac certiorem de hac inaudita re fecit alium Hispanum Fratrem Domini Ioannis Paceco, qui pro Domino Gometio Fernandez absente, Villę Anzermæ administrator erat. Hic igitur alio Comitatus Christiano ad locum signatum peruenit, vbi Tamaracungam, illumque Christianum, à quo fuerat vocatus, perterritos adinuenit. Et iam præsentibus tribus Hispanis, ac Indorum copiosa multitudine, nobilis Indus deplorãns, vno ictu, in aera subleuatus est, Dæmonibus sibilantibus, & vociferantibus, quæ tres maiorem, quam antea incussit timorem. Qui licèt tremore, sine magna tamen læsione, ad terram dimissus, non sententiam mutare, sed suum concionatorem alloqui, & videre volebat: quo tres illi Christiani complorabant, & misericordiam, toto animi affectu, petebant. Sed iam prænimio dolore, terrore, & lassitudine defessi omnes, sederunt in via, vt aliquam lassis animis requiem dare possent. Tunc Tamaracungæ bibere volenti, vas aqua plenum appositum est: quod omnes in altum trahi viderunt, & paululùm vacuum apparere cernuerunt; & denique aquam in vas immitti, sicut antea, suis oculis conspexerunt. Indus verò ne horribiles, turpissimas, & fœtidissimas visiones cerneret, se totum pallio cooperiebat: at Dæmones, quasi suffocare eum volentes, cretam in os eius mittebãt. Hispani verò afflictum mœrore animum huius boni Indi, vt poterant, erigebant, eumque consolabãtur. Sed cum ad quasdam peruenirent periculosas rupes, Tamaracungam auxiliũ, & fauorem à Christianis petentem, ac lachrymis postulantem, immundi, & crudeles Dæmones, ut in profundam deijcerent cauernam rapuerunt, sed non hoc eis à Deo permittebatur. Tunc tres illi Hispani (Indis plusquam ducentis præ nimio timore accedere non audentibus) ad afflictum, simulque fœlicem Indum accesserunt, & in medium cõducentes, corda circumligarunt, Crucisque signo munierunt, & vnusquisque Christianus suam in manibus gestabant Crucem, quas aliquando Dæmones, superbia tumidi, præ nimia rabie in terram deijciebant, sed eas Christiani deuotè erigebant, & osculabantur: & hac molestia iter suum versus Ansermæ Villam milites Christiani, & Indiani faciebant. Et antequam

A tequam ad eam peruenirent, specialem nuncium ad Dominum Ioannem Pacceco, pro Gometio Gubernatore in destinarunt; et summis precibus supplicantes, vt Fratrem Ioannem de Sancta Maria ad Dæmones adiurandos, & in Infernum recludendos, transmitteret. At Nuncius ille, qui Indus erat, aut perterritus, aut non percipiens legationis verba nihil fecit, nec dixit, & sic, non sine discrimine, Ansermam peruenerunt, quos præfatus Ioannes Pacceco ad domum suam conduxit. Deinde vocatus, cum omnibus eius Villæ Hispanis, noster Frater accessit, simulque Indi, vt rem inauditam viderent, accesserunt: vnde domus, licèt permagna, tota repleta est. Et statim omnes proprijs oculis viderunt immensam lapidum paruorum numerositatem, ad instar grandinis è tecto in terram cadentium; & insuper Dæmones sibilantes ad similitudinem illarum gentium in belli conflictu properè, & velociter dicentium, vh, vh, vh, auribus suis audiuerunt. Et tot erant clamo-
B res, vociferationes, & confusio, vt ea domus infernus appareret. Tunc noster frater minimè territus, genua flectẽs in terra, Crucem suam ligneam, quam semper, & vbique ad pectus gestare solebat, in altum eleuans, sic immundis spiritibus dicebat: Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ, vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid. Ego Iesu Christi miles asperum aduersus vos bellum sumo, quia multi aduersarij estis, qui in superbia, ferocitate, & malitia vestra confiditis. Ego verò in Domino vestro, & meo Creatore, & meo, & non vestro Redemptore, quia irreparabiliter cecidistis, meam spem colloco. Quæso ergo te Domine, ne permittas hos inimicos tuam spernere dignitatem. Et nos seruos tuos ad te clamãtes, qui per aquam nimiam, & per tot discrimina ex Hispania ad has longinquas partes, vt horum Infidelium conuersioni essemus intenti, venire fecisti, exaudi clementer; vt discat populus Infidelis, quia non est alius, nisi Deus Christianorum, & ad fidem conuertatur,
C & credat. Et vos Dæmones Deo rebelles, & Creatori vestro ingrati, à quo tot bona naturalia, & gratuita accepistis, qui terga ei vertistis, æqualitatem diuinitatis à Deo, per suam naturam possessam, sumere per rapinam volentes. Corruistis, ò miseri, ob nimiam temeritatem vestram in terram sulfuream, vbi semper, & incessanter cruciabimini. Quid hic agitis in terra non vestra? abite præcipites in locum infernalem, vobis à Deo deputatum. Quare opus Dei, quod ipse incepit, & perficiet, impedire, & retardare conamini? gratias agimus Deo, quia iam venit tempus, cum Regnum istud, quod per tot sæcula possedistis, auferetur a vobis, & dabitur genti fructum iniustitia facienti. Hæc est Dei voluntas; durum est vobis Deo resistere velle. Et conuersus ad Tamaracungam dixit illi: bono animo esto fili mi, & lætare in Domino, nam per multas tribulationes, & angustias efficimur filij Dei. Sic, & tibi per has Dæmonum tentationes, & tormenta proculdubiò eueniet: nam tristitia tua (Deo miserãte) conuertetur in gaudium, & gloriam Dei nostri citò videbis. Sed quia
D Dæmones ex hoc molestias inferre non cessabant; imò maiora, & grauiora damna, & terrores augebãt, adeò ut domus tota ruinam immineret; oportuit (appropinquante iam secunda noctis hora) cum oppresso Indo omnes in Ecclesiam abire; in qua (vtpotè paleis cooperta, & non perfecta) Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, nondum repositum erat. In Ecclesia igitur Dæmones solitis terroribus, & minis, imò maiores semper augentes, omnes afficiebant: præcipuè Tamaracungam, qui eos solus videbat in aere subleuatos, horribiles, & formidabiles, non quidem recta figura, sed capitibus in terram versis, qui magna indignatione pleni fratrem nostrum subripuerunt, & ad medium Ecclesiæ eleuarũt, cumque similiter in aere capite deorsum verso, & pedibus in sublime sublatis stare fecerunt omnibus Hispanis genuflexis complorantibus, & sæpissimè Iesu, & Mariæ dulcissima nomina repetentibus. Post parum verò temporis ad terram, sine læsione dimissus, stolam pe-
E tijt, qua (more Sacerdotali) se præcinxit, & aqua benedicta, circumstantes, & totam Ecclesiã aspersit. Non tñ propter hoc (Deo sic permittẽte ad maiorẽ suæ gloriæ ostẽsionẽ) sibilare, & vociferari Dæmones cessabant, imò maiori impetu se oppresso Indo applicuerunt, multis calaphis faciem eius percutientes, & galerum, quo faciem suam, ne inimicos cerneret, præuelabat, procul proiecerunt, vultum eius fœtidissima saliua fœdantes. Et hac molestia totam illam noctem omnes insomnem duxerunt. Et cum iam optata aduentasset dies, noster Sanctissimus Frater Sacerdotalibus se induit vestimentis, & Missa incepta omnes Dæmones euanuerunt. Peracto igitur Sacrosancto Altaris sacrificio Tamaracunga suo proprio ore, coram omnibus astantibus, aquam baptismalem instanter à nostro Fratre petiit, & deuotissimè suscepit. Qua suscepta publicè dixit: periculum facere, & experiri volo, an Dæmones modò, me baptizatum, & Christianum effectum, sicut antea gentilem

sua mo-

sua molestia afficiant: & tunc solus per Ecclesiam deambulauit (Fratre nostro, & Hispanis A
deuotissimè Deum, eiusque purissimam Matrem orantibus, ne amplius nouum Christi militem à Dæmonibus vexari permitteret, vt vel sic multi ad fidem conuerterentur; quorum singultibus, & precibus misericors Dominus inclinatus Dæmonibus præcepit, ne amplius illum molestarent. Et sic extra Ecclesiam exiens circuiuit eam, & ad confusionem, dedecus, & Dæmonum opprobrium hilaris, & lætus dixit: Benedicta sit Sancta baptismatis aqua, quæ fugat Dæmones; nihil me videre profiteor. Deinde vxor, & filij eius, totaque se familia, & ingens Indorum numerus à fratre nostro baptizati, & in fide consolidati sunt. Quæ
1549. omnia acciderunt hoc anno 1549. vt in præallegata vniuersali Indorum historia. Et ex ea hora cœperunt nostri Religiosissimi Patris sanctitatis fama, & rumor crescere, in eumque devotio augeri. Et fœlices tam Hispani, quàm Indi se reputabant, qui Missam celebranti, aut concionati interesse poterant, aut prætereuntis manus deosculari, aut vestes eius B
tangere mererētur. Sed hos sibi humanos exhibitos honores, (qui erat valde humilis) recusabat, & fugiebat; imò quanto magis in terris honorabatur, eo amplius se humiliabat, humiliorque fiebat, vt à Deo exaltaretur. Assiduè orationi vacabat; humili, & crassissimo induebatur vestitu. Magnus in eo resplenduit pecuniarum, & diuitiarum (quibus ea Regio superabundabat) contemptus; & ob id Hispanos, qui diuitias cumulando Indos spoliabant, acriter arguebat. His sanctis operibus plenus, & miraculis (vt ferunt) clarissimus, obdormiuit in Domino. Post cuius mortem asperum cilicium, quo carnem domabat, & Dæmonis tentationes superabat, repertum est, nudę carni hærens, ac sanguine aspersum.

C

CAP. XXXII. Paulus Papa III. Obijt; cui succedit Julius III. qui Ordinem nostrum gratijs prosequitur, post cuius mortem Marcellus II. electus parùm sedet, cui Paulus IV. succedit.

D

1549. Anctissimus Paulus Papa III. ad quartum Idus Nouembris eiusdem anni ætatis suæ 81. migrauit ad Dominum. Vacauit Romana Sedes duos mēses, & dies 29. Post eius mortē, & nō post paucas dissensiones in Summum Pontificem electus est Ioannes Maria de Monte, Episcopus Cardinalis Prænestinus; qui Iulius III. appellari voluit.

Hic Summus Pontifex (supplicante D. Michaele de Silua. S. R. E. Præsbytero Cardinali Sanctæ Praxedis,) Bullam concessit ad fauorem Monasterij Barchinonæ, quæ est tenoris sequentis.

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Præceptori, & Fratribus domus B. Mariæ de Mercede Barchinonen. Ordinis eiusdem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu. Personas vestras, & locum, in quo diuino estis obsequio mancipati cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis (præstante Domino) poteritis adipisci, sub Beati Petri, ac nostra protectione suscipimus. Nec non omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alia indulta vobis, & domui vestræ concessa, &c. Nec non oblationes, census, fructus, redditus, prouentus, terras, domos, possessiones, campos, agros, prata, pascua, nemora, siluas, piscarias, iura, iurisdictiones, & alia bona vestra mobilia, & immobilia, sicut ea omnia iustè, & pacificè E

possides-

A possidetis vobis, & per vos eidem domui auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, & confirmationis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, 3. idus Februarij 1550. 1550.
Pontificatus nostri anno primo.

Floruit per hæc tempora Frater Amator Medrano, magnæ literaturæ vir, & in concionandi munere nemini inferior. Quem Magister Ordinis Frater Michael Puyg ad instantiam Proregis Siciliæ Vicarium Generalem pro Monasterijs Regni huius, cum amplissima facultate elegit. Gratiosæ erant huius nostri patris Conciones Panormi habitæ, eisque summopere linguam Hispanicam intelligentes, delectabantur, præsertim famosus ille, & nun-
B quam satis laudatus (cuius memoria in æternum durabit) D. Ioannes de Vega Siciliæ Prorex, Iudex iustissimus, ac Gubernator prudentissimus, qui eam ob caussam, & Religionis zelum nostrum Fratrem charum habuit, tumque contra Aduersantes, & eleemosynas Redemptionis impedientes mirificè defendit; & præcepit, priuilegium Maiestatis Cæsareæ, Sub datum Cæsaraugustæ, die 30. Septembris 1518. ad fauorem nostri instituti concessum, in toto Siciliæ Regno sub grauibus pœnis ad vnguem obseruari, & executioni demandari. Sub datum Drepani, die 30. Octobris, 9. indict. anno 1550. 1550.

Quo honore, quantúque sit habenda Ecclesiastica dignitas, & Religiosus status, nullus est qui ambigere possit. Vnde Summi Pontifices, sacrique Canones iure optimo ab omni seculari, & mundana iurisdictione Ecclesiasticas, & Religiosas personas liberas, & exemptas fore decreuerunt, & immunes cum locis, & bonis suis omnis impositionis, & oneris fece-
C runt. Nam Ecclesiastica immunitas, quæ est Ecclesiæ libertas, & exemptio in personis, & in rebus, atque iuribus Ecclesiasticis, ideò dicitur, quia est sine seculari onere, & munere; licèt propriè libertas, & exemptio loci ad immunitatem expectet, exemptio verò personæ ad Ecclesiasticam libertatem attineat. Hanc immunitatem loci, & Ecclesiasticam libertatem personæ, Ethnici etiam magni fecerunt; nam inter Ægyptios Pharao Rex tempore famis, omnes Ægypti Regiones emens, terram sacerdotalem excepit, eamque liberam esse voluit, ac iussit. Et Artaxersis Rex præcepit suis subditis eisque fecit notum, ne auderent vectigal, & tributum, aut annonas imponere super Sacerdotes, & Leuitas, Cantores, Ianitores, & Ministros domus Dei. Si ergo laudabile est, & ipsos Reges decet, huiusmodi immunitatem, & libertatem defendere, & tueri; iniustum, & indecorum proculdubio videtur, easdem Ecclesiasticas personas, & Ordinum Superiores suo iuri cedere velle, &
D quod suum proprium est, secularibus tradere. In hunc manifestum lapsus est errorem Magister Ordinis Fr. Michael Puyg contra ius, & Religionis decorem deputando in visitatorem nostri Conuentus Panormi Illustrem Dominum Dimam Vrgel secularem personam; dando ei liberam, & plenam facultatem super bona dicti Monasterij; imò omnimodam potestatem, Priorem, & fratres eius domus castigandi, eosque remouendi, & alios sibi benevisos creandi, instituendi, & ex alijs Monasterijs trahendi. Sub datum Barchinonæ, die 12. Decembris 1550. 1550.

Genesis c. 47. *Esdræ 1. ca. 7.*

Eodem anno Magistrum Fratrem Ioannem Caluo, pro Regnis Aragoniæ Redemptorem, ex Algariæ Ciuitate redemisse 52. Captiuos, eosque liberos Barchinonam adduxisse ferunt. *Liberati 52.*

Iulius Papa III. confirmat ea omnia, quæ Alexander IV. Clemens VI. Gregorius XI. Martinus V. Eugenius IV. Calixtus III. & alij sui Prædecessores nostro Ordini concesse-
E rant; & de nouo ordinat, quòd Confratres Confraternitatis Redemptionis possint eligere Confessorem idoneum ex approbatis, qui eos absoluere valeat semel in vita à casibus reseruatis, etiam Sedi Apostolicæ. & a non reseruatis singulis annis, si die ingressus in dictam confraternitatem, & iam admissi largiantur triginta nummos, & deinde singulis annis septem nummos. Cócessit etiam, quòd quandiu eleemosynas pro Redimẽdis Captiuis petitur, interdictum ad hunc effectum (si forsan fuerit) tollatur. Sub datum Romæ apud S. Petrum 17. Cal. Maij 1551. sui Pontificatus anno 2. 1551.

Generalis Magister exoptans apostolicas literas Clementis Papæ VII. in forma breuis sub datum Romæ die 23. Iulij 1529. plures alias suorum Prædecessorum literas continentes, & inserentes in auctenticam formam redigi, & quod ex eis plura fierent transumpta in auctentica forma, q̃ possent in o͂ibus orbis Christiani partibus (præsertim, vbi Monasteria habemus) publi-

publicari, vt, vel sic, quibus gratijs, & fauoribus Religio nostra à Romanis Pontificibus decorata existit, apud Christi fideles innotesceret; & ex hoc eleemosynis, & charitatiuis subsidijs crescentibus vberiores per fratres nostros fierent Redemptiones; recursum habuit ad R. D. Iacobum Cassador Barchinonæ Episcopum; cui animum suū patefecit, & ab eo præfata transsumpta postulauit. Episcopus igitur iustis Generalis Magistri postulationibus annuens Domino Raphaeli Vbar Balneodarum Abbati, & Ecclesię Barchinonensis Canonico, suoque Generali Vicario imposuit, vt pręfatas literas auctenticari, & in publicam transsumpti formam redigi mandari curaret. Quod dictus Generalis Vicarius continuò expleuit.
1552. Sub datum die 19. Augusti, huius anni 1552.

Ægregios in Galliæ partibus nostri fratres fecerunt progressus, præsertim celeberrimus Magister Fr. Augustinus Nobleth Doctor Parisiensis, (vt ferunt) in disputationibus acutus; qui perdoctè plures annos Philosophiam, & deinde Sacram Theologiam docuit. Quem hoc anno obijsse, relatum est mihi Romæ. B
1553. Nostrum Ordinem Excellentissimus Dominus Ioannes de Vegha, Siciliæ (vt diximus) Prorex, mirificè quamdiù vixit, dilexit, magnisque fauoribus prosequutus est; qui in amoris signum nostrum Ordinem suum esse dicebat. Sed non minus fauorabilem se nostrę Religioni exhibuit Dominus Ioannes de Lanuza in eodem Regno Prorex, qui omnibus eius Regni officialibus præcepit, vt priuilegia nostra Regia executoriari, & executioni demandari diligenter studerent, & similiter Summorum Pontificum Bullas, & Apostolicas literas solerti cura obseruari, & publicari facerēt. Et quia Bulla Iulij Papę III. data anno primo sui Pontificatus ad Redemptionis opus non modicum conducere videbatur, eam sub grauibus poenis obseruari mandauit. Sub datum die 17. Octobris 8. indict. anno Domini 1554.
1554. Iulius Papa III. obijt hoc anno 1555. 4. Calend. Aprilis, post cuius mortem transactis
1555. 17. vacationis diebus in Summum Pontificem electus est ingenti hominum lætitia Marcellus Ceruinus Præsbyter Card. Sanctæ Crucis in Hierusalem, qui contra veterem suorum Prædecessorum morem nomen non mutauit, sed Marcellus II. appellari voluit. At senectute, & laboribus fatigatus pituitæ morbo oppressus, Romæ obijt pridie Calend. Maij C
1555. 1555. Quo vita functo totam Vrbem, & vniuersum Orbem maximus dolor occupauit: magna enim sub tanto Pontifice optimi patris, & solertis pastoris erat spes. Celebratis igitur Sanctissimi Pontificis exequijs, quadraginta quatuor Cardinalium suffragijs in Summum Pontificem electus est Ioannes Petrus Carraffa, Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus, sacri Collegij Cardinalium Decanus, qui Paulus eius nominis III. appellari voluit. Creatus in die, & fęstiuitate Sanctissimæ Ascensionis Domini nostri, 10. Calen.
1555. Iunij, eiusdem anni 1555.

Hic Summus Pontifex ad supplicationem Commendatoris, & fratrum Conuentus nostri Ordinis Ciuitatis Tholosanæ Bullam concessit tenoris sequentis. D

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistre, & fratribus domus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tàm vigorem ęquitatis, quàm ordo exigit rationis; vt id per sollicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum; eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à fœlicis recordationis Nicolao IV. Bonifacio VIII. Alexādro IV. Clemente VI. Gregorio XI. Martino V. Eugenio IV. Calixto III Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Clemente VII. Iulio II. Leone X. Adriano VI. Paulo III. Marcello II. & alijs Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, siue per priuilegia, concessiones, aut alia indulta vobis, & Ordini, ac benefactoribus vestris; necnon in Ecclesia vestra Canonicè institutæ Confraternitati illiusque Confratribus communitèr concessis; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus vobis, & Ordini, ac benefactoribus: necnon Confraternitati, & Confratribus præfatis in communi rationabilitèr indulta, sicut ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos, ordini, & benefactoribus; nec non Confraternitati, & Confratribus huiusmodi auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominū liceat hāc paginā nostrę Cōfirmationis, & Cōmunitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aūt hoc attētare p̄sumpserit indignationē omnipotētis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apostolorū eius se nouerit incursurum. Datū Romæ, E
1556. apud S. Petrū, anno incarnationis Dominicæ 1556. 3. Cal. Aprilis, Pōtificatus nostri anno 1.

A CAP. XXXIII. *Nostrum institutum mirificè exercetur. Describitur vita B. Michaelis Carmel, & Religio nostra bullis Apostolicis ditatur.*

Eneralis Magister Fr. Michael Puyg vigilantissimus Pastor, pro sui muneris debito scripsit omnibus Prouincialibus, vt ad honorem Dei, Religionis decorem, ac spiritualem, & corporalem Captiuorum in Sarracenorum potestate detentorum salutem, & liberationem summa concordia, ac vnione, famosa quædam nomine omnium Prouinciarum communis fieret Redemptio: cuius iustis postulationibus omnes Prouinciæ suum consensum præbuerunt, & larga manu huic sanctissimo operi opitulatę sunt; præsertim Prouincia Regnorum Castellæ, quæ ex se ipsa,
B & responsionibus, ac eleemosynis Indiarum magnam pecuniarum copiam venerabili Patri Fratri Antonio Martinez, in Redemptorem electo consignauit: idem similitèr reliquæ Prouinciæ fecerunt. Quarum Redemptores fuisse dicuntur, pro Aragoniæ Prouincia Frater Fortunius de Sparta, pro Cathalonia Magister Frater Matthias Papiol, pro Castella præfatus Frater Antonius Martinez, & pro Franciæ Prouincia famosus ille, quem communitèr appellabant Magistrum Penchonata. Qui omnes in Africam profecti ex Algariæ Ciuitate, & alijs Infidelium partibus 474. Christianos Captiuos redemerunt. Quę Redemptio totum vniuersum stupore repleuit orbem. Summus Pontifex Paulus Papa IV. ad supplicationem Generalis Magistri, ac fratrum, & Syndici nostri Ordinis bullam concessit tenoris sequentis. Librati 474

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro, & Fratribus, ac Syndico Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam
D benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates, ac gratias, & concessiones à fœlicis recordationis Nicolao IV. Bonifacio VIII. Alexandro etiam IV. Clemente VI. Gregorio XI. Martino V. Eugenio similitèr IV. Calixto III. Iulio II. Leone X Adriano VI. Clemente VII. & Paulo etiam III. ac Iulio etiam III. & alijs Romanis Pontificibus Prędecessoribus nostris, siuè per priuilegia, & alia indulta. &c. vobis, & Ordini vestro concessa, &c. Nec non libertates, & exemptiones, &c. Sub datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1557. 12. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo. 1557.

Floruit sub hoc Generali Magistro sanctissimus vir Fr. Michael Carmel, Hispanus Gotholanus, Monasterij Barchinonensis filius, in Sacris scripturis valdè versatus, qui in lucem
C edidit nonnulla opuscula pietate plena, & fere omnia in laudem Virginis Mariæ, in quam erat adeò pius, vt per singulas noctes ante Capellam Virginis Marię Angelorum, sub Ecclesiæ nostræ suggesto sitam, plures genuflexus, & orando consumeret horas: vnde cella eius Ecclesia: exercitium orationis frequentia; & eius studium erant diuinarum rerum, & pulchritudinis eiusdem Virginis Mariæ contemplatio. In hac lectione atque studio, & non in librorum profanorum compositione tempus, (quod nunquam reuertitur,) conterebat. Pijssimè scripsit super Magnificat, & super illos quinque Psalmos nominis Mariani, seu nominis Mariæ. Ordinauit etiam eiusdem dulcissimi nominis Missam valde piam, quæ inter libros chori nostri Barchinonensis Monasterij modo extat: quam priùs decantauit Magister
E Frater Matthias Papiol Generalis Magistri socius, & Secretarius: quæ dum decantabatur (eodem Generali Magistro, & omnibus Monasterij fratribus, ac alijs secularibus personis pręsentibus) deuotissimus Pater Frater Michael Carmel præ nimio spiritus feruore, & deuotione, in extasim raptus est; quod sæpè Barchinonæ, & Gerundæ, ac in alijs nostri Ordinis Monasterijs; necnon semel in Ecclesia maiori Barchinonæ, multis Canonicis præsentibus sibi contigisse à plurimis fide dignis Patribus, quorum nonnulli adhuc sunt inhumanis, intellexi. Hic religiosus, deuotus, & doctissimus Pater, non sicut alij scriptores, & viri docti, qui suas Bibliothecas diuersis historiarum, & profanorum auctorum libris, atque scriptis adornare solent, depoliebat, sed in sua humili cella de Superiorum licentia paucos Sacræ scripturæ, & piorum auctorum libros, qui de laudibus Virginis tractant, ad vsum tenebat. Quadam igitur nocte genuflexus in cella sua coram deuotissima Virginis Marię imagine, dum legit, in manibusque tenet pium, & deuotum librum, cuius auctor est Frater

Sanctius de Porta, dum ventum est ad illum locum, in quo auctor iste delineamenta, & A
pulchritudinem Virginis Mariæ ex Sacræ scripturæ locis depinxit, tunc in extasim per aliquod temporis spatium raptus, & ad se deinde reuersus calamum accepit, & in eiusdem paginæ margine hæc sua manu scripsit verba. (Ita est, & ego vidi) & ex ea hora solebat quotidiè ad laudem, & deuotionem Virginis Mariæ nostros fratres inuitare, & pulchritudinem eius summis laudibus, & præconijs commendare: quibus, inter alia, dicere solebat. O Patres, & fratres mei, quàm bonum, & meritorium opus est, Virgini Mariç deseruire, quæ gratissima, simulque pulcherrima est, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Tota est pulchra, & macula non est in ea; benè de ea scripsit Frater Sanctius de Porta. Quæ dum proferebat, non se à lach y mis abstinere valebat. Præfata verba sua manu in margine libri eius auctoris exarata, non eo viuente, sed post mortem eius, non sine admiratione, inuenta sunt. Fuit dum vixit virtutis exemplar, & sanctimoniæ norma, plurimisque cœlestibus donis, & gratijs ditatus. Profunda in eo fulsit humilitas, & magnanimus quarumcunque dignitatum fuit contemptor, & in eo semper mãsit eximius reformationis zelus. Et cũ B
esset ab omni auaritię ardore, & prætentionis labe valdè alienus, solebat viriliter Fratres deuios, & proprietarios, dignitatum amatores, & alijs scandalosis criminibus innodatos in secreto, (iuxta Euangelij verba) admonere, & arguere; quę si non sufficerent, Magistrum Ordinis, omni timore deposito, vt super gregem sibi commissum vigilaret, & ne permitteret in ordine proprietatis crimen à religioso statu valdè alienum, excitabat; & similiter quòd Secretario, & socijs præciperet, ne pro literarum, licentiarum, & aliarum gratiarum expeditione inordinatas, & exorbitãtes, etiam gratis sibi oblatas reciperent pecunias, sed omnia etiam quoad scripturam, gratis fierent: eoque audito Magister Ordinis multa bona faciebat, & Ordinem reformare incipiebat. Quæ omnia Fratri Hieronymo Augustino eiusdem Magistri socio maximoperè displicuerunt. Ob id hunc sanctum, & inculpabilis C
vitæ virum, pro viribus suis, nihil intactum relinquendo, verbo, & opere insequi non cessauit, donec à patria sua eiectum, exulem, & falsis notatum suis oculis vidit. At sanctus vir terrena commoda negligens, & communia emolumenta præponens hanc sibi illatam iniuriam patientèr sustinuit, & tantò robustiùs intus in Deo se solidauit, quantò foris extra patriã, ac si esset malefactor, extorrẽ se inuenit. Vndè Gerundæ morã trahẽtem cępit Deus ingeniosus artifex, & excellens aurifex id, vt pretiosum aurum in mũdi huius fornace persequutionum, tribulationumque igne diuinitus purgare. Et tanquam aurum iam probatum inimicorum potentia, & aduersariorum crudelitate magis, ac magis clarescens, & refulgẽs apparuit, (omnibus patientiam ipsius demirantibus.) Deindè post paucos dies, non sine magno, & euidenti signo, falsæ oppositionis auctor, luit miserabilitèr pœnam; & Frater Michael Carmel Barchinonem accitus, reliquum vitæ suæ spatium in sua laudabili vita perseuerans, accumulato sibi meritò sanctissimè consumpsit de Mense Aprilis huius anni D
1557. 1557. Et magna totius ciuitatis, ac nobilium frequentia, non in communi fratrum sepultura, (ne eius periret memoria,) sed sub pulpito ante eamdem Virginis Mariæ Angelorum Capellam (vbi orare solebat) honorificentissimè fuit tumulatus. De quo nostri scriptores nonnulla typis mandarunt, sed antiqui, & moderni Patres, Monasterij Barchinonæ filij, mirabilia, & ferè incredibilia de suo conterraneo narrant.

Hoc eodem anno ad instantiam Religiosissimi Patris Fratris Ioannis de Mata, seu Mates, in Sacra Theologia Magistri, Conuentus Barchinonæ Prioris Dominus Guilielmus Cassador iurium Doctor, Abbas Ecclesiæ secularis collegiatæ Sancti Fœlicis Gerundæ, Canonicus Ecclesiæ Barchinonæ, & in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, pro Reuerendissimo in Christo Patre D. Iacobo Cassador, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Barchinonensi Episcopo, vidit, inspexit, legit, & cognouit, & diligenter examinari fecit, E
per Michaelem Mongay, Apostolica, & Regia auctoritatibus publicum Notarium Barchinonæ præfatas Apostolicas literas Pauli Papç IV. easque transscribi, & comprobari fecit.
1557. Sub datum Barchinonæ, die 22: mensis Septembris, anno Domini 1557.

Nostri Ordinis Superiores, & Commendatores in Italiæ partibus degentes, Summorum Pontificum gratiis, indultis, & priuilegiis non debitis modis, & rationabilitèr vtebatur, sed abutebantur. Hinc est, quod ad publicandas Indulgentias nostri Ordinis cum sufficientes Sacerdotes non haberent, prætextu Bullarum Martini V. Calixti III. & Alexandri VI. Romanorum Pontificum fratres aliorum Ordinum apostatas ob grauissima perpetrata delicta, suorum Superiorum pœnas iustissimè sibi debitas fugientes, ad nostrum Ordinem recipie-

A cipiebant. Eam ob caussam cùm Sanctissimo Paulo Papæ IV. querelosa esset insinuatio porrecta, ordinauit, ne Ordo noster, nec Ordo Sancti Spiritus huiusmodi Apostatas reciperent. Sub datum Romæ, apud S. Petrum, 13. Calend. Augusti 1558. sui Pontificatus anno quarto. Idem Summus Pontifex ad supplicationem Generalis Magistri, & Syndici nostri Ordinis nostra priuilegia confirmauit; cuius confirmationis Bullæ tenor talis est. 1558.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro Generali, & Syndico, ac aliis fratribus Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates, gratias, & concessiones à fœlicis recordationis Nicolao IV. Bonifacio VIII. Alexandro etiam IV. Clemente VI. Gregorio XI. B Martino V. Eugenio IV. Calixto III. Iulio II. Leone X. Adriano VI. Clemente VII. Paulo III. Iulio etiam III. & alijs Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, siue per priuilegia, vel alia indulta vobis, & Ordini vestro (etiam in Insula Melenitañ.) concessa; necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus vobis, & Ordini vestro in communi rationabiliter indulta, sicut ea omnia iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem Ordini auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis C Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1558. quartodecimo Calend. Ianuarij, 1558. Pontificatus nostri anno quarto.

Floruit hoc seculo grauissimus, & celeberrimus Pater Fr. Petrus de Salazar, in S. Theologia Magister, meritissimus Castellæ Prouincialis, eiusque Prouinciæ filius, Genere Illustris, sed moribus, ac sanctimonia illustrior, quatuor linguarum Latinæ, Hebraicæ, Gręcæ, & Chaldaicæ peritissimus, quarum tres vltimas in Salmanticensi Schola in iuuentutè sua publicè docuit, earumque Cathedras contra doctissimos Competitores iustissimè (non sine magno nostri Ordinis decore) obtinuit. Fuit conspicuus, & insignis in Sacra Theologia Doctor, quam etiam insigni eruditione per plures docuit annos, multa, dum à publicis, & frequentibus suæ Prouincię negotijs otium concedebatur ei, in lucem edidisse ferunt. Eodem etiam seculo in alijs nostri Ordinis Prouincijs multi Patres floruerunt; inter quos non D infimum tenet locum perdoctus præsentatus Fr. Clemens de Ginebrosa, Prouinciæ Aragoniæ filius, à nostris scriptoribus valde commendatus.

Post illam famosissimam Redemptionem per fratres nostros operatam, quæ admiratione, & stupore vniuersum Christianum, & etiam Paganum repleuit orbem, cœperunt Christi fidelium eleemosynæ, dona, & largitiones vberiores esse, nosterque Ordo plurimis laudibus, & præconijs commendari. Quod ægrè ferens Episcopus Lucensis, Sanctæ Cruciatæ Commissarius, grauem querelam suæ Catholicæ Maiestati contra nostri Ordinis Superiores, & Pręlatos porrexit. In qua inter alia afferebat, fratres nostros bullas Leonis X. & Clementis VII. Romanorum Pontificum in Hispania publicantes, & à Christi fidelibus quamdam pecuniarum quantitatem per Magistrum Ordinis taxatam recipientes, non modicum detrimentum, sed magnam diminutionem bullę Sanctæ Cruciatę intulisse. Et simi- E liter eosdem Christi fideles (attendentes, in quo, vel in quali opere per fratres nostros eleemosynæ receptæ, impendebantur) libentiùs bullas Redemptionis per Nuntios, & Procuratores nostros distributas, q̃ eas, quas Sanctæ Cruciatæ Cõmissarij distribuebant, recepisse. Cui querelosę insinuationi Catholici Reges Pater, & Filius responderunt, non esse suę mentis Apostolicas bullas ad fauorem Redemptionis concessas in aliquo minuere, sed pro viribus defendere; & ob id Commissario Sanctæ Cruciatæ iniunxerunt, vt cum Magistro nostri Ordinis super publicatione Indulgentiarum conuenire niteretur. Quo stante rescripto, & responso, vt super nostrarum gratiarum, & Indulgentiarum publicatione, aliqua fieret pactio, partesque nonnullis conditionibus appositis conuenirent; Episcopus Lucensis Generali Magistro scripsit, petijtque ab eo (ne secularibus personis, & Christi fidelibus scandali occasio daretur) vt suos speciales super huiusmodi negotio Procuratores, & gestores confestim deputare vellet. Quibus literis receptis Generalis Magister, pro sui muneris de-

bito suas patentes literas ad hunc effectum expediri fecit, quæ sunt tenoris sequentis. A

1558. Anno Domini 1558. die verò Martis 24. Maij, Reuerendissimus in Christo Dominus Michael Puyg, Iuris Canonici Licentiatus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, totius Ordinis de Mercede humilis Magister de sua certa scientia melioribus via, modo, & forma, quibus meliùs sciuit, & de iure potuit, fecit, & constituit, creauit, & deputauit, & solemniter ordinauit suos veros, certos, legitimos, & indubitatos Procuratores, negotiorumque infrascriptorum gestores, ac nuntios speciales, & Generales Reuerendos Patres Petrum de Salazar, Magistrum in Sacra Theologia Prouincialem Regnorum Castellæ, & Portugallię; Augustinum de Molinar Commendatorem perpetuum Monasterij Sancti Lazari, & Regnorum Aragoniæ, & Nauarræ Prouincialem; Fortunium de Sparta, in S. Theologia Licentiatum Commendatoremque commendæ Conuentus, seu Monasterij Ciuitatis Pampilonensis Regni Nauarræ; & Clementem Ginebrosa, in S. Theologia pręsentatum eiusdem Ordinis, B &c. ad conueniendum, pascicendum, stipulandum, concordandum, & capitulandum cum Sacra Cæsarea Catholica, & Regia Maiestate Carolo Imperatore, & Serenissimo, & potentissimo Principe, eius primogenito, & Rege nostro, fœliciter regnante, vel eius magnifico, & egregio Vicecancellario, & Illustrissimo, & Reuerendissimo in Christo Patre D. Luceñ. Episcopo S. Cruciatę Commissario in Regnis Hispaniarum, de, & super publicatione, & prædicatione, & denunciatione quarumcumque literarum, priuilegiorum Regiorum, gratiarumque, & Indulgentiarum Apostolicarum, &c.

C

CAP. XXXIV. Eligitur in Prouincialem Magister Torres, ad cuius preces Rex noster Philippus priuilegia nostra confirmat. Obijt Carolus V. & Paulo Papa IV. Pius IV. succedit.

Hoc anno tres potentissimi Principes ex hac mortali vita, in qua regnauerant, imperauerant, & sederant, ad æternam migrarunt Henricus Gallorum Rex, Carolus V. & Paulus Papa IV. D

1559. Eodem anno 1559. in Comitijs Prouincialibus in Castella celebratis in Prouincialem electus est Reuerendus admodum Pater Fr. Gaspar de Torres, nostri Ordinis decus, imò Hispani nominis honos. De quo multi multa dixerunt, & scripserunt; sed pro multis sufficiat modo testimonium Reuerendissimi Magistri Zumel (qui probè eum agnouit, & cognouit) sic dicentis. Fuit Magister solemnis, & peritissimus in S. Theologia; qui mirè ab omnibus celebratur; & per triginta annos publicè legit in Salmanticensi Vniuersitate, quia diuersas obtinuit Cathedras. In ea plerisque etiam diebus regimen, & gubernationem Vniuersitatis Salmantinæ obtinuit, quoniam Scholastici officium exercuit non sine ingenti gloria ipsius, ac totius Ordinis; & leges ipsius Vniuersitatis ordinauit. Hic fuit, E qui potissimè Prouinciam Castellæ reformauit, & ad fastigium religiosissimæ obseruationis perduxit. Fuit sanè vir modestus, & grauis, & inculpatæ vitę, quantùm nos vidimus, cum in prædicto Collegio Veræ crucis cum eo commoraremur. Ordinem in Prouincia Castellæ amplificauit, & Cœnobium Matriti fundauit; & Collegia studentium plerisque, & honorificis, & redditibus insigniuit. Non est cur vnquàm à memoria Religionis excidat insignis illa liberatio, & per illustris Captiuorum Redemptio, quam suo tempore peregit P. Gaspar de Torres cum esset Prouincialis Castellæ, & Lusitaniæ, in qua videtur gloriosè triumphasse Ordo noster; nam liberati sunt ex Ciuitate Argel, & à Maurorum sæuitia ex Africano litore ferè quingenti fideles Captiui pretio tamen ingenti. Nam quadraginta millia scutorum *Liberati 500*

aureo-

A aureorum transmissa sunt à fratribus nostri Ordinis, vt à Captiuitate Barbarica liberarentur. Cuius liberationis, & Redemptionis Patres Redemptores fuerunt in prædicta Castellæ Prouincia Fr. Antonius Martinez Commendator domus de Cazorla, & Fr. Ioannes Vallejo, vir insignis, & candore Sanctitatis Sanctissimus, quem ob vitæ innocentiam nomino. Huiusque Magister Zumel in vita huius Generalis Magistri pagina 126. Fuit deinde ad preces Regis nostri Philippi ad Episcopatum Medaurensem promotus. A quo Ispali patria mea Ordines Generales celebrante, fui ad primam tonsuram, quatuorque Minores ordines promotus. Hic ergo grauissimus Pater cum esset Ordinis zelator, cupiens ad maius robur, maioremque firmitatem, quod priuilegia Regia nostro Ordini concessa, de nouo confirmarentur, ad Regem nostrum Philippum recursum habuit, eique supplicationem, in qua confirmationem petebat, porrexit. Cuius precibus Rex Catholicus inclinatus priuilegium concessit tenoris sequentis.

B

Sepan quantos esta carta de Preuilegio, y Confirmacion vieren, como nos Don Philippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, delas dos Sicilias, de Jerusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Gallicia, de Mallorca, de Seuilla, de Serdeña, de Cordoba, de Corsega, de Murcia, de Jaen, delos Algarues, de Algezira, de Gibraltar, y delas Islas de Canaria, y delas Indias, Islas, y tierra firme del Mar Oceano; Conde de Barcelona, Señor de C *Vizcaya, y de Molina, Duque de Athenas, y de Neopatria, Conde de Ruyssellon, y de Cerdania; Marques de Oristan, y de Goziano, Archiduque de Austria, Duque de Borgogna, y de Brabante, de Milan, Conde de Flandes, y de Tyrol, &c. Vimos vna carta de Preuilegio, y de Confirmacion dela Catholica Reyna Doña Juana, y Emperador, y Rey Don Carlos, mis Señores abuela, y Padre que santa gloria ayan, escrita en pergamino de cuero, y sellada con su Sello de Plomo pendiente, en filos de Seda à colores, y librada delos sus Concertadores, y Escriuanos mayores de sus preuilegios, y confirmaciones; cuio tenor es este que se sigue.* D *Sepan quanto esta carta de preuilegio, y confirmacion vieren, como nos Doña Juana, y Don Carlos su fijo, por la gracia de Dios, Reyna y Rey de Castilla, &c. Vimos vna carta de preuilegio, y confirmacion delos Catholicos Reyes Don Fernando, y Doña Isabel, nuestros Señores Padres, y abuelos.*

In quibus priuilegijs, & confirmationibus inserta sunt alia priuilegia Henrici IV. Ioannis II. Ferdinandi IV. Alphonsi XI. Henrici II. Henrici III. & Ioannis I. quorum datæ respectiuè sunt, Burgis die 27. Februarij 1311. Vallisoleti die 7 Iunij 1312. Vallisoleti, die 18. Martij 1338. Burgis die 25. Maij 1372. Vallisoleti, die 25. Maij 1373. Burgis die E 10. Augusti 1379. Matriti die 20. Aprilis 1391. die 29. Iunij, 1437. Vallisoleti die 20. Maij 1438. Vallisoleti die 4. Iulij 1499 Vallisoleti die 10. Augusti 1449. Palentiæ die 8. Ianuarij 1457. Ispali die 20. Maij 1500. Auulæ die 14. Octobris 1518. Et post dicta priuilegia de verbo ad verbum in priuilegio Regis nostri Philippi inserta, sequitur confirmatio eiusdem Regis in hanc formam.

E agora por parte de vos Fray Gaspar de Torres, Maestro en Santo Theologia, y Cathedratico en la Uniuersidad de Salamanca, Prouincial dela dicha Orden de nuestra Señora dela Merced, Redempcion de Captiuos de estos nuestros Reynos, por vos, y en nombre de todos los Commendadores, y frayles dela dicha Orden,

y Mena-

y Monasterios della; nos fue supplicado, y pedido por merced, que vos confirmassemos la dicha carta de preuilegio suso encorporada, y las Mercedes en ella contenidas, y vos la mandassemos guardar, y cumplir en todo, y por todo, como en ella se contiene. E nos el sobre dicho Rey Don Philippe por hazer bien, y Merced à vos el dicho Prouincial, y alos otros Commendadores, y frayles dela dicha Orden de nuestra Señora dela Merced Redempcion de Captiuos, y Monasterios della, touimos lo por bien, y por la presente vos confirmamos la dicha carta de preuilegio suso incorporada, y las Mercedes en ella contenidas. E mandamos que vos valan, y sean guardadas en todo, y por todo, como en ella se contiene, si, y segun que mejor, y mas cumplidamente vos valieron, y fueron guardadas en tiempo dela dicha Catholica Reyna, y Emperador, y Rey Don Carlos, mis Señores Abuela y Padre, que ayan santa gloria, y en el nuestro fasta àqui; (contanto que en lo que toca al quinto delos Abintestatos se guarden las prematicas, y declarationes destos nuestros Reynos, que sobre ello estan fechas.) E defendemos firmemente que alguno, ni algunos no sean osados de vos ir, ni passar contra esta nuestra dicha carta de preuilegio, y confirmacion que vos ansi fazemos, ni contra lo en ella contenido, ni contra parte dello en ningun tiempo que sea, ni por alguna manera; que qualquier, ò qualesquier que lo hizieren, ò contra ello, ò contra alguna cosa, ò parte dello fueren, ò passaren; auran la nuestra ira, y de mas pechar nos han la pena contenida en la dicha carta de preuilegio, y confirmacion; y à vos el dicho Prouincial, y Commendadores, y frayles dela dicha Orden, y Monasterios della, ò aquien vuestra voz tuuiere, todas las costas, y daños, y menos cabos, que por ende fizieredes, y se vos recrescieren doblados. Y demas mandamos à todas las Justicias, y Officiales dela nuestra Casa, y Corte, y Chancellerias, y de todas las Ciudades, Villas, y lugares delos nuestros Reynos, y Señorios do esto a caesciere, assi alos que agora son, como alos que seran de aqui adelante, a cada vno dellos en su iurisdicion que se lo no consientan, mas que vos defiendan, y amparen en esta dicha Merced, y Confirmacion que vos assi fazemos en la manera que dicha es; y que prendan en bienes de aquel, ò quellos que contra ello fueren, ò passaren por la dicha pena, y la guarden para hazer della lo que la nuestra merced fuere; y que emenden, y fagan emendar à vos el dicho Prouincial dela dicha orden, y comendadores, y Frayles delos Monasterios della, o aquien su voz tuuiere todas las dichas costas, y daños, y menos cabos, que por ende fizieren, y se les recrescieren doblados como dicho es. E de mas por qualquier, o qualesquier por quien fincare delo ansi fazer, y cumplir mandamos al home, que les esta nuestra dicha carta de preuilegio, y confirmacion mostrare, o el treslado della autorizado en manera que haga fee, que los emplaze que parescan ante nos en la nuestra corte, do quier que nos seamos, del dia que los emplazare fasta 15. dias primeros siguientes so la dicha pena a cada vna adezir, por qual razon no cumplen nuestro mandado. So la qual mandamos a qualquier escriuano publico que para esto fuere llamado que

deè

A *deè al que se la mostrare testimonio signado con su signo, porque nos sepamos en como se cumple nuestro mandado. Y desto vos mandamos dar, y dimos esta nuestra dicha carta de preuilegio, y confirmacion escrita en pergamino, y sellada con nuestro sello de plomo pendiente en filos de seda a colores, y librada delos nuestros concertadores, y escriuanos mayores delos nuestros preuilegios, y confirmaciones, y de otros officiales de nuestra casa. Dada en la villa de Valladolid a 18. dias del mes de Mayo año del nascimiento de nuestro Saluador Jesu Christo de 1559. años. El licenciado Montaluo del Consejo de su Magestad real, y Sancho busto de Villegas Re-* 1559.
B *gentes del officio dela escriuania mayor delos preuilegios, y confirmaciones de su Magestad la fezimos escriuir por su mandado. Registrado Martin de Vergara. El licenciado Santa cruz Chanciller. Juan de figueroa. Bernardo de Gaona, Juan de Galarza. Hernando del Campo.*

Cum Generalis Magister Fr. Michael Puyg magnis, ac grauibus ægritudinibus, & laboribus esset oppressus, ne in aliquo bonus Religionis status deficere posset, suum Secretarium
C Fratrem Matthiam Papiol in suum Vicarium Generalem cum magna potestate deputauit, & elegit.

Paulus Papa IIII. cum sedisset annos quatuor, menses duos, & dies 24. Romæ obijt. Vacauit Romana sedes menses quatuor, & dies septem. Post longam vacationem fuit in Summum Pontificem creatus 14. Calen. Ianuarij Ioannes Angelus Medices Cardinalis S. Priscæ, qui Pius Papa IIII. appellari voluit. Hic Summus Pontifex instante, & procurante præfato Magistro Papiol Vicario Generali ordinis concessit bullam tenoris sequentis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Magistro Generali, & Fratribus ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fœlicis recordationis
D Paulus Papa IIII. prædecessor noster precibus vestris tunc inclinatus omnes libertates, & immunitates a piæ memoriæ Nicolao IV. & Bonifacio VIII. Alexandro IV. Greg. XI. Martino V. Eugenio IV. Calixto III. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Adriano VI. ac alijs Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus nostris, tunc suis, siue per priuilegia, & alia indulta, ac indulgentias, vobis, & ordini vestro, illiusq; benefactoribus rationabiliter indulta, sicuti ea omnia iustè & pacificè possidetis, uobis, & ijsdem benefactoribus per suas sub plumbo expeditas literas auctoritate apostolica confirmauit; prout in eiusdem literis dicitur, plenius contineri. Vosq; postmodum tàm literarum confirmationis huiusmodi, quam aliorum priuilegiorum vobis, & dicto ordini per Sedem Apostolicam concessorum vigore, Indulgentias pro Redemptione Captiuorum in diuersis ciuitatibus, terris, & locis, ac forsan Regnis publicari fecistis eleemosynas pro eorũdem Cap-
E tiuorum Redemptione a Christi fidelibus misericorditer elargitas recipiendo. Cum autem sicut eadẽ petitio subiungebat, vt vos & Christi fideles deuotionis caussa ad pia charitatis opera magis incitentur, ut Christi fideliũ eorumdem eleemosynis, Captiuis subueniatur, cupiatis omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, ac etiam plenarias Indulgentias per prædictos, & alios Romanos Pontifices dicto ordini, & illius benefactoribus, ac Confratribus concessa; nec non confirmationem Pauli præ-decessoris huiusmodi, ac alia præmissa, per nos approbari, & confirmari, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis robur apostolicæ confirmationis adijcere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, facultates, & immunitates, ac etiam plenarias Indulgentias, per præfatos, & alios quosuis Romanos Pontifices prædecessores nostros dicto ordini, & illius

lius benefactoribus, Confratribus, & alijs Christi fidelibus, libertates de super . . . ac si de A
verbo ad verbum insererentur, & præsentes pro sufficienter expressis habentes, ac mandantes dilectis filijs Paulo Pla, & Petro Paulo çaragoza Canonicis Ecclesiæ Barchinonen͂, & Officiali Barchinonen͂; quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, vos confirmatione nostra prædicta præsentibus literis pacificè frui, & gaudere; non permittentes vos per quoscumq; contra tenorem præsentium desuper indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas (appellatione postposita) compescendo. Nec non legitimis super his adhibendis, & seruatis processibus, censuras prædictas etiam iteratis vicibus augendo; inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum confirmationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis B
autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incar-
1560. nationis Dominicæ 1560. quarto idus Iulij Pontificatus nostri anno primo.

1561. Hoc anno 1561. in Monasterio Barchinonæ Magister ordinis comitia generalia celebrauit; ad quæ ex diuersis prouincijs, & mundi partibus 480. Patres confluxerunt; sed ex Regnis prouinciæ Castellæ duo tantum Patres Commendator scilicet, Murtiæ, & Commendator Sancti Iacobi in Compostella adfuerunt. In hoc igitur Generali capitulo multa patres ad ordinis reformationem, & decorem salubriter statuerunt; & inter alia decretum est; quòd fratres Sacerdotali honore, & Diaconatus ordine condecorati, (quibus tantùm pileos nigros more Clericorum secularium gestare licebat) nullo modo eos deinceps sub grauibus pœnis deferrent, sed statim deponere deberent. Cui ordinationi omnes ibi con- C
gregati (præter Magistrum Fratrem Iacobum Graoffet, qui contradixit) suum consensum præbuerunt. Et Patres prouinciæ Castellæ subiunxerunt, & dixerunt, eam ordinationem esse saluberrimam, & iam a nonnullis annis in sua prouincia pileos gestare fuisse vetitum.

1561. In compendio bullarum, & literarum apostolicarum ex prouincia Castellæ ad me delato continebatur, Summum Pontificem Pium IV. laudasse, & approbasse fundationes Monasteriorum nostri ordinis in partibus Indiarum del Pyru, & prouincias in eo Regno erectas. Et similiter eundem Pontificem confirmasse ordinationem in prouincia Castellæ factam, in qua decernebatur, Commendatores Monasteriorum Guadalaxaræ, Vallisoleti, Ispalis, & Huetæ in comitijs generalibus pro sua prouincia vocem habere debere.

1562. Venerabiles Patres Fratrem Antonium Martinez magna auctoritate apud Sarracenos valentem, pro prouincia Castellæ, & Fratrem Matthiam Papiol pro Regis Aragoniæ
Liberati 470 dominio Redemptores hoc anno 1562. liberasse ex Algariæ Regno plusquam 470. D
Christi fideles audiui à nonnullis patribus, qui eos viderunt, & numerauerunt, tempore quo iam redempti per Christianorum terras ducebantur; dicuntq; eorumdem Redemptorum socium fuisse venerandum, & honorandum Senem Fratrem Aloysium Charry, virum sanè a cunctis meritò ob suas singulares virtutes valde dilectum. Inter hos Captiuos Christianos redemptos, quatuor sanctimoniales ingenti pretio redemptæ sunt. Hæ igitur Sanctæ Virgines, sanctimonia præditæ, ob uitæ candorem, religiososq; earum mores honestatem, & bonam famam ex millibus, ut quoddam Monasterium Ciuitatis Callaris in insula Sardiniæ reformarent) electæ, & destinatæ, in medio mari a Pyratis Mauris captæ, & Algariam delatæ sunt; sed ingenti (ut diximus) pecuniarum summa per nostros Redemptores redimi potuerunt.

Inter præstantes, & insignes nostri ordinis professores, natione Hispanos ad cohone- E
standa, & reformanda Italiæ Monasteria honoris gratia nominare decreui doctissimum magistrum Fratrem Thomam Serralta, quem Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Vitellocius Vitellius, ciuis Tifernas, iuris vtriusq; doctor, nobilitate clarissimus, Galliæ protector S. R. E. Cardinalis amplissimus, cùm virorum literatorum esset valde studiosus in suum Theologum elegit; stupentibus, & demirantibus omnibus; quod Cardinalis Galliæ Protector, & obid, Franciæ rebus adhærens. Fratrem Thomam Serralta Hispanum, ex insula Baleari, seu Maiorica oriundum in suum admiserit Theologum. Sed Magistri Serralta sciētiæ præstantia, integerrimæ vitæ, rectitudinisq; fama, eas superauit difficultates; tantiq; Principis animum inclinauit, ut inter mille diuersarum nationum Thologos egregios, &

exi-

A eximios, qui ea tempestate Romæ florebant, eum elegerit. In ea igitur Ciuitate, quæ est totius orbis Caput subtiliter disputando, & prædicando sie doctrinæ testimonium dedit. Nonnullas dignitates, & Episcopatus vacantes, quorum collationes Summus Pontifex Cardinali Vitellio ad fauorem suæ familiæ concesserat; Cardinalis suo Theologo Serralta obtulit; qui semper respondit debita modestia, & reuerentia, animarum curam, se suis debilibus humeris imponere nolle. Et sic fine aliena cura cum Dei timore vitam honestam in domo Cardinalis degit vsque ad ipsius Cardinalis obitum, qui accidit 13. Cal. Decembris 1568. Sed dùm Magister Serralta ad patriam reuerti conatur, ab Illustrissimo Cardinali Farnesio totius Sacri Collegij splendore vocatus, in suum similiter Theologum electus est. Sed quem deinde exitum, & finem habuerit, aut vbi obierit, penitùs ignoro. Eam ob caussam ad hæc tempora de eo mentionem facio; quem in Curia Romana fuisse ordinis Procuratorem, & Vicarium Generalem in pluribus scripturis adinueni. 1562.

B

CAPVT XXXV. *Philippus Rex noster priuilegia nostra confirmat. Frater Joannes de Mata laudatur, & sanctè obijt. Pio Papæ IV. Pius V. succedit.*

C

IN principio huius anni Magister Ordinis iuxta sui muneris debitum (licet valde senex) Monasteria personaliter visitauit, vt in eis reformationem incœptam, & Capituli Generalis proximè præteriti ordinationes introduceret, & obseruari faceret. Et expleta Tirasonæ domus visitatione, iussit agitari grauem, & magni momẽti litem superioribus mensibus motam inter Reuerendos Decanum, Canonicos, & Capitulum Ecclesię Tirasonę ex vna parte, & Reuerendum Patrem Fratrem Franciscum Salazar Commendatorem, Fratrem Matthæum Marcum, Fratrem Franciscum Prat, & alios Conuentuales dictæ domus, de, & super Conditionibus, quibus hoc Monasterium retinere, & possidere deberemus; quæ primæ conditiones, (si adhuc D extant) clarissimè repugnant bullis Apostolicis nostro Ordini concessis; suntque certè in euidens detrimentum, atque dedecus eius Monasterij. Quas fabricauit, & ordinauit D. Ioannes Gonzales de Munebra dictæ Ciuitatis Episcopus, Iudex compositor, & deputatus. Et vehementer demiror quoties eas lego, quod in tanta Ecclesiæ læsione nullus frater repertus fuerit, qui suum aperiret os, aut se opponeret eis. 1563.

Magister Generalis Barchinonam post visitationem reuersus, Apostolica auctoritate Iudex deputatus, suum decretum, & auctoritatem impartitur quibusdam Apostolicis literis Pij Papæ IV & aliorum Romanorum Pontificum Religioni nostræ concessis. Sub datum Barchinonæ die 24. Martij 1563. 1563.

Pius Papa IV. ad supplicationem Commendatoris, & fratrum nostri Conuentus Ispalensis confirmauit auctoritate Apostolica consuetudinem celebrandi solemni processione fæstiuitatem Sanctissimi Sacramenti, post octauam Corporis Christi per ambitum dicti nostri E Conuentus, & per quasdam vias iam consuetas, & deputatas, quod in ea ciuitate honorificum est, multæque Religiones huiusmodi priuilegio frui, & gaudere velent; Sub datum Romæ, apud S. Petrum, anno Domini 1563. quinto Calend. Octobris, sui Pontificatus anno quarto. 1563.

Floruit per hæc tempora Fr. Ioannes Conchillos Hispanus, natione Arago, celeberrimus in S. Theologia Magister, famosusque Verbi Dei Concionator, qui in Siciliam à Magistro Ordinis missus, ad Illustrissimum Proregem, & Reuerẽdissimos Inquisitores Conciones plures habuit, eosque verbo, & exemplo oblectauit, & ædificauit.

Rex noster Philippus eius nominis II. nostri Ordinis Patronus, Prædecessorum suorum

vestigia sequendo, nostri Ordinis Regia priuilegia confirmat; cuius confirmationis tenor, ad preces Generalis Magistri, talis est. A

Nos Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Aragonum, vtriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Legionis, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galetię, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murfię, Giennis, Algarbij, Algesiræ, Ghibraltaris, Insularum Canariæ, Insularumque Indiarum, & terræ firmę, Maris Oceani: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brauantiæ, & Mediolani, Comes Barchinonę, Flandriæ, & Tyroli, Dominus Biscayę, & Molinę: Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Rosilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oristani, & Gociani, &c. Quæ per Cæsaream Catholicam, & Regiam Maiestatem Imperatoris, Regis, & Domini nostri obseruantissimi æternæ memoriæ concessa fuerunt; tanquam legitimè facta, lęta fronte, placidoque animo confirmamus. Sanè pro parte vestri venerabilis, & dilectorum nostrorum Magistri Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Priorisque Conuentus Monasterij Barchinonæ dicti Ordinis, ac Redemptorum ipsorum Captiuorum fuit Maiestati nostræ exhibitum quoddam Confirmationis priuilegium per præfatam Cęsaream Majestatem, & Ioannam eius matrem præfato Magistro Generali Priori, & Conuentui Barchinonæ, ac Redemptoribus dictorum Captiuorum, & vniuersæ religioni dicti ordinis B. Marię de Mercedè concessum seriei huiusmodi. Nos Ioanna, & Carolus eius filius Dei gratia Reges Castellæ, &c. Fueritq; pro parte vestri venerabilium, & nobis dilectorum Magistri Generalis dicti ordinis Redemptionis Captiuorum, Priorisq;, & Conuentus Monasterij Barchinonæ dicti ordinis, vt præinsertum priuilegium per dictam Cęsaream Catholicam, & Regiam Maiestatem iuxtà dicti priuilegij seriem, & continentiam, & tenorem, laudare, approbare, ratificare, & confirmare ex nostra solita benignitate dignaremur. Nosque supplicationi huiusmodi benignè annuentes tenore præsentis chartę nostrę Regię, cunctis futuris temporibus firmiter valiturę, ex certa nostra scientia, Regiaque auctoritate, & consultò pręinsertum priuilegium, ac omnia, & singula in eo contenta, iuxtà eius seriem, continentiam, & tenorem, prout vos dictus Magister Generalis, Priorque, & Conuentus Monasterij Barchinonæ, ac Redemptores ipsorum Captiuorum, meliùs, & pleniùs vsi fuistis, estisque in præsentiarum....... laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, nostręque huiusmodi laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis munimine, seù pręsidio roboramus, & validamus: volentes, & decernentes, ac declarantes, quòd huiusmodi nostra confirmatio sit, & esse debeat vobis dicto Magistro Generali Priorique, & Conuentui Barchinonę, ac Redemptoribus dictorum Captiuorum, vniuersęque religioni dicti ordinis B. Marię de mercede in perpetuum stabilis, realis, valida, & firma, nullumque in eodem, vel extra sentiat diminutionis incommodum dubietatis obtutum, aut noxę alterius detrimentum: sed in suo semper robore, & firmitate persistat. Serenissimo præterea Carolo Principi Asturiarum, & Gerundę, Duciq. Calabrię filio primogenito nostro carissimo, & post fœlices, & longeuos dies nostros in omnibus Regnis, & Dominijs nostris (Deo propitio) immediato hęredi, & legitimo successori intentum aperientes nostrum, sub paternę benedictionis obtentu dicimus; nec non illustribus admodum, Reuerendis, ac venerabilibus, spectabilibus, magnificis, dilectis Consiliarijs, & fidelibus nostris quibusuis Archiepiscopis, Episcopis, Pręlatis, Commissarijs, siue Legatis per Sedem apostolicam deputatis, & deputandis, Abbatibus, Prioribus Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Sacristis, Doctoribus, Vicarijs, ac cęteris quibuscunque Ecclesiasticis Personis; ducibus quoque, Marchionibus, Comitibus, vicecomitibus, nobilibus militibus, & generosis personis, nec non loca tenentibus Generalibus, & Viceregibus, officium Regenti, & Gerentibus vice nostri Generalis Gubernatoris, Bayulis Generalibus, Iustitijs, Calmedinis, Consiliaribus, Consulibus, patiarijs, Iuratis, Vicarijs, Subuicarijs, Bayulis, nec non Commissarijs, Thesaurarijs, & Receptoribus Sanctę Cruciatę, Consilijs, & vniuersitatibus, & alijs vniuersis, & singulis officialibus, & subditis nostris, vbiq; dictorum Regnorum, & Dominiorum nostrorum constitutis, & constituendis ad quem spectet, dictorumque officialium loca tenentibus pręsentibus, & futuris dicta nostra Regia auctoritate dicimus, & districtè pręcipiendo mandamus in incursum nostrę indignationis, & irę, pœnęque florenorum auri Aragonum quinque mille nostris inferendorum ærarijs, quatenùs nostram huiusmodi confirmationis gratiam, ac omnia, & singula in ea contenta teneant firmiter, & obseruent, tenerique, & obseruari (per quos deceat) faciant; nec secùs agere, fieriq; per-

A permittant ratione aliqua, siue caussa, si dictus Serenissimus Princeps primogenitus noster charissimus nobis morem gerere, & obedire; cęteri vero officiales, & subditi nostri præter iræ, & indignationis nostræ incursum, præappositam pęnam cupiunt non subire. In cuius testimonium præsentem fieri iussimus nostro communi sigillo impendenti munitam. datã, & actam Valentiæ die 18. Aprilis a natiuitate Domini 1564. Regnorũ autem nostrorum, 1564.
videlicet Hispaniæ, & vlterioris Siciliæ anno 9. Citerioris vero Siciliæ, & aliorum 11. Yo el Rey. Vidit Don Bernardus Vicecanc. vidit Comes Generalis Thesaurarius. vidit lloris ℞. vidit Santis. ℞. Sacra Catholica, & Regia maiestas mandauit mihi Antonio Villamayor visa per Don Bernardum Vicecancel. &c.

Hoc anno 1565. in Conuentu Sanctę Catharinæ Virginis, & Martyris nostri ordinis Ciuitatis Toleti, Comitia Prouincialia habita sunt, ibique summa pace, magnaque concordia in 1565.
B Prouincialem electus est dignissimus Pater, Frater Ioannes de Peñaranda grauissimus in sacra Theologia Magister, qui sua doctrina, scientia, prudentia, & morum honestate, non solũ suam, sed reliquas ordinis prouincias mirificè honestauit, & illustrauit. Fuit sanè maioris, & altioris dignitatis meritissimus.

Pius Papa IV. animam suo creatori reddidit quinto idus Decembris huius anni 1565. 1565.
Cui optimo iure successit Frater Michael Ghisilerius Dominicanus S. R. E. Cardinalis tituli Sanctę Marię super Mineruam, creatus 7. idus Ianuarij huius anni 1566. qui Pius Papa V. 1566.
appellari voluit.

Hoc eodem anno obijsse ferunt Religiosissimum Virum Fratrem Ioannem de Mata Barchinonæ Priorem, insignem, & celeberrimum Sacrę Theologiæ doctorem, qui eam publicè per plures annos Lutetiæ Parisiorum fructuosè docuit. Fuit in Mathematicis peritissimus, & famosissimus, neminiq; secundus. Tãta valuit apud Reuerendissimos hereticæ prauitatis Inquisitores auctoritate, vt vnanimiter ab eis maior Consultor Barchinonæ deputaretur, omniumque librorum examinator, & calificator eligeretur; & denique Barchinonæ nihil magni momenti Magistro Mata inconsultò fiebat. Fuit vir honestissimus, & vndequaque perfectus, ita ut, quod alios offendere posset in eo inuentum nihil est. Prioratum Barchinonæ Laudabiliter, & prudenter per plures annos rexit. In quo plurimum insudauit, ut uita communis, sancta paupertas, & Religiosa reformatio obseruarentur, & resplenderent. Ob id die quadam omnes eius Monasterij fratres iussu suo capitulariter congregatos sic allocutus est; notum vobis est hanc quam inhabitatis domum, totius ordinis esse caput, in ea enim suum nostra sacra Religio sumpsit exordium. Ex qua multi Patres, sanctimonia, plurimisq; decorati virtutibus, prodierunt; quorum corpora, & reliquiæ in hac nostra iacent ecclesia. Hi sancti viri veræ paupertatis semper fuerunt cultores, & vitæ communis amatores. Votum paupertatis omnes emisistis, sine vera, & euangelica paupertate, D Religionis status consistere minimè potest, Non licet vobis Patres, & Fratres mei in Christo dilectissimi, equos nutrire, & bona mobilia, atque superflua, vt propria possidere. Hęc igitur domus, quæ fuit à fundatione prima, & est caput, sit deinceps Religionis norma; & & suis mẽbris Religionis obseruãtiæ, & votorũ custodiæ bonũ habitãtes in ea præbeãt exẽplũ. Quibus verbis prolatis, vt verus, & feruidus paupertatis obseruator, socio suo in eodẽ capitulo clauem cellæ suę cõsignans, dixit ei; vade in locum nostræ habitationis, & præter libros, lectum, & imagines crucifixi, Virginis Mariæ, & Sanctæ Magdalenæ, bona, quęcunque ibi inuenta, affer ad me citissimè, ne huic Sanctæ Congregationi molestiam generare videar. Quæ omnia, vt præcepit, executioni demandata sunt. Et tunc coram subditis suis, vno habitu, quo erat indutus, contentus, reliqua omnia in loco communi, magis indigentibus distribuenda, & concedenda reponi iussit. Quod singulare, & eximium exemplũ E plures eius domus Patres excitauit, & commouit, vt veram paupertatem diligerent, bonũq. patrem, & zelatorem Priorem imitarentur. A teneris annis Sanctam Mariam Magdalenam in suã patronã elegit; de qua toto tẽpore vitæ suæ commemorationem ad omnes horas deuotissimè faciebat. In vigilia eius sanctæ, solo pane, & aqua contentus erat. Tèr, aut quatèr, & aliquando pluriès singulis annis sanctam domum, in qua eiusdem sanctæ venerandæ reliquiæ magno honore (licet non pro meritò) reconditę sunt, eximia cordis deuotione, & toto animi affectu inuisere solebat. Missam ibi deuotissimè celebrabat; & sanctissimo Missæ sacrificio expleto, sic ad Sanctam Magdalenam, genuflexus orabat. Ecce Domina mea de longinquò ad te venio; par pari mihi indigno pro tua benignitate referto. Te ergo quęso, ut in die obitus mei, quando hostis humani generis, ut fortis armatus, inuadet me, non

me tuo diuino fauore, & auxilio destitum, & indefessum derelinquas, sed in adiutorium ad me venias. Scio enim tunc corporis viribus decrescentibus Dæmones ipsos crudeliores, & formidabiliores esse. Hoc à te Domina peto, hoc desidero, & in te mea spes collocata est: Sed non fuit defraudatus à desiderio suo; nam cum in vigilia Sancti Serapionis de mense Nouembris læthaliter ægrotare cœpisset, nonnullis patribus circumstantibus videlicet Magistro Papiol Suppriore Conuentus, Magistro Ginebrosa, Fratre Antonio Scalas Monasterij Sacrista, Fratre Paulo de Leone (qui adhuc est in humanis,) & alijs, in extasim raptus est, ab aliquibus mortuus iudicatus; sed post dimidiam circitèr horam oculos aperuit, dixitque astantibus, quid vobis videtur de nobilissimo, & gratissimo meæ Dominæ animo, quæ in hac angustia, & labore ad me consolandum, & adiuuandum venire dignata est. Ecce, ecce me aduocat aduocata, & Domina mea Sancta Maria Magdalena. Mox autem, vbi vitæ spei minùs habere cœpit, (receptis priùs alijs Ecclesiæ Sacramentis) extremam vnctionem petijt, & sensibus integris recepit. Et intuens deuotissimè oculis defixus Crucifixi imaginem, dicebat; Redemptor mundi non meis meritis, sed sola clementia tua, redime me, & miserere mei. Deinde cum animę laborantis spiritum ducere cœpisset, à patribus veniam suppliciter petijt, dicens eis: si aliquem grauius quam fas esset, verbo incomposito reprehendi, si in ægritudinibus, & necessitatibus alicui necessaria non suppeditari feci, me coram Deo (cuius iustum iudicium citò expecto,) & coram vobis me culpabilem fateor, & veniam exposco. Et ad Magistrum Papiol Monasterij Suppriorem conuersus, qui se a lacrymis abstinere non poterat, dixit ei. Si in regimine domus, & erga omnes in necessitatibus suis solers, & feruidus mihi coadiutor fuisti, tua modò anima mea ope, & auxilio indiget. Operam igitur naua, vt Sacerdotes lectionem Euangelicam, iuuenes vero Psalmos pęnitentiales recitent. Quibus omnibus orantibus, & vno Sacerdote ad aures eius dulcissima Iesu, Marię, & S. Marię Magdalenæ nomina incessanter repetente, & ad memoriam reducente, cœpit oculis clausis, vultu pallido, & pedibus frigidis in agone poni, & omnibus sensibus carere. In quo mortis conflictu vsque ad auroram Sancti Serapionis perdurauit. Tunc inter suorum fratrum manus, complorantium, lacrymisque se conficientium, spiritum emisit. Et ad completoriũ in nostro Monasterio religiosa, & honorificentissima pompa sepultus est.

CAP. XXXVI. Sanctimonia Fratris Joannis de Vargas, qui mirabilia fecit in nouo Orbe, laudatur. Generalis Magister Fr. Michael Puyg, postquam bullam concordiæ de nouo Guadalaxaræ admiserat. Barchinonæ obijt.

1567.
Hoc anno 1567. vigilia Sancti Michaelis Septembris in ciuitate Guadalaxaræ Prouinciæ Castellæ Comitia celebrata sunt. Vbi Magister Frater Michael Puyg ad tolendas lites, & controuersias à religioso statu valde alienas concordiæ bullam amplecti voluit; & cum Prouincia Castellæ sub certis tunc expressis conditionibus, & pactis conuenit.

Sancti viri Fratris Ioannis de Vargas in præsentiarum se offert tractatio. In cuius narratione obseruandum est, me non à casu, nec inconsultò, sed ex proposito, dataq; opera collocare voluisse nonnullas peculiares, & perlongas circumstantias; vt fratres nostri nouum Orbem habitantes, in veram notitiam deueniant, de quo nostri Ordinis viro, est mihi modò sermo; timeo enim scriptores nostros, & similiter Patres, qui nonnulla eius gesta mihi narrauerunt, in nomine aut cognomine eius, errorem comisisse. Intelligant igitur fratres nostri, qui in ciuitate Panama in nouo Orbe corpus huius sancti viri possidere dicuntur, de illo famoso viro, qui mirabilia fecit in India, & præsertim in ea Prouincia narrationem me sumpsisse. Ex honestis, & nobili prosapia natus est Ioannes in ciuitate Xericij, quæ est in Vandalia, & piè educatus, Religionem nostram ingressus est, in qua multùm profecit. Ob id Prouincialis

A cialis Castellæ eum inter mille ad seminandum Verbum Dei gentibus elegit, & cum alijs
nostri Ordinis fratribus, Regij patrimonij proprijs expensis ad Indos missus est, ad illam
videlicet continentem, quam vulgariter terram firmam vocant, Carthaginem, Portum
pulchrum, & Panamam. Sed duabus leucis antequàm Naues ad Insulam Sahonam peruenirent,
Nauigium, quod Frater Ioannes ascenderat, agitatione ventorum naufragium facere
cœpit. In qua calamitate, & euidenti mortis periculo dum nautæ, & nauigantes tabulas,
ligna, & alia opportuna nauis instrumenta ad saluandas animas parant, noster frater in similibus
angustijs haud expertus, parumque versatus vltimam Nauis submersionem imparatus,
& inermis expectat. Quod alij socij, & nautæ attendentes, misericordia moti super
eum, monuerunt, & rogauerunt eum, vt vestes religiosas deponeret; quæ si madefiant
grauitate, & pondere suo, eum facillimo negotio trahent post se. Quod Frater Ioannes
statim fecit, & pro suo remedio ostiolum, seu foriculam ligneam, (quam nos Hispani scutellam
B Nauis appellamus) elegit; ad cuius annulum ferreum coriam zonam, qua erat antea
præcinctus innodauit, eaque se constrinxit, ac deuinxit. Sed statim nudum se, & sine Virginis
Mariæ habitu respiciens; coram omnibus, vestibus Religiosis celeriter induit se, dicens;
non permittat Dominus, quod moriar, aut demergar sine habitu meo. Et indutus
Crucis signo muniuit se, & sæpissimè Nomen IESV, & Virginis MARIÆ repetendo, ad
aquas maris misit se. Super quas, ac si pedibus iter faceret ambulare cœpit; (Angelorum
Regina, quæ statim ei apparuisse fertur, auxilium præstante, & opitulante) sed paululùm
nauigio submerso, qui erant in alia fortiori naui, quæ naufragium non fecit, & similiter
qui tabulis, & alijs instrumentis innixi incumbebant, & natabant, & ad terram venire
contendebant, fratrem nostrum ampliùs videre non valuerunt; & à maris vndis fuisse submersum
credentes, temerarium fuisse affirmabant. Sed iam ad litus appropinquantes super
C nudam arenam Fratrem Ioannem indutum, saluum, & incolumem, ac genuflexu, Deum,
eiusque gloriosissimam Matrem laudantem, & gratias agentem cernuerunt, & inuenerunt.
Qui ab eadem purissima Virgine afflictorum vnica consolatrice se liberatum fuisse fatebatur.
De quibus omnibus scriba Nauis, & nautæ, ac alij Testes testimonium veritatis perhibuerunt.
Deinde ad Ciuitatem Panamam Fr. Ioannes perueniens ad laudem Dei, & proximorum
spiritualem salutem in sanctis operibus se (cum omnium admiratione) exercere cœpit, &
adeò breui tempore profecit, vt iam frater sanctus ab omnibus diceretur. Eo concionante,
& intimè corda audientium tangente, & mouente, vitia omnes detestabantur, & virtutes
sequebantur. Accidit quod per ea tempora ingens Ethiopum multitudo à nostra sancta fide,
quam susceperant, & a fidelitate Regia iam iurata, deficiens, Britannis, sed Anglis piratis
adhærens plurimas cædes, & non modica damna Hispanis inferret. Vnde transitus ad loca
vlteriora tutus erat nullus. Ob id Senatus, & Regio Auditorio præfecti sæpe sępiùs huiusmodi
D modi Ethiopibus libertatem obtulerunt, & cum eis pacem inire voluerunt, & procurarunt.
At arrogans Ethiopum turma, barbara, & strenuissima gens, sibi valde vtiles, atque fauorabiles
pacis, & fœderis oblatas conditiones contemnens, in speluncis, & montibus de
vallano, locis ab ipsa natura inexpugnabilibus commorabatur, & vitam sine timore degebat.
Et licet hæc indomita gens, (vt diximus) maiori ex parte rebus Catholicis terga verterat,
& ad vomitū idolatrię reuersa fuerat; nihilominus tamen nonnulli ex eis fidem Christianam
retinebant. Ad hos igitur in fide solidandos, & ad alios conuertendos Fr. Ioannes
de Vargas à Regio Senatu destinatus est. Libenter igitur ad laudem Dei, & proximorum
salutem eam difficilem Prouinciam, arduumque negotium Frater noster suis humeris imposuit.
Peruenit ergo nuntius pacis ad eminentem montem de Vallano, vbi quotidiè Missam
deuotè celebrabat, & Ethiopum fidem nostram retinentium confessiones patienter au-
E diebat, & concionando ad conuersionem, veramque concordiam reliquos excitabat. Et
iam suis salutaribus concionibus plures conuerterat; & ferè omnium animos ad pacis fœdera
inclinauerat. Sed accidit, vt quadam die Missæ sacrificio peracto, dum concionem habet
ad populum, fortis nostrorum Hispanorum armata Turma, Christianæque superuenientes
copiæ, (non habentes notitiam de conuersione, & de vberrimis fructibus in eo monte
per fratrem nostrum operatis, & qualiter barbara gens sub certis honestis conditionibus ad
deditionem, & obedientiam valde erat iam propensa) magno impetu in eos irruerunt; plurimos
occidentes, multos captiuantes, & reliquos à facie gladij fugantes. Quo inopinato,
& infœlici euentu, qui salui remanserunt, indignati valde, & ira accensi, suspicantes fratrem
nostrum fuisse exploratorem, & potissimam eius irruptionis caussam, eamque repen-

tinam

tinam aggressionem à Fratre Ioanne, (qui verè innocens erat) dolosè, & fraudulenter esse fabricatam cogitantes, suis volatilibus, & venenosis sagittis culpæ expertem confixerunt; sed earum ictus etiam circa præcordia eum necare, & vita eum priuare non possent, suspenderunt eum. Et sic in suspendio vitam finiuit mortalem, & ad æternam requiem fuit translatus. In eo belli conflictu nullus Hispanus præter fratrem nostrum obijsse fertur. Cuius martyrium cum à nostris militibus penitùs ignoraretur, a Senatu, & à Regio auditorio destinati sunt, qui solertèr, & diligentèr virum sanctum quærerent, & inuentum sub bona custodia secum adducerent, & à periculis in via liberarent. Quem antequam altitudinem montis ascenderent, suspensum, & ad solis radios expositum odoris fragantiam emittentem, post 30. dies à morte eius, stupore pleni inuenerunt, in ea adeò calida regione, vt cadauer, animal mortuum, aut caro quæcumque infra sex horarum spatium statim putère soleant. Sed aliud magnum quod eorum stuporem auxit, visum est signum. Aues enim eius regionis, & tractus, Gallinazę appellatę, voraces, & magnas cristas, seu conos rubeos habētes, (quę mortuorum cadauera deuorare solent) sancti viri corpus attingere non sunt ausæ; quia duę permagnæ aues in uertice cristas albas habentes (quod in ea regione nūquam est visum) ad tutelam, & defensionem eius expositę, illarum impetum retardabant. Magna igitur deuotione cadauer illud tulerunt; & ad ciuitatem de Panama duxerunt. Vbi in nouo, & honorificētissimo sepulcro ad latus Altaris maioris (impensas omnes Regio Auditorio subministrante) tumulatum fertur. Per eius sancti merita, plurima operata miracula circumferuntur: & maximè quod per intercessionem eius barbara illa, & indomita gens, populique errantes ad fidem Catholicam conuersi, in deditionem Regis nostri venerunt; & instanter pro Parrochis, Ministris, & Prædicatoribus fratres dealbatos, (hoc est) fratres nostros (qui omnino vestes albas gestamus,) sibi dari postularunt. Et à Senatu, Auditorioque Regio corpus sancti viri, vel ad minus vestes eius albas sibi concedi summis precibus contenderunt. Magna deuotione non solum sancti viri corpus, sed quæcunque etiam minima vestiū eius pars, in ea regione habetur. Et meritò quidem, nam vestes, quas Frater Ioannes de Vargas in mortis articulo constitutus, ob deuotionem ad Virginem Mariam, & sui instituti obseruātiam dimittere, & deponere noluit, post mortē deuotissimi gestatoris, honorem, & deuotionem habere merentur. Antequàm vitam, & gesta huius sancti viri typis mādaremus, Religioso nostri Ordinis, qui ibi Monasteria principaliora rexit, de verbo ad verbū ad maiorē cautelā ea omnia recitauimus; & vera esse, sicut à nobis audiuerat, nobis affirmauit.

Generalis Magister Fr. Michael Puyg doctrina pollens, moribus insignis, bonorum amator, Religionis, suæ curę demandatę eximius zelator, inter optimos Ordinis Magistros meritò venit numerandus, nam sui Magistratus tempore Ordo noster magnum suscepit sua industria incrementum; & famosiores quam ab initio Ordinis Redemptionis factæ sunt. Obijt hoc anno 1567. de mense Nouembris Barchinonæ in suo Monasterio honorificentissimè sepultus. Suo tempore de manu inimicorum nostrorum redempti sunt 1491. Christi fideles.

1577. Liberati 1491.

CAP. XXXVII. *Pius Papa V. sub grauibus pœnis, Electoribus, & Definitoribus præcipit, vt ab electione Generalis Magistri se abstineant. At Electores de huiusmodi inhibitione notitiam non habentes, in Magistrum Ordinis elegerunt Reuerendissimum Patrem Fr. Matthiam Papiol, qui prudentèr satìs Ordinem regit.*

REX noster Philippus eius nominis II. cui in bono regimine, ac in solerti cura, vt Religiones Regnorum Hispaniæ reformarentur, nullus primus, Summo Pontifici Pio Papæ V. (quem ad reformationis munus propēsum agnoscebat,) humiliter supplicauit, vt suis Apostolicis literis Commissarios deputaret, qui nonnullas Religiones, Prouincias, & Monasteria visitarent, & reformarent. Cuius precibus Sanctissimus inclinatus ad visitandas, & reformandas quasdam Hispanię Religiones, (& inter eas nostram de Mercede,) Archiepiscopos, & locorum ordinarios

A narios deputauit, qui munus sibi traditum cum aliquo fructu inceperunt, & per aliquod tempus exercuerunt. Sed cum hæc (iuxta sanctam Regis Philippi mentem) non sufficerent, instante etiam Castellæ nostri Ordinis Prouinciale, Summus Pontifex in suis literis sub forma breuis, quæ sic incipiunt; aliàs supplicante charissimo in Christo filio, mandat omnibus, & singulis in futura Generalis nostri Ordinis electione vocem habentibus, vt se abstineant ab electione Generalis, terminum celebrationis Capituli ad suum beneplacitum prorogando, & excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnas in rebelles imponendo. Sub datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris die 19. Ianuarij, anno Domini 1568. sui Pontificatus anno tertio.

Dum hæc Romæ agebantur Fr. Matthias Papiol Prior Barchinonæ, Magistratu vacante Vicarius Generalis effectus ad eamdem diem 19. Ianuarij, pro celebratione noui Magistri electores conuocauit, qui Barchinonæ congregati de præfatis Apostolicis literis nullam notitiam habere valentes in Generalem Magistrum Vigilia Sanctorum Fabiani, & Sebastiani eundem Priorem elegerunt, in S. Theologia Doctorem, Barchinonæ filium. Qui nihil, quod bonum, & vigilantem pastorem decet omisit. Post suam electionem, nonnulla Monasteria (ad quæ accedere commodè poterat) personaliter visitauit, & reformauit. Ad longinquas verò partes Religiosos, & prudentes viros conscientia, scientia, & prudentia præditos destinauit. Et hoc anno ad reformanda Monasteria Siciliæ Magistrum Fratrem Antonium Cabrera prudentia, & Religionis zelo insignitum, Vicarium Generalem, ac Panormi Priorem constituit. Qui plura Religionis bona à secularibus personis fuisse vsurpata Summo Pontifici significauit, ac supplicauit pro opportuno remedio. Cuius precibus Sanctissimus annuens suas literas concessit tenoris sequentis. 1578.

B

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Panormitañ. C & Mazarieñ. ac Agregentiñ Episcopis, seu dilectis filijs eorum Vicarijs in spiritualibus Generalibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Significauit nobis dilectus filius Antonius Cabrera Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Regni Siciliæ Procurator, & Vicarius Generalis, ac Monasterij B. Annæ Ciuitatis Panormitañ. dicti Ordinis Prior, quod nonnulli diuersorum status, gradus, ordinis, & conditionis vtriusq; sexus, iniquitatis filij (quos prorsus ignorat) super eo, quod quondam Ioannes de Conchillos, (dum viueret) dicti Monasterij Prior nonnullas pecuniarum quantitates, &c. reuelare differre; necnon introitus, census, fructus, redditus, prouentus, calices, cruces, patenas, candelabra, paramenta, & ornamenta, ac iocalia Ecclesiastica, & prophana, terras, domos, possessiones, hortos, vineas, campos, prata, pascua, nemora, siluas, arbores arborum fructus, vinum, granum, frumentum, hordeum, auenam, linum, lanam, ceram, oleum, aurum, argentum, &c. Et diuersa alia mobilia, & immobilia bona in D executione, seu supplicatione latiùs arbitrio dicti significantis, vel pro eo agentium, &c. In quacunque parte Regni Siciliæ specificanda, declaranda, & publicanda, ad Monasterium B. Mariæ Panormi præfatum; necnon Monasterium B. Marię de Misericordia Agrigentiñ. & aliud Monasterium Sancti Saluatoris, & similiter aliud Monasterium Sancti Laurentij terræ Careni Mazarieñ. Diœcesis, vndecumque, & quomodocumque legitimè respectiuè expectantia, & per dictum quemdam Ioannem Conchillos, ac alios dicti Ordinis Superiores, & fratres fideles defunctos, & viuentes eisdem Monasterijs, & ordini dimissa, seu legata temerè, & malitiosè subtrahere, ac furto surripere, & occultare, occultèque detinere, &c. Non curantes ea reuelare, & exhibere, ac de eis satisfacere in animarum suarum periculum, & dictorum Monasteriorum non modicum detrimentum; super quo idem significans Apostolicæ Sedis remedium implorauit. Quocirca fraternitati, seu discretioni ve-E stræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi præmissorum occasione damnatores, illatores, veritatisque præmissorum, & eorum circa ea necessariorum celatores, ac defraudatores; necnon pecuniarum, bonorum, rerum prædictarum, & latius specificandorum subtractores, detentores, & occultatores, ex parte nostra publicè in Ecclesijs, & populo per vos, vel alium, seu alios modo, & forma, & infra competentem terminum, quo eis præsentatis, ea dicto significanti ad se debita restituant, & occulta reuelent; ac de ipsis, & damnis huiusmodi plenè, & debitè satisfaciant. Et si id non adimpleuerint infra alium competentem terminum, quem eis peremptoriè ad hoc præfigendum duxeritis, ex tunc in eos generalis excommunicationis sententiam proferatis, & ea faciatis vbi, & quādo expedire videbitis, ad satisfactionem condignam solemniter publicandam. Quod si non

omnes

omnes iis exequendis poteritis interesse, duo, aut vnus vestrum nihilominus exequatur, &c. A
1568. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1568. duodecimo Calend. Iunij, Pontificatus nostri anno tertio.

Quas Apostolicas literas præfatus Vicarius Generalis dedit operam, vt in hoc Siciliæ Regno exequutoriarentur, per Illustrissimum Præsidentem D. Carolum de Aragonia, die 7.
1568. Iulij, Indict. 11. anno Domini 1568.

Illa Innocentij Papæ IV. Bulla data Lugduni 2. nonas Aprilis, indict. 3. anno Domini 1245. ob suam antiquitatem gratiasque in se valdè fauorabiles continens magnì semper in nostro Ordine æstimata est, & propter occasiones emergentes, & occurrentes fuit necessè, quod in omnibus Ordinis Monasterijs de ea, notitia haberetur. Ob id recursum est ad sanctam Vrbem; vbi in auctētica forma extracta est copia ex Apostolica Bibliotheca, (vt deinde virtute eius copiæ plurima pro omnibus conuentibus transumpta fierent;) vt fidem faciunt
1568. Hieronymus Sirletus, & Federicus Ranallus dictæ Bibliothecæ custodes, die 11. Augusti, B 1568. Pontificatus Pij Papæ V. anno 3. Quam copiam scripsit Ioannes Franciscus Bucca Archiuij Romanæ curiæ scriptor.

1569. De mense Iunij huius anni 1569. Comitia prouincialia celebrata sunt Guadalaxaræ; In quibus de vnanimi vocalium consensu in Prouincialem electus est dignissimus Pater Frater Petrus Carrillo, in S. Theologia Magister, ex terra Castellæ, vulgariter appellata Gallilea oriundus. Vir statura paruus, sed animi constantia, & robore adeò magnus, & robustus, vt contra Reges, & Principes terræ accerrimus semper Religionis nostræ extiterit defensor. Propter suas insignes, & admirabiles virtutes, animi dotes, ac in regimine prudentiam, bis summa cōcordia fuit Castellæ Prouincialis; imò ab omnibus Prouincijs, & nationibus etiam Gotholanis dilectus, desideratus, & Magistratu dignus iudicatus. Timor Dei, rectitudo, & iustitia apprimè in eo resplendebant. Totius ordinis præsertim Castellæ Prouinciæ decorem, C honorem, & augmentum totis suis viribus (dum vixit) procurauit; artium, & S. Theologiæ studia stabiliuit. Pater omnium maximè studentium communitèr dicebatur, quibus bona omnia, quæ præ manibus habere poterat, etiam habitus, & vestimenta sua, larga, & generosa manu erogabat. Fratres, quos ad studia propensos respiciebat, alijs præferebat, ac specialibus fauoribus prosequebatur. Cognoui hunc venerandum Patrem, & magnas honoris, atque dignitatis accessiones mihi esse factas libentèr fateor, meq; ingenuè cōdecoro, quoties in mōtem reuoco, me de manu eius in ciuitate Ispalensi patria mea habitum suscepisse, & fauores non paucos recepisse. Adeò omnibus neruis in reformanda Castellę Prouincia insudauit, vt Reformatio, quę in ea modo viget, primò sine controuersia Magistro Carrillo debeatur. Hic feruidus, & Ordinis zelator, bonusque Prælatus fuit totalis caussa, quod in omnibus ferè Castellæ, & Vandaliæ Monasterijs artium, Sacræque Theologiæ studia, & cursus superabū D dent; & hoc singulare exemplum Prouinciales aliorum Regnorum sequentes effecerunt, vt ipse Ordo immenso vbique doctissimorum virorum numero eluceat, resplendeat, totumque Orbem illustret; & possit meritò modò in reformatæ vitæ obseruantia, & literarum præstantia alijs ordinibus comparari.

Inter huius Prouincialis Capituli Definitores enumerātur dignissimus Magister Fr. Alphonsus Muñoz Cōmendator Ispalensis, & Præsentatus Fr. Michael de Castro Cōmendator Caçorlæ; quibus a capitulo fuit in amplissima forma facultas concessa, vt vnà cum præfato Prouinciali constitutiones pro monialibus nostri Monasterij Ispalensis a sancto, & recolendæ memoriæ viro Fr. Antonio de Velasco editas, & emendatas attentè, & diligenter legerent, attenderent, & considerarent, easq; sibi benè visas auctoritate capituli confirmarent; & a monialibus ad vnguem obseruari curarent. Quod prædicti Patres simul cōgregati in con E uentu Ispalensi solerter expleuerunt. De quibus omnibus fidem facit honestus vir Ioannes
1570. de Portes regius, & publicus eiusdem ciuitatis scriba. Sub datum in nostro Conuentu Ispalensi die Martis 20. Iunij 1570.

Quas sanctas, prudētes, & religioso statui valde accōmodatas cōstitutiones libētissimè, & toto animi affectu amplecti voluerunt, & promiserunt Moniales capitulariter congregatæ; Quarū nomina sunt quæ sequūtur. Soror Anna de sancta cruce, Abbatissa, seu cōmendataria; Soror Francisca de Asūptione vicaria; Soror Augustina de Assumptione; Soror Antonia de Assumptione; Soror Hieronyma de Asūptione; Soror Clara de Asūptione; Sora Maria de Iesu; Soror Bernardina de Iesu; Soror Angela de Iesu; Soror Magdalena de Assumptione; & Soror Maria de Plagis; quæ deinde plures in Religione fructus produxerunt, & sanctitate floruerunt, vt suo loco dicemus.

Cap.

A *CAP. XXXVIII. Nonnulli fratres nostri in diuersis partibus florent, præsertim B. Fr. Augustinus à Reuenga, cuius vita describitur; & hac occasione, dignitas, qua Rectores nostri Collegij Complutensis potiuntur, commendatur. Et Summus Pontifex pro visitatione, & reformatione nostri Ordinis, duos Apostolicos Commissarios creat.*

Floruit per hæc tempora Fr. Alphonsus de Zurita, ex Prouincia Castellæ, qui valde iuuenis cum alijs nostri Ordinis fratribus ad Prouinciam Guatemalæ, & Honduras in nouo Orbe fuit destinatus. Insignis Philosophus, & celebris
B euasit Theologus. Postquam ad illas Indiæ partes peruenit, statim Mexicanam linguam didicit, & perfectè caluit, eamque Hispanos ad eas partes venientes methodo admirabili, & facili docuit, qui se ore pleno iactabant, & non immeritò gloriabantur, se tanti Magistri auditores, & discipulos fuisse. Et postquam plures suos discipulos, linguæ regionis lectores, & Magistros effecerat; totum se Indorum conuersioni mancipauit, & tot, ac tantos in hoc sanctissimo munere fructus produxit, vt immensa atq; penè infinita gentilium conuersio, Patri Zurita reputabatur. Quacumque Ecclesiastica dignitate dignus iudicabatur. Sed erat vir humilis, & in agibilibus, negotijsque dexteritate indigentibus, haud expertus.

Non minores Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię fructus protulit venerabilis, & famosus vir, Fr. Petrus Xuarez præfati Patris Zurita socius, & in eodem munere comes. Magna vir pru-
C dentia insignitus, qui summa laude, & prudentia principaliora nouæ Hispaniæ Monasteria fructuosè rexit, & gubernauit, ac similiter perfectè linguam Mexicanam caluit; quo ingentem Indorum numerum ad Ecclesiæ Catholicæ ouile duxit.

In partibus Italiæ floruit Frater Ioannes Ordoñez, ex Prouincia Castellæ senex venerandus Ordinis mirificus zelator, & auctor, qui duo in Italia fundauit Monasteria in ciuitatibus Neapolis, & Romæ. Cuius rei caussa plurima incommoda, & non paucos labores patienter substinuit. Toto animi affectu exoptabat, vt in Italia nobilissima Europæ parte, (vbi Religiones sunt valdè extensæ, & celeberrimis abundant, & ditantur Monasterijs,) noster similiter Ordo extenderetur. Vnde (vt supra diximus) licet Neapoli ab hinc plurimis annis tempore, scilicet, Regis Alphonsi eius nominis quinti Monasterium noster Ordo habuerit, obtinuit tamen hoc anno 1569. indict. 12. die 23. Martis, ab Illustrissimo D. Mario Carrafa Archiepiscopo Neapolitano, Religionem nostram in ea Ciuitate de nouo introducendi, & Ecclesiam sub inuocatione Sanctæ Mariæ de Monte amplam facultatem. 1569.
D Similitèr Romæ recursum habens ad dominos Canonicos Sanctæ Mariæ Transtiberim Ecclesiam Sanctæ Ruffinæ primus acceptauit. In qua cum plurimis Religiosis sine redditibus annualibus, nec alijs prouentibus, aut censibus, Religiosissimè vitam duxit. Fuit vir Deo, hominibusque gratus, orationi assiduus, benignus, & suauis eloquio; & sum ego testis, quod in ea regione, quam Transtiberinam vocant, vt sanctus habebatur, & à secularibus personis quidquid pro necessitatibus sui Monasterij petebat, continuò obtinebat. Bonis operibus plenus, sanctitatisque odore de se relicto obdormiuit in Domino, in eadem Ecclesia, non tamen in communi fratrum sepultura, sed in speciali loco tumulatus. Superueniens deinde Magister Fr. Franciscus de Torres Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis, & legens, ac perlegens conditiones in collatione Ecclesiæ Sanctæ Ruffinæ appositas, doluit vehementer, quod ea domus cum tanto onere, nostro Ordini concederetur. Et obid
E cum Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Augustino Cusano. S. R. E. Diacono Cardinali Tituli S. Adriani, egit, & supplicauit ei, vt eam Ecclesiam nostro Ordini concedere vellet. Quam libentèr Cardinalis non solum concessit, sed alia specialia opera, & præcipua amoris signa nobis exhibuit, & ostendit, vt suo loco dicemus. Cum igitur Vicarius Generalis Torres corporalem Ecclesiæ Sancti Adriani possessionem recipiendo, & ad eam cum suis fratribus se transferendo domum Sanctæ Ruffinæ derelinqueret, noctu intentauit, & totis suis viribus conatus est, corpus Religiosi viri Ordoñez, ad Ecclesiam Sancti Adriani transportare. Sed minimè potuit; nec obtinere valuit à Canonicis Sanctæ Mariæ Transtiberim, quibus ea Ecclesia immediatè subiecta existit, egrè ferentibus fratrum nostrorum translationem, imò conquerentibus, & querelosam insinuationem Summo Pontifici porrigentibus; in qua asserebant, iuxta conuentionē, & pacti conditiones inter eos, & ordinem nostrum initas

fratres nostros fore cogendos ad perpetuò habitandum, in eadem Sanctæ Ruffinæ domo in numero cópetenti. Sed Summus Pontifex ad supplicationē Illustrissimi Cardinalis S. Adriani nostrū Ordinē ab hac molestia liberauit, & perpetuò exemit. Nunquā tamen corpus Religiosi viri Fratris Ioannis Ordoñez habere potuimus, nec meruimus, qui requiescat in pace. A

Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Fratris Francisci Ximenez, natione Hispani, ex oppido Zisneros Diœcesis Palentinæ, Religione Franciscani Ordinis Minorum de obseruantia, Archiepiscopi Toletani, Hispaniæ Primatis. S. R. E. Præsbyteri Cardinalis Tituli Sanctæ Susannæ eximia prudentia, singularis pietas, animi magnitudo, & egregia facinora vniuersum replerunt Orbem, & ad omnium nationum aures rumor peruenit. Tanta fuit huius excellentis viri in rebus tractandis dexteritas, & in regimine prudentia, vt post Ferdinandi Regis Catholici mortem, Hispaniæ electus fuerit Gubernator; quod munus non solum insigni æquitate, laudabilique iustitia exercuit, sed etiam Imperiali, Regiaque Maiestate cum inimicorum nostrorum exterminio honestauerit, atque defenderit; animo enim inuicto, & intrepido ducentorū nauigiorum classe parata, (cuius ipse Dux, & Imperator esse voluit) personaliter in Africam traijciens Tremezeni Sarraceni Regis exercitum fugauit, Regem deuicit, & Oranum, Castellæ Imperio subiugauit. Rediens in Hispaniam victoriosus, suæ dignitatis prouectus, & redditus, non in profanis rebus, sed in sanctis operibus insumebat. Inter alia eius opera, quæ Auctorem assiduè celebrem prædicant, memoratur illud insigne S. Illephonsi Collegium, & celeberrima Complutensis Academia, vbi vnus perillustris Rector, nobiles Collegiales, celeberrimi Doctores, Magistri præstantes, Licentiati eruditi, & ingens etiam externorum scholasticorum numerus, ex diuersis mundi partibus confluentiū inueniuntur, plurimis Apostolicis, Regijsque priuilegijs fruentes. Cuius famosi Collegij, & excellentis Vniuersitatis, omniumque inibi docentium, & studentium vnus solus nostri Ordinis frater, Commendator, & Rector pro tempore existens, à plurimis annis Conseruator, & Iudex Apostolica auctoritate extitit. Quod munus in nostra Religione honorificum est; illudque multi inuidi æmuli, imò ipsemet Rector, & Collegiales si non de medio tolere, illud tamē diminuere sunt conati. Pro cuius defensione nō paucos labores, & controuersias, & nō sine magnis expensis accerrimas lites in Romana, & Regia Curia noster Ordo sustinuit. Et si benè memini tempore fœlicis Recordationis Clementis Papę VIII. huiusmodi controuersia fuit in Sacro Rotę Auditorio introducta, vbi ad iura partium hinc inde audienda, & referenda fuit tunc electus Reuerendissimus D. Lancellotto vnus ex Auditoribus Rotæ; qui ex voto D.D. Auditorum decisionem minus fauorabilem contra Rectorem, seu Commendatorem nostri Ordinis Complutensem per contradictas pronunciauit. Quę omnia cum inde secutis irrita, & inania fuerunt postea declarata. Et ad præsens Commendator pro tempore existēs potitur officio, & munere Conseruatoris, & Iudicis, quo ab initio, & semper gauisus est. Ob id in eius Monasterij Rectorem, qui consequenter eo iure Conseruator, & Iudex est, nō quicumque nostri Ordinis frater, sed vnus inter mille ex Prouincia Castellæ eligi cōsueuit. Qui in primis, & ante omnia sit de bonorum veterumq; parentū genere descendens, maculaque quoad protapiā, & lineam paternam, ac maternam in eo reperiatur nulla; quod scientia, prudentia, dexteritate, alijsque resplendeat virtutibus. Ad quod tam præclarum excellentiq; munus, plures doctissimos hac nostra ætate viros assumi vidimus, vt Magistrum Zumel, & sanctissimum Fratrem Augustinum à Reuenga, de quo est nobis modò sermo. B C D

Hic Illustribus natus parentibus, & claro genere ortus nostri Ordinis togam adhuc puer induit, & tempore opportuno professionem quatuor votorum, per fratres nostros fieri solitā solemniter emisit. Et illico probè, piè, ac religiosè in omnibus rebus, sanctisque exercitijs se exercere studuit. In Complutensi patria de licentia Prouincialis Castellæ Philosophiæ, Sacræque Theologiæ se accuratè tradidit, mirificeque profecit, ac valde doctus euasit, nulla tamen pietatis, aut charitatis opera, seu spiritualia exercitia ob hoc prætermisit. Vnde a suis condiscipulis pro eximia ipsius erga omnes charitate, suauitate, & humilitate vnicè diligebatur. Nam collegas suos, aut alios Monasterij fratres, infirmos, & ægros, aut in tribulationibus positos blandè solabatur, eisque charitatiuè inseruiebat. Vehemens in eo orandi studiū semper resplenduit. De quo ait Magister Zumel quod in contēplatione erat admirabilis, & sæpius in eadē Dei orationę pernoctare solebat. Et cū tātisper soparabatur, cernēs se eo tēpore nō posse cū Deo agere, quasi migraturus ab hac luce, oīum scelerū suorū recogitabat offensas, & tristis erat, lachrymabaturq;, & pacta Generali Cōfessione protestationeq; fidei, se somno tātisper tradebat, &c. Quid vero dicā de eius mira ciborū parcimonia? cunctis diebus vitæ suæ exceptis dominicis, & festiuis diebus ieiunasse, & carniū abstinētię fuisse deditum, idē auctor oculata fide affirmat. Eā ob causā vultus eius pallore quodā ab omnibus cernebatur. E

A tur. A fœminarũ cõsuetudine, suę castimonię insidias formidãs sẽper, & vbiq; abstinuit. Et ob id aspero cilicio ad carnes armatus, & indutus incedebat. Cognita, & per ciuitatẽ Cõplutẽsem sanctimonia eius diuulgata, à Rectore, ac tota vniuersitate, Prouinciali Castellæ petitio fuit porrecta; in qua oẽs eũ in Rectorẽ, Iudicẽ, & Cõseruatorẽ sibi cõcedi, & dari instãtèr rogabãt. Quod libẽtissimè obtinuerũt. Iudex ergo creatus summa prudentia, rectitudine, & charitate suũ munus exercuit, & singulari vitæ exẽplo in proximorũ salutẽ ardentissimo studio semper incũbebat; suiq; copiã omnibus cuiuscũq; cõditionis, & status assiduè faciebat; Imò cella sua cuilibet in caussis suis veniẽti patere solebat. Vnde tota die nullã sumẽs requiẽ, hos patiẽter audiebat, illos hilariter recipiebat, & oẽs cõsolabatur. Cõfluebãt ad eũ non solũ ex plebe, sed ẽt ex nobilitate, & Rector ipse Sancti Illefonsi, Collegiales, & Doctores nõ tãtũ ob suas lites, & differẽtias, sed ẽt cõsiliorũ caussa, & pro animarũ suarũ remedio; magnus incessanter ad eũ
B erat cõcursus. Eos oẽs sanctus vir ad benè Christianèq; viuẽdũ pijs sermonibus hortabatur; & sine molestiæ vestigio, imò placido vultu, serena frõte, & affabili cõuersatione oĩbus, & singulis (prout vnicuiq; opus erat) satisfaciebat, & placebat. Quorũ plurimi sancti viri colloquijs à culpis suis erepti, ad Christũ adiũgebãtur. Scholariũ tardorũ, & pigrorũ, sua bona, & trãsmissa alimẽta inutiliter, & in vanitatibus cõsumẽtiũ, reata, & incuriã paterna charitate, bonis, & ad rẽ faciẽtibus adductis exẽplis, crebrisq; repetitis sermonibus emẽdabat, & ad virtutes, studiaq; animabat. Perditos verò, & carnis illecebris mãcipatos acriter arguebat, & corrigebat; de quorũ salute ita anxius erat, & adeò eorũ frãgebatur misericordia, vt eos intuẽdo, aut ad memoriã adducẽdo, vix se cõtinere posset, quin multas profũderet lachrymas; ad Dominũq; ardẽtissimè pro eorum spirituali salute oraret. Plurimi infirmi, grauibusq;, & diuersis morbis oppressi (vt sanarẽtur à langoribus suis) ad eũ adducebãtur. Quorũ nõnulli (diuina fauẽte gratia) ex eius tactu se morbo leuari senserũt. Sed sanctitatis eius famã auxit vehemẽter
C miraculũ quod enarrat Reuerẽdissimus Magister Rodriguez Episcopus Rosciẽsis; videlicet, quod signo Crucis, & sancta benedictione hominis digitũ ense incisũ ex sola pelle pedentem mirabiliter sanauerit. Dæmones in nomine Iesu ab oppressorũ corporibus expulsit. Prophetiæ dono nõ caruit; nã D. Garsię de Loaysa Archiepiscopo Toletano, in minoribus, immò in minimis cõstituto, antequã Serenissimi Principis D. Philippi, (qui nũc anno Dñi 1618. sub nomine Philippi III. fœliciter in Hispania, & alibi regnat) esset Magister, denũciauit, & futuras dignitates pronunciauit. Ob id ad Archiepiscopatũ sublimatus, & antea Magister tãti Principis effectus ĩ magno pretio sanctũ virũ habebat, eiusq; sanctimoniã prodere, & ad laudẽ Dei palam facere nõ cessabat. Sãctis igitur operibus plenus obdormiuit in Dño, sanctitatis fama, & miraculis clarus. Cuius corpus in almo Collegio Cõceptionis B. Virginis Marię nostri Ordinis cõditũ est, & vt Sancti corpus veneratur; immò vestimenta eius, & minimæ ẽt habitus
D particulæ, vt Sanctorũ reliquiæ habẽtur. Quocirca (vt refert Reuerẽdissimus Zumel) Marchio à Zenete magna deuotione, & solerti cura totis suis viribus curauit, (neque id facilè obtinuit) sancti viri cilicium, quo carnem suam domare, & viriliter vincere solebat.

Magister Fr. Matthias Papiol post suã electionẽ suos ad Romanã Curiã destinauit Nũtios, & Procuratores, qui electionis cõfirmationẽ obtinere solerter curarẽt. Sed eã Sanctissimus cõcedere renuit, eo quia Rex noster Philippus, seu eius nomine Illustrissimus D. Frãciscus Pacheco Tituli S. Crucis in Hierosolyma, Præsbyter Cardinalis, & Hispaniæ Protector, sine personæ Generalis electi nota, aut infamia crebris intercessionibus Cõfirmationẽ (ne cõcederetur) præpediebat, ac animũ Regis Catholici esse, vt Religiones in suo Dominio præsertim in Hispania ex parte visitatæ, & aliquo modo reformatæ, debitè, & perfectè reformarentur. Cuius supplicationibus sanctissimus annuẽs, cũ accepisset ferè omnia Monasteria, Cõuentus,
E & fratres in Regnis Castellę, Legionis, ac Compostellę, & alijs Prouincijs, & Dominijs Coronę Castellę, & illi adiacẽtia, & existẽtia, & existẽtes, fuisse visitata, & visitatos, & forsam ad aliquã reformationẽ deuenire cęptũ, cupiẽs eandẽ reformationẽ ad debitũ finẽ perduci, creauit hoc anno 1569. in visitatorẽ Apostolicũ R. P. Magistrũ Fratrem Philippũ de Menesses; 1569.
quem sic in suis Apostolicis literis Põtifex cõmendat. Singularis, seruẽsq; Religionis zelus, eximiaq; fides, & diligẽtia, ac in rebus pręsertim Monasteriorũ, aliorũq; Regulariũ locorũ, & Personarũ reformationẽ Concernen. dexteritas, aliçq; innumerę virtutes, quibus personã dilecti filij Philippi de Menesses Rectoris Collegij S. Gregorij oppidi Vallisoleti Palentin. Diœcesis, &c. Quem motu proprio ex certa sciẽtia, & mera deliberatione in dictis Regnis, & Dominijs Cõmissariũ, & Apostolicæ Sedis delegatũ ad infrascripta peragẽda facit, creat, cõstituit, & deputat; videlicèt, vt in prædictis Regnis, Dominijs, & Prouincijs visitationis iã factę, seu inceptę processus, & acta videat, & examinet. Necnõ Archiepiscopos, & Episcopos, qui visitationi prædictæ interfuerũt, ac quoscũq; Notarios, & alias personas Ecclesiasticas,

& seculares quacũq; auctoritate, potestate, facultate, & preheminẽtia, ac dignitate fungẽtes, ac ipsorũ Prælatorũ, & ordinariorũ Vicarios Generales, Officiales, & alios Ministros, vt sibi acta, & pcessus huiusmodi dẽt, & tradãt, & cõsignẽt, requirat, & moneat. Et si opus fuerit p sẽtẽtias, cẽsuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac pecuniarias suo arbitrio imponat, cogat, & cõpellat. Et si visũ sibi fuerit; brachij secularis auxiliũ inuocet. Et ea q̃ in visitatione huiusmodi salubriter ordinata fuerint, debitę executioni demãdet. Et similiter si aliqua ex eisdẽ Monasterijs, & Cõuentibus, in dictis Regnis, Prouincijs, & Dominijs existẽtia, noua indigeãt visitatione p se, vel p alios, aut aliũ Episcopos, seu Episcopum, seu probos, & Idoneos eiusdẽ Ordinis B. Mariæ, seu fratrũ Prædicatorũ viros, ab eodẽ Fratre Philippo de Menesses deputandos, visitet. Cui delegato Apostolico Sãctissimus dat, & cõcedit facultatẽ alios quoscũq; eiusdem Ordinis B. Mariæ de Mercede, seu Prędicatorũ fratres, cum ea facultate, quæ sibi benè visa fuerit toties quoties opus fuerit subdelegandi, & subdelegatos reuocãdi, & alios ponẽdi, &c. Et multa alia sua Sãctitas in dictis literis pręfato Fratri Philippo cũ ampla, libera, & omnimoda facultate, potestate, & auctoritate cõcedit; cui certè nihil desiderari videtur. Sub datũ Romæ, die 20. Augusti huius anni 1569. Et p Monasterijs nostri Ordinis principatus Cathaloniæ, & Comitatus Rosilionis, & Seritaniæ, & cõsistẽtium in Regnis Aragonię, Valẽtiæ, &c. Cũ eadẽ amplissima facultate Sanctissimus creauit, & deputauit P. Fratrẽ Guilielmũ de Montaña Priorẽ Monasterij Gerũdeñ. Principatus Cathaloniæ. Quibus Cõmissarijs Apostolicis facultatẽ cõcedit Capitula Generalia celebrãdi in locis, & Episcopatibus sibi benè visis, & quęcũq; statuta cõdẽdi p vniuersi Ordinis reformatione: Prouincialia vero Capitula celebrãdi vnicuiq; eorũ respectiuè in Regnis, & Prouinciis suæ iurisdictionis, & Cõmissionis tantùm, & non in alterius iurisdictione facultas concessa est. Sub datum, vt supra.

1569.

CAP. XXXIX. Floret Illustris Magister Fr. Christophorus à Soto, B. Alphonsi Laici vita describitur; & Barchinonæ obijt vltimus Generalis perpetuus.

PLurimi famosi viri per hæc tẽpora nostrũ Ordinẽ illustrarũt; quos lõgũ esset recẽsere. Sed nõ est cur doctissimi Magistri Fratris Christophori à Soto pręconia intacta omittamus. Fuit Illustribus parẽtibus ortus, & à iuuẽtute sua ad virtutes, & literarũ studia valde propẽsus, in eisq; adeò pfecit, vt dignissimi Complutẽsis Gymnasij meruerit esse collega. Et licèt ex ea dignitate soleat de facili ad Episcopatũ, & ad alios honores ascẽdi, ipse, vt animã suã lucrifaceret, seculi honores vilipẽdẽs, Religionẽ nostrã ingressus est, nõ sine omniũ admiratione. Post emissã pfessionẽ, dũ corde cõtrito, & humiliato se abscõdere conatur, & honores oblatos et Religiosus effectus, fugere pcurat, Prouincialis Castellæ posuit eũ super candelabrũ, & super Cathedrã in inclita, & famosa Pintiæ Vniuersitate, vt suæ doctrinæ radijs, & splendore illuminaret, & luceret, multisque lucem emitteret. Quod munus adeò fructuosè, & admirando propè modo exercuit, vt de eo testimonium perhibeat Magister Zumel, dicens; quod hic famosissimus vir, quem probè agnouit, quasi naturæ miraculum habebatur, & fortunæ inuidia raptus est, cum inter nos placidè conuersaretur.

Dũ in Hispanię partibus Magistrũ Fratrẽ Philippũ de Menesses in Regnis Castellę, & Fr. Guilielmũ de Montaña in Regnis Aragoniæ Apostolicos Cõmissarios p sui muneris debito reformationi nostri Ordinis, eiusq; visitationi operã nouare oportet, omittamus eos benè, & solerter præpeditos, vt ad nouũ Orbẽ, & Prouinciã del Cusco transeamus, & in Conuentu Ariquippe Fratrẽ Alphonsum professione laicũ mẽtis oculis inuisamus. Cuius asperrimã pęnitentiã, cęlestẽ contẽplationẽ, insignesq; virtutes cęlũ, & terrã demirantur. In eo supra q̃ credibile est, humilitas refulsit. Licet enim à Superioribus propter Sacerdotũ, & altari ministrantiũ inopiã, & Indorũ conuersioni deseruientiũ indigentiã (satis eius cognita sufficiẽtia) ad ordines suscipiendos sæpe sæpius inuitaretur, humiliter se excusando, ad ordines promoueri renuit. Semper enim dicebat, simplex & laicus in Religionẽ ingressus sum, laicus sum modò ego, & laicus mori expecto. Et sic in simplicitate cordis, & obsequijs humilibus, (quæ in nostra religione, humilitatis officia vocant) se semper exercuit; quibus manum suam non apponebat, nisi prius à Prælato benedictione petita, & obtenta venia. Benedictione igitur accepta facie iucunda, lætaq; fronte domum totam verrebat; sed ut id in ecclesia facere

cere posset, se pro dignitate loci indignũ reputans, nouã licentiã petebat; in qua detergen-
A da, & nitida reddenda multũ temporis insumere solebat; nam frequenter cruces oẽs, altaria, & terrã genuflexus adorabat, & deosculabatur. Deinde sua requies ꝑ laborare, orationis exercitiũ erat; in qua frequẽtissimè extra se rapiebatur, ita, vt insensibilis videretur; & tũc nihil de ijs, quæ circa ipsũ fratres superuenięetes faciebãt, penitùs aduertebat, nec punčturas ab incredulis sibi illatas sentiebat. A plurimis audiui, qui actiones eius, deuotionis caussa, aut nimia curiositate ducti, attẽdere solebãt, sæpè eũ per culinę foramina, (dũ coquinabatur) vultu sereno laudes Virginis Mariæ decãtantẽ, & quamdiù per tẽpus sibi licebat, corã ligno crucis, quã secũ ante pectus asportabat genuflexũ, misteria, Dominicaq; opprobria cũ lachrymarũ effusione cõtemplãtem, & recitãtem respexisse. Habebat de more in die ad nostri Cõuentus viridariũ se cõferre; vbi in antro ab hominũ frequẽtia segregatũ, oratoriũ, seu Capellã extruxerat, & fabricauerat; in cuius principaliori parte deuotissimã imaginem Iesu Christi, à Iudice Pilato, Iudeo populo ostẽsũ, (quã vulgariter Ecce Homo vocãt) collocauerat. Corã hoc diui-
B no misterio frater noster Alphonsus deuotus eã flagellationẽ, opprobriũ, & verecũdiam, quę Christus ꝑ delicta nostra sustinuit, meditabatur. Quo nõ cõtentus, vt ad viuũ, Christũ imitaretur, & Christo flagellato cõpateretur, totũ se denudabat; retẽtis tantũ (etiam in hyeme) campestribus, quibus verenda tegi solẽt. Et tũc suis gemitibus, & singultibus ex vehemẽti cõpassione oratoriũ, & totũ replebat viridariũ; lacrymarũ gemino fõnte se vsque ad terram madefaciebat, & pectora manu tundebat. Et attẽtius, & deuotius ad Ecce Homo oculos cõijciẽs, vidẽs eã vndequaq; percusã, & quod in ea nõ esset sanitas eo incitatus, & commotus exẽplo, se diù flagellabat, & durissimè ꝑ totũ à capite vsq; ad pedes verberabat; donec lassus, & fessus, corporis dolore, & brachiorũ motione fractus in nudã caderet terrã. Quẽ sæpe fratres nostri, q illuc ad orandũ se cõferebãt, seminecem in nuda humo inueniẽtes, sub humeris suis, ad valetudinariũ (vt curaretur) deferebãt eũ. Reassumptis aliquãtulùm viribus suũ fre-
C quẽtabat oratoriũ. In eo ẽt posuerat deuotissimã gloriosissimæ Virginis imaginẽ antequam cõtinuò lampadem ardere faciebat (licet difficulter ibi oleũ reperiebatur) deuotis personis sibi abundè satis subministrãtibus, & ante eã imaginẽ insomnes plurìes ducere solebat noctes. In cella sua defatigato corpori, (ne subcũberet) requiẽ aliquã cõcedere volẽs, lectus erat tabula super terrã; in qua sæpe parieti hærẽs, & sedẽs dormiebat. Sensuales appetitùs, abstinentia cibi, & potus ita arcebat, vt vix necessaria sustẽtationi naturæ sumeret, cũ cõtinua à vino abstinẽtia. Hæc cũ nota essent hominibus cœpit sanctitatis rumor totã Ariquippæ ciuitatẽ replere, atq; vtriusq; sexus ciues ad reuerẽtiã, & deuotionẽ eius adeò incitare, vt per vicos, & plateas ad sancti viri prætereuntis pedes, turmatim ex nimia deuotione prouolutos videres. Ipse vero dicebat eis; quid facitis fratres mei, si me bonũ, & sine labe cogitatis, cogitationes vestræ, vanæ sunt; sum etenim omniũ maximus peccator; qui à vobis nõ honorari, sed pedibus cõculcari, & vt stultus, imperitus, & inutilis iniurijs, & opprobrijs affici mereo. Accidit
D in hac hominũ multitudine, & nimia frequẽtia, ꝙ quædã fœmina ad virũ Dei per portã suã prætereuntẽ, suũ vnicũ filiũ, vt eius manũ deosculaℓetur, magna deuotione trãsmitteret; qui in ea multitudine pressus, ad matrẽ suã semimortuus delatus est. Quæ dolore penè cõfecta, sensibus destituta, super filiũ cecidit. Sed in se aliquãtulùm reuersa, filiũ (vt potuit) in brachijs asportãs, fratrẽ nostrũ sequebatur, & vociferãdo rogabat eũ, vt sanaret filiũ suũ. Qui ad eam, & ad populũ sequentẽ cõuersus dixit eis. Quid me quæritis; si me probè cognouissetis nõ me sequeremini. Nõ ne ego sicut vos, in carne mortali dego, & grauissimis culpis, & delictis sum obnoxius. Ad Deũ fratres mei, & ad eius gloriosissimã Matrem cõfugere vos oportet. Beatorũ spirituũ Deo æternaliter fluẽtiũ, & nõ maximi peccatoris auxiliũ inuocate. Ego sum indignus Christi seruus, & nescio an amore, aut odio dignus sim. Iuxta Sanctũ Euãgeliũ, & Christi verba Sacerdotes rogate, vt pro vobis, (qui Deo sunt accepti) preces fundant,
E ego vero sum homo idiota, & Laicus, & Christo meo, à quo tot recepi beneficia ingratissimus. Quæ verba toto animi affectu, & ex intimo corde foras mittebat, suã sanctimoniam, (si quę erat apud se) ex industria cælare cupiẽs, ne opera sua bona (si palam facere vellet,) externa laude, & mũdana fauoris aura, cœlesti præmio, & diuina mercede vacua remanerẽt. At abũdantibus, & vberibus clamãtis, & afflictę fœminæ lacrymis cõmotus, de se diffidẽs, & de cœlesti pietate, ac cõmuni astantiũ fide confidens; ijs, qui aderant dixit; vna mecũ pro salute pueri ad Dominũ, (qui est nostra salus) orate Et ad fœminã conuersus dixit ei, nõ in me peccatore, sed in Dño iacta cogitatũ tuũ. Ipse verò in mẽtus excessu effectus, pro eadem caussa orabat. Et post paruã morulam vir bonus in se reuersus est; & puer tamquàm à somno excitatus, surrexit sanus, & ambulare cœpit. Quod signum ipse matris, & astantiũ fidei, & feruẽti orationi tribuit. Quo Hispani ad amorẽ Dei, virtutesq; amplectẽdas accẽsi, & Indi in fidei

Catho-

Catholicæ Confessione solidati, & firmati sunt. Alia plurima de hoc sancto viro enarrantur signa, quæ post mortē eius, verifica testiū assertione, & informatione in auctētica forma patuerūt; præsertim de Dæmonū à corporibus oppressis expulsione, signo Crucis super vexatos facto. Prospera vtēs valetudine cū nōnulli fratres Cōuentus Ariquippæ dicerēt ei, si non te ita crudelitèr flagellares, procuidubio senectutē videres, sui obitus diē eis prædixit. Cui fratres fidē omnimodā adhibere nō potuerūt, quia sanū, & rectè valentē suis oculis videbāt. Et timētes, ne hæc prædictio esset inanis, eā extra Monasteriū secularibus personis patefacere renuerūt; ne populi deuotio subsecuto cōtrario euētu refrigesceret. At vbi parùm ante præfixā diē graui morbo oppresū ex tēpore agnouerūt, nō potuerūt amplius obtegere, neq; prædictionē eius dissimulare. Vnde secuta morte veritas pluribus secularibus personis innotuit;& sanctitatis fama recreuit,ita, vt per viginti horarū spatiū corpus sancti viri pre nimia populi frequētia, & multitudine sepulturæ tradi nequiuerit. Sed cū preter nature ordinē illud cadauer esset nimis fragrās, multūq; redoleret, & mēbra molia nimis,& manus ipse osculātibus se tractabiles exhiberēt, Ordinarius loci de hoc certior factus, vetuit,& precepit fratribus, ne illud sepulture mādarēt, donec Vicarius de facti veritate fide occulata se benè informaret. Accessit igitur Vicarius ad nostrā Ecclesiā nonnullis Canonicis, & alijs personis Ecclesiasticis comitatus; & secularibus exclusis, ianuisq; clausis, Cadauer quod erat in medio Ecclesie, seorsum ad vnā Capellā deferri iussit. Et attēdēs quod de ordine suo ad carnes denudatū,& bene lotū,daret admirandū odorem; & quod ipsa aqua, vestes, abluētiū manus, & tota Ecclesia odorarent,astātibus dixit: à Domino factū est istud,& est mirabile in oculis nostris. Et præcepit tā de admirādo odore, quàm de alijs mirabilibus signis in forma auctētica notario, & Testibus præsentibus informationes fieri; quæ modò in nostro Ariquippæ Cœnobio asseruari dicuntur. A B

Generalis Magister Fr. Matthias Papiol,in S.Theologia perdoctus Magister, fuit sanè Magistratu Ordinis dignus; & Monasteria suæ obediētiæ subiecta, vite sue exēplo, prestātia doctrine, solerti cura,ac in regimine suaui,& eximia prudētia reformationē,& incremētū susceperūt. At ipse qui mirificus Ordinis zelator semper extitit, attēdens, quod sue electionis cōfirmationē obtinere nō potuerat, vidensq; in Religione tot perturbationes,atq; incōmoda,& Prouincias Aragoniæ, Valētiæ, & Nauarræ per Cōmissariū à Sede Apostolica deputatū, visitatas, illicq; subiectas, pre nimio mœrore in grauissimū incidit morbū, quo post paucos dies C
1569. hoc anno 1569. è vita migrauit Barchinonæ. Fuit vltimus Generalis perpetuus, & in Ordine Magistrorū 28. Et licet ei ob graues lites, & cōtrouersias fuerit suæ electionis Apostolica approbatio denegata à nostris tamen Auctoribus in Magistrorū linea collocatur eo quia ritè, & rectè ante Sedis Apostolicæ inhibitionē, & prohibitionē, fuerit Barchinonæ electus, & receptus. Tempore sui Magistratus (quod ego sciam,) nulla facta est per fratres nostros Redemptio ob præfatas in ordine inquietudines, & controuersias. D

CAP. XL. Et vltimum secundi libri. Barchinonæ Prior Religionem suæ obedientiæ subijcere conatur. Defuncto Pio V. succedit Gregorius XIII. qui nouum Commissariū creat. Et fratres nostri Redemptores plurima incommoda ferentes, laudabiliter suum officium exercent.

1570.

Exequijs Generalis Magistri Papiol religioso more, & magna nobilium Populiq; frequentia Barchinonæ celebratis Fr. Bernardus Duran Barchinonæ Prior voluit ex vi constitutionū Vicarius Generalis totius ordinis(magistratu vacante)appellari,sicq; ad oēs Prouincias,(vt ei præstaret obediētia) suas direxit literas,quibus mortē Generalis Magistri Prouincialibus,& cōmendatoribus significabat. Prouinciæ Fràcie, & Italiæ,& alia aliarū Prouinciarū Monasteria suis iussis libenter paruerunt; sed tota ferè Religio apostolicis cōmissarijs subiecta,iussa eius contempsit. E

Sed in hac religionis perturbatione, & magistratus uacatione plures fratres nostri floruerunt,& in Prouincia Franciæ eā mirificè illustrauit Fr. Dionysius de alto Ponte senex venerandus,in Sacra Theologia celebris Doctor, nullo non genere scholasticæ disciplinæ versatus,in sacrarum scripturarum explanatione,noui, veterisq; testamenti sensuum interpretatione subtilitate admirabili condecoratus, ingenio præstans,& ore facundus. Quē non sine
1571. eius prouinciæ iactura,& merore hoc anno 1571. obijsse relatum est mihi.

Comitia prouincialia celebrata sunt in Monasterio Toletano, ibiq; in Prouincialē electus est

A est perdoctus Pater, in sacra Theologia Magister, Fr. Ioãnes de cobarrubias, q̃ ẽt Vicarij Generalis Titulũ cũ prouincialatu in sua iurisdictione retinebat. In hoc Prouinciali Capitulo inter alia Patres ibi cõgregati statuerũt, actualiter lectores nullo modo vt ad chorũ venirẽt, fore astringẽdos, nisi tãtũ ad orationẽ mentalẽ cõplectorij. Similiter in hoc Capitulo cõstitutiones monialiũ nostri Conuẽtus Ispalensis cõfirmatę sunt, sub datũ Toleti die 29 Iunij 1572. & ad maiorẽ roboris firmitatem, & perpetuam rei memoriam Patres decreuerunt, quod à Sede Apostolica confirmatio peteretur.

Floruit per hæc tẽpora in Prouincia Italię celebris Magister Fr. Hieronymus Cathalano, qui p plures annos Prioratũ, seu Cõmendã nostri Cõuentus Panormi laudabiliter tenuit, & vsq; ad pręsentem diem in plurimis Panormi ciuibus, & habitatoribus Gotholanæ nationis memoriam eius recentem adinueni, qui eius laudes, & præconia ad cœlum vsque euehere non cessant.

Calendis Maij eiusdẽ anni 1572. cũ fine sanctitatis odore Romæ obijt Beatissimus Pater Pius Papa V. cui in Sede Petri successit Hugo Boncõpagnus, Italus, Patria Bononiensis, Presbyter Cardinalis Tituli S. Sixti, signaturæ breuiũ Præfectus; qui Gregorius XIII. appellari voluit. 1572.

B Hic Sũmus Pontifex superueniente obitu Fratris Philippi de Menesses, qui erat vnus de cõmissarijs apostolicis à Pio Papa V. pro reformatione, & visitatione nostri ordinis deputatus, Magistrũ Fratrẽ Ferdinandũ del Castillo Virum doctissimũ Visitatorẽ delegit ad visitanda quędã monasteria, quæ superueniente dicti de Menesses obitu visitari non potuerunt. Tenor aũt literarũ Apostolicarũ Gregorij XIII. in forma breuis sic se hẽt, plurimis verbis breuitatis caussa demptis.

Cum fœlicis recordationis Pius Papa V. prædecessor noster cognouisset (prout fide dignũ testimoniũ acceperat) dilectos filios Fratres B. Marię de Mercede Redẽptionis Captiuorũ Regnorum Hispaniæ, &c. per suas literas nõnulla statuit, & ordinauit. Et deinde cupiens idẽ prædecessor reformationẽ dicti ordinis iã cœptã ad statutũ finẽ, seu debitũ finẽ perduci quemdã Philippũ de Menesses Prouincialẽ Castellę ac dilectũ filiũ Guillelmũ de Montaña in Prouincia Coronæ Aragonũ, spẽ aĩo concipiens, quod reformationẽ dicti ordinis ad optatũ finẽ sua opera perducere possent cũ amplissima auctoritate visitandi, corrigẽdi, castigãdi, aliaq; faciẽdi, &c per alias literas creauit, deputauit, &c. Nos igitur q̃a accepimus monasteria dicti ordinis B. Mariæ per dictũ Guillelmum Montaña in Prouincia Coronæ Aragonũ auctoritate dictarũ literarũ dicti pędecessoris fuisse reformata, & visitata, ac reformationẽ acceptã, & executioni demãdatã; similiter idẽ per eũdẽ Philippũ de Menesses in Prouincia Castellæ factũ fuisse (tribus, vel quatuor Monasterijs exceptis, q̃ illius obitu superueniẽte visitari nõ potuerunt.) Volentes negotiũ reformationis cœptũ in totũ absolui, & illi vltimã manũ imponi; ac de tuo Religionis zelo, ac fide, & diligẽtia, ac experientia, (in ijs, p̃sertim, q̃ regulariũ Personarũ statũ respiciunt) certiores facti, motu proprio nõ ad alicuius nobis super hoc oblatę petitionis instantiã, sed ex certa nostra scientia, te ad pędictũ Reformationis negotiũ prosequendũ, perficiendũq; auctoritate apostolica cũ oĩbus, & singulis facultatibus, & auctoritatibus Philippo, & Guillelmo p̃dictis per prædecessorẽ nostrũ in dictis literis cõcessis, &c. constituimus, & deputamus. Decernẽtes ex tunc irritũ, & inane, si secus super hoc a quoquã quauis

D auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstãtibus præmissis, ac cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon his, quæ in eisdem literis idem Prædecessor decreuit non obstare. Volumus autem quod quamprimum posteris in reformationis negotio per nos tibi iniuncto procedas, illudq; faciente Domino per solicitam tuæ industriæ diligentiam breui perficias, eoq; perfecto, & absoluto, nos statim de eo per tuas literas reddas certiores. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 2. Iunij 1573. Pontificatus nostri anno 2. 1573.

Licet ordo noster (magistratu vacante in reddenda ratione Apostolicis Commissarijs, & Delegatis iuxta Summi Pontificis literas, & intentionẽ, ac Regis nostri Philippi beneplacitũ) præpeditus, & molestatus nimis esset, sui tñ muneris, & sancti instituti minimè oblitus, plurimos de manu inimicorũ nostrorum liberarauit captiuos. Vnde ex Prouincia Castellæ, & Bæthicæ 560. Christi Liber. 560.

E fideles captiui perfectæ libertati donati feruntur. Quos ferè oẽs redemit Reuerendus Admodum Pater, & doctissimus Magister Frater Rodericus de Arze; qui postea fuit eiusdem Prouinciæ meritissimus Prouincialis. Hic igitur venerandus magister subtilitate, ingenijq; acumine præstans, (cuius manu scripta, ac prædicationum suarum perspicaces conceptus in magno pretio, & æstimatione ẽt apud doctissimos aliarũ Religionum viros semper habentur) cum esset Redẽptionis muneris mirificus zelator in Redẽptorem sæpe electus est; & sic apud barbaras, & infideles nationes auctoritate pollebat, vt a multis per manus eius liberatis, fide dignis Christianis, auribus meis percepi. Erat tanta Magistri Arze auctoritas, atq; æstimatio, vt quidquid a Regibus, & Mauris Principibus petebat, facillimo negotio obtinebat. Multi morte multandi, & ad torturam ob pęnam, vel eruendæ veritatis caussa damnati, Magistro Arze preces pro eis fundẽte, continuò liberati sunt; ita vt, dum hic feruidus Redẽptor in Africæ partibus degebat, & moram trahebat, afflicti Captiui aliquantulum respirare poterant. Fuit noster Frater miserorum Captiuorum charitatiuus Protector,

ac defensor; & de iniurijs a Mauris in Christianos illatis ad Regē Sarracenū deferebat querelā, qui A
Rex Sarracenos iniuriosos, & culpabiles repertos iuxta demerita, & pro criminis grauitate (ac si alios Sarracenos offēdissent) puniri pręcipiebat. Quo plurimi infideles indignati, occasionē quærebāt, vt eū morti traderēt, vel, vt in Hispaniā reuerteretur, cogerēt eū. Et hāc mortis causā inuenerūt in eo. Ob aduētū noui Regis, cū spectaculū fieret, Magister Arze ad litus maris suos direxit gressus, vt qui erat nimis curiosus, quæ à Barbaris nationibus in suorū Regū aduentu, parabantur, propriis cerneret oculis. Eā ob causā mortis reū iudicātes, lapides in ingēti numero in eū eijcere non erubuerūt, & in multis corporis partibus percusserunt eū; & nisi prope Ciuitatis portā fugiens, & semimortuus à superuenientibus Christianis munitus, & defensus fuisset, proculdubio (vt ait Magister Zumel) ea die occubuisset, & perijsset. Quod flagitiū cum Rex punire vellet; causāq; huiusmodi regio committeret consilio, non defuerunt Testes, qui dicerent, Magistrū Arze esse Regis Hispaniæ exploratorem, & ob id non ad fęstiuitatē, & spectaculum inuisendum, sed vt menia, & ciuitatis ambitū tacitus consideraret, & qua ex parte ciuitas expugnari posset, ac muri debiles essent, attenderet, ad litus Maris extra ciuitatem exiuisse. Alias etiam innumeras calamitates, & falsas accusationes perpessus est Algariæ Magister Arze, quas esset longum recensere. Sed non minores ipse, & socius eius Fr. Ludouicus Matienzo labores, discrimina, & incōmoda in Ciuitate Tuneti, & Fessi, sustinuerūt. In his partibus iniurijs plurimis, opprobrijs, & ignominia quotidie vexabātur; quę propter amorē Dei, & Captiuorū liberationē patienter tulerūt. Sed cū tanta esset fideliū Captiuorū multitudo (quorū multi in fide periclitabant) fuit necesse iuxta nostrū institutum, & quartū votū alterū ex eis in pignus apud Sarracenos remanere. Quapropter Fr. Ludouicus Matienzo senex venerādus māsit tribus annis in scābiū ob duodecim millia scutorū aureorū pretiū, quo multi Captiui redēpti, in Hispaniā delati fuerunt, & pro eis bonus senex in pignus remāsit. Primo suæ detētionis anno honestè fuit tractatus, & intra ciuitatē ambulabat quò sibi libebat, & placebat. Secundo vero anno cum tā ingens pecuniarum copia a Patribus nostris (visitatione, & alijs incommodis atq; expensis valde vexatis, & oppressis,) non mitteretur, cæperunt crudeles Mauri Senem venerandum iniurijs afficere, faciē eius alapis cædere, & sputo conspuere. At tertio anno carceri obscuro, & fætidissimo Redēptorem manciparunt. Vbi fame, & siti maceratus sereno vultu se maiora pro captiuis fratribus libertati donatis, & liberandis pati velle dicebat. Et ad Christianos (vt eum consolarentur) venientes aiebat; o vos filij, & fratres mei in Christo dilectissimi attendite ne Sarraceni suis inanibus verbis, & promissis vos decipiant. Fidem Catholicā retinere, in qua est vera libertas, & Redemptio vestra. Sed cū indies barbarorū impietates, & inhumanitates crescerent, & Senis Redēptoris captiui vires detraherentur, & extenuarentur, timentes Captiui Christiani ne in ergastulo deficeret, Prouinciali Castellæ plurimi ex eis scripserunt, de crudelitatibus in patrē Matienzo illatis eum certiorē facientes, qui misericordia motus Prouinciam, & eius bona, & redditus pignori subjecit, ob duodecim millia scutorum aureorum; quæ Tunetum transmissa fuerunt, & Redemptor statim liberatus; Prouincia vero Castellæ ære alieno mansit obligata, censu instituto, quo singulis annis creditoribus, (quos vocāt) fructus soluere tenebatur. Aliud maius incommodi
1574. genus Prouincia Castellæ perpessa est, imò totus Ordo; nā hoc anno 1574. in Principatu Cathaloniæ, & Corona Aragonū, lites cōtrouersiæq; antiquæ, quales non fuerunt ab initio Ordinis suscitatæ sunt, & schismata reuiuiscere cæperunt cōtra Prouinciam Castellæ. Sed deinde pax vniuersalis, & diù desiderata, & procurata reformatio secuta est qua per Dei gratiā vniuersus Ordo noster modo potitur; de quibus omnibus in tertio, & vltimo libro (opitulante Domino) agemus.

Calendis Augusti 1618, & à fundatione nostri Ordinis anno quadringentesimo vltimam manum secundo nostræ Chronicæ libro ad laudem Dei, eiusq; gloriosissimæ Matris imposuimus. E

Digitized by Google